
GUIDONIS PANCIROLLI RERUM MEMORABILIUM SIVE DEPERDITARUM PARS PRIOR [- LIBER SECUNDUS]...

Guido Panciroli, Heinrich Salmuth, Sebastian Furck


GUIDONIS
PANCIROLLI
Rerum Memorabilium sive
Deperditarum
PARS PRIOR
Commentariis illustrata, et locis prope
innumeris postremum aucta, Ab
HENRICO SALMUTH.
Ambergensium Syndico Emerito.
FRANCOFURTI Sumptibus Godefridi
Schonwetteri Viduæ et Hæred:
1660
Sebastian Furck fecit

JOACHIMUS CAMERARIUS
HENRICO SALMUTH
S. D.

AVdivi nuper tuam Matrem hac cum aliis transiisse, proficiscentem ad vos Ambergam: atq; ægre tuli ipsius adventum mihi non fuisse indicatum: cum propter veterem amicitiam cum vestra familia ξενικὰ officia debita lubenter ei præstitissem, quod in posterum quoq; studiose sum facturus. Te quoq; ante aliquot menses ad Serenissimum Electorem, adversa valetudine, ut nosti, conflictantem, me conferens, propter occupationes aulicas salutare, ut constitueram, non potui, quod fiet alio tempore commodiore. Interea scito, tuum Guazzium mihi esse valde acceptum; eumq; totum cum magna voluptate me perlegisse. Illiq; Authori gratulatus sum, quod in tam idoneum interpretem inciderit, qui anteà à Coloniensi nescio quo, ita misere fuit tractatus. Quod si tibi à publico tuo munere tantum esset ocii, ut ejusmodi versionibus, horis subsecivis interdum vacare posses ac velles ad te orevi missurus essem Italicum commentarium, in quo describendo aliquid sumptum feci; nondum editum Guidonis Pancirolli, quem conscripsit in gratiam Ducis Pedemontani defuncti: in quo accurate, meo judicio, agit de multis rebus alicujus momenti, quarum cognitio apud veteres fuit omnibus obvia, nunc vero plane modus parandi intercidit: & contrà plurima exponit nobis jam usitata, quæ olim plane fuerunt incognita. Liber sane dignus esset, qui abs te in Latinam linguam verteretur, & ea forma qua tuus Guazzius est excusus, apud vos imprimeretur. De quo si intellexero tuam voluntatem, præ aliis exemplam meum manuscriptum tecum communicabitur. Volui ipsemet suasu amicorum hanc provinciam subire: sed ingravescens ætas, & multitudo negotiorum hoc impediunt. Exspecto itaque de hoc tuum responsum. Bene vale, & saluta tuum fratrem, & honestissimam matronam Matrem tuam, si adhuc vobiscum est. Norimbergæ 12. Decemb. Anno 1596.

AD
HENRICUM SALMUTHUM
V. Clarissimum.

TRansferre linguas ore ab uno in alterum,
SALMUTHE, tanto plus meretur gloriæ
Laudisque; quanto cultiusque & purius
Interpres ipsa rimari studet
Auctoris, in queis navet æquandis fidem
Operamque dignam Plurimos pol cernere est
Hodie elegantes ac disertos admodum,
Quos Fama cœlo tollit. Inter hos nisi
Numerere, cursu confidens eborneo
Ad astra vectus; nescio certe, dehinc
Cui debeantur dona fidi interpretis
Nam grande PANCIROLUS Italiæ decus,
Quo delicatiusque & enucleatius
Sermonis usus est stylo vernaculo;
Hoc eloquutus illud est Latinius;
SALMUTHE, magna lux futura Teutonum.
Utriusque certat invicem elegantia

PAULUS MELISSUS *Franc. Com. Palat. & Eques, civis Rom*

EPOS
CONRADI RITTERSHUSII,
I. U. Doctor. & Professoris Norici,
IN BIPARTITUM OPUS
Rerum Memorabilium
Guid. Pancirolli, & Henr. Salmuthi,
GL. VV.

ΑΝτωπὶν μακάρεσσι βροτῶν γενος ἐςὶν ἀληθῶς,
παντοίων τεχνῶν μελετήμασ', ἀμήχανον ὐδὲν
ὥς σφίσιν ἐςὶ καμεῖν, ἤμὲν κατὰ μητέρα γαῖαν ἠδὲ κατ' αἰθέρα μακρὸν, ὁμῶς ςενόεντ' ἀνά πόντον.
ἀνδρεςμέη σοφίη πάντ' ἐςὶν ὑπήκοα πάντη.
Τέχναι δ' ὐ πᾶσαι θάλλυσ' αἰῶνι ἑκάςῳ, ἀλλ' ἑτέρῳ ἕτεραι. γλυκερὴ δέ τις ἐςὶν ἀμοιβὴ, ὡς τὰς μὲν καταδῦν, τἄλλας δ' ἀναδῦναι ἐςαῦθις,
καὶ περιδινέεσθαι ἅπ δὴ ἱερῷ ἐνὶ κύκλῳ;
Σαλμοῦθος κατὰ μοῖραν ἐπιςαμένως τάδ' ἔδειξε.
δίπτύχῳ ἐν τεύχει, κεχαραγμένα ἴχνει ἑμαρτῶν.
τῦ νομικῆς φάεος Παγκιρολίδυ. μακαρίτυ. Ὅςις ταῦτ' ἀναγνὺς ἔσσι, φίλε, ἔχαρις ἀμφοῖν
ἴσθι ἰμὺ ἐπίςης, Παγκιρολίδητ' ἐρωτεινῷ, Σαλμύθῳ τ' ἀγαθῷ. μᾶλλον δ' ἄραμείζονα τῷδεν
νοῦν κατ' ἐμὸν πάνως χάριν εἰδέναι ἐςὶν ἐοικὸς
ὐδ' ἄν ὐδεμί' ἦν θησαυρῦ κρυπτῦ ὄνησις.

Eadem Sententia
LATINIS VERSIBUS AB eodem reddita.

CUm Superis mortale genus certare videtur,
Artibus omnimodis mira ratione repertis.
Nec quicquam ingenio humano natura negavit;
Omnia se prona huic potius substernere jussit.
Et qua se matris Telluris viscera porgunt,
Et quaqua tractu spacioso funditur aer,
Et gemebunda sinus quaqua explicat Amphitirte.
Non autem quavis artes in quolibet ævo
Ex æquo florere solent; aliaq; alijs sunt
Temporibus. Nunc occidit hac, nunc incipit illa,
Et grata quadam cycli vertigine cernas
Omna perpetuo volvi hic quoq; circum agiq;.
Talia Salmuthus magna docet arte bimembri
Hoc opere exponens, vestigia clara secutus,
Qua Pancirolides signaverat ille beatus,
Illustris Legum vertex & gloria Iuris.
Horum quisquis eris Lector studiosus, utriq;
Gratum animum præstare velis Pancirolidaq;
Salmuthoq; simul. Sed & huic fors gratia major,
Iudico si quid ego, debetur. Namq; sine ipso
Occulti utilitas thesauri non foret ulla.

Altrofij Noricor. XXIII. Febr.
Anno M. DC. II.

ODE
IN GUIDONIS PANCIROLLI
vetera PERDITA & nova reperta
A. CL. V.
HENRICO SALMUTHO IC.
Ambergensium Syndico Doctiss. commentarijs illustrata, & ultimâ manu admota.

DIvinitatis semina pluria
Excogitandis artibus emicant
In pectore humano, & resurgit
Læta seges dociles in annos;
Quamvis nec æquâ fruge Tot artium
Gratarum ab ævo nos facies lates
Vetusto & inquisita doctis
Quamlibet ingenijs, inerti

Sepul-

Sepulta virtus usque manet situ;
Naturæ an auctorum invidiâ? an magis
Nostrapte culpâ, proniorum
In studium novitatis? hisco.
Sed stent in ævum post veniens sua
Antiquitati tot decora artium
Inventionis, sive cultus,
Seu rationis inexplicata;
Miremur altos Pyramidum situs
Ægyptiarum, atque igniferam Pharon;
Superba Mausolea Regum;
Ductilis artificemque vitri.
Miremur hortos aere pensiles;
Et mortuorum corpora ab improbis
Defensa blattis, in sepulchris
Perpetuumque oleum, atque flammam;
Miremur æquor verrere, & aurea
Furto Argonautas prendere vellera;
Pilasque coxisse atque Rhenum
Ponte nives superasse aceto;
An derogemus temporibus novis
Patrum aut avorum gloriam, & inclitam
Laudem ex Repertis, quæ profundâ
In viterum latuere abysso?
Quæque haud minoris sint pretij, aut minus
Illustre nomen sæcula in altera,
Decusq; possint sempiternum
Iure suo merito pacisci?
Tum me ordientem chalcographos typos,
Et subruendis missilia urbibus,
Et Machinarum monstrât terris
Insi[illegible]osa & humi cavernis;
Cælo minantes terrigenûm domos;
Et filiorum notitiam Æoli;
Magnetis usum; audace cursu
Velivolum Oceanum in Decembri
Terrasque apertas undique, dicere
Phœbus coercet. Nam prius Italum
Hæc PANCIROLLUM *condidisse;*
Egregiâque operâ eruditum
Linguas & artes omne genus, penu
Dotasse SALMUTUM, *Esse nihil super,*
Actumve me acturum Lyristen
Ingenio & numeris minorem.

Ioannes Ulricus IC. & Com. Pal

AD EVNDEM.

DIvitias alius Crassi meretur, & auri
Midæ nocentem copiam.
Me neq; Cambisæ tantum, neq; flumina Crœsi,
Tagique arena divitis,
Natura quantum afficiunt mirabula, terras
Quæ permeant, & æquora,
Aëris & tractus & cœli templa superni,
Totamq; mundi machinam,
Hæc, PANCIROLLI nobis cum fercula prom.
HENRICE, promptuario;
Structurasq; operum priscas, habitusq; virorũ,
Novaque artium molimina:
Dignus es, interpres bone, quẽ meliore legẽtes
Remunerentur munere;
Quum comtis quo custodẽ Lenæus alumnus.
Donasse narratur sui.

Gregorius Bresmanus

AD EUNDEM.

SIte nescirem terrâ Germanide natum,
SALMUTHE *Aonij gloria summa jugi.*
Crediderim scriptis tot doctis qualia vertis,
Te magis Ausonij seminis esse virum.
De patria constat, quam tu super æthera tollis:
Quam pariter Fratres picta sub astra vehunt,
Plus, quam materno, peregrino idiomate præstas,
Rari animi, & rari na vir es ingenij.
Invidus haud quaquã graviũ monumenta laborũ
Extremum gaudes participare salum,
Gens PANCIROLLO *multum Itala debet alumno:*
Sed plus SALMUTHO *Teutonis ora suo.*
Ante mihi latas metire, Geometra, terras:
Mensuram illius dic mihi deinde Viri.

MARTINUS Geißlinger/ Farricollinus, Philosophiæ & I.U.D.

IN EVNDEM.

EDidit Euganeo facundus multa Lyceo
GUIDO polito pectore.
In quibus etiam dederat prædivite rerum
Partus refertos copia.
Quas partim Natura creat, pars mente sagaci
Inventa sunt mortalium.
Hæc quanquam Aoniis essent depromta viretis
Phœbi & Minervæ calculo:
Promta fuere tamen solis, quos forte loquelæ
Fines coarctant Italæ.
Tam bona Pieridũ, tã bellaq; munera (quãvis
Hæc Caprimulgus despuat)
Cultor Thespiadã Henric⁹, sacræq; Themistos,
Carus Minervæ & Cynthio,
Indignum ratus à dignis usq; abditu' linguæ
Palla jacere exoticæ:
Antiqui Latij genuino exponit amictu
Et prompta reddit omnibus,
Quiqui Romanis impendunt otia Musis,
Europa quam latet (num
Qui legis hæc igitur, fruct' metis atq; Camœ-
Dignos amœnis hortulis:
Dic PANCIROLLO debemus multa;
Sed Pancirollum inter preti.

JOH. LADISLAUS

AD HENRICUM SALMUTHUM AMICUM CANDIDUM.

EDe tuum quaso, SALMUTHE, ex arte libellum,
Amplius & famæ carbasa pande tuæ.
Nunc primo emisso crevit tua gloria multum:
Plus opere hoc crescet gloria magna novo.
Cæsar, Rex, Princeps, Comes, & Baro, & omnis avita
Exspectat cupide Nobilitatis Eques.
Nec tantum expectant: Cuncti debere fatentur
Dotibus ingenij se bona multa tui.
Hoc vere est jugi cum nomine vivere terris.
Iam construerunt celsa quoq; astra locum.

MARTINUS Geißlinger / Farricollinus, Philosophiæ & J.U.D.

AD HENRICUM SALMUTH V. CL. Anacreon.

HENRICE, Gratiarum
Cor, Hyantidum medulla,
Inter virosque doctos.
Inter gravesque Vates,
Inter bonosque Cives,
Sydus, corona, lampas.
TEIUM udulum jocosum,
Petulculumque Tejum
Puto amare te Pelasgum.
Sed dic juvenculumne
Tyronem & invicetum,
Rus qui sapit paternum
Dic Bojum amasne Tejum?
Tute annuis: pol ipsius
Trepido. Sed hà favorem
Periclitabor istum.
DEPERDITA invenire
JAM OLIM, GUIDONIANA,
Feliciterque quibas,
Per-ampliter quibas.
INVENTA, tamdiuqueî,
Queî quæritas RECENTER?
SALMUTHO PANCIROLLA,
INVENTA prome, prome!
Porrò invidebis Orbi?
Te prodo? namque partem
Doctamque & expolitam,
Te non vidente, vidi,
RICHO exhibente furtim,
Faventiore RICHO
Dicto Poetæ ab listro.
POROELLULANAM amatam,
Preciosulam, tenellam,
Pictoris arte pulcram,
Tralucidam, nitentem,
Et toxicon fugantem,
Vidi his occellulisque
Tenui hacce dexteraque
Hoc osculatus ore.
STILLARE ibi usuperque
Vidi optimos liquores,
Panacéios liquores,
Messem ut Sabæam odoros,
Colante eos perité
SALMUTHINA Camœnâ.
NOLAS dein rotundas,
Fusoris arte scitas,
Resonas, graves ab ære,
Pulsare clanculum mî
Furtiva erat lubido
AD CLEPSYDRAM fluentem
Metirierque porrò
Unam alteramque lucem,
Horas citas diei
Inibi fuit voluptas.
Nimiúmne AMICE, vidi?
Celare deîn laborem,
Novem puellularum.
Helliconium laborem
Aganippidum Sororum.
Non quibus AUCTOR istum.
Expunge, tarde, nomen,
Expunge, quid moraris?
MEIBOMUS hoc fatigat,
Instigat & RASELUS,
Latus fodit subindè
RICHUS, cupiscit Ordo
Turbæ omnis id novenæ.
ISTRINUS hos & inter
(Tibi Tejus ille Bojus
Adamatus usque & usque
Laudatus ille tantum)
Ambit, procatur, ardet,
Ex parte visa, lecta,
INVENTA, habere gestit
Integra, JAM RECENTER,
Adaucta luculenter,
Perculta tam potenter,
Oratione purâ,
Severiore curâ,
Genialibus, Canoris
SALMUTHINIS camœnis.
Dic nunc, juvenculúmne,
Tyronem & inficetum,

Rus qui sapit paternum,
Dic, Bojum amásne Tejum?
INVENTA comprobabunt
Deprompta veritatem.
Tibi juro verus augur,
Tibi certus ajo Vates,
Exin quòd inclutus Tu
Fulgebis undiquaque,
HENRICUS Gratiarum
Cor, Hyantidum medulla,
Inter virosque doctos,
Inter gravasque Vates,
Inter bonosque Cives,
Sydus, corona, lampas.

M. Christoph. Donauerus Ratisp. Ecclesiastes Patriæ, P.C.

IN ALTERAM COMMENTARII Guidonis Pancirolli partem, Notis illustratam ab Henrico Salmuth.

Altera nunc prodit sobolis ornata Guidonis,
Quæ gemina pridem gestiit esse comes.
Illa docet Priscorum inventa: sed ista Minorum,
Atque alia, eximium quæ didicisse decus.
Vtraque nata quidem jungi: tamen exus illa,
Abdita delituit hactenus ista domi.
In lucem prodire verens, externus amictus
Namq; erat, Italico vox peregrina sono.
Non tulit hanc speciem Clarissima fama Gamœnii
SALMUTHUS, sed quâ dexteritate prius
Germanam eduxit decoratam veste Latinâ
Addens & dotem, quò mage culta foret:
Sic etiam, quam nunc cernis, decoravit & auxit,
Et geminæ Aoniæ reddidit arte parem.
Ite pares donis jam nunc doctæ ite Sorores,
Magnaque Pieriæ commoda ferte gregi.
Quærenti, unde decor vobis speciesq; vel ipse
Castalidum qualis vix nitor esse solet:
Dicite, SALMUTHUS fert talia munera, Phœbi,
Pieridum, Themidis, gratia, fama, decus.

JOH. LADISLAUS.

AD CL. V.
Dn. HENRICUM SALMUTH, &c.

Plerio ut Primùm filo deducere avebas
Versus, & diæ dedere cor Themidi:
Numina desubitò Musarum, Helicone relicto,
Ecce! tuũ penitus se in gremium abdiderant.
Si quis nũc igitur Musas, Phœbúmve requirat:
Si te adeat, nî te apud inveniat.

Paulus à Gisbice, Poeta coronat. Cæsareus.

IN LOLLUM.

Lolle, Theoninoquid me petis, improbe dente?
Si bonus es, lauda quæ bona, carpe mala.
Sed bona fortè malis sunt plura. hinc ringeris! Ohè
Iam satis est, nunc vel ringere & emore.

TITULORUM QUI IN HOC PRIMO LIBRO TRACTANTUR, ELENCHUS.

m De

TITULORUM SECUNDO HOC LIBRO EXPLICATORUM

INDEX.

PRO-

PROOEMIUM.

INter egregia illa colloquia, quæ assidue & frequenter habet Serenissima Celsitudo Tua, quæsitum ex me memini de iis rebus, quæ apud veteres quidē in usu fuerūt; hodie vero ivere in desuetudinem: & rursum, de iis, quæ post Imperiū Romanum primum sunt adinventæ. Equidē, qui perpetuo desiderio, quo ad inservendum Ipsi ducor, semper id studeo, quod gratū Illi possit accidere; collectionem quādam feci, ab iis, quæ Natura produxit, & quorū nulla hodie est notitia, exorsum faciens: ac deinde ad ædificia, & alios Veterum habitus ac mores, qui in præsentiarū plane exstincti sunt, descendens. Postea eodē ordine exposui, ecquid rerum & artiū ætate jam proxime præterita noviter fuerit repertum: ut ad Plutarchi exemplum, quasi parallelos sibi constituere, & hæc cum illis cōparare invicem, nec non perpendere secum possit Celsitudo Tua, utrum plus damni, an lucri fecerimus: non secus, ac Mercatorib. usu venire solet, qui in altera quidē pagina, quod expensum; in altera vero, quod acceptū est, consignant: ut scilicet expensi & accepti subducta ratione sciant tādem, utrum creditores sint, an debitores. Sane mutationes istas Dei Opt. Max. voluntate fieri credo. Nam cum ita ordinarit, ut omnia Lunæ globo subjacentia moriantur quidem, alia vero rursum subnascantur: voluit profecto, Species & artes nonnullas amplius non reperiri: attamen alias de novo in lucem produci. idq; ideo, ut præter alias admonitiones complures, etiam hac ratione finem præsentis vitæ contemplemur, & majori eum diligentia ad æternam illam adspiremus.

Argumentū libri.

Ego quasi catalogum quendam cōscripsi, non quidem omnium (quod factu mihi erat impossibile) sed q̄ notatu videbantur digniora, quorum maximam partem sum prosequutus; ea quæ vel Religionem, vel Leges concernunt, consultò omittens. quandoquidē illa apud Ve-

teres superstitione nō carebant: hæc vero etiam peculiarem librum omnino desiderant. Hic intuebitur Celsitudo Tua non Urbis Romæ tātum; sed ipsius etiam Mundi majestatem & magnitudinem; ac ea simul intelliget secreta, quæ ei non displicebunt, opinor. Iis itaq; horis, quibus à gravibus suis occupationibus liberā se sentiet Celsitudo Tua, lectione dignetur opellam hanc meam, quam Ipsi dedico, & quæ instar recreationis erit eorum laborum & fatigationum, quas Ipsa singulis momentis subit, ut magno illi oneri, Dominatus ratione sibi incumbenti ferendo sit. Quam diuturna pace & gloria florentem, à Deo conservari opto; & eidem debita cum reverentia ac humillima subjectione me commendo.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

IN manuscripto illo exemplari Italico, quod Vir clarissimus *Ioachimus*, Magni illius *Ioachimi Camerarii*, patris optimi plane consimilis Filius mihi utendū dedit, & quod in tralatione hac sequutus sum, atq; nuper etiamnū deprehēdi apud strenuum & Nobilissimum virum *Iohannem Reiboldū*, præter eximiam juris tam divini quam humani scientiam Græce & latine (quæ rara hodie nobilitatis dos est) impense doctum, & exinde Serenissimi Marchionis Brandeburgici Consiliarium intimum, & Dicasterij Culmbacensis Præsidem meritissimum, nulla fuit ἐπιγραφή. Idem tamen me monuit, Libellum istum à *Guidone Pancirolo* JCto præstantissimo, in gratiam Ducis Pedemontani fuisse cōscriptum, quod ad Lectorum, in ipso mox libri hujus frontispicio dissimulandum non putavi. Cæterum cum ipsius Panciroli, quem anno 1587. & 88. Patavij, in celeberrima illa Antenoris Urbe, frequentissimo Auditorio summa cum voluptate & utilitate docentem audivi; tum vero etiam Joachimi Camerarij & commemorati modo *Præsidis* excellentem doctrinam, & multijugam rerum pulcherrimarum cognitionem atque usum, egregias præterea virtutes, & ex his humanitatem singularem, si prout res est, commemorare digne satis velim; vereor, ne cum Plauto, & face & viatico mihi opus sit futurum, ad tam longæ narrationis iter. Non possum tamen mihi non gratulari, veterem illam amicitiam, quæ parentib. meis cum clarissima *Camerariorum* familia sanctè intercessit, mihi factam esse hæroditariam.

Ioachimus Camerarius.

Ioh. Reiboldus.

Guido Pancirolus IC. libri hujus author.

Qui in altera tabula) Rationum enim libri, Tabulæ accepti & expensi appellari solent. In quibus si quis pares-paginas habuerit, hoc est, tantum acceperit, quantum expendit *parta facere* dicitur. *L. Sticho 40. §. ult. ff de stat. liberis.* Hinc Plinius de Fortuna: *Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium Sola utramque paginam facit.* Sic Scævola, cum cohæredibus parem rationem facere dixit, *in l. ult. §. ult. ff. de dol. except.* Et Affricanus parem rationem adscribere

Paria facere.

scribere *in l. qui filium ff. de manum, testā.* Nec infrequens erat, ut qui nomina plurium per tabulas accepti & expensi faciebant, utrinq; testes adhiberent? & *Pararios*, hoc est, Librarios (quos cum Plauto *Actuarios* fortasse dixeris) interponerent, qui tabulas, quibus solemnia Interogationis & Responsionis continerentur, certis verbis, & certis quibusdam formulis transcribebant, adjectis loco, die & consule *l. 1. §. editiones. vers. nationes tamen. ff. de edend. junctal. si Librarius 93. d. R. Iur.* Id quod pulchre explicat Iacob. Ræuardus *l. 3. var. c. 1.* Iam si abunde satisfactum esse creditori, *Pariari dicebatur obligatio.* manifesti enim juris est, inquiunt Impp. tam alio pro debitore solvente, quam rebus pro numerata pecunia consentiente creditore datis, tolli pariatam obligationem. *l. 7. C de solut.* Sic enim pro *paraiam* legendum esse *Pariatam*, idem Ræuardus censuit *d. lib. 3. cap. 9.* Ad id genus pariationis, sive tabularum allusisse videtur Plautinus adolescens de suo & amicæ amore mutuo & pari attestans in *Mostellar. act. 1. sc. 3.*

Pararii.

Actuarii.

Emendata L. 17. C de solut.

Bene igitur ratio accepti atq; expensi inter nos convenit.

Tu me amas, & ego te amo.

Et solebat in pariationibus hujusmodi pactum adscribi: ex hoc contractu nullam inter se controversiam esse, sicut ex *l. ult. §. idem quæsit. ff. de condict. indeb.* colligit Barna Brisson. *de formul. & solemn l. 6 f. 539.* Inde *Pariatores*, qui ejusmodi rationes administrant. *l. Iulius 81. de condit. & demonst. Alciat' libro 1. parer. c. 24.* & quos *Reliquatorib.* opponi idē Brissonius scribit *in verb. paria facere.* De quibus quidē Relliquatoribus Themistius author est in *orat. 1.* Athenis (quos omnes novimus ocellum Hellados, arcem Palladis, literarum & publicæ vigiliæ; oga ſigaque præstantissimæ) lege sancitum fuisse, ut ærarii debitores, donec rationes reddiderint, & relliqua exsoluerit, à Reipu. administratione arcerentur. Eaque Atheniensium lex ad Romanos translata, sub Antonini Augusti nomine exp. essa habetur *in l. 1 C. de debitur. civitat l. 10.* ubi non prius ait Imp. debitorem Reipubl. honorem in Republ. subire, quam id, quod debere constiterit, conuentus exsoluerit. Idque Vlpianus I. C. hisce expressis verbis: debitores Rerumpubl. ad honores inuitari non posse certum est, *in l. rescripto 6 § debitores. f. de muner. & honor* Hinc cum pars ad ministrationis sit legatione fungi; vetantur Reipubl. debitores legati esse, auctore Marciano *in l sciendum 4. in pr ff de legation.* quod Cl. Iurisconsultus Georgius Remus diligenter obseruauit. in elucubratissimis notis ad Themist. *orat. 1 fol 125.*

Pariatores.

Reliquatores.

A exc.

Illis autem rationum libris *Aduersaria* opponuntur: quæ sunt tumultuariæ quædam tabulæ, aut libelli sive commentarioli & chartæ: quæ idcircò summatim conscribuntur, ne res memoria excidant; sed ut ex his postea tabulæ justæ & æternæ fiant. Indeque Adversaria dicta videntur, quod animum & memoriam nostram advertant. *Ioh. Coras. 1. Miscella. cap 18 nu. 3.* quanquam non Adversaria, sed *Aversaria* legendum esse contendat Anto. Govean. *lib 2 lect. var. cap. 14.* ut sint Aversaria tabulæ menstruæ negligenter & sine ordine confectæ. Quo sensu per aversionem vel aversione fieri dicimus id, quod negliganter neque satis considerate fit: quasi oculi avertantur ab eo, quod dagitur. Atq;

Adversaria.

Adversaria.

ita intelligendum putat text. *in l si quis vina. §. aversione. ff. de peric. & commod. res vend. l. ul. ad L. Rhod de jactu. l. opus. Locat. l. 2. §. exercitorẽ de exercitor. act l. qui officij. de cõtrab. emt.* qua de re quid statuendũ sit, videri poterunt Cujac. *l. 8. observat. c. 15.* & Francisc. Connan. *lib. 7. comtur civ. cap. 10* Inprimis vero Oswal. Hilliger indoctissimis notis ad Hugon. Donell. *lib. 13. cap 9 lit. E & lib 23. cap. 4. lit. A.* Illud utique constat, solere mercatores rationes suas chartulis quibusdam summatim inscribere, quas & inducunt & circumscribunt; deinde diligentius æstimato calculo in libros rationum referunt. *Alciat lib. 2 dispunct. c ult.* Unde Cicero in Orat. pro Rosci. „Quid est, inquit, quod „negligenter scribamus Adversaria? quid „est, quod diligenter conficiamus tabulas? „qua de causa? quia hæc sunt menstrua; illæ „æternæ: hæc delentur statim; illæ servan„tur sanctè: hæc parvi tẽporis memoriam; illæ perpetuæ existimationis fidem & religionem amplectuntur: hæc sunt disjecta; illæ in ordinem confectæ. Itaque Adversaria in judicium protulit nemo: codicem protulit. De hisce Adversariis Alciatus etiam Ulpiani respõsum accipit *in l. 1. §. edere. ff. de edendo.* Eum quoq; edere, Labeo ait, qui producat Adversarium suum ad album, & demonstret, quod dictaturus est, vel id dicendo, quo uti velit. ut sit sensus, Eum quoque edere, qui *Adversarium suum*, hoc est, tabulas tumultuarias rationum suarum profert & edit, ut ex eis ostendat, quam actionem dictare; aut qua summa cum Reo jure velit consistere. Id enim verbum etiam unitatis numero recte usurpari putat Petr. Costalius *ad d. l. 1. inpr. ff. de edend.* nec improbat Oswald. Hillig. ad Donell. *lib. 23. cap. 4. lit. A.* Nec obstat, quod Adversaria hujusmodi nemo edere cõpellitur; cum receptissimum sit, schedulas, quas domi & secretò quis pro sua instructione retinet, exhibendas non esse. Abbas & Modern. *in c. 1. de prob. & l. 1. C. de edendo.* Ut enim verum sit, neminem ad Adversaria edenda cogi: non ideo consequens est, si ipse ea in judicium proferat, quin edere dicatur. tametsi etiam putaverit Alciatus *lib 8. pareg cap. 7.* eum cogi ad ea edenda posse, cum adhuc in Codicem rationum ea non retulit: ut declaret, quomodo sit relaturus. Nec enim quicquam referre, an Codicem suum edat, an ei etiam Ephemeridas hasce adjungat: dum tamen declaret, quomodo Codici singula capita sit adscripturus. Sed magis est, ut in illo Ulpiani responso, per *Adversarium* intelligamus partem adversam sive Reum, quem ad album deducit Actor, ut ei digito ostẽdat, qua parte edicti, seu qua formula adversus ipsum sit acturus. Franc. Duarenus *lib. 1. Anniversar. disputat. cap. 13.*

Intellectus L. 1. §. edere ff. de edendo.

Nam cum ita ordinarit) De hac rerum omnium conversione scitè & præclarè, prout est ingenium viri docti & historiarum scientissimi, disputat Ioh. Bodinus *in Methodo historiarum cap. 7.* ubi nemini dubium esse posse ait in eam rem penitus intuenti, quin inventa nostrorum cum Majorum inventis conferri; pleraque debeant anteferri. Quia vero, ex Comici sententia: rerum omnium vicissitudo est: non abs re dicitur, quod Natura novas cotidiè deproperet edere formas *libr. 2. Feudor. tit. 24. Quæ fuit prima cau. benef. amit § prædict. modus* & nihil in ea sit, quod stare perpetuo possit, *l. 2. § sed quia divinæ*

Rerum omnium conversio & mutabilitas.

18. C.

18.C.de veter.iur.enucle ac ne fieri quidem queat, ut quid quam in hoc mundo nisi per surrogationem sit perpetuum, *arg l. cum debere. 32. de servit. urban. praed.* quando [illegible], ut poeta dicebat.

——nihil est, quod toto perstet in orbe.

Et egregie probat Acacius Enenckel. *in tract. de privil. juris civil. lib.3. c.1.n.1.2.* Nam & quæ olim magnæ erant urbes, earum permultæ factæ sunt parvæ: rursus, quæ mea memoria (ait Herodotus) magnæ fuerunt, prius erant parvæ. Adeo verum est, humanam felicitatem, nunquam in eodem tenore perstare! *lib.1.cap.5.* Et fieri solet, ut cum temporum vicibus etiam mores vertantur: sicuti res mundanæ omnes, vel ut orbe jactatæ volvuntur. Hadr. Junius in sua Batavia *ca.16. fol.224.*

Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus,
Esse fretum: vidi factas ex æquore terras.

idem canit Ovidius. Cui recte accommodari poterit illud *Anaximenis* Apophthegma de Thessaliæ montibus: eos, quandoque mare futuros, nisi tempus defecerit. Sicut è contra Democritus putavit, fore, ut aliquando mare totum inarescat, eo quod olim tota terra aquis operta fuit. Cælius Rhodig. *lib. 2. lect. antiq. cap. 14.* Nec obscura esse potest mutabilitatis ipsius ratio: quia qualia sunt principia, talia etiam sunt principiata. Bald. *in l.1.in fin. C. si quis omiss. cau. testam.* Sed principiũ, h.e. quatuor elementa, ex quibus omnia gignuntur, sunt convertibilia. Nam terra in aquam, aqua in aërem, aër in ignem & vicissim convertuntur. Ergo necesse est corpora inde nascentia similiter esse cõvertibilia, ut argumentatur Vasquius *libr.2. illustr. contr. c.56.n.12.* quæ refert & sequitur Johan. Gryphiander in doctiss. tractatu de insulis *cap.29.n.19.& seq.* Sed & nulla Juris sanctio, quantumcunque perpensa diuturno consilio, ad humanæ naturæ varietatem sufficit, ut est *in procem. Clement. in pr.* quid enim erit tam stabile inter homines, & ita immobile, ut nullam patiatur mutationem? cum omnis noster status sub perpetuo motu consistat. *cap 2. in pr. Auth. de non alien. reb. Eccles.* Quæ mutabilitas & inconstantia in caussa est, quòd Ulpiani definitionem, qua Justitiam dixit constantem & perpetuam voluntatem jus suum cuique tribuendi, *l.10 ff de Iustit. & jure.* quidam propterea rident, quod Justus non semper continueq; rectè & justè agat: sed quandoque labatur; imò septies in die cadit. *Proverb.24. vers.16.* Quod si igitur Justus inconstans fuerit, certe nec ipsam etiam Justitiam constantem finiri posse voluntatem: si quidem à Conjugatis recte formetur argumentatio. Sed animadvertere debuerant, non finiri ab Ulpiano Justitiam, ut homini eam exercenti particulariter inhæret; sed in propriâ, perfectaq; specie consideratam, qualiter scilicet homini justitiam profitenti inesse debet. Johan. Corasius *de Arte juris part.1 c.12.* Quæ interpretatio quantumvis vera est: non contemnenda tamen videtur eorum opinio, qui eo loci non Justitiam virtutem; sed Justitiam Deam definiri autumãt. Albert Bologne. *in tr. de Iure & LL.* Hugo Donellus *lib.1 Coment juris civil. cap.4. circ. fin* Fuisse autem Justitiam Romanis & aliis pro Dea cultam, nemo est, qui nesciat. Eaque sententia jam ante & doctissimo Hotomanno placuit *in pr. Instit. de Iustit. & jure.* quæ non parum juvatur Ulpiani auctoritate *in l.1.d.t.* ubi Jureconsulti

Anaximenes.

Democritus.

Examinatur obiter Iustitiæ definitio.

Iustitia Dea.

consulti & Justitiam colere, & Justitiæ sacerdotes dicuntur; vel ideò quòd cum responsa sua consulentibus reddunt, ipsius Justitiæ oracula mortalibus prodere videantur: & exploratum sit cultum & sacerdotium quam propriissime Diis Deabusvè, non verò etiam humanis virtutibus deberi. Sed & Vacon. à Vacuna justitiam Ictus coluisse scribit, ejusque sacra administrasse, dividentes æquium ab iniquo: ideoque sacerdodes justitiæ nuncupatos *lib. 1. declarat. jur. c. 21.* Nec dissentit Herman. Vultejus *in Instit. ad hunc tit.* & in Idæa juris *pag. 10.* & Amon. Fabor *lib. 1. Jurispr. Illat.* Laudatus ab Oswald. Hillig. in erudissimis notis ad Donel. *lib. 1. c. 4. lit. I.* ut nihil causæ fuerit, cur sententiam hanc tot auctoritatibus munitam, id & postea impetiverit *lib. 2. c. 1. lit. C.* Eorum tamen opinionem rectè improbans, qui de *divina justitia* definitionem istam intelligunt, à quibus ego nunquam steti: nec de *divina vel salvifica* justitia, sed de *justitia Dea* eam accipi posse scripsi. Quam distinctionem rectè animadvertit Clariss. juris Antecessor in Academia Aldorffiana Dn. Erasm. Ungepauer *Exercit. Justin. 1. Thes. 7.*

DE PURPURA. TIT I.

Purpura descriptio.

EArum rerum, quæ hodie nō reperiuntur, inprimis notatu digna est Purpura, *primum inter colores locum obtinens & quasi Rex eorū exsistens. Eâ ipsâ olim Regum, magistratuum & Senatorum vestes tingebantur. Originem igitur hujus expositurі, dicimus Purpuram fuisse ex Conchyliorum genere, quod intrinsecus animatam continebat carnem, & in mediis faucibus candidissimam habebat venamq; quâ exsectâ, preciosus ille promanabat cruor quo lanæ & purpurea serica ad vestes inde contexendas tingebantur. Crediderim, Conchylium istud etiamnum hodie inveniri quidem, quandoquidem Species planè non intereunt, nullum tamē ipsius usum futurum: cum nemo sit, qui venæ illius eximendæ modum sciat.*

Purpurei coloris confectio.

Coquebatur sanguis iste una cum vena prius aperta, in vasis plumbeis, adjecta tamen aqua modico vapore, & longinqua fornacis cuniculo. Inde splendidus ille, & quasi intermedius inter rubrum & nigrum eliciebatur color, qui gariophylli est: nec enim ullum alium similiorem huic puto. Erat & alia colorū species quē puniceum sive hyacinthinum dicebant.*

** Plinius lib. 9 cap. 38.*

Purpura amissa.

Amissæ autem Purpuræ caussam hanc esse opinor, quod Syria & alia quoq; loca in quibus illa deprahendebatur, in Turcarum, barbarorum & incultorum hominum manus devenêre.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Ex conchyliorum genere non *Purpura* tantum est, sed & *Murex*: qui licet ab illa diversus sit, non secus tamen ac Purpura verno tempore congregatur, mu-

Murex.

tuoque attritu lentorem quendam veluti ceræ emittit, ac circa Canis ortum latet. Hujus cruor gravis in fucco est, color austerus in glauco, & irascenti similis mari. Idemque & Ostrum appellatur, si Vitruvio credimus. Ea Conchylia, ait Vitruvius *lib. 7. de Architectura cap. 13.* cum sunt lecta, ferramentis circa scinduntur: è quibus plagis purpurea sanies, uti lachruma profluens, excussa in mortariis, terendo comparatur: & quod ex concharum marinarum testis (quas Plinius *lib. 9. cap. 11.* integumenta; & *lib. 11. cap. 37.* operimenta testacea vocat) eximitur, id Ostrũ est vocitatum. Hinc apud Virg. *lib. 1 Æneid.*

Ostrum. Conchylia.

Arte laborata vestes Ostroq; superbo.

Et Lib. 5.

——ostro Perfusæ vestes.

Et Ostrina tunica apud Propertium. Copiosè autem excipiuntur Conchylia illa in Africa: Sidone & Tyro. Sed Syria purpura omnium optima perhibetur, & piscatui ipse proxima est, & cætera omnia, quæ ad inficiendas vestes pertinent, abundo habet, ut Strabo prodidit *lib. 16* Lingua Purpuræ est longitudine digitali, acutie & duritia tanta, ut eâ conchulas & quascunque sui generis testas perforare possit. Unde in gulosos & edaces vulgatum hoc emanavit diverbium: *Purpura voracior:* ut Athenæus meminit *lib. 3. Dipnosoph. c 7.* Eaque Purpuræ voracitas, potissima suæ ipsius capturæ caussa est. Piscatores siquidem, cum Purpuram nôrint Concharum pastionem avidius appedere, has in nassas magno numero conjectas in mare demittunt, oblongo fune ad nassas alligato. Sentit optatam escam Purpura, porrectâque intra nassarum juncos linguâ, conchas invadit. At hæ aculeo exstimulatæ, & in columitati suæ consulturæ contrahunt sese, corticibusq; clausis morsu perquam acri linguam infestam comprimunt, pertinacissimeque detentam haudquaquam amittunt. Quo fit, ut quum aviditate sua capta, atque eo quem dixi modo pendẽs tollatur Purpura, per Conchylium illud nassæ per linguam applicitum, Hieroglyphicè denotetur is, qui de gula mulctatus est. *Sic enim in captivum* ob gulam elegans extat Alciati Emblema.

Purpuræ consideratio.

Purpura hieroglyphicon.

Regnatorq; penus, mensæq; arrosor herilis
Ostreamus summis vidit hiulca labris.
Queis teneram opponens barbam falsâ ossa
momordit.
Ast ea clauserunt tacta repente domum.
Deprensum & tetro tenuerunt carcere fu-
rem.
Semet in obscurum qui dederat tumulũ.

Sed & maledicum per Purpuram exserta lingua depictam: sicuti Johannes Pierius *lib. 28. Hieroglyph.* doctè annotavit. Portò majoribus Purpuris nobilem illum succum, quem omnes in mediis faucibus, & in candida habent venâ, detractâ conchâ auferunt: Minores uno ictu saxo collidũt Tyrij: indeque subitarium rorem sive sanguinem excipiunt: quanquam aliis quoq; in locis id fiat. Quod si ictu fefellerit, neque purpura statim exanimata fuerit, frustra hunc repeti dicunt: quia præ dolore sanguis in universum corpus diffusum evanescat. Hinc Virgilius eos, qui valido aliquo vulnere peremti fuerũt, purpuream animam vomere dicit. *lib 9. Æneid.* Homerum scilicet imitatus, qui purpurea eos morte sublatos toties scripserat. *Nam & Ælianus* auctor est, ictu tantum uno à Prophyricis, id est, purpurariis viventem conteri purpuram, ut inde præstantius pro-

Anima & Mors cur purpurea dicta.

præfluat βάμμα. Estque dignum scitu: quod de purpurario traditum infectore legimus: qui visus fraude agere intingendi ratione, cum eo nomine, ut tum res erat, ad ultimum duceretur supplicium, iocis etiamnum superesse locum arbitratus, ad Homericum illud

τὸν δὲ
ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή

h. e. cepit vero hunc purpurea mors, & parca fortis, potissimum adjecit animum de quo videatur Cæl. Rhodig. *lib.8. lect. antiq.c.*11. Hujus vero cruoris color (quem Plinius *lib. 9.cap.*36. nigrantis rosæ colore sublucentem? *& cap.*38. nigricantem edspectu, eundemq; suspectu refulgentem Plato rubrum alboque permixtum *in Timæo* dicit (ab ipsa matre vocatur purpura: sicuti Conchylio ac Murici usuvenit. Virg. in 4,

Purpura color.

——Tyrioq; ardebat murice lana.

Et Juvenalis:

Horum ego non fugiam Conchylia?

hoc est, luxuriosas vestes, & murice vel conchylio infectas. hinc cōchyliata tapetia, apud Platum pseud. *act.1.scen.2.* à cōchyliato colore, qui è cæruleo est & rubro, qualis Martiæ violæ. Qui color & purpureus dicitur, & ostrinus, & Sarranus. Unde Ostrinus thorus apud Propertium *lib.1. El.14. &:* Sarrano dormiat Ostro *apud Virg.2 Georg.* ad quod Servius, *id est Tyrio.* Tyrus enim *sacra* dicta est à pisce *Sar*, unde Sarranæ violæ Columellæ sunt purpureæ, quas Itali *pavonazzi* dicunt, & Tyriæ vestes apud Ovidium, quæ Sarranæ apud Juvenalem, ut post Scaligerum doctissimus Christianus Becmanus notavit *in Originibus*. Hinc Palmatam (de qua infra dicetur) Sarranis ebriam succis appellat Sidonius Apollinar. *lib.8. Epl.6.* quam concha purpura imbuens venenavit, ut idem lib.9. epist.13. scribit in carmine: & ebriam bis tinctam intelligit, & dilapsam ut Martialis:

Ebria Sidoniæ cùm sint de sanguine conchæ.

Atque idem Sidonius *Carm.15.*

Ebria non solum spirat Conchylia Sandix.

Quod clarius expressit Tibullus illo versu

Vellera dat succus bis madefacta Tyres.

Nec dubium est, Purpuram, Muricem & Conchylium in jure nostro promiscuè usurpari. Quam enim Purpuram Imperatores dixerant *in l.1. C. quæ res. ven. nō poss.* eandem mox Muricis vellus appellant: & alibi, pallia ejusmodi, conchylio tincta, & cōchylii cruore infecta dicūtur Theodosio *in l. temperent.4. C. de vestib. holoser. l. 11.* Similiter purpuream Imperialium rescriptorum subscriptionem Leo hanc esse declarat, quæ cocti muricis & conchylii ardore fuerit signata. *l. sacri affatus. C. de divers. rescripi.* Etsi autem Purpura, quam Regiæ dignitatis insigne Tertullianus *de Idolatr. mihi fol.460* vocat & qua Imperatores totos olim vestitos fuisse Leo asserit. *constit.18.* privatis planè interdicta fuit, ut non tantum fucandæ & distrahendæ illius facultatem non habuerint: *l.1. C. quæ res ven, non poss. d. l. temperent.4.* sed nec segmenta aut frustula illius, quæ neque vendenti, neque ementi usum inconvenientem præberent, in mercimoniis esse potuerint: Quia tamen frusta & segmenta illa Imperatoriæ Majestatis eminentiæ non adversari videbantur; & subditis tamen magni-

Purpura Murex Conchylium, promiscue dicuntur.

Purpura privatis interdicta.

magnificentiæ speciem, aliúmve non prohibitum usum præbere poterant: constitutũ à Leone est, ut ea tam divendi, quàm emi possent. Decere enim Imperatoriam Majestatem, quũ aliis multis modis subditos beneficiis afficiat, eorundem Magnificentciæ non invidere: ut gravis est Imperatoris Lionis sententia *d. const.* 80. Segmentorum autem etiam apud Ovidium *3. de Arte* fit mentio:

Segmenta.

Quid de veste loquar? non jam segmenta requiro,

Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.

ubi per segmenta, haud dubiè vel purpuræ, vel aurei panni virgas intelligit. Nam & segmenta virgas quasdam aureas esse & zonas, quæ velut instita quæ dam & limbi vesti inserantur, ad ornamentum, ut hæc iis versicolor reddatur, Turnebus probat *lib.* 4. *Adversar. cap.* 23. Eaque segmenta aurea Senatus Romanus permisit mulieribus, in gratiam Volumniæ, quæ Coriolanum patriæ imminentem represserat, ut Domitius Calderinus ad Martialem annotavit. Sic Livius *lib.* 11. relatus à Cujacio *lib.* 12. *observ. cap.* 24. Non in viderunt, inquit, laudes suas mulieribus viri Romani, adeo sine obtrectatione alienæ gloriæ vivebatur. Tunc enim primum sancitum fuit ut Mulieribus de via cederetur, ut inauribus aureis, ut purpurea veste, ut aureis segmentis, ut novo vitæ discrimine uterentur.

Mulieribus aur permissa.

Atque ejusmodi vestis Isidoro *lib.* 19. *cap.* 24. Segmentata dicitur, zonis quibusdam, & quasi præcisamentis ornata. Hinc *Segmentatus* apud Aratorem de Pontificis habitu:

Segmentata vestis.

Qui segmentatus mediis altaribus adstat.

Franciscus Juretus *in Not. ad Symmach. lib.* 3. *Epl.* 12. Erant autem segmenta clavi & institæ auro intextæ, quæ vestibus adsuebantur: quæ Sidon. Apollin crepitantia vocat *lib.* 8. *Ep.* 6. quod auro essent intexta. Unde Statius 1. *Thebaid.*

——*pars Ostro tenues auroq; sonantes*

Emunire thoros.

Vetus interpres Juvenalis *Satyr.* 6. vittas pendentes de vestibus intextas auro, segmenta aurea.

Regum, Magistratum & Senatorum vestes.) Hinc Purpura pro summo Magistratu ponitur à Plinio *lib.* 10. *cap.* 21. Et ideo Imperio Romano ad monarchiam deducto, princip. ipsi, qui etiam, ut olim, Imperatores dicebant (quoniam Regium nomen Romæ infaustum invisumque erat) Purpuram pro insigni Imperatorio servaverunt: ut auctor est Capitolinus in Maximinis & Gordia. & refert Budæus de Asse & eius partibus *lib.* 2. *mihi fol.* 43. Quam ob caussam & Alexius Comnenus Imperator, cum Johannem F. natu maximum, quem maxime diligebat, Imperio destinaret, & Imperatorem appellare curaret; *purpureos* calceos ei dedisse scribitur à Niceta Choniata. Indeq; est, quod purpurati Sidonio Appollinari dicantur Imperatores Romani, in concione *lib.* 7. & *lib.* 1. *Epist.* 7. illis verbis. post purpuratum principem h e Anthemium. & *lib.* 2. *epist.* 13. Qui videbatur in iugulũ purpurati (id est Imperatoris) iamiam ruiturus. Et *lib* 1. *Epist* 5. Sero cognoscunt, posse reum Majestatis pronunciari etiam eum, qui non adfectasset habitum purpuratorum. Ex quo loco natat. Joh. Savaro. Imperatorum vel Regum habitum adfectare, crimen esse læsæ Majestatis. Adducit illud Ammiani Marcellini *lib.* 16. suasitque

Purpura pro Imperio.

Purpurati.

AD
HENRICUM SALMUTHUM
AMICUM CANDIDUM.

EDe tuum quaeso, SALMUTHE, ex arte libellum,
Amplius & famae carbasa pande tuae.
Nunc primo emisso crevit tua gloria multum:
Plus opera hoc crescet gloria magna novo.
Caesar, Rex, Princeps, Comes, & Baro, & omnis avita
Exspectat cupide Nobilitatis Eques.
Nec tantum expectant: Cuncti debere fatentur
Dotibus ingenij se bona multa tui.
Hoc vere est jugi cum nomine vivere terris.
Iam construerunt celsa quoq; astra locum.

MARTINUS Geißlinger / Farricollinus, Philosophiae & J.U.D.

AD HENRICUM SALMUTH V. CL. Anacreon.

HENRICE, Gratiarum
Cor, Hyantidum medulla,
Inter virosque doctos.
Inter gravesque Vates,
Inter bonosque Cives,
Sydus, corona, lampas.
TEIUM udulum jocosum,
Petulculumque Tejum
Puto amare te Pelasgum.
Sed dic juvenculumne
Tyronem & invictum,
Rus qui sapit paternum
Dic Bojum amasne Tejum?
Tute annuis: pol ipsius
Trepido. Sed hà favorem
Periclitabor istum.
DEPERDITA invenire
JAM OLIM, GUIDONIANA,
Feliciterque quibas,
Per-ampliter quibas.
INVENTA, tamdiuque?,
Quei quaeritas RECENTER?
SALMUTHO PANCIROLLA,
INVENTA prome, prome!
Porrò invidebis Orbi?
Te prodo? namque partem
Doctamque & expolitam,
Te non vidente, vidi,
RICHO exhibente furtim,
Faventiore RICHO
Dicto Poetae ab illio.
POROELLULANAM amatam,
Preciosulam, tenellam,
Pictoris arte pulcram,
Tralucidam, nitentem,
Et toxicon fugantem,
Vidi his ocellulisque
Tenui hacce dexteraque
Hoc osculatus ore.
STILLARE ibi usuperque
Vidi optimos liquores,
Panacéios liquores,
Messem ut Sabaeam odoros,
Colante eos perité
SALMUTHINA Camoenâ.
NOLAS dein rotundas,
Fusoris arte scitas,
Resonas, graves ab aere,
Pulsare clanculum mî
Furtiva erat lubido
AD CLEPSYDRAM fluentem
Metirierque porrò
Unam alteramque lucem,
Horas citas diei
Inibi fuit voluptas.
Nimiúmne AMICE, vidi?
Celare dein laborem,
Novem puellularum.
Helliconium laborem
Aganippidum Sororum,
Non quibus AUCTOR istum.
Expunge, tarde, nomen,
Expunge, quid moraris?
MEIBOMUS hoc fatigat,
Instigat & RASELUS,
Latus fodit subindè
RICHUS, cupiscit Ordo
Turbae omnis id novenae.
ISTRINUS hos & inter
(Tibi Tejus ille Bojus
Adamatus usque & usque
Laudatus ille tantum)
Ambit, procatur, ardet,
Ex parte visa, lecta,
INVENTA, habere gestit
Integra, JAM RECENTER,
Adaucta luculenter,
Perculta tam potenter,
Oratione pura,
Severiore curâ,
Genialibus, Canoris
SALMUTHINIS camoenis.
Dic nunc, juvenculumne,
Tyronem & infictum,

Rus

Rus qui sapit paternum,
Dic, Bojum amásne Tejum?
INVENTA comprobabunt
Deprompta veritatem.
Tibi juro verus augur,
Tibi certus ajo Vates,
Exin quòd inclutus Tu
Fulgebis undiquaque,
HENRICE Gratiarum
Cor, Hyantidum medulla,
Inter virosque doctos,
Inter gravasque Vates,
Inter bonosque Cives,
Sydus, corona, lampas.

M. Christoph. Donaverus Ratisp. Ecclesiastes Patriæ. P.C.

IN ALTERAM COMMENTARII Guidonis Pancirolli partem, Notis illustratam ab Henrico Salmuth.

Altera nunc prodit soboles ornata Guidonis,
Qui gemina pridem gestiit esse comes.
Illa docet Priscorum inventa: sed ista Minorum,
Atque alia, eximum quæ didicisse decus.
Vtraque nata quidem jungi: tamen exiit illa,
Abdita delituit hactenus ista domi.
In lucem prodire verens, externus amictus
Namq; erat, Italico vox peregrina sono.
Non tulit hanc speciem Clarissima fama Gamœnæ
SALMUTHUS, sed quâ dexteritate prius
Germanam eduxit decoratam veste Latinâ
Addens & dotem, quò mage culta foret:
Sic etiam, quam nunc cernis, decoravit & auxit,
Et gemina Aonia reddidit arte parem.
Ite pares donis jam nunc doctæ ite Sorores,
Magnaque Pierio commoda ferte gregi.
Quærenti, unde decor vobis speciesq; vel ipse
Castalidum qualis vix nitor esse solet:
Dicite, SALMUTHUS fert talia munera, Phœbi,
Pieridum, Themidis; gratia, fama, decus.

JOH. LADISLAUS.

AD CL. V. Dn. HENRICUM SALMUTH, &c.

Pierio ut Primùm filo deducere avebas
Versus, & diæ dedere cor Themidi:
Numina desubitò Musarum, Helicone relicto,
Ecce, tuū penitus se in gremium abdiderant.
Si quis nūc igitur Musas, Phœbúmve requirat:
Si te adeat, nitē apud inveniat.

Paulus à Gisbice, Poeta coronat. Cæsareus.

IN LOLLUM.

Lolle, Theoninoquid me petis, improbe dente?
Si bonus es, lauda quæ bona, carpe mala.
Sed bona fortè malis sunt plura. hinc ringeris? Ohè
Iam satis est, nunc vel ringere & emore.

TITULORUM QUI IN HOC PRIMO LIBRO TRACTANTUR, ELENCHUS.

33 De

TITULORUM SECUNDO HOC LIBRO EXPLICATORUM

Index.

PRO-

PROOEMIUM.

Inter egregia illa colloquia, quæ assidue & frequenter habet Serenissima Celsitudo Tua, quæsitum ex me memini de iis rebus, quæ apud veteres quidē in usu fuerūt; hodie vero ivere in desuetudinem: & rursum, de iis, quæ post Imperiū Romanum primum sunt adinventæ. Equidē, qui perpetuo desiderio, quo ad inservendum Ipsi ducor, semper id studeo, quod gratū Illi possit accidere; collectionem quādam feci, ab iis, quæ Natura produxit, & quorū nulla hodie est notitia, exorsum faciens: ac deinde ad ædificia, & alios Veterum habitus ac mores, qui in præsentiarū plane exstincti sunt, descendens. Postea eodē ordine exposui, ecquid rerum & artiū ætate jam proxime præterita noviter fuerit repertum: ut ad Plutarchi exemplum, quasi parallelos sibi constituere, & hæc cum illis cōparare invicem, nec non perpendere secum possit Celsitudo Tua, utrum plus damni, an lucri fecerimus: non secus, ac Mercatorib. usu venire solet, qui in altera quidē pagina, quod expensum; in altera vero, quod acceptū est, consignant: ut scilicet expensi & accepti subducta ratione sciant tādem, utrum creditores sint, an debitores. Sane mutationes istas Dei Opt. Max. voluntate fieri credo. Nam cum ita ordinarit, ut omnia Lunæ globo subjacentia moriantur quidem, alia vero rursum subnascantur: voluit profecto, Species & artes nonnullas amplius non reperiri: attamen alias de novo in lucem produci. idq; ideo, ut præter alias admonitiones complures, etiam hac ratione finem præsentis vitæ contemplemur, & majori cum diligentia ad æternam illam adspiremus.

Argumentū libri.

Ego quasi catalogum quendam cōscripsi, non quidem omnium (quod factu mihi erat impossibile) sed q̄ notatu videbantur digniora, quorum maximam partem sum prosequutus; ea quæ vel Religionem, vel Leges concernunt, consultò omittens. quandoquidē illa apud Ve-

teres superstitione nō carebant: hæc vero etiam peculiarem librum omnino desiderant. Hic intuebitur Celsitudo Tua non Urbis Romæ tātum; sed ipsius etiam Mundi majestatem & magnitudinem; ac ea simul intelliget secreta, quæ ei non displicebunt, opinor. Iis itaq; horis, quibus à gravibus suis occupationibus liberā se sentiet Celsitudo Tua, lectione dignetur opellam hanc meam, quam Ipsi dedico, & quæ instar recreationis erit eorum laborum & fatigationum, quas Ipsa singulis momentis subit, ut magno illi oneri, Dominatus ratione sibi incumbenti ferendo sit. Quam diuturna pace & gloria florentem, à Deo conservari opto; & eidem debita cum reverentia ac humillima subjectione me commendo.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

IN manuscripto illo exemplari Italico, quod Vir clarissimus *Ioachimus*, Magni illius *Ioachimi Camerarii*, patris optimi plane consimilis Filius mihi utendū dedit, & quod in tralatione hac sequutus sum, atq; nuper etiamnū deprehēdi apud strenuum & Nobilissimum virum *Iohannem Reiboldū*, præter eximiam juris tam divini quam humani scientiam Græce & latine (quæ rara hodie nobilitatis dos est) impense doctum, & exinde Serenissimi Marchionis Brandeburgici Consiliarium intimum, & Dicasterij Culmbacensis Præsidem meritissimum, nulla fuit ἐπιγραφή. Idem tamen me monuit, Libellum istum à *Guidone Pancirolo*. JCto præstantissimo, in gratiam Ducis Pedemontani fuisse cōscriptum. quod ad Lectorum, in ipso mox libri hujus frontispicio dissimulandum non putavi. Cæterum cum ipsius Panciroli, quem anno 1587. & 88. Patavij, in celeberrima illa Antenoris Urbe, frequentissimo Auditorio summa cum voluptate & utilitate docentem audivi; tum vero etiam Joachimi Camerarij & commemorati modo *Præsidis* excellentem doctrinam, & multijugam rerum pulcherrimarum cognitionem atque usum, egregias præterea virtutes, & ex his humanitatem singularem, si prout res est, commemorare digne satis velim; vereor, ne cum Plauto, & face & viatico mihi opus sit futurum, ad tam longæ narrationis iter. Non possum tamen mihi non gratulari, veterem illam amicitiam, quæ parentib. meis cum clarissima *Camerariorum* familia sanctè intercessit, mihi factam esse hæroditariam.

Ioachimus Camerarius.

Ioh. Reiboldus,

Guido Pancirolus IC. libri hujus author.

Qui in altera tabula) Rationum enim libri, Tabulæ accepti & expensi appellari solent. In quibus si quis pares-paginas habuerit, hoc est, tantum acceperit, quantum expendit *paria facere* dicitur. *L. Sticho 40. §. ult. ff. de stat. liberis.* Hinc Plinius de Fortuna: *Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium Sola utramque paginam facit.* Sic Scævola, cum cohæredibus parem rationem facere dixit, *in l. ult. §. ult. ff. de dol. except.* Et Affricanus parem rationem adscribere

Paria facere.

scribere *in l. qui filium ff. de manum, testã.* Nec infrequens erat, ut qui nomina plurium per tabulas accepti & expensi faciebant, utrinq; testes adhiberent? & *Pararios*, hoc est, Librarios (quos cum Plauto *Actuarios* fortasse dixeris) interponerent, qui tabulas, quibus solemnia Interogationis & Responsionis continerentur, certis verbis, & certis quibusdam formulis transcribebant, adjectis loco, die & consule *l. 1. §. editiones. vers. nationes tamen ff. de edend. junctal. si Librarius 93. d. R. Iur.* Id quod pulchre explicat Iacob. Ræuardus *l. 3. var. c. 1.* Iam si abunde satisfactum esse creditori, *Pariari dicebatur obligatio.* manifesti enim juris est, inquiunt Impp. tam alio pro debitore solvente, quam rebus pro numerata pecunia consentiente creditore datis, tolli pariatam obligationem. *l. 7. C de solut.* Sic enim pro *paratam* legendum esse *Pariatam*, idem Ræuardus censuit *d. lib. 3. cap. 9.* Ad id genus pariationis sive tabularum allusisse videtur Plautinus adolescens de suo & amicæ amore mutuo & pari attestans in *Mostellar. act. 1. sc. 3.*

Pararii.

Actuarii.

Emendata L. 17. C de solut.

Bene igitur ratio accepti atq; expensi inter nos convenit.

Tu me amas, & ego te amo.

Et solebat in pariationibus hujusmodi pactum adscribi: ex hoc contractu nullam inter se controversiam esse, sicut ex *l. ult. §. idem quæsiit. ff. de condict. indeb.* colligit Barna Brisson. *de formul. & solemn l. 6 f. 539.* Inde *Pariatores*, qui ejusmodi rationes administrant. *l. Iulius 81. de condit. & demonst. Alciat' libro 1. parer. c. 24.* & quos *Reliquatorib.* opponi idẽ Brissonius scribit *in verb. paria facere.* De quibus quidẽ Relliquatoribus Themistius author est in *orat. 1.* Athenis (quos omnes novimus ocellum Hellados, arcem Pallados, [illegible] publicæ viguisse; oga sagaque præstantissimæ) lege sancitum fuisse, ut ærarii debitores, donec rationes reddiderint, & relliqua exsoluerit, à Reipu. administratione arcerentur. Eaque Atheniensium lex ad Romanos translata, sub Antonini Augusti nomine expressa habetur *in l. 1 C. de debitur. civitat. l. 10.* ubi non prius ait Imp. debitorem Reipubl. honorem in Republ. subire, quam id, quod debere constiterit, conuentus exsoluerit. Idque Vlpianus I. C. hisce expressis verbis: debitores Rerumpubl. ad honores inuitari non posse certum est, *in l. rescripto 6 § debitores. f. de muner. & honor* Hinc cum pars ad ministrationis sit legatione fungi; vetantur Reipubl. debitores legati esse, auctore Martiano *in l sciendum 4. in pr. ff de legation.* quod Cl. Iurisconsultus Georgius Remus diligenter obseruauit. in elucubratissimis notis ad Themist. *orat. 1. fol 125.* Illis autem rationum libris *Adversaria* opponuntur: quæ sunt tumultuariæ quædam tabulæ, aut libelli sive commentarioli & chartæ: quæ idcircò summatim conscribuntur, ne res memoriâ excidant; sed ut ex his postea tabulæ justæ & æternæ fiant. Indeque Adversaria dicta videntur, quod animum & memoriam nostram advertant. *Ioh. Coras. 1. Miscella. cap 18 nu. 3.* quanquam non Adversaria, sed *Aversaria* legendum esse contendat Anto. Govean. *lib 2 lectl. var. cap. 14.* ut sint Aversaria tabulæ menstruæ negligenter & sine ordine confectæ. Quo sensu per aversionem vel aversione fieri dicimus id, quod negligenter neque satis considerate: quasi oculi avertantur ab eo, quod agitur. Atq; ita

Pariatores.

Reliquatores.

A exi.

Adversaria.

Adversaria.

ita intelligendum putat text. *in l. si quis vina. §. aversione. ff. de peric. & commod. rei vend. l. ul. ad L. Rhod de jactu. l. opus. Locat. l. 2. §. exercitorē de exercitor. act. l. qui officij. de cōtrah. emt.* qua de re quid statuendū sit, videri poterunt Cujac. *l. 8. observat. c. 15.* & Francisc. Connan. *lib. 7. comment. civ. cap 10* Inprimis vero Oswal. Hilliger in doctissimis notis ad Hugon. Donell. *lib. 13. cap 9 lit. E. & lib 23. cap. 4. lit. A.* Illud utique constat, solere mercatores rationes suas chartulis quibusdam summatim inscribere, quas & inducunt & circumscribunt; deinde diligentius æstimato calculo in libros rationum referunt. *Alciat. lib. 2 dispunct. c. ult.* Unde Cicero in Orat. pro Rosci. Quid est, inquit, quod negligenter scribamus Adversaria? quid est, quod diligenter conficiamus tabulas? qua de causa? quia hæc sunt menstrua; illæ æternæ: hæc delentur statim; illæ servantur sancte: hæc parvi tēporis memoriam; illæ perpetuæ existimationis fidem & religionem amplectuntur: hæc sunt disjecta; illæ in ordinem confectæ. Itaque Adversaria in judicium protulit nemo: codicem protulit. De hisce Adversariis Alciatus etiam Ulpiani responsum accipit *in l. 1. §. edere. ff. de edendo.* Eum quoq; edere, Labeo ait, qui producat Adversarium suum ad album, & demonstret, quod dictaturus est, vel id dicendo, quo uti velit. ut sit sensus, Eum quoque edere, qui *Adversarium suum*, hoc est, tabulas tumultuarias rationum suarum profert & edit, ut ex eis ostendat, quam actionem dictare; aut qua summa cum Reo jure velit consistere. Id enim verbum etiam unitatis numero recte usurpari putat Petr. Costalius *ad d. l. 1. inpr. ff. de edend.* nec improbat Oswald. Hillig. ad Donell. *lib. 23. cap. 4. lit. A.* Nec obstat, quod Adversaria hujusmodi nemo edere cōpellitur; cum receptissimum sit, schedulas, quas domi & secretò quis pro sua instructione retinet, exhibendas non esse. Abbas & Modern. *in c. 1 de prob. & l. 1. C. de edendo.* Ut enim verum sit, neminem ad Adversaria edenda cogi: non ideo consequens est, si ipse ea in judicium proferat, quin edere dicatur. tametsi etiàm putaverit Alciatus *lib 8. pareg cap. 7.* eum cogi ad ea edenda posse, cum adhuc in Codicem rationum ea non retulit: ut declaret, quomodo sit relaturus. Nec enim quicquam referre, an Codicem suum edat, an ei etiam Ephemeridas hasce adjungat: dum tamen declaret, quomodo Codici singula capita sit adscripturus. Sed magis est, ut in illo Ulpiani responso, per *Adversarium* intelligamus partem adversam sive Reum, quem ad album deducit Actor, ut ei digito ostēdat, qua parte edicti, seu qua formula adversus ipsum sit acturus. Franc. Duarenus *lib. 1. Anniversar. disputat. cap. 13.*

Intellectus L. 1. §. edere ff. de edendo.

Nam cum ita ordinarit) De hac rerum omnium conversione scitè & præclarè, prout est ingenium viri docti & historiarum scientissimi, disputat Ioh. Bodinus *in Methodo historiarum cap. 7.* ubi nemini dubium esse posse ait in eam rem penitus intuenti, quin inventa nostrorum cum Majorum inventis conferri; pleraque debeant anteferri. Quia vero, ex Comici sententia: rerum omnium vicissitudo est: non abs re dicitur, quod Natura novas cotidiè deproperet edere formas *libr. 2. Feudor. tit. 24. Quæ fuit prima cau. benef. amitt. § prædict. modus* & nihil in ea sit, quod stare perpetuo possit, *l. 2. § sed quia divina* id. C.

Rerum omnium conversio & mutabilitas.

18.C.de veter.jur.enucle ac ne fieri quidem queat, ut quid quam in hoc mundo nisi per surrogationem sit perpetuum, *arg l. cum debere. 32. de servit. urban. praed.* quando ..., ut poeta dicebat.

——*nihil est, quod toto perstet in orbe.*

Et egregie probat Acacius Enenckel. *in tract. de privil. juris civil. lib.3 c.1.n. 1.2.* Nam & quæ olim magnæ erant urbes, earum permultæ factæ sunt parvæ: rursus, quæ mea memoria (ait Herodotus) magnæ fuerunt, prius erant parvæ. Adeo verum est, humanam felicitatem, nunquam in eodem tenore perstare! *lib.1.cap.5.* Et fieri solet, ut cum temporum vicibus etiam mores vertantur: sicuti res mundanæ omnes, velut orbe jactatæ volvuntur. Hadr. Junius in sua Batavia *ca.16. fol.224.*

Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus,

Esse fretum: vidi factas ex æquore terras.

idem canit Ovidius. Cui recte accommodari poterit illud *Anaximenis* Apophthegma de Thessaliæ montibus: eos, quādoque mare futuros, nisi tempus defecerit. Sicut è contra Democritus putavit, fore, ut aliquando mare totum inarescat, eo quod olim tota terra aquis operta fuit. Cælius Rhodig *lib. 2. lect. antiq. cap. 14.* Nec obscura esse potest mutabilitatis istius ratio: quia qualia sunt principia, talia etiam sunt principiata. Bald. *in l. 1. in fin. C. si quis omiss. caus. testam.* Sed principiū, h.e. quatuor elementa, ex quibus omnia gignuntur, sunt convertibilia. Nam terra in aquam, aqua in aërem, aër in ignem & vicissim convertuntur. Ergo necesse est corpora inde nascentia similiter esse cōvertibilia, ut argumentatur Vasquius *libr.2. illustr. contr. c.56.n. 12.* quæ refert & sequitur Johan. Gryphiander in doctiss tractatu de insulis *cap.29.n.19. & seq.* Sed & nulla Juris sanctio, quantumcunque perpensu digesta consilio, ad humanæ naturæ varietatem sufficit, ut est *in proœm. Clement. in pr.* quid enim erit tam stabile inter homines, & ita immobile, ut nullam patiatur mutationem? cum omnis noster status sub perpetuo motu consistat. *cap 2. in pr. Auth. de non alien. reb. Eccles.* Quæ mutabilitas & inconstantia in caussa est, quòd Ulpiani definitionem, qua Justitiam dixit constantem & perpetuam voluntatem jus suum cuique tribuendi, *l.10 ff de Justit. & jure.* quidam propterea rident, quod Justus non semper continueq; rectè & justè agat: sed quandoque labatur; imò septies in die cadit. *Proverb.24. vers.16.* Quod si igitur Justus inconstans fuerit, certe nec ipsam etiam Justitiam constantem finiri posse voluntatem: si quidem à Conjugatis recte formetur argumentatio. Sed animadvertere debuerant, non finiri ab Ulpiano Justitiam, ut homini eam exercenti particulariter inhæret; sed in propriâ, perfectaq; specie consideratam, qualiter scilicet homini justitiam profitenti inesse debet. Johan. Corasius *de Arte juris part.1 c. 22.* Quæ interpretatio quantumvis vera est: non contemnenda tamen videtur eorum opinio, qui eo loci non Justitiam virtutem; sed justitiam Deam definiri autumāt. Albert Bologne. *in tr. de Iure & LL.* Hugo Donellus *lib.1 Coment juris civil. cap.4. circ. fin* Fuisse autem Justitiam Romanis & aliis pro Dea cultam, nemo est, qui nesciat. Eaque sententia jam ante & doctissimo Hotomanno placuit *in pr. Instit. de Iustit. & jure.* quæ non parum juvatur Ulpiani auctoritate *in l. 1. d. t.* ubi Jureconsulti

Anaximenes.

Democritus

Examinata obiter Iustitia definitio.

Iustitia Dea.

consulti & Justitiam colere, & Justitiæ sacerdotes dicuntur; vel ideò quòd cum responsa sua consulentibus reddunt, ipsius justitiæ oracula mortalibus prodere videantur: & exploratum sit cultum & sacerdotium quam propriissime Diis Deabusvè, non verò etiam humanis virtutibus deberi. Se l & Vacon. à Vacuna justitiam ICtus coluisse scribit, ejusque sacra administrasse, dividentes æquium ab iniquo: ideoque sacerdodes justitiæ nuncupatos. *lib. 1. declarati jur. c 21.* Nec dissentit Herman. Voltejus *in Instit. ad hunc tit.* & in Idæa juris *pag. 10.* & Amon. Fabor *lib. 1. Jurispr. Illat.* Laudatus ab Oswald. Hillig. in eruditissimis notis ad Donel. *lib. 1. c. 4. lit. l.* ut nihil causæ fuerit, cur sententiam hanc tot auctoritatibus munitam, id & postea impetiverit *lib. 2. c. 1. lit. C.* Eorum tamen opinionem rectè improbans, qui de *divina justitia* definitionem istam intelligunt, à quibus ego nunquam steti: nec de *divina vel salvifica* justitia, sed de *justitia Dea* eam accipi posse scripsi. Quam distinctionem rectè animadvertit Clariss. juris Antecessor in Academia Aldorffiana Dn. Erasm. Vngepauer *Exercit. Justin. 1. Thes. 7.*

DE PURPURA. TIT I.

Purpura descriptio.

Earum rerum, quæ hodie non reperiuntur, inprimus notatu digna est Purpura, *primum inter colores locum obtinens & quasi Rex eorũ exsistens. Eâ ipsâ olim Regum, magistratuum & Senatorum vestes tingebantur. Originem igitur hujus expositurí, dicimus Purpuram fuisse ex Conchyliorum genere, quod intrinsecus animatam continebat carnem, & in medius faucibus candidissimam habebat venam: quâ exsectâ, preciosus ille promanabat cruor quo lana & purpurea serica ad vestes inde contexendas tingebantur. Crediderim, Conchylium istud etiamnum hodie inveniri quidem, quandoquidem Species planè non interunt, nullum tamẽ ipsius usum futurum: cum nemo sit, qui venæ illius eximendæ modum sciat. Coquebatur sanguis iste una cum vena prim aperta, in vasis plumbeis, adjecta tamen aqua modico vapore, & longinqua farnacis cuniculo.* Inde splendidus ille, & quasi intermedius inter rubrum & nigrum eliciebatur color, qui garíophylli est: nec enim ullum alium similiorem huic puto. Erat & alia coloru species quẽ puniceum sive hyacinthinum decebant. Amissa autem Purpura confestim hanc esse opinor, quòd Syria & alia quoq; loca in quibus illa deprahendebatur, in Turcarum, barbarorum & incultorum hominum manus devenêre.*

Purpurei coloris confectio.

** Plinius lib. 9 cap. 38.*

Purpura amissa.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Ex conchyliorum genere non *Purpura* tantum est, sed & *Murex*: qui licet ab illa diversus sit, non secus tamen ac Purpura verno tempore congregatur, mu-

Murex.

tuoq; ic

tuoque attritu lentorem quendam veluti ceræ emittit, ac circa Canis ortum latet. Hujus cruor gravis in socco est, color austerus in glauco, & irascenti similis mari. Idemque & Ostrum appellatur, si Vitruvio credimus. Ea Conchylia, ait Vitruvius *lib.7. de Architectura cap.13.* cum sunt lecta, ferramentis circa scinduntur: è quibus plagis purpurea sanies, uti lachruma profluens, excussa in mortariis, terendo comparatur: & quod ex concharum marinarum testis (quas Plinius *lib.9. cap.11.* integumenta; & *lib.11. cap.37.* operimenta testacea vocat) eximitur, id Ostrũ est vocitatum. Hinc apud Virg. *lib 1 Æneid.*

Ostrum.

Conchylia.

Arte laborata vestes Ostroq; superbo.

Et lib.5.

—ostro Perfusa vestes.

Et Ostrina tunica apud Propertium. Copiosè autem excipiuntur Conchylia illa in Africa: Sidone & Tyro. Sed Syria purpura omnium optima perhibetur, & piscatui ipse proxima est, & cætera omnia, quæ ad inficiendas vestes pertinent, abundo habet, ut Strabo prodidit *lib.16* Lingua Purpuræ est longitudine digitali, acutie & duritia tanta, ut eâ conchulas & quascunque sui generis testas pforare possit. Unde in gulosos & edaces vulgatum hoc emanavit diverbium: *Purpura voracior:* ut Athenæus meminit *lib.3. Dipnosoph. c 7.* Eaque Purpuræ voracitas, potissima suæ ipsius capturæ caussa est. Piscatores siquidem, cum Purpuram nôrint Concharum pastionem avidius appedere, has in nassas magno numero conjectas in mare demittunt, oblongo fune ad nassas alligato. Sentit optatam escam Purpura, porrectâque intra nassarum juncos linguâ, conchas invadit. At hæ aculeo exstimulatæ, & in columitati suæ consultura contrahunt sese, corticibusq; clausis morsu perquam acri linguam infestam compriment, pertinacissimeque detentam haudquaquam amittunt. Quo fit, ut quum aviditate sua capta, atque eo quem dixi modo pendẽs tollatur Purpura, per Conchylium illud nassæ per linguam applicitum, Hieroglyphicè denotetur is, qui de gula mulctatus est. *Sic enim in captivum* ob gulam elegans extat Alciati Emblema.

Purpuræ consideratio.

Purpura hieroglyphicon.

Regnatorq; penus, mensæq; arrosor herilis
Ostreamus summis vidit hiulca labris.
Queis teneram opponens barbam falsa ossa momordit.
Ast ea clauserunt tacta repente domum.
Deprensum & tetro tenuerunt carcere furem.
Semet in obscurum qui dederat tumulũ.

Sed & maledicum per Purpuram exserta lingua depictam: sicuti Johannes Pierius *lib.21. Hieroglyph.* doctè annotavit. Porrò majoribus Purpuris nobilem illum succum, quem omnes in mediis faucibus, & in candida habent venâ, detractâ conchâ auferunt: Minores uno ictu saxo collidũt Tyrij: indeque subitarium rorem sive sanguinem excipiunt: quanquam aliis quoq; in locis id fiat. Quod si ictu fefellerit, neque purpura statim exanimata fuerit, frustra hunc repeti dicunt: quia præ dolore sanguis in universum corpus diffusum evanescat. Hinc Virgilius eos, qui valido aliquo vulnere peremti fuerũt, purpuream animam vomere dicit. *lib 9. Æneid.* Homerum scilicet imitatus, qui purpurea eos morte sublatos toties scripserat. *Nam & Ælianus* auctor est, ictu tantum uno à Prophyricis, id est, purpurariis viventem conteri purpuram, ut inde præstantius pro-

Anima & Mors cur purpurea dicta.

pre fluat θάνατος. Estque dignum scitu: quod de purpurario traditum infectore legimus: qui visus fraude agere in tingendi ratione, cum eo nomine, ut tum res erat, ad ultimum duceretur supplicium, iocis etiamnum superesse locum arbitratus, ad Homericum illud

τὸν δὲ
ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή

h. e. cepit vero hunc purpurea mors, & parca fortis, potissimum adjecit animum de quo videatur Cæl. Rhodig. *l. b. 8. lect. antiq. c.* 11. Hujus vero cruoris color (quem Plinius *lib.* 9. *cap.* 36. nigrantis rosæ colore sublucentem? *& cap.* 38. nigricantem edspectu, eundemq; suspectu refulgentem Plato rubrum alboque permixtum *in* Timæo dicit (ab ipsa matre vocatur purpura: sicuti Conchylio ac Murici usu venit. Virg. in 4,

Purpura color.

—*Tyrioq; ardebat murice lana.*

Et Juvenalis:

Horum ego non fugiam Conchylia?

hoc est, luxuriosas vestes, & murice vel conchylio infectas. hinc cōchyliata tapetia, apud Platum pseud. *act. 1. scen. 2.* à cōchyliato colore, qui è cæruleo est & rubro, qualis Martiæ violæ. Qui color & purpureus dicitur, & ostrinus, & Sarranus. Unde Ostrinus thorus apud Propertium *lib. 1. El 14. &*: Sarrano dormiat Ostro *apud Virg. 2 Georg.* ad quod Servius, *id est Tyrio.* Tyrus enim *sacra* dicta est à pisce *Sar*, unde Sarranæ violæ Columellæ sint purpureæ, quas Itali *pavonazzi* dicunt, & Tyriæ vestes apud Ovidium, quæ Sarranæ apud Juvenalem, ut post Scaligerum doctissimus Christianus Becmanus notavit *in Originibus*. Hinc Palmatam (de qua infra dicetur) Sarranis ebriam succis appellat Sidonius Apollinar. *lib. 8. Epl. 6.* quam concha purpura imbuens venenavit, ut idem lib. 9. epist. 13. scribit in carmine: & ebriam bis tinctam intelligit, & dilapsam ut Martialis:

Ebria Sidoniæ cùm sint de sanguine conchæ.

Atque idem Sidonius *Carm. 15.*

Ebria non solum spirat Conchylia Sandix.

Quod clarius expressit Tibullus illo versu

Vellera dat succis bis madefacta Tyres.

Nec dubium est, Purpuram, Muricem & Conchylium in jure nostro promiscuè usurpari. Quam enim Purpuram Imperatores dixerant *in l. 1. C. quæ res. ven. nō poss.* eandem mox Muricis vellus appellant: & alibi, pallia ejusmodi, conchylio tincta, & cōchylii cruore infecta dicūtur Theodosio *in l. temperent. 4. C. de. vestib. holoser. l. 11.* Similiter purpuream Imperialium rescriptorum subscriptionem Leo hanc esse declarat, quæ cocti muricis & conchylii ardore fuerit signata, *l. sacri affatus. C. de divers. rescript.* Etsi autem Purpuræ, quam Regiæ dignitatis insigne Tertullianus *de Idolatr. mihi fol. 460* vocat & qua Imperatores totos olim vestitos fuisse Leo asserit. *constit. 18.* privatis planè interdicta fuit, ut non tantum fucandæ & distrahendæ illius facultatem non habuerint: *l. 1. C. quæ res ven. non poss. d. l. temperent. 4.* sed nec segmenta aut frustula illius, quæ neque vendenti, neque ementi usum inconvenientem præberent, in mercimoniis esse potuerint: Quia tamen frusta & segmenta illa Imperatoriæ Majestatis eminentiæ non adversari videbantur; & subditis tamen magni-

Purpura Murex Conchylium, promiscue dicuntur.

Purpura privatis interdicta.

magnificentiæ speciem, aliúmve non prohibitum usum præbere poterant: constitutũ à Leone est, ut ea tam divendi, quàm emi possent. Decere enim Imperatoriam Majestatem, quũ aliis multis modis subditos beneficiis afficiat, eorundem Magnificentciæ non invidere: ut gravis est Imperatoris Lionis sententia *d. const.* 80. Segmentorum autem etiam apud Ovidium *3. de Arte* fit mentio:

Segmenta.

> *Quid de veste loquar? non jam segmenta requiro,*
> *Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.*

ubi per segmenta, haud dubiè vel purpuræ, vel aurei panni virgas intelligit. Nam & segmenta virgas quasdam aureas esse & zonas, quæ velut instita quædam & limbi vesti inserantur, ad ornamentum, ut hæc iis versicolor reddatur, Turnebus probat *lib.* 4. *Adversar. cap.* 23. Eaque segmenta aurea Senatus Romanus permisit mulieribus, in gratiam Volumniæ, quæ Coriolanum patriæ imminentem represserat, ut Domitius Calderinus ad Martialem annotavit. Sic Livius *lib.* 11. relatus à Cujacio *lib.* 12. *observ. cap.* 24. Non inviderunt, inquit, laudes suas mulieribus viri Romani, adeo sine obtrectatione alienæ gloriæ vivebatur. Tunc enim primum sancitum fuit ut Mulieribus de via cederetur, ut in auribus aureis, ut purpurea veste, ut aureis segmentis, ut novo vitæ discrimine uterentur.

Mulieribus cur permissa

Atque ejusmodi vestis Isidoro *lib.* 19. *cap.* 24. Segmentata dicitur, zonis quibusdam, & quasi præcisamentis ornata. Hinc *Segmentatus* apud Aratorem de Pontificis habitu:

Segmentata vestis.

> *Qui segmentatꝰ mediis altaribus adstat.*

Franciscus Juretus *in Not. ad Symmach. lib.* 3. *Epl.* 12. Erant autem segmenta clavi & institæ auro intextæ, quæ vestibus adsuebantur: quæ Sidon. Apollin. crepitantia vocat *lib.* 8. *Ep.* 6. quod auro essent intexta. Unde Statius 1. *Thebaid.*

> ——*pars Ostro tenues auroq; sonantes*
> *Emunire thoros.*

Vetus interpres Juvenalis *Satyr.* 6. vittas pendentes de vestibus intextas auro, segmenta aurea.

Regum, Magistratum & Senatorum vestes.) Hinc Purpura pro summo Magistratu ponitur à Plinio *lib.* 10. *cap.* 21. Et ideo Imperio Romano ad monarchiam deducto, princip. ipsi, qui etiam, ut olim, Imperatores dicebant (quoniam Regium nomen Romæ infaustum invisumque erat) Purpuram pro insigni Imperatorio servaverunt: ut auctor est Capitolinus in Maximinis & Gordia. & refert Budæus de Asse & eius partibus *lib.* 2. *mihi fol.* 43. Quam ob caussam & Alexius Comnenus Imperator, cum Johannem F. natu maximum, quem maxime diligebat, Imperio destinaret, & Imperatorem appellare curaret; *purpueros* calceos ei dedisse scribitur à Niceta Choniata. Indeq; est, quod purpurati Sidonio Appollinari dicantur Imperatores Romani, in concione *lib.* 7. & *lib.* 1. *Epist.* 7. illis verbis. post purpuratum principem. h. e. Anthemium. & *lib.* 2. *epist.* 13. Qui videbatur in iugulũ purpurati (id est Imperatoris) iamiam ruiturus. Et *lib* 1. *Epist* 5. Sero cognoscunt, posse reum Majestatis pronunciari etiam eum, qui non adfectasset habitum purpuratorum. Ex quo loco natat. Joh. Savaro. Imperatorum vel Regum habitum adfectare, crimen esse læsæ Majestatis. Adducit illud Ammiani Marcellini *lib.* 16. fuitque

Purpura pro Imperio.

Purpurati.

sitque consarcinatos mendaciis, læsæ majestatis arcessere maritum insontem & fingere, quod velamen purpureum à Diocletiani sepulchro furatus, quibusdam consciis occultabat. Et Petrus Archiepiscopus Ravennas *Sermon* 140. dixit: Tyrannus est, Tiranni habitum qui præsumiti.

DE ENCAUSTO TIT. II.

Encaustum soli Impp. usurpatum.

EX Purpura, atramenti genus conficiebatur, quod Encaustum nominabatur. Hoc soli Imperatores, privilegiis & literis subscribendis utebātur: aliis omnibus sub pæna rebellionis id erat prohibitum: eo videlicet post publicationem bonorum omnium, capitali non immeritò pæna plectendo, qui eo fuisset usus. Idipsum & Nicetas primo libro de vita Manuelis confirmat, dum ait. Eū in ipso Imperii „ sui initio Constantinopolim misisse literas, rubro aureoq; sigillo, & serico filo mu„ nitas, & concha sive purpura sanguine pictas. Et libro sexto ait, Sultanum Persiæ „ Regem, Imperatori Constantinopolitano inanes magnorū munerum pollicitatio„ nes, quæ rubricatis quidē literis inscriberentur, sed exigua praberentur, obiecisse. Ex quo apparet, Imperatorem non alio, quam isthoc atramento scribere solitum. Quod si in pupillari ætate Imperator adhuc esset constitutus. tum virides literas Tutor ipsius exarabat: quemadmodum de Alexio Protosebasto, Alexij Comneni tutore, idem Nicetas testatur. Audivi Serenissimam Celsitudinem Tuam, privilegiū habere Michaelis Paleologi, cum Encausto subscriptum & non ita pridem aliquos, qui mihi id referēdo quæsierunt, quâ nam ex materia subnotatio sive subscriptio ista, quæ forsitan ex integro non esset Encausto, provenisset; admonui, Encaustum ita præparari solitum. Terebatur in pulverem conchylium Purpuræ, & adiiciebatur nonnihil de cocto ex ipsa colore, ac simul liquabatur. reducta que inde materia liquida & densitate suæ scriptioni apta, dicebatur Encaustum; *ut in Lege quadam expressum exstat.* quæ, mea quidem opinione, unica in toto hoc universo est, quæ & confectionem Encausti doceat & nomen etiam eidē imponat. Vnde &* l chiostro. *hoc est atramenti corruptum vocabulum postea derivatum credo. atque hinc est* Encaustica *illa pictura, de qua Plinius* disserit, quod scilicet cum Encausto fieri consueverit. Et haud scio, an quisquam præterea hoc ita fuerit interpretatus. Cæterum Encaustum cum Purpura ivit in desuetudinem.*

Encausti confectio.

**L. sacri C. de diversis resor.*

Encaustica pictura.

**Plin. lib. 35. c. 11.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Principes rescripta manu sua.

IUris est non ignoti, rescriptis edictisq; suis Principes manu suâ subscripsisse, ut collectu facile est ex *l. 3. c. de div. rescr.* adeo ut ea tantummodo fas esse proferri & dici rescripta Leo Imp. cōstituerit: quæ in chartis sive mēbranis subnotatio suæ subscriptio-

Subscriptorum.

ſcriptionis impreſſiſſet: & quidem ſingulari quodam *Encauſti genere*, ex trito murice, vel tincto conchylio confecti. Diſertè etenim vetuit Leo, ſacra Reſcripta alio colore, quam purpurea inſcriptione luſtrari, coctique muricis & triti conchylii ardore ſignare præcepit: nec ejus ſacri encauſti confectionem habere privatis licere voluit *l. 6. C. d. t.* Unde patet, Imperialia Reſcripta miniatis literis & encauſto ſive Encauto muriceo conſignari conſveviſſe. Idque ideo, ne ita facile atque in proclivi eſſet, dolum vel falſum in principum literis committere: Et ut teſtatum fieret, illa in ſpeciē parva re, omnia debere in principe eſſe alia & majora, quàm in privatis ut Joh. Sichardus interpretatur *in rubr. C. quæ res vend non poſſ nu. 6.* quod & Conſtantionopolitanos Impp. ſervaſſe præter exempla à Pancirolo noſtro commemorata, etiam Conſtantinus Manaſſes *in Annalibus* teſtatur his verbis, ita latine redditis. Nam ſi quis, *ait*, ei chartam offerret, rubris in ea literis nomen Imperatorium ſubſcribebat. *Et mox*: Imperator precibus ſororis annuit, mox calamum prehendit manu, & exaratis purpurei coloris literis, chartam confirmat, Et Bald. *in d. rubr. C. quæ res vend. nō poſſ.* teſtatur, ſe inſtrumētum vidiſſe privilegii cujusdam, totum encauſto muricis conſcriptū, quod præbuerit diverſiſſimam ſpeciem, modo nigri modo rubri, aliquando etiā aurei coloris prout quiſque vertiſſet id inſtrumentum Sic Palæologus Imperator Conſtantinopolitanus Romæ, in æde Spiritus ſancti, Eccleſiæ Romanæ ſubjectionem jurans, ſyngrapham conchylii ſanguine à ſe ſubſcriptam teſtatum reliquit: ut eſt in Epitome Chronicorum Uvernieronis

Et quidem literis miniatis.

Leodienſis Monachi apud Briſſonium. Qui etiam certas ſubſcribendi formulas recenſet, iisq; ſingulares illas literas E. T. M. D. (quod eſt *manu divina*) præpoſitas fuiſſe docet, *lib. 3 de form. & ſolemn. Pop. Rom. verbis* Atque ea Imperatoris ſubſcriptio modo Divina dicebatur Adnotatio, *l. 2. C. de quibus muneribus lib. 10.* modo ſacra *l. ult. C ſi contr. jus vel util. publ. l. un. C. de monopol, l. 2. circa fin. C. de pet. bonor. ſublat. lib. 10. l. quicunq; 7. C. de omni agr. deſert. lib. 11. l omnes. 8. de fund. patrimon. & l. quicquid. 10. C. de vectig.* & locis aliis pene infinitis: Quibus manifeſtum fit Roman. Impp. conſilio inconſulto divinos ſibi honores arrogaſſe Nam omnia quæcunque gererent, pro ſacris habere voluerunt. Itaque paſſim legimus dici, ſacras aures Principis: Sacra oracula: Sacros affatus divinæ ſanctionis: divinas ſubnotationes: ſacrum Numinis conſiſtorium: ſacras literas: cœleſtia ſtatuta, ſacra ſcrinia ſacrū ærarium. Sacra quoque dicitur veſtis Imperatoria *l. 3. C. de Caſtr. & Miniſt. lib. 12.* & ſacram dominium *l. 3. C. ne rei dominicæ vel tempor.* patrimonium imo ſacratiſſimum *l. 2. C. de quadrien præſcript.* domus divina *l. fin. C. d. tit.* ædes cōſecratæ *l. un. C. de palat. & domibus domin. l. 11.* oraculum ejus ſacrū *l. etſi legib. 5. C. ſi contr. jus vel util. publ.* oraculū cœleſte. *l. jubemus. 10. C de SS. Eccl.* Reſpōſum cœleſte. *l. nemo 3. §. 1. C. de re mil. lib. 12.* reſponſum divinum *l. ult. C. de div. reſcr.* ad cujus obſervantiū Icti religioſe moveantur. *l. Divi. 17 ff. de jur. patron.* & expeditionem ſui Numinis dicit fœliciſſimam, *in l. neminem. 10. C. de SS. Eccleſ.* quia eſt in terris Imperator, quod Deus in cœlis. *auth. de inſtru. caut. in pr. & auth. conſtitutio quæ de dignit. §. illud*

Imperatores divinos affectarunt honores.

illud in fin. ubi nihil intereft, utrum bonum à Deo acquiratur hominibus, an ab Imperio fequente Deum. Unde & lex ejus, fanctio divina dicitur *l. 2. C. de quadrien. præscript.* & beneficium ejus cælitus h. e. divinitus impetratum *l. 2 C. de Castr. & minister lib.* 12. cum fexcentis aliis. Sacrum etiam nomen Impp dicebatur, ut de Antoninorum nomine fcribit Capitolinus *in Opilio Macrino* & Lãpridus *in Alexandro Severo.* Hunc tamen morem aversabatur Tiberius Cæfar: qui quendam dicentem *facras occupationes ejus,* verba mutare juffit, & pro *facris, laboriofas* dicere coëgit ut refert Tranquillus *in Tiber. c.* 25. & diligenter collegit Francifc. Juretus in Not. ad Symmachum *Epist. 54. lib. 4.*

Tiberio hoc improbatum.

Sed redeo ad principum fubnotationem illam ad quam fæpenumero plus jufto propenfiores illi folent effe & faciliores. A qua tamen facilitate cohiberi poterant eo, quod de *Theodofio* juniore, Arcadii filio memoriæ proditum eft. Is enim pro *Pulcheria* fororis ftudio & diligentia eruditus & ad Imperii gubernacula inftructus ac emendatus potiffimum fertur in iis, in quibus inconfulta ætas, aut indolis facilitas peccatum ac perniciem folet inducere; maxime in fubfcriptione libellorum quos Theodofius non perlectos focorditer admittebat. Propofitionem hãc ut cohiberet Pulcheria, fyngrapham cõpofuit qua Eudocia Augufta non magno precio veniret, fubfcribente mox Theodofio conjugis Eudociæ doctiffimæ amantiffimo. Qui poft detectum negotium, & honeftam fororis calliditatem, defiit cauffa incognita libellis ac literis fubfcribere, quorum nec cauffas nec merita perdendiffet. Stephanus Forcatulus *lib. 7. de imp. & Philofoph. Gallor. fol. 959.*

Subfcriptionis facilitas notata.

In Theodofio.

Tale quid eft quod de *Jacobo,* tum Scotiæ Rege ad eloquentiffimum oratorem *Dn. Andream Dudithium* Merellus Sequanus Vir Cl. fcripfit. Georgi⁹ Buchananus, ait, natura falfus & mirè urbanus, cum videret Regẽ omnib⁹ omnia, quæ peterent, cõcedere, ut Regem, cujus erat Præceptor, hac parte emendaret, eum adiit cum duobus libellis fupplicibus, in quibus quæ ftatuerat, petiit. In quorum uno fupplex pofcebat, Regẽ fe permiffu Regis Scotiæ, cum libera Regni adminiftratione, ad quindecim dies fore. Rex cum ille verbis non exponeret, fed quæ in libellis continebantur, pofceret petenti annuit, & utrique libello manu ꝓpria fubfcripfit. Buchananus egreffus, cum à quodam Procerum, nomine folito, falutaretur, faciẽ ab eo avertit: *fum Rex,* ait, magnamq; ac Regiam Majeftatem præ fe tulit. Idem toto quindecim dierum tempore, *fe Regem effe,* omnibus affirmavit, Quo exacto ad Regem rediit, & fe quoque Regem effe confirmavit. Rex admiratus: *Tu,* inquit, *mihi Scotiæ Regnum donasti.* Rex eum magis admiratus, cum hoc negaret, & forte putaret illum effe mente motâ: En, inquit Buchananus literas, manu tua, de regno mihi abs te donato, fubfcriptas. Eumque cœpit tanquam difcipulum Præceptor graviter reprehendere, quod quæ peterentur, non perpenfa concederet, tum quanta ei inde damna evenirent. Inpofterum igitur ne quid cuiquam indulgeret, nifi prius illud, quidnam effet, probè noffet, & cui beneficium conferret. Id quod principibus etiam atq; etiam notandum & obfervandum cenfeo. Encaufti autem confectionem Leo Imp. docuit *in l. facri affatus*

& Iacobo Scotiæ Rege.

affatus.6.C. de divers. rescript. & cur Encaustũ, librarium dicatur atramentũ, Cœlius Rhodignus indicat. *lib.7.cap.13.* Ab hoc nomen ſortita ſunt publica illa monumenta, quæ *Encauta* vocantur *in l.un. §.quod autẽ C. de collegiat.lib.*11. Ita enim locum iſtum Cujacius ὁ μέγας τῆς νομικῆς ἀρχηγὸς nuncupatus à Georg. Remo *in Not.ad Timiſt.orat.prim.fol.*125. emendat non obſtante Accurſii & Lucæ de Penna, hominum cætera ingenioſorum & ſagacium, elegantioris doctrinæ cognitione non admodum probè imbutorum, interpretatione: quorũ ille *In cautis brevibus*, hoc eſt, Brevibus cum cautela ſcriptis; hic *in chartis brevibus* legendũ putat. Uterque tamen malè: præterquam enim quod Lucæ de Penna lectioni cum veteres, tum recentiores Codices reclamant, nulla etjam Lege juvari ea poſſe videtur, niſi fortè allectum eum fuiſſe putes per textum *in l. C.de conven.fiſci debitor.lib.*10. ubi Chartularum & Brevis quidem fit mentio: Sed animadvertere debuit, *Brevem* ibi abſolutè ac ſubſtantivè, & quidem maſculo genere, ac Unitatis numero fuiſſe poſitum, ut cum *Chartulis* (quod verbum & genere, & numero, caſu diverſum eſt) nequaquam poſſit conjungi. Sed nec Accurſii probanda videtur lectio. Etſi enim *Brevia & Breves*, quorum appellatione etiam *Pittacia authentica* comprehendãtur *l.actuarii.5.cũ l.excellentia 19.C. de erogat.militar.annon.lib.*12. (de quibus apud Menochium *recuperanda poſſeſſ. remed.15 n.420 & ſeq.*) recto quidem ſenſu, & ſubſtantivè ab ipſo accepta ſunt, quemadmodũ in multis Juris noſtri locis, præſertim vero *in d.l.ult. & l.1.C.de exactor. tribut.lib.10.l.1.verſ.hac etiam.C.d. apochis:eod.lib.& l.ult.C.de offic.Magiſt.offic. Novell.105.c.2.§.4.* & alibi paſſim legitur: Vix tamen eſt, ut *Cautos Breves*, pro Brevibus cum cautela ſcriptis à claſſico ſcriptore ullo uſurpatos invenias. Proclivius igitur eſt, ut cum Cujacio pro *Incautis* legamus *Encautis*: quæ Encauta etiam *Encauteria*: dicuntur *in l.immunitates.C.9. de agricol lib.11.* nec quicquam aliud ſunt, quam monumenta Civitatis, ſive chartæ publicæ, ut Cujacius definit. quanquam Alciatus non *Encauteria*, ſed *Eucteria* legendum cenſet, quæ vox non Græcis tantum; ſed & Latinis uſitata, grammatophylacium ſive locum denotat, in quo orationes actaque provinciarum continentur: ut hac lege non ſolum eæ revocatæ cenſeantur immunitates, quæ in libris & monumentis publicis continebantur, quas Cujacio Encauta & Encauteria dici oſtẽdimus: ſed &, ſi quæ in libros nondum relatæ erant, ſtabant tamen in grammatophylacio eucteriòve, Grãmatophylaciũ etiam Budæus definit locum, ubi Tabulæ & Inſtrumenta publica, monumentaque rerum geſtarum actorumque aſſervantur: quod *Tablinum* latine appellatur, Cic. *Tabularium* dixit *lib.3.de Nat. Deor.* ut Budæus notavit *ad l. Moris.9.* verbo Archivo forte vel grammatophylacio *ff. de pœnis mihi fol.*342. Nec diſſimulandũ hic eſt, *Cauta* ꝓ ſyngraphis ſeu chirographis uſurpaſſe Chorippũ hiſtoricũ & Poetam *lib.2.de Iuſtino Minore prope finẽ.* Cautis autem opponuntur *Recauta*: quorũ mentio fit à Juſtinano *Nov.130 cap.1.& 3.* Eſtque Recautum (quod alibi & *Deſuſceptũ* vocatur *in l.4. C. de collat.fundor. patrimon.libr.*11.) Species quædam Apochæ quâ cautum ſive cautio diſſolvitur. Cautio-

Encauta. Agitur de lectione §. Quod autem l. un. C. de collegiat contra Accur. & Luc. d. Penna.

Brevia Breves.

Encauteria. L. immunitates 9. C. de agricol. li. 11. Eucteria.

Grammatophylacium.

Cauta.

Recauta.

tio quippe obligatio est, Recautio Cautionis dissolutio; eodem modo sic dicta, quo pignorare & repignorare, id est, Pignus dissolvere se luere. Conrad. Rittershus. *ad Nov. Iustin. part. 14 cap. 6. n. 4.* & ante eum Alciat. *l. 8. parerg. cap. 17.* Sane ab Encausto nomen traxit *Encaustica pictura*; (*Cujus artem Pamphylus* Appellis præceptor primũ docuisse traditur.) quæ in cera, tabulis, eboréve fieri solebat, cestro primum, id est, viriculo (Turnebus *versculo* legit apud Plinium *lib. 35. c. 11.* Perotus *Vriculo*, quod ab urendo sic dictum sit) cavatâ materiâ: procedente vero tẽpore setis inducta supra tabulas, iterũque admotis gallæ carbonibus adusta ad sudorem usque. Deinde linteis puris, ita ut quasi marmora nitescerent, quæ pictura a navibus, nec Sole, nec salo ventisq; corrumpitur. Hinc *Encaustes* dicitur, qui Encausticè pictus est; coloribus scilicet inustis, & resolutis igni ceris: quem Inustum recte dixeris. Unde Martialis lib. 4 Epigramm.

Encaustes Phaethon tabula tibi pictus in hac est.
Quid tibi vis? dipyron qui Phaethonta facis.

quasi dicat: Inique facere pictorem; qui cum semel fuerit combustus Phaëthon, iterum eum comburat. Quo significatu Mœcianus respondit, Pictoris instrumẽto legato, ceras, colores, similiaq; horum, item peniculos, *& cauteria* & conchas legato cedere. *l. item pictoris. 17. ff. de fund. instr.* Sunt enim *Cauteria*; quibus pictores olim ceris pingentes picturam tabularum inurebant. *Turneb. lib. 8. Adversar. cap. 9.* De quo picturæ genere accipiendum est illud Ovidii hemistichion;

——tabulasq; coloribus uris.

Chirurgorum quoque instrumenta sive ferramenta, quibus ignitis & candentibus putridæ uruntur carnes & ulcera, Cauteria dicuntur. Unde Firmicus *Matthes 3.* vulnera ipsa (quidam legunt *ulcera*) facit ignita cauteriorum adustione curari. Quæ quidem cauterisatio (teste Avicenna *cap. 29. fen. 4. primi*) perutile medicamentum est, Iuvamentum in ea præcipuum, ne serpat vitium. Quod corruptum est, ac in membro retentum, resolvit; sanguinis fluxionem inhibet: ob læsas partes refovet leniter. Cauterium, si aureum fuerit, censetur præstantissimum. Cujus ratio est, quoniam aurum urit mitius; quin urendo fovet leniter insita virtute: vulnus quod inde fit, celeriter coit: porrò minus terroris affert aurum, quàm candens ferrum; *Etsi autem artis est medicinæ* (*ait Hironymus*) aliquoties ignibus, ferro curare; quandoquidem vel optimus quoque Medicus ferro & igne opus habet, si leni remedio nihil profecerit, ut ait Chrysost. *serm 4. de Provid & Fato*, adeo ut haud sapientis aut periti Medici esse putet Sophocles *In Ajace Lorar*, incantationes seu Epodas accinere, ubi sectionenem requirit vulnus, quod τομῶντι πήματι appellat, quasi tu secturiens malum dicas: talem tamen Medicum, qui nihil, nisi ustiones sectionesque spiret, & quem propterea ἀνήμερον Nazianz. vocat, nemo non odio habuerit; qualis fuit *Archagathus ille Peloponnesius*, Lysaniæ filius: qui Romam venisse A. V. C. DXXXV & jure Quiritium donatus esse scribitur Plinio *lib. 29. cap. 1.* Hujus enim adventum initio mirè gratum, eumq; *vulnerarium* fuisse vocatum accepimus: mox à sævi-

Encaustica pictura.

Encaustes.

Cauteria.

Cauterisatio.

Cauterium aureum.

Archagathus vulnerarius.

assævitia secandi, urendique transiisse nomen *in Carnificem*, & in tædium Artem, omnesque Medicos. Conrad. Rittersh. *ad Salvian. fol. 251.* A cauteriis porrò & *cauteriata conscientia* apud Apostolum, quasi cauterio notata: qualis est in Hypocritis, ut Beroaldus apud Apulejum *lib. 7. Milesiacarum* interpretatur. Et in Moralibus Plutarchus scribit. Cyrenensium tyrannum Nicocratem, ne quisquam civium sævitiam suam aufugeret, portis custodes apposuisse, qui etiam mortuos, dum efferrentur, pugiunculis vel cauterio scrutarentur: Cui non absimile est, quod Tertullianus ait *in Apologetico*: Risimus & inter ludicras meridianorum crudelitates, Mercurium mortuos cauterio examinantem; Pro *Cauterio* enim, quod nullo sensu, aut certè inepto erat positum, *Canterio* legendum Alciatus monet. In peragendis quippe fabulis, si cædes intercedebat, destinabantur in eam rem damnati, ut non ex ingenio, sed ex rebus ipsis populo vera exhiberentur. Si igitur Mercurii persona esset repræsentanda, præsto erant cadavera gladiatorum, ut personatus ille Mercurius caudenti cauterio mortuos præsentaret:

Tertullianus emendatus.

Virides literas) Scribit Nicetas *lib. 7. in vita Alexii Comneni, Manuelis F.* Alexiū Sebastocratorem, Imperium affectantē, edictum impetrasse, quo continebatur, Ea quibus manus Imperatoris (hoc est, Alexii Comneni, ferè impuberis adhuc & pueri, qui pædagogi & nutricis opera, defuncto patre, non satis commode careret) subscripsisset; non aliter rata fore, nisi prius Alexius ea vidisset, & colore viridi subscripsisset, RATA SUNT. Cæteroquin *Primiterii*, quem hodie *Cancellarium* vocamus, hoc erat munus atque officium, ut literis principis, quibus aut donum aliquod, aut honorem Magistratumq; concedebat, cereum illius sigillum adponeret. Atque sic in omnes judices aliquam authoritatem habuit. Ut videri possit, fuisse etiam ejus potestatis cognoscere, qua fide, qua integritate & justitia inferiores judices in officio versarentur: ut ex Cassiodoro *in formula Comitis Sacrar. Largitionum* notat. Franc. Connanus *libr. 4. Comm. jur. civ. cap. 14 n. 6. fol. 426* ubi etiam proceres chartarum appellari putat, quos hodie *secretarios* Regis vocamus.

Viridis subscriptio.

Primiterius: cancellarius.

DE OBSIDIANIS TIT. III.

Obsidiani, sunt lapides quidam nigri, at splendidissimi: ex quibus etiam Specula conficiuntur nascuntur in litoribus Arabiæ felicis. Hodie amplius non apparent, quantumcunq; etiam, qui in Indias Orientales navigāt, reperisse se glorientur: Ait Plinius multos solere Obsidianos ejusmodi, tanquam lapidem preciosum anulis inserere: & in eorum aliquo sculptam fuisse solidam imaginem Divi Augusti: qui materia hac captus, quatuor Obsidianos Elephantes fieri curavit. *

Obsidiani lapides.

* Plin. lib. 36. c. 26.

NOTÆ

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

OBsidianus lapis (quem Isidorus *lib. 16. c. 4.* Obsium; Ulpianus ex Servio *in l. cum aurum. 9. §. gemma. ff. de auro & arg. leg.* Obsianum vocat) ab Obsidio, qui eum in Æthiopia primum invenit, nomen est consecutus. Nigerrimi coloris est, aliquando & translucidi, crassiore visu, atq; in speculis parietum pro imagine umbras reddente. Ab hoc labide vitrum quoque ejusdem coloris, Obsidianum est vocatum: de quo plura apud Plinium *lib. 36. cap. 26.* Ex quo & illud constat, obsidianum etiam vitri genus, quod Natura gignit. itque ad lapides magis, quam metalla spectat, omnia patitur: sicuti cæteri labides. Nam & sculpi, excavari, perforari cælarique percommode potest. Quæcunque suscipit simulacra: Estq; pellucidum: transmittit formas sicut & vitrum gignitur apud Macrobios, fiuntque ex illo præcipua Magnatum sepulchra. Excisam enim ingentem molem excavant, includuntque cadavera; occlusaque non modo servantur, verum etiam spectantur, veluti occlusa vitro, neq; atrum sive tetrum odorem olent. quemadmodum ex Herodoto & Diodoro retulit Simon. Majol. *dier. Canic. part. 1. colloq. 19. fol. 590.*

Obsidianum vitrum. *Obsidiana simulachra.* *Sepulchra.*

DE LINO VIVO AUT ASBESTINO TIT. IV.

Asbestinum Linum vivum. Prendiis corporibus aptum. **lib. 19. c. 1.* *Ejus raritas & precium.*

E*Rat antiquitus species quadam Lini, quod Graci* Asbestinum: *Latini* Linum vivum *appellabant. Ex hoc tela contexebatur, & tunica qua igni non tantum non absumebantur: sed in illum conjecta, sordibus exustis, splendescebant magis, quam possent aquis. Regum quoque funera in eiusmodi adurebantur tunicis, ne corporis favillia cum reliquo misceretur cinere. Linum hoc, cui principatus in toto orbe est; Plinius tradit, * rarum inventu, difficile textu esse propter brevitatem: inventum, aquare precia excellentium margaritarum. Neronem mantile inde habuisse ferunt. hodie non invenitur.*

NOTÆ SIVE COMMENTARII.

Asbestinũ, unde dictũ. Igni non absumi.

LInum hoc Græcis Asbestinũ dicitur, ob calcis similitudinem, quæ igni purificatur. *Calcem* enim Græci ἄσβεστον vocant. Asbestinum autem igni non absumi: sed nitescere & mundari, Plinius probat *lib. 19. cap. 1.* Sed Asbesto cum Varro dicit, *lib. 4. de ling. lat.* lintea ex eo facta intelligit, atque adeo vestim. ut Adrianus Turnebus interpretatur *lib. 23. Adversar. cap. 1.* à quo tamen Joseph. Scaliger dissentit, negans id Lini genus inter vestimenta numerandum: cum potius ex eo mappæ conficerentur, quam vestes. A Turnebo tamen stat Cælius Calcagninus *lib. 3. Ep. 1.* Asbestinas vestes dici asserens ex lino vivo, lapidi Carystio simillimo: quib. mortui reges cremabantur, ut iis cinis colligeretur. Nomen ex eo adeptæ sunt, quod igni non absumerentur. Quas & mortuales non ineptè fortassis cum Nævio poëta dixeris, ita ei appellatas, quibus cadavera induebantur. His consentanea esse videntur,

Linum Creticum.

dentur, quæ de *Cretico* lino scripsit Strabo *lib* 10. Id enim petram esse ait, quàm attritam capillamentis tantum remanentibus, excussa terrea materia, pectinibus aptari, contextamque inde telam peroptime cõfici. Eam autem igne non uri; sed sordidatam in ignem projectam emundari. Ipseque adeo Podocattarus Cyprius Eques, qui nostro hoc seculo de reb⁹ Cypriis An. ∞ DLXVI. historiam prodidit, *Linũ Cyprium* penes se habitum Venetiis ostẽdit, in ignem id iniiciens, at illæsum ac perpurgatum mundatissimumque inde recipiens. Verum illud magno est miraculo; quod hujusmodi contexta tela non quidem ab herbis originem ducat, sed à *lapide amianto*: qui in Cypro Insula repertus, malleo contunditur, contusus excussa terrea superfluitate, capillamentis suis lini speciem retinet, ac contexitur in telam. Id visum in Podocattari ædibus coram eximiæ virtutis viris non paucis testatur Porcachius *tabula 2 Funeralium.* Propterea ex hoc amianto linum confectũ, & incombustibile, ut perpetuo lampadibus arderet in Baptisterio suo Romæ Constantinus Imperator statuerat, referente Damaso *In Sylvestro Papa.* Quin & Ludov. Vives in scholio *ad D. August. lib. 21. de civit. Dei cap. 6.* testatur se Lychnia Parisiis permulta vidisse, quæ lucernis semper ardentibus nunquã absumerẽtur. Mantile quoq; Lovanii medio convivio igñi datum, redditumq; domino mundius splendidiusque, quam possit aquis aut smegmatis quibuslibet, prout literis hoc consignavit Simon Majol. *part. 1. dierum Canicul. colloq. 20. fol. 633. & seq.* His non absimilis, si non idem plane fuerit, lapis ille ad Carystum nascens; quem incolæ pectunt, nent, texunt. Inde mantilia conficiuntur egregie contexta. Ea ubi sordescunt; in flammas projecta, non secus emendantur, quàm si maculas aqua eluerís. Mentionem hujus facit Matthæus Raderus (quem dum notas hasce meas recenseo, primum vidi) *in commentar. ad Martial. lib. 9. Epigr. 77.* Meminit Cælius Rhodigin. & Ellychnij, lino Carpasio constantis, & in id ignibus nullum omnino jus fuisse, scribit *lib. 13. lect. antiq. cap. 18. circa finem.* Refert quoque Plinius, huic lino principatum in toto orbe esse: & Linteo eo circumdatam arborem, surdis ictibus, qui non exaudiantur, cædi.

Podocattarus.

Ex Lino illo Lychnia.

Et mantilia.

Lapis Carystius.

DE BYSSO TIT. V.

B*Yssus quoq; erat linum subtilissimum, in Græcia natum: ex quo pulcherrimè texebantur vestes. Tanti vero æstimabatur pretij, ut quaternis denariis scripula eius permutaretur.* * *Sed nec eius quoque hodie est cognitio. Quod &* Carbaso *evenit; quæ tamen tela erat subtilissima ex Indiis advecta; ut & ex Marciano Iureconsulto.* * *& Virgilio lib. 6. colligitur:*

——cui tenuis glauco velabat amictu Carbasus.

Byssus. Eius pretium.

**Plin. lib. 19 cap. 1.*

Carbasus.

**l. ult. §. species ff. de public. & vectig.*

NOTÆ SIVE COMMENTARII.

PRoximam ab Asbestino dignitatem obtinet Byssus, sive Byssinum, lini genus pretiosi: quod circa Elin in Achaja gigni solebat, mulierum delitiis maximè conveniens, ut Plin. ait *lib. 19. c. 1.* Id præcãdidum & mollissimũ esse, Isidorus asserit *lib. 19. cap. 27.* Alij Byssum appellãt lanam illam, quæ *Pinna* (concharum id genus est) adhæret, colore luteo ac perlucido. Unde *Byssyna vestes*, ex lana illa mollissima

sima, colore luteo, nigricante, ac splendorem auri reddente contextæ: quas Marcianus JCtus per Byssicum opus intelligere videtur *in l. fin. §. species. ff. de publ. & vectigal.* Nascitur autem Pinna in limosis subrecta semper, nec unquam sine comite, quem Pinnoterem vocant; alij Pinnophylacem. Is est *Squilla parva*, alibi *Cancer*, dapis asse ctator. Aperit se Pinna, atq; orbum luminibus corpus minutis pisciculis præbet. Assultant illi protinus, & ubi per licentiam audacia crevit, implent Pinnam. Hoc temporis speculatus Cancer index, levi morsu significat. Illa, ore compresso, vel clausis testis saluti suæ consultura, quicquid inclusit, exanimat, partemq; socio præbet, ut idem Plinius *lib. 9. cap. 42* scriptum reliquit. Meminit Plinius alterius quoque lini cujusdam, quod ipse *lib. 19. cap. 1.* Xylon; Ulpianus ξυλόξυλον appellat, quasi lanam ligneam, seu ligno decerptam dicas, *l. si cui lana 70. § lana legata. ff. de legat. 3.* quæ lanugo quædã est, ex pomo fruticis cujusdam apud Arabas & eos, qui sub Cynosura sunt, depexa, qui frutex parvulus est, similemque barbatæ nuci, aut mali cotonei defert fructũ, unde & Cotoneum quidam dicunt. Lina & lintea inde facta, magno vulgi errore Bombycina vocantur, ut Alciatus ostendit *lib. 6. parerg. cap. 25.* cum vel Plinio teste, Xylina; vel ad Peroti mentẽ, gossipina, seu gossampina dicantur rectius. Huic lini generi nullum candore, mollitiéve præferendum; vestesque inde confectas, Ægypti sacerdotibus gratissimas fuisse Plinius testatur. Id quod non de indutu duntaxat & amictu ipsorum; sed & de opertu quoque in rebus sacris peragundis usurpato Beroaldus intelligit ad Apuleium *lib. 11. Milesiacar.* ubi laneum vestitum in rebus divinis ut prophanum impiumque, ex Ægyptiorum, itemque Orphei & Pythagoræ disciplina ideo vituperatum fuisse tradit, quòd ab animato lana decerperetur, & ex eo quidem animali, quod inter cætera esset mitissimum: contra vero lineam vestem propterea puram habitam, quoniam linum ex terra oriretur. Omnia autẽ terrâ propugnata, munda & pura judicari. Hinc Isiacos, hoc est, Isidis sacerdotes, cũ linea veste prope peculiariter uterentur, à Poëtis perpetuo epitheto Linigeros videas cognominari. Sic enim Ovidius:

Pinna consideratio.

Xylon. Lana lignea.

Linea vestis Ægyptiis sacerdotibus grata, Lanea non item.

Isiaci sacerdotes linigeri.

Nunc Dea linigerâ colitur celeberrima turbâ.

Sic Martialis:

Linigeri fugiunt calvi sistrataque turba.

Et juvenalis:

Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo.

Nec enim lineam tantum gerebant vestem, ut præter ea, quæ modo commemoravimus, etiam ex Tertulliani *de corona militis* libro colligitur, ubi linteum, quo Christus constringebatur, propriam Osiridis (iidem autem Osiridis, qui & Isidis Sacerdotes erant) vestem appellat: Sed &, ut Herodotus in Euterpe cap. 37. auctor est, totum corpus solebant eradere, & tertio quoque die tondere, ne pilorum sordibus inter sacrificandum piaculum committerent, néve inter Deorum cultum quicquam pediculorum, aut alterius excrementitiæ sordis ipsos pollueret. Unde Lactantius *lib. 1 Instit.* deglabra à corpore ipsorum pectora appellat. Eodemq; sensu Martialis, sacrificulorum istam turbam, pilatam cohortem vocat, *lib. 10.*

Calvi & rasi.

Nunciat octavã Pharia sua turba juvẽca.
Ecce pilata reditiamq; subitque cohors

Martialis emendatur.

Ita enim locum istum emendandum censeo, cum passim. *Et pilata*, priore syllaba producta, legatur. Intelligit enim poëta cohortẽ pilatam, hoc est, calvam vel glabram, cui omnes undiq; pili erant exstirpati. Eam autem verbi illius vim esse, ex eodem Martiali *lib. 6.* probatur:

Ex

Ex stirpa, mihi crede, pilos de corpore toto;
Teque pilare tuas testificare nates.

Hinc *Expilatores*, qui si mente Asconio in Verrina 2 ne pilum quidem in corpore spoliatorum relinquunt, de quibus in Pandectis. *de Effractoribus & expilatoribus*. Inde etiam expilatæ hæreditatis crimen, *de quo ff. & C. eod. tit.* Atq; hanc emendationem ipsi etiam Scaligero probatam fuisse, postea animadverti.

Sacrificuli cur caput radant.

Ex hoc ritu promanavit opinor nostræ ætatis sacrificulorũ superstitio: qui jubẽtur caput in modum sphæræ radere, & comã nutrire prohibetur *can. prohibete. 23. dist.* quandoquidem capitis rasio & corona, vel ipsi etiam Hieronymo temporalium omnium depositionẽ denotat. *can. duo sunt genera. 12. q. 1.* Capilli verò qui remanent, aliqua Sacerdotibus ad sustentationem retinenda designant, ut est glossographi interpretamentum. Isidis porrò simulachrum, (ut & hoc obiter moneam) muliebre erat, bubulis præditum cornibus, quemadmodũ id Græci describunt. Ideoque Ægyptiis, qui boves mares eosdemq; mundos ac vetulos im̃olant, fœminas immolare non licet, utpote Isidi consecratas, quas ex omnibus pecudibus venerantur longe plurimum: Sicut ab Herodoto proditum est *lib. 2. cap. 41.*

Isidis simulachrum.

Sistratam verò turbam Martialis *Isiacos* appellat *sacerdotes*, à gestamine sistrorũ:

Sistrum.

Erat autem *Sistrum* instrumentum Ægyptium à metallo arguto, ab agitatione nomen habens Nam agitatum & concussum tinnitus argutos edebat; ob hoc, *Sonabile Sistrum* à poetis dictum & ærisonum: quippe quod ex ære, argento, quandoque etiam auro conflaretur: ut ex illo Apuleii *libr. 2. transform.* apparet, *areis & argenteis, imò verò aureis etiã sistris argutum tinnitũ constrepentes.* Crepitaculi istius per angustam laminam in modum Balthei recurvatam trajectæ, medio paucæ ungulæ, crispante brachio tergeminos ictus, reddebant argutum sonum: ut in marmoribus antiquis videre licet; vel, ut Adr. Turneb. *lib. 26. Advers. cap. 33.* describit, species ejus ovalis erat, & manubriata in ora undiq; tintiñabula habens, ut agitatum tiñitum redderet maximũ, & quæ pulsarentur. Recte, *agitatum* dixit: quoniam non spiritu, sed motu concussum æneum illud crepitaculum, sive sistrũ personabat. *Alex. ab Alexandr. lib. 7. genial. dier. c. 8.* Hinc Tibullus *lib. 1. Eleg. 3.*

Ejus descriptio.

Quid tua nunc Isis tibi Delia? quid mihi
Illa tuâ toties æra repulsa manu? (prosuns

Ubi tamen *Mihi*, non tibi, ex veteri scriptura legendum monet Scaliger. Nam liquet, Deliam Tibulli amicã in castro Isidis fuisse: de quo apud Propertium *lib. 2. Eleg. Tristia iam redeunt, &c.* Cæterũ de cæremoniis in sacris Isidis adhibitis habes apud Apulejum passim, & apud. Alexand. *d. lib. 7. c. 8.* Atq; in hinc lucem accipiunt illi de Cleopatra versus Propertii *lib. 4.*

Ausa jovi nostro latrantẽ oppõere Anubin,
Et Tyberim Nili cogere ferre minas;
Romanãq; tubam crepitanti pellere sistro.

Cleopatra Isidis habitũ affectãs.

Innuit enim Cleopatram, quæ tantum sibi assumserat, ut se Isin voluerit videri, ideoq; sistrum in dextera gesserit, Imperiũ in Romanos affectasse. Idcirco ut Cleopatram sibi commentitiam Isidis potestatem arrogasse, solida subtilitate aperiret Virgilius *lib. 6. Æn.* ita canit.

regina in mediis patrio vocat agmina sistro

Quem locum ex Lupo Ferrariensi Episcopo ita interpretatur Joh. Savaro ad Sidon. Apollin. *car. 5. ver. 460.* venerabiles autem & quasi sacros fuisse sistrum pulsantes Joh. Bernartius in scholiis ad Statium Papin. *lib. 1 Thebaid.* ex illo Ovidii *lib. 1. de Ponto* colligit.

Ecquis ita est audax, ut limine cogat abire
Iactantem Pharia tinnula sistra manu?

Quam stultitiam sive ineptias graphicè depin-

depingit, & ridet Seneca *lib. un. de vit. beata cap. 27.*

Byſſina verba.

Porrò de Byſſo, cui hoc caput deſtinatum eſt potiſſimum, multa præclare traduntur à Lud. Cœlio Rhodig. *lib. 23. lect. antiq. cap. 8.* quibus accenſendum omninò eſt, quod ille de Byſſinis verbis *eodem libro capite præcedente* ſcripſerat: Paryſatin Cyri & Artaxerxis matrem, altiſſimi ſenſus mulierem dicere ſolitã: *Regem qui promtè nec animo timidiore concionaturus foret, debere byſſinis uti verbis*; per quæ ea intelligantur quæ ſublimitatẽ habeant ac magnificentiã, nitoremq; & authoritatẽ quandoquidẽ hæc pars ſit, quæ popularẽ exprimere fragorẽ poſſit, ac efficere ut dicentes laus proſequatur inſolita; quod hic annotare operæ-pretiũ duxi.

Carbaſus.

Quod & Carbaſo) Carbaſus lini genus tenuiſſimi eſt Plinio *lib. 19. cap. 1.* quod Pauſanias igne conſumi negat. A Carbaſo, Carbaſeæ dicuntur veſtes, & Carbaſina lintea. Apulejus *lib. 8. Mileſiacar.* Graphyce prodeunt mitellis & crocotis: & Carbaſinis linteis. Ubi mitellas fœminarũ illa ornamenta intelligit, ex quibus redimicula religabantur. *Virg. in 9.*

Mitella.

—& habent redimicula mitræ. Et alibi:
Copa Syriſca caput Graja redimita mitella.

Crocota.

Crocota verò dicuntur, quæ croceo infecta ſunt colore. Virgilius croco pictas veſtes appellat:
Vobis picta croco, & fulgenti murice veſtis.
Ea veſtis, quã & delicatam & fœmineã, viris autem nequaquam convenientem Turnebus oſtendit *lib. 29. cap. 25. & lib. 21. cap. 15.* Plauto Crocotula dicitur ut & Crocotilum, id quod valde exile eſt, referente Feſto.

Carbaſina lintea

Carbaſina autem lintea Apulejus ſignificat, quæ ex illo lini genere, quod Carbaſi ex Plinio diximus ſunt cõtexta. Hæc quia mira erãt tenuitate, quovis ventulo impulſa, facilè colligebantur in ſinus, quos Maro vocat Carbaſeos *l. 11.*
—croceã chlamidemq; ſinusq; crepãtes
Carbaſeos fulvo in nodũ collegerat auro.
tametſi Carbaſum flaminis indumentum proprium fuiſſe dicat Alexander ab Alexandr. *lib. 6. genial. dier. cap. 12.*

Carbaſa vela.

Carbaſi porrò nomen ad nautica quoque vela fuit productum: quæ quoniam ex Carbaſo primum in Hiſpania reperta eſſe Plinius teſtatur, Carbaſa etiamnum dicuntur.

Velorum tria genera.

Sunt autem velorum, ut Julius Pollux auctor eſt, tria genera. Acatium, Dolon, & Epidromes. *Dolones*, quæ vela minora ſunt, ſuper *Acatia*, hoc eſt, maxima in navi vela, celeritatis cauſſa ſolent erigi.

Dolon. teligenus.

Unde Livius: Polyxenides, ut virtute militum ſuperari ſe vidit, ſublatis Dolonibus effusè fugere intendit. *Epidromes* in puppi panditur. Alioquin *Dolones* dicuntur virgæ ſive conti, in quibus, tanquam in vagina, ferrum acutum ſive pugiones latent: à fallendo, ſive etiam lædendo (δό-λος enim utrumque Græcis denotat) ſic appellati: ut ſint tela quædam, quibus dolosè aliquem petimus: quando quidem hæc ferrum abditum habeant, quamvis ſolius ligni ſpeciem præſeferant. *Virg. in 7. Pila manu, ſævosq; gerũt in bella Dolões.*
Ubi Servius Dolonem interpretatur flagellum intra cujus virgam latet pugio. Sic Claudio Cæſari à duobus Equeſtris ordinis in publico, cum dolone ac venatorio cultro præſtolantibus inſidias fuiſſe ſtructas: altero quidem, ut egreſſum theatro; altero, ut ſacrificantẽ apud Matris ædem adoriretur, Suetonius ſcribit in vita Tiberij Claudij *cap. 13.* Atque de hoc ligni vel fuſtis genere, in quo ferrum acuta cuſpide latens, haud ſecus quam gladius aut pugio vulnera ingerebat, exaudiendum eſt Alfeni reſponſum *in l. ſi ex plagis. 52. §. 1. ff. ad l. Aquil.* ubi quidã flagello, in quo dolon inerat, tabernarium verberãrat. quemadmodum locum iſtum rectè interpretatur Alexã. ab Alex. *lib. 4. genial. dier. cap. 15.*

Emendatur §. 1. l. ſi ex plagis. ad l. Aquil.

cap.15. Cui non absimile est, quod Ulpianus respondit *in l.1.§.& generaliter. ff. si quadr.paup.fec.dic.* ubi Equus dolone concitatus calce aliquem petierat Utroqꝫ enim in loco pro *Dolore*, quod verbi in vulgatis codicibus mendosè erat positũ, *Dolone* erit legendum, quod & Hotomã. adnotavit *ad §.1. verb. quæ contra naturam. Instit. si quadr. pauper. fecisse dic.*

l.1.§.& generaliter, si quadr. paup. fec. dic.

DE SPECULARIBUS TIT. VI.

*Specularia seu speculares lapides materia quadam lucida erant ut S. Basilius scribit, & instar aeris transparens. Hanc veteres fenestris imponebant, ut nos vitrum. De his specularibus apud Plinium * extat, & in jure civili. † Nero sacellum sive templum Fortunæ ex specularibus construxit: in quo qui erat, extrinsecus absqꝫ ullo obstaculo conspiciebatur: ac, ut Plinius scriptum reliquit, portis etiã clausis, Lux ibi inclusa, non transmissa videbatur. Speculares hodie non reperiuntur. Deposita apud me quondam fuit crystallus ex simili materia alterior digitos duos, adeo translucens, ut aer quodammodo videretur, extremis solùm partibus visui expositis. Continebat in se Chelydrum qui ore aperto agnellum quasi deglutiturus erat: sed ab hoc ei Crux opponebatur. Erat affabrè effigiata. Acceperam à Domino Martino Gerstman, nunc quidem Episcopo Vratislaviensi, atque etiamnum me habere credo.*

Specularia: vel speculares lapides.
**Plin. lib. 36 c. 22.*
† L. quæsitum 12. § si domus 10. & §. specularia 15. ff. de instr. fundo.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Specularem Lapidem Plinius ex quorundam sententia, humorem esse ait terræ, & Chrystalli modo glaciari, atque in lapidem concrescere & vitri modo perlucidum, facile in quamlibet tenues crustas findi *lib. 36. cap 22* qui quidem lapis peculiarem eamque purissimam trans parentiam adeptus (verba sunt Basilij *in Hexam. Homil. 3*) si juxta suam naturam sincerus & absolutus fuerit repertus, & neq; putredine aliqua exesus, neque segmenta ac stirias in altum productas habeat, ferè aeri luciditate similis existit. Ita enim illũ Basilij locũ adducit Simon Majolus *lib. 1. canic. dier. colloq. 18. mihi fol. 57.* Ab hoc Specularia dicebantur, quibus Lumen & Sol in ædes admittebatur: ut hodie per vitreamina & chartacea. Sic appellata, quod ex speculari lapide essent confecta, & de his specularibus, quibus fenestrarum hiatus obstruebantur ad transmittendam lucem, quæ tamen exemptibilia erant, ut cum liberet, auferrentur, intelligendum erit Ulpiani responsum de specularibus mentionẽ facientis *in l. sed si quid 15. §. de quibus plane dubitatur. ff. de usufr.* Si vera est Budæi interpretatio ad *l. ex sylva cædua 10. ff. de tit.* qui tamen ibidem non negat, posse eundem locum de iis accipi specularibus (variũ enim ea præstabant usum) quibus pars quædam domus, aut etiã ambulationes in horto, veluti in tegumentis quibusdam ad voluptatem operiebantur. Quale fortasse fuit Horatii ad res venereas, ut perhibetur, intemperantioris speculatum illud cubiculum: in quo scorta dicitur habuisse disposita, ut quocunque respexisset, ibi ei imago coitus referretur. Sic enim in ejus vita, Suetonio passim attributa, scriptum video. Quod autem Ulpianus *in l. quæsitũ 12. §. si domus. ff. de fũd. instr.* ex Pegasi auctoritate, instrumento

Specularia exemptibilia.

Speculariũ usus.

Examinata L. quæsi. ũ. de fund. instr.

domus legato, negat deberi Specularia & vela, quæ voluptatis caussa in domo sunt, frigoris fortè aut umbræ arcessendæ caussa: Id verò pugnare videtur cum eo, quod ex Cassii sententia idem mox subjungit, Cilicia vela legata deberi, quòd ideò parari soleant, ne ædificia vento vel pluvia laborent. Quid enim vetat, quo minus & de Specularibus hoc dicamus, quæ in eũdem usum parari constat? Jacob. Cujacius *lib.* 13. *Observ. cap.* 11. Nam ut Plinius *lib.* 2. *Epist.* 17. scriptum reliquit, Cœnationes egregium sunt adversus tempestates receptaculum: nam Specularibus, & multò magis imminentibus tectis muniuntur. Et, si Martiali credimus,

Hibernis objecta Notis Specularia puros
Admittunt soles, & sine Sole diem.

Contra Accursium.

Specularibus nempe muniebantur hyeme Cœnationes & diætæ, adversus ventorum imbriumq; vim: atque ita venti his excludebantur, ut tamen lumen habitantibus transfunderent. Nec satis tuta videtur Accursii responsio, locum istum de Specularibus non adfixis accipientis Nã si affixa fuerit, tum magis putat, ea domus partem esse, ideoque legato cedere. *§. Specularia 25. d. l. quæsitum.* Cur enim hac distinctione non in velis quoq; usus est JCtus; sed ea simpliciter deberi asserit? cum tamẽ constet, raro aut ferè nũquam hæc ita adfigi, ut pro domus parte habeantur. Porrò qui fenestris Specularia ad arcendum hyeme frigus componunt, *Specularii* in jure nostro dicuntur. *l.* 1. *C. de excusa. art. lib.* 10. *& l. ult. ff. de jur immũ.* idq; ad tit. C. & Alciatus adnotavit *nu.* 8. & Cœl. Rhodig. *lib.* 15. *lect. antiq. c.* 13. *in fin.* & quanquam ex recentioribus fuêre, qui specularia existimarunt esse tabulas clatris cancellisve spissioribus distinctas quæ fenestris apponuntur ne virgines à prætereuntibus conspici possint, Italis vulgò *gelosie* dictæ: eorum tamen sententiam illo ex Martiali adducto Epigrammate confutari, rectè censuit Alciatus *ad l. Malum.* 242. *§. structurã ff. de verb. sig.*

Specularii.

Cancelli sive gelosie.

De Crystallo autem (ad cujus naturam proxime accedunt specularia) & de chrystallinis poculis dixi *lib.* 2. *tit.* 2. *de procell.* quibus adde Johan. Bruyerinum *lib.* 3. *dipnosoph. c.* 9. & Guilh. Stuckium *lib.* 3. *antiq. conviv. c.* 12. *§ vitreis simillima sunt chrystallina.* & Simon. Majol. *lib.* 1. *Canic. dier. colloq.* 18. Estq; cumprimis notandũ quod de chrystalli generatione scribit Seneca *lib.* 3. *nat. quæst. cap.* 5. Quis non gravissimas aquas esse credat, quæ in chrystallũ coeunt? Contra autem est. Tenuissimis hoc enim evenit, quas frigus ab ipsa tenuitate facillimè gelat. Aqua enim cœlestis nimium in se terreni habens, cum induruit, longioris frigoris pertinacia spissatur magis ac magis, donec omni aëre excluso, in se tota compressa est. Quæ etsi concors est omnium ferè sententia: ab ea tamen non parum discessit Diodorus, qui chrystallum esse lapidem scribit, ex aqua concretum pura, non tamen frigore, sed divini caloris vi. Cujus item potestate rerum evarient colores saporesq;. Constipat siquidem calor; comprimit siccitas, splẽdor illuminat: Quod Lud. Cœl. Rhodig. ita retulit. *lib.* 1. *lect. antiq. c.* 10. *circa fin.* His Mantissæ loco accedat, inter chrystallinos lapides Alectorium quoq; connumerari: qui chrystallina specie fabæ in modum, gallinaceorum in ventriculis reperiatur. Esse enim gemmam tradit Plin. *l.* 47. & de eo plenius agit *codẽ lib. c.* 13. & Solin. *cap.* 3 dicitur excitare venerem, gratum facere, & constantem, ac victorem discretum, & oratorem, amicos itidem reformare, & reprimere in ore sitim, Quod ad Solin. *cap.* 3. Georg. Draudius notavit.

Chrystalli generatio Seneca.

Qua Diodoro.

Lapis Alectorius.

DE

DE MURRHINO ET ALIQUIBUS GEMMIS TIT. VII.

Murrhinum.

MVrrhinum, materia quædam candida erat, purpureis maculis rubescens, quæ sub terra inveniebatur, sub qua humorem calore densari putabant. Non tralucebat Murrhinum, sed erat nitidum & odoriferum, ex quo vasa conficiebantur potui & esculentis accommoda. Erat in precio ob colorum varietatem; gilvi scilicet, hiacynthini, candidi & aliorum. Pompeius Magnus postquam de Asia & Ponto triumphavit, pocula inde transtulit, & alveum lusorium ex duabus gemmis, quæ & aperiri & claudi poterant, latum pedes tres, longum pedes quatuor: Itemq; tesseras & orbiculos, quibus cum ludebatur, similiter gemmeos, quemadmodum Plinius refert. Nostra hac tempestate non reperitur Murrhinum, nec etiam notabiles illæ gemmæ: Sicuti nec uniones, similes illis duobus, quos Cleopatra Ægypti Regina possedit. quibus per omne ævum in universo hoc mundo pares non inveniuntur. Eos illa æstimaverat ducenties sestertium: quæ summa hodie quingenta millia aureorum nostrorum exæquaret.*

*Lib. 37. c. 2.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Murrhini consideratio.

MUrrhina vasa ex Murrha gemma nomen habent; quam humorem esse putat Plinius *lib. 37. cap. 2.* calore sub terra densatum: cui splendor sine viribus, nitorq; potius, quàm splendor. Sed in pretio fuit colorum varietas, circumagentibus se subinde maculis in purpuram, candoremque, & tertium, qui fiebat ex utroque. Vasa illa Jabolenus Murrhea appellat *in l. vasa 11. ff. de supell. legat.* ut & Propertius lib. 4.

Murrhea vasa.

Murrheaq; in Parthis pocula cocta focis.

Plinii & Propertii dissensus.

quo versu Murrhina pocula Propertio videntur esse fictilia, cum in Partorum caminis coqui ea scribat: dissentiẽte Plinio, qui ut dixi, humorem putat sub terra concrescere, densarique calore, cumque lapidem erui, & in vasa celari: ut tantam nobilissimorum scriptorum in re frequentissima dissensionem, annotatione dignam existimârit Turnebus *lib. 8. c. 1.* Hoc amplius, vasa illa Papinius simpliciter Murrhas dicit: sicuti & Martialis *lib. 14.*

Si calidũ potas, ardenti Murrha falerno
Convenit, & melior fit sapor ille mero.

Jocatur Poëta, à colore Murrhini ejusmodi poculi incalescere posse vinum, eò quod maculæ ejus purpurà & lactis colore ignescant. Unde maculosam hanc vocat *lib. 10.*

Florat Eros, quoties maculosa pocula Murrhæ inspicit.

Saporem quoq; meliorem inde pollicetur, quoniam odor in Murrhinis soleat commendari, sed dissidium illud commodissimè componi posse crediderim, si cum Scaligero dicamus, videri Myrrhæ vocem antiquitùs pro gemma usurpari solitã. Nam & prima versiculi illius pars, *Et gemma bibat & Sarrão dormiat ostro,* haud dubiè de Myrrhà intelligenda est: Et clarius hoc innuit Seneca *lib. 7. de Benefic. cap. 9.* his verbis; video Myrrhina pocula, parum scilicet luxuria magno fuerat, nisi quod vomant, capacibus gemmis inter se propinarent. Quemadmodum igitur chrystallus & vitrũ vocatur gemma Martiali & aliis; ita & Myrrhina, gemmea dicuntur

Myrrha pro gemma.

cuntur. Sanè Cassius ICtus vasa Myrrhina in gemmis esse negat *l. cum aurum 19. circ. fin. ff. de aur. & arg. leg.* & ipsum quoque Ulpianum dubitasse constat, an Murrhina vasa, propter eximium usum & pretium supellectili essent adnumeranda? cum tamen pelves argenteas, & aquimanilia (ita enim doctissimus Scaliger legit apud Festum, in dictione *Manalem lapidem*) argentea, & lectos inargentatos vel inauratos, atque gemmatos in supellectili esse non dubitet: usque adeo, ut idem juris sit, & si tota argentea vel aurea sint: Sed Murrhina quoq; supellectili admumerāda esse concludit *in l. 3. § vitrea, & §. de Murrhinis. ff. de sup. legat.* presertim si ad usum edendi, & bibendi causa essent parata; ut Javolenus respondit *l. vasa 11. ff. d. t.* Ut ut sit: Mirrhina certè vasa ex pretiosa materia solita fuisse fieri, ipsemet etiam Accursius notavit *in d. l. cum aurum 19. verbo Myrrhina. ff. de auro & arg. legat.* & Myrrhinorum frusta atque membra Paulum Jovium: omnium antiquitatum studiosissimum & peritissimum, ostendisse sibi Joh. Bruyerinus testatur eo anno, quo Clemens VII. Pontif. Max in Gall. trajecit *lib. 3. d. dipnos. c. 8. mihi fol. 155.* Nec dissimulare hic possum, *Myrrhinam* quoque dici potionem illam divinam, quæ à Græcis *Nectar* appellatur, Hadr. Turneb. *lib. 28. advers. cap. 6* Hanc mulieres vocabant *Myrrhiolam*, quidam *murratum vinum*; quidam id dici putant ex uvæ genere: murrhinæ nomine Plinius *l. 14. cap. 13.* non inter vina modo, sed etiam inter dulcia vina, odore miro pretiosisq; aromatibus condita, myrrhinum refert: & ait Scævolam & Lælium, & Atheium Capitonem (legem fortè decemviralem interpretantes) in eadem sententia fuisse. Hieron. tamen Mercurialis, Myrrhinam, factitiæ illud potionis genus, inter dulcia potiùs, quàm vina reponendum censuit, non ob miram aliquam suavitatem, sed quia hisce dulcibus frequenter utebantur, quod nequaquā ebrietatem inducant *lib. 5. cap. 1.* Verum quocunque modo res se habeat, *Myrrha*. certè *potione* usos antiquos (ait Festus) indicio est, quod etiam nunc ædiles per supplicationes diis addunt ad pulvinaria, & quod XII. Tabb. cavetur, ne mortuo indatur, ut ait Varro *antiq. lib. 1.* quem locum Jacob. Rævardus eleganter explicat *lib. sing. ad LL. 12. tabb. cap. 15.* Cum hæc relegerem, incidi in doctissimum Matth. Raderi commentarium: qui ad Martialis *Epigrama 113. lib. 14.* luculentur explicat, unde Murrhina vel Myrrhina dicantur, quæ illorum materia, & an sint ex onyche; itemque de eorum usu & precio, quem sciendi cupidus Lector adire poterit.

Myrrhina potio.

Ac quoniam Pancirollus hoc loco etiam *alvei lusorii atq; tesserarum sive orbiculorum* meminit; libuit & hoc annotare, quod ludi alearum vel tesserarum inventorem quidam ipsum Palamedem faciunt in exercitu Græcorum contra Trojanos: ne scilicet otio torperent milites. Idcoque alearum lusum rem antiquam & extra operas pugnatorias concessam vocat Justinianus *in l. C. de aleator.* Sicuti ex Paride de Puteo *intra de ludo n. 5.* & Caccialupo *n. 7.* scribit Prosp. Far *de var. ac divers. delict. q. 109. n. 8.* Alii tesserarū & aleæ lusum Lydos excogitasse autumant referente Lud. Cœl Rhod. *l. 20. antiq. lect. cap. 14* de quo ludendi genere extant inter alia antiquitus usitata ænigmata, illud valde vulgatum apud Diomedem: *Vidi carnem humanam in campo ligneo, ossibus ludentem, ubi erat mare concretū*: quod significabatur tesserarum lusor (quod genus hominum tantum ab aleatoribus differre putat Gothofredus *ad l. 1. C. de aleat.* quantum fures à latronibus) in alveolum sibi tabellam cubos jaciens: quo loco & salinum

Alvei, Alea ludus.

Eius inventor.

Ænigma de alea lusu.

alinum adstabat, ut interpretatur Cœlius Calcagn. *lib.11.Epist.10.* A tesseraria porro tabella illa, super qua tesseris sive latrunculis luditur, & quæ per Pauli JCti *Magidem* intelligitur *in l. servus 41. al. 36.ff. de condict. indeb.* Si vera est Accursii ad eum locum interpretatio, ductum est verbum Græcum ταβλίζειν, quòd à Latinis acceptum est *Tablissare*, id est ad tabulas ludere. Ex quo Palladæ illud in scholasticum aleatorem, præ *Calliope Tabliopæ* deditum & addictum, elegans sane distichō ex græco ita latine redditum ab Alciato *lib. 8. parerg. c. 16.*

Magis pro Alea.

Calliope studiis Dea præsidet, atq; poetis:
Sed tibi quā celebras, Tabliope est potior.

Ex quo facile intellectu est, cur inter alios lusus, etiam aleæ lusus censeatur esse prohibitus: non quia fortuna in eo dominatur (si enim in fortuna fundaretur dicta prohibitio nunquam & ne pro parvula quidem summa liceret alea ludere: cujusmodi tamen lusum pro re modica & convivii jura videmus permittere. *l. quod in convivio ff. de Aleator.*) sed habito respectu ad frequentiam & assiduitatem ludendi: quandoquidem aleam frequentantibus, sive aleæ deservientibus (quos voce eleganti & antiqua atque vix nota vel doctissimis ipsis *Aleones* dixeris cum Sallustio ex Hieronymi Groslotii epistola 68. *inter philologicar. epist. cent.1.* relata) usu venire soleat, ut perdentes in hoc ludo nō blasphement solummodo, sed & omnes suas opes brevi tempore consumant & ad inopiam redigantur, ut ex ipsis rescripti verbis patet *in l ult. C. de religi. & sumtib. fun.* Ideoque censendum est, aliam non esse prohibitam, quia per se mala: sed malam factam, quia prohibita. Prohibitam vero, propter genium blasphemiæ & decoctionis periculum. prout argumentatur Ang. de Clavasio *in sua summa verb. ludus n.4. in fin.* Et Sylvester *n.2.* laudat° à Martino Del-Rio *Magicar. disquis. tom. 2. lib. 4. cap. 4. q. 2. fol. 216.*

Alea lusus cur prohibitus.

Aleones.

Quos Cleopatra) Cleopatra, cum Antonio edixisset, una se cœna cēties sestertiū absumturam, idq; fieri posse nequaquam putaret Antonius: sponsionibus factis, postero die magnificā cœnam, sed quotidianam Antonio apposuit, qui cum eam irrideret, computationemque expostularet, corolarium id esse Cleopatra dixit, consumturamque se in ea, quantum promiserat, confirmavit. Inferri itaq; secundam mensam confestim jussit. Cumq; ex præcepto ejus Ministri unum duntaxat vasculum aceti ante eam posuissent, spectante Antonio, quidnam agere vellet, detractum ex auribus alterum unionem in vasculum mersit, ac mox liquefactum (solet enim aceti asperitas usque in tabē margaritas resolvere) absorbuit. Injecerat alteri manum, ut idem faceret. Sed nequaquam id passus est sponsionis ejus judex L. Planeus, victumq; Antonium pronunciavit. Is postea unio, qui superfuit, dissectus in duas partes, in utrisque Veneris auribus Romæ in Pantheo fuit positus. Ita ex Plinio *lib. 9. c. 35.* & Macrob. *lib. 3. Saturnal. cap. 17.* Perotus retulit. quibus adde luculentam cœnæ illius descriptionem Athenæi *lib. 4. dipnosophist.* relatam etiam à doctissimo Budæo *lib. 3. de Asse.* ex cujus supputatione unionum istorū hæc prodiit æstimatio. Sic enim scribit: Hic est ille M. Antonius, qui Cleopatræ ultimæ Ægypti Reginæ Phœniciam, Syriam, Cyprum, & Ciliciæ bonam partem, Judæam balsamiferam, & Nabathæorum Arabiam in stupri mercedem dedit: qui Antigonum Regem securi percussit: qui expeditionem in Parthos cum centum millibus peditum equitumq; suscepit: cui denique nobilis illa cœna portentosi luxus condicta est à Cleopatra: in qua centies sestertium, id est, ducenta quinquaginta millia

Cleopatra Antonio condicta cœna.

Uniones Cleopatræ.

aureorum, uno ferculo secundæ mensæ consumta sunt: Loquitur autem Budæus de alterutro tantum unione. Geminum igitur ad eam, cujus auctor meminit, æstimationem accedere liquet. Sed & Valer. Maximus *lib. 9. cap. 1.* memoriæ prodidit, Clodium Æsopi Tragœdi F. aceto liquatos magnæ summæ uniones potionib. aspergere solitum. In quem ideò & Horatius invehitur *lib. 2. Satyr. 3.*

Filius Æsopi detractum ex aure Metelli
Scilicet ut decies solidũ exsorberet, aceto
Diluit insignem baccam: qui sanior, ac si
Illud idem in rapidum flumen jaceretve
cloacam.

His etiam Cajum Cæsarem adjungit Joh. Bruyerinus *lib. 5. de re cibar. c. 2. fol.* 141. his verbis: Tres fuisse comperio, qui experti sunt, quid in gloria palati saperent margaritæ Æsopi Tragœdi filius, deinde meretrix Regina, Tertius Cajus Cæsar Romanus Imperator. Ad eandem hanc unionis liquationem respexisse videtur Marcellus *in l. Seja. 6. ff. de auro & arg. lega.* Seja unionem cum hiacynthis legavit: postea unionem solvit: nec ullum mortis tempore inter ornamenta sua unionem reliquit. Quæsitum est, an hæres æstimationem rei, quæ in hæreditate non est, præstare debeat? Et negat Accursius, æstimationem deberi: eò quòd à testatrice, dum viveret, legatario uniones jam præstiti solutique fuerint. Ita enim verbum hoc, Soluit, ibi interpretatur. Sed malè, cum non tam de præstatione sive solutione, quàm de dilutione vel liquefactione id sit accipiendum. ut sensus sit, unionem illum vi & asperitate aceti dilutum vel dissolutum, atque ita legatum, sui ipsius interitu, nulla hæredis culpa interveniente, exstinctum fuisse. *arg. l. non solũ. 26. §. 1. & l. Titia. 36. in fi. ff. de legat. 1.* Ita autem dissolvi uniones posse, modò ostendimus, & ex Vitruvio *lib. 8. cap. 3.* liquidò probatur. Quanquam etiam solutum unionem intelligere possumus eũ, qui de linea demtur sit & detractus: quem propterea exemtilem Ulpianus appellat *in l. argumento. 25. §. margarita. eod. tit.* ut scilicet Rei legatæ à suo principali facta separatio, ipsum legatum annihilet, & exstinguat, quæ tamen interpretatio, non minus ac prima Oswald. Hilligero displicet, mediam comprobanti in doctiss. Notis ad Donell. *lib. 8. cap. 17. lit. E.*

Intellectus L. Seja 6. de aur & arg leg. 1.

2.

3.

DE AURICHALCO. TIT. VIII.

Aurichalcum.

AVrichalcum erat metallum ex are, quod auri simile. Ex quo genere Toreumata fuerunt opinor, quæ veteres Corinthia putabant: sed falsò. Corinthiũ enim mixtum erat ex are & auro. At Toreumata ista destructa aut soluta, nihil habebant auri aut argenti; & ideo ex Orichalco fuisse credo.*

Istud metallum, Plinius auctor est, longo jam tempore non reperiri, effæta tellure, hoc est, sterili effecta terra. Sed constat, postea iureconsultum Martianum, qui tempore Alexandri Imperatoris vixit, Anno 225. mentionem illius fecisse, ac si sua quoque ætate id exstitisset.* *Lattone sive Orichalcum istud, quo nos utimur, Aurichalcum non est: sed æs, quod pulveribus quibusdam adspersum, splendorem illius accepit, ut infrà dicemus.*

* Lib. 34. c. 2.

* L. Labeo 45. ff de contrah. emt.

NOTÆ

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Orichalci notatio.

QUod Græcis ὀρείχαλκον est, id Latinè multi Aurichalcum pronunciant, facta instar hybridis cujusdam, verbi hujus ex Latina & Græca voce, compositione: quòd putarent id ex auro & ære conflari. Quod quidem fieri posse, (ut de Corinthio ære, de quo alibi à nobis dicetur, prodiderunt veteres) ne ipsemet quidem negat Scaliger ad Festum: Sed id ὀρείχαλκον esse, id verò pernegat. Proclivus igitur est, ut verbum istud ex uno & eodem genere deducamus, ex dandi casu scilicet ὀρειτοῦ ὄρος, εος, monte, χαλκῷ ære, ut si æs montosum, in quod Cadmea terra adjiciebatur: non quidem ex auro & ære mixtum; sed æs, quod auri colorem & splendorem haberet, quodve auro simile esset. Id quod longo jam tempore non reperiri, effœta tellure Plinius ait *lib.34. cap.2.* sed ex eo scilicet restabant tamen species aut massæ & fragmenta plura.

Orichalci precium.

Tanti verò hoc fuit apud veteres, ut cũ nusquam esset; tamen quasi esset, etiam auro excellentius haberetur. Unde Plautus in Milite: *Ego, istos mores Orichalco cõparem.* Et in *Pseudolo*: Dii immortales! Orichalco contrà non carum fuit meum mendacium. *Orichalco contra*, ut & *Auro contrà*, nota & familiaris Plauto phrasis. quasi dicat, plus mihi mea Sycophantia, quàm ingens auri pondus profuit: vel non venire aut venale esse potuit meum commentum numis ex Orichalco cusis, sed pluris fuit illis. Ita enim locum hunc Petrus Gualtherius interpretatur, ex Orichalco olim numos cusos fuisse concludens. Planè quod Horatius etiam Instrumenta musica ex Orichalco facta innuit, cum *lib.2. epist 3* ita scribit.

Tibia, non ut nunc, Orichalco vincta, tubaque Æmula.

Id non de Orichalco isto jam olim deperdito; sed de vulgari nostro Orichalco, quod vulgo *Letonum* vocari Scaliger notat, erit accipiendum. sit dictum, quòd à montibus incendio purgatis fluxerit coque ære atque Aurichalco (quod Poetæ propter versum orichalcum sæpius vocat, Cyprum abundare Steph Forcat. scribit *lib.3. de Imperio & philos. Gallor. fol. 450.* Nec desunt, qui Tibiam junctam Orichalco interpretantur, Orichalco tanquã aurea bractea ornatam, ut inde esset elegantior. Alii tibiam Orichalco junctam putant, quòd duo essent ligna ipso devincta, ut longior redderetur tibia. Mihi ingeniosior videtur *Ioh. Baptista Pinea* interpretatio, rem altius petentis. Verisimile esse ait, urbiũ theatra initio fuisse parva, & propterea scenam habuisse tibias tenues ac simplices: *Tenues* hoc est, solas absq; aliis musicis instrumentis: *Simplices*, quia earum foramina essent quatuor tantùm. Postea verò aucto populo, aucta quoque fuisse theatra; & primo additum lituum deinde etiam tubam. Ut sit sensus, Tibiam junctam fuisse Orichalco, id est, adsociatam lituo ex Orichalco confectos neque tantùm Musicam ex tibiis, & lituis; sed etiam ex tubis constitutam. Ergò tibiam factam turbæ æmulam: quia tuba commixta cum ipsa sonum suum non amiserit: quanquam ita acutus hic fuerit, ut tubæ strepitum imitaretur: Quod autem diximus, *Aurichalcũ ex auro & ære mixtum non esse*, id Marciani quoq; auctoritate confirmatur, negantis eã valere venditionem, qua Aurichalcum h. e. æs illud, quod scilicet auro sit simile, pro auro esset venditum *l. Labeo 45. & ibi Accurs. ff. de cõtrah. empt.* In materia enim, sive ipsa rei substantia esse erratũ *l. in venditionibus. 9 ff. d. t.* At si quid auri admixtum illud haberet, tum venditionem omnino consistere Ulpianus respondit. Idque exemplo viriolæ, quæ ex gemmis contextis auro vel

Horatius explicatus.

L. Labeo. 45. l. quid tamen 14. & L. cum Labeo 41. ff. de contr. emt. conciliata.

vel argento, aliave materia componi solet *l. ult. §. mulier ff. de auro & arg. leg.* Hæc si aurea dicatur & vendatur; etsi magna ex parte inventa fuerit ærea: placuit tamẽ valere venditionem, maximè si aliqua ex parte saltem aurea sit, qualis dicebatur; atq; ita auri quid admixtum habeat *l. quid tamen 14. ff. de contrah. emt.* quantumvis etiam aurum illud esset deterius, quàm emtor existimaret. *l. aliter 10. d. t.* cum etsi inauratum aliquid sit, licet ego aureum putem, venditio tamen subsistat *d. l. quid tamen. 14.* Nec mutat hanc sententiam, quod nullam esse emtionem Julianus ait, si quis mensam argento coopertam mihi ignoranti pro solida vendiderit imprudens *l. cum ab eo. 41. d. t.* non enim ideò mensa argentum admixtum habet, si est argento cooperta. Operimentũ mensæ, seu lamina illa, quæ mensam operit, non est pars materiæ, hoc est, mensæ quam argenteam, non autem argento coopertam, vel operimento argenteæ laminæ vestitam; sed argentum cum ipsa mensæ materia confusum præstari convenit. De horum tamẽ responsorum conciliatione sanè quàm difficili, plura videri poterunt apud Jacob. Cujacium *lib. 2. observ. c. 4.* Gabriel. Mudæum *in l. in venditionib. 9. de contrah. emt.* & Hugonem Donellum *in l. id quod aurũ. 22. de verbor. oblig. n. 5.* Inprimis verò Oswaldum Hilligerum, variis Doctorum collatis sententiis, optimè de hoc disserentẽ ad eundem Donellum *lib. 12. comment. jur. civil. cap. 7. lit. C.* Modum vero inaurandi vel adulterandi æris, ut formam auri induat, Zasius tradit ex Plinio *lib. 33. c. & 6.* Incendunt, ait, æs igni, ut ardeat: deinde exstinguunt aceto & alumine: postea inducunt bracteolas auri, & istas bracteolas æs sic præperatum recipit in se, ut strictissimè hæreant: & si æs palleat sub bracteolis, tunc illinitur liquore ovi, qui demit colorem æris.

Æris inaurandi ratio.

Zasius in d. l. si id quod 22. de verb. oblig.

DE CINNAMOMO TIT. IX.

SCribit *Galenus* lib. 1. Antidot. *Cinnamomum rarum inventu fuisse, præterquam in armariis Imperatorum. Plinius auctor est, pretium Cinnamomi quondam fuisse in libras denariũ n mille:* cui summæ, 150. aurei nostrates adæquarentur. Atq; id ipsum posteà adauctum, Arabia & India sylvis incensis. Quam verò Casiam ligneam Latini dicunt ea pe ssi no adsimilatur Cinnamomo; & ab Italis* Cannella *vocatur. Veri enim Cinnamomi nulla nobis est notitia; sicuti nec Xylocinnamomi: quod ipsum arboris tantum lignum est. at verò Cinnamomum exterior ejusdem cortex.*

Cinnamomum.

** Plin. lib. 12. cap. 19.*

Xylo cinnamomum.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

CInnamomi, quod & Cinnamum dicitur, luculenta exstat descriptio apud Plinium *lib. 12. cap. 19.* Eam veluti in Epitomen contrahens Solinus, Frutetum id, ait, situ brevi nascitur, ramo humili & represso, nunquam ultra duas ulnas altitudinis. quod gracilius provenerit, eximium magis dicitur: quod in crassitudinem extuberatur despectius est. Verum legitur per sacerdotes, hostiis primum cæsis, quas cum litaverint, observatur, ut messis nec ortum Solis anticipet, nec egrediatur occasum. Quisquis principatum tenet, Sarmentorum acervos hasta dividit, quæ sacrata est in hoc ministeriũ. Atque ita portio manipulorum Soli dicatur:

Cinnamomi descriptio.

tur: quæ si justè divisa est, radiis inflagrata incendium spontè cōcipit Hactenus Solinus *in descript. Africæ c. 39. & 42.* Cinnamomi porro etiam Rex Sapientissimus Salomon meminit *Prover. 7. v. 17.* & Marcianus JCtus *in l. Cæsar. 16. §. species ff. de publ & vect.* ubi vim fruticis ejus in cortice positam esse, ex Plinio & Dioscoride notat: & rarissimum fuisse suo tempore Galenus scribit, nec alibi conditum, quàm in scriniis Imperatoris. Ex eo unguentum fit, Cinnaminum dictum, inter cætera crassissimum: Cujus sum̃a est commendatio, quod transeuntem fœminam odor invitet, etiam aliud agentem. Sicut Philipp. Beroaldus ad Apulejum *lib. 2. Milesiac.* annotavit.

Cinnaminum unguentum.

* * *

DE FOLIO BARBARICO, ET ALIIS ODORAMENTIS. TIT. X.

*Inter species preciosas, quæ ex Indiis Alexandriam advehebantur, Marcianus Iureconsultus Folium Barbaricum recenset.** *Id erat ornamentum quoddam ex radice odoratissima, quam* Bacchar.* *dicebant itemque nardo, myrrha, balsamo, costo, & aliis compositum plantis: de quibus apud Plinium:** *ubi aliorum quoque complurium odoramentorum fit mentio, quæ quoniam hodiè non extant, brevitatis studio omitto. Istius autem memini, quod sumosum erat ac celebre, & ab ipsiusque Indiis adportatum indeque barbaricum dictum.*

Folium barbaricum.

* *L. ult. §. species ff. de public. & vectig.*

* *Plin. lib. 21. cap. 6*

* *Plin. lib. 12.*

NOTÆ SIVE COMMENTARII.

FOlij Barbarici mentionem facit Marcianus JCtus *in l. ult. §. species. ff. de publican. & vectigal.* Sunt, qui de hoc folio intelligendum quoque dicant *text. in l. plenum. 12. §. 1. ff. de usu & habit.* Ubi Nerva negat eum, cui fundi usus concessꝰ est foliis etiam (barbaricis putà & Indicis) uti posse. Alij foliorum nomine Unguentum ex foliis confectū intelligunt: quod magni erat precij, & Foliatum nuncupabatur. Martial. *lib. 11.*

Intellectus L. plenum, §. 1. de usu & habit.

Armea me libram Foliati poscat amica.

Et Juvenalis Satyr. 6. *Mœchis foliata parantur.* Spicata quippe unguenta & foliata inter Romanorum delitias latina appellatione dici, *Terapentices 8.* Galenus scribit, referente Cœl. Rhodigin. *lib. 27. lect. antiq. cap. 26.* Utraq; me hercules interpretatio nimis longè petita, & ad rem minus videtur idonea. Agitur enim ibi de Usu fundi, atque adeò de iis, quæ fundus ipse fert: cum quibus nihil plane com̃une habent exotica ista unguenta & folia, ex locis tam longinquis asportata. Propius igitur est, ut textum hunc cum Accursio de vulgaribus foliis intelligamus, quibus alēdo pecori, hyberno præsertim tempore uti solemus: ut ita horum quoque usum Usuario concessum esse Ulpianus cum Sabino & Cassio, Labeone & Proculo concludat: licet Nerva id negaverit, à cujus sententia eos secessionem fecisse, & contextus satis docet, & Franc. Hotomannus, non advertisse id Tribonianum, miratur *in pr. Inst. de usu & habitat.* Nam quod Cujacus eo in loco, ut & *lib. 9. Observ. c. 37* pro folijs, oleis legendum censet: parum tutum videtur ex eo, quod Græci expresse legunt φύλλοις, hoc est foliis 16. *Ecloga.* § 4. quo fit, ut à vulgata & recepta lectione minimè recedendum putem: cum tralatitium sit, textuum emendationem, quantum fieri posit, evitandam esse.

DE AMOMO ET COSTO, MALOBATHRO, ET casia odorata, Aromate Indico & Lasere. TIT. XI.

Amomum & Costus.

Amomum & Costus plantæ sunt nobilissimæ juxta & odoratissimæ. Unde odores olim conficiebantur maximi precii. Hodie non habentur. Sed horum vice aliis utuntur myropolæ & aromatarii, verbi caussa Pseudocosto quod falsum sive adulterinum costum est. Ex duabus istis plantis præparabatur quoque Odoramentum, cui Costamomo *nomen erat, & similiter ex Indiis Orientalibus adferebatur: cujus à Marciano quoq; fit mentio, tanquam rei preciosæ. Sed neq; hoc in præsentiarum habetur. Quod &* Malobathro *evenit &* Casiæ *odoratæ, quum aliqui Nardum esse contendunt. Plantæ istæ erant odoratissimæ, ex quibus suavissimum oleum exprimebatur. De Malobathro Marcianus similiter loco superius allegato loquitur: cui &* Aroma Indicum *adjungit, quod est spuma odoratissima ex Inde Cannis promanans. Invenitur &* Laser, *succus suavissimus, ex planta, cui* Laserpitio *nomen de quo Plinius disserit.**

Costamomum. *Malobathrum.* *Casia.* *Aroma Indicum.* *Laser.* *Lib. 19. c. 3.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

AMomi, Costi, Costamomi, Malobathri, Casiæ, Aromatis Indici, & Laseris similiter fit mentio à Marciano JCto *in l. ultim. §. species ff. de publican. & vectig.* quorum naturam, vim & potestatem ex Dioscoride, Plinio, & aliis operæ precium erit cognoscere. Interim de odoramentis hæc adnotare libuit, veteres elegantioris cultus, & delicatioris studiosos caput perfudisse unguentis odoratis. Rectè odoratis, coctis enim odoribus unguenta fieri Pomponius docet *in l. quicquid 27. de acquiren. rer. dom.* Hinc

Odores cocti.

—mixtos in corpore odores
concoctosq;-

vocat Lucretius. & quidem vasis plumbeis in umbra coquebantur, ut docet Plinius *lib. 13. cap. 2.* Indeque officinæ odores coquentium apud Senecam epist. 90. Quò pertinet illud Horatii *lib. 1. od. 5.*

Inde unguenta.

Quis multa gracilis te puer in rosa
Perfusus liquidis urget odoribus?

Sunt enim qui odores ibi interpretantur de unguentis Venerem excitantibus, & tetrum membrorum halitum depellentibus: quibus non modo corpora scortantium, sed lecti etiam perungebantur, ut apud Catul.

—cubile clamat
Sertis ac Syrio fragrans odore.

Hinc illæ phrases poetis passim usitatæ: unguentis liquidis perfundi, ablui, inungi caput & corpus, delibutum esse. Unde & Catullus de Quintilii Vari scorto:

Tam liquida.

Cur quisquam caput unctius referret?

Et in specie de unguento ex Malobathro, sive folio Indico expresse Hora. *lib. 2. od. 7.*

—Coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos

Quanquam & sicca dicuntur unguenta Plinio, ex odoribus siccantibus: quæ diapasmata vocantur, & valent ad emendationem fœtentis animæ, gravisq; halitus de corpore universè expirantis: ideoque solent præcipuè illini feminibus, alis & inguinibus graveolentium, ut est apud Gualtherium in comment. *ad Horat. lib. 1. od. 5.* Qua contemplatione dictum videri potest, unguentis legatis non tantum ea legata contineri, quibus ungimur, voluptatis

Quam sicca.

ptatis

pratis caussa, sed & valetudinis *l. in argento 21. §. 1. ff. de auro & arg leg.* Sed hæc quæ valetudinis caussa fiunt, mundo muliebri contineri Paulus negat *l. argum. 25. in fin. ff. d. tit.* Mos autem utendi unguentis è Græcia Romam deductus est: cujus tantus dicitur brevi luxus fuisse, ut τὸ κήρωμα h.e unguentum ex cera oleo subacta, quo luctaturi illinebantur, venderetur octingentis sestertiis. Sed ut olere est hominis delicatuli ac molliusculi (unde unguentum & odores mollitiem & nequitiam olere passim legimus) sic hircū olere spurci & immundi: Qualem fuisse opinamur *Mævium* quem Horat. olentem vocat *in Epod. 10.* cujus, ut idem alibi loquitur

—gravis hirsutis cubat hircus in alis:

Cum sit hircus teter alarum odor, de quo Catullus:

Est qua te lædit mala fabula, qua tibi fertur
Valle sub alarum trux habitare caper.

Quem Sidon. specum hircosum, Virg. *lib. 7.* specum horrendum vocat:

Hic specus horrendum & sævi spiracula ditis
Pestiferas aperit fauces.

Pestem etiam Catullus dixit

—Nasorum interfice pestem.

De unguentorum porro auctore, genere, caussa, bonitate, modo, legat, qui vult Athenæum *lib. 3. c. 14. & seq.* Præter sicca autem illa, de quibus modo diximus, unguenta quædam *valde liquida* fuisse, dubium non est, cum cibis, aquæ vinoque miscerentur, & non solum caput iis inungeretur, sed guttur etiam proluerctur. imò etiam biberent ea luxuriosi. Videatur Guilh. Stuckius *lib. 3. conviv quæst: cap. 13. & lib. 13. c. 3.* Crediderim tamen plerisque unguentis aliquid olei immixtum; quod eo unguenta servarentur, ut docet Plinius *lib. 3. cap. 2.* & Virg.

Nec Casia liquidi corrumpitur usus olivi.

Matthæus Raderus in comment. ad Martial. *lib. 3 Epig. 11.* Quibus accedat, quod *Malobathratos* Sidonius Apollin. Malobathro pingues & unctos vocat *lib. 8. epist. 4.* & Malobathrinum oleum Cælius Aurelius *lib. 3 acut. mor cap 5.* Hinc *Malobathrarii* h. e. unguentarij, qui Malobathrum, quod est Ἰνδικὸν φύλλον h.e folium Indicum, sive oleum inde expressum vendunt, interprete Taubman. *In Plauti Aulul. act. 3 sc. 5.* His adjungatur & *Nucarium* unguentum, quo ex nuce confecto, formæ studiosæ mulieres olim utebantur, ad prohibendam alopeciam, de quo Plin. *lib. 23. cap. 4.* Cupressinum oleum eosdem effectus habet, quos Myrteum. E nuce vero juglande, quod Carymum appellamus, alopeciis utile est. Alopecia autem (ut hoc obiter moneam) quæ & ἀλωπεκίασις dicitur, morbus est pilos decutiens, ex proprietate urinæ animalis istius, vulpis nimirum sic dictus. Ubi enim lotium id fuerit effusum, è vestigio infructuosus efficitur locus, arescentibus herbis, nec succrescentibus novis, ut Lud. Cœl. Rhodig. explicat *lib. 19. lect. antiq. c. 8.* Tingebant quoque comam viridi cortice nucis Tibull. *lib. 1.*

Tum studium formæ est, coma tum mutatur ut annos
Dissimulet viridi cortice tecta nucis.

Hoc autē faciebant, ut nigra fieret, quod sequens subindicat versus:

Tollere tunc cura est albos a stirpe capillos.

Nigram enim comam mulieres istas affectasse, notum est ex multis poetarum locis, quibus onerare lectorem, non opus esse censet Johan Meursius in Mantissa ad librum *de luxu Roman. cap 21*

Eorum luxus.

Olere hircum.

Rursum de liquidis.

Malobathrati.

Malobathrarii.

Alopecia.

DE MYRRHA, STACTE, BDELLIO, Et Balsamo. Tit. XII.

Myrrha. Stacte. Bdellium.

Myrrha, gutta sive lachruma est, ex arbore Arabiæ felicis destillans; felicis inquam denominatæ, quod omne ferè odoriferum producat. Stacte, *est Myrrhæ gutta, quæ ab illa extracta, preciosiorem exhibet liquorem.* Bdelliũ *similiter arboris cujusdã, apud Bactrianos natæ, lachruma est.* Balsamum *celebre magis, quàm notum, plantæ cujusdã, instar vitis, in Iudæa in valle Iericho succrescentis succus est. Ejus generis plantæ iam non habentur, nisi adulteratæ. Turcæ dicitur aliquas in Ægypto obtinere, ex quibus annuatim pauca saltem gutta excipiantur. Alioquin sub nulla mundi plaga reperiuntur. Etenim cũ Turcæ cujusvis politiæ & elegantiæ hostes, omnes Hierichuntis vineas vastârint: dictu non absurdum est, etiam plantas istas amplius non exsistere; & ideò Balsamum in Europam non deferri, aut certè adeò rarum & pauxillum, ut pro nullo haberi meritò possit.*

Balsamum.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Myrrha Metamorphosis.

DE Myrrhæ cum patre Cinyra nefando congressu, & conversione in arborem sui nominis, multa fabulatus est Ovidius *lib. 10. Metamorph.* Fingitur autem Myrrha exoptasse, ut in arborem, hoc est, eam converteretur formam, quæ neq; inter mortuos esset, neque inter vivos: ob incestuosum scilicet & nefarium illum coitum, hominum conspectum devitare cupiens. Quo ipso & flagitiorum ac libidinum individua comes pœna designatur, quantopere vel metu vel pudore anteactorum scelerum & vel sola conscientia scelerati exstimulentur. Usque adeò cognatum, imò innatum omni sceleri sceleris supplicium! nec crimen quisquam in pectore gestat, qui non idem Nemesin in tergo; ut gravis est & aurea Justi Lipsij sententia in opere vere aureo. De Constantia *lib. 2. c. 13. & 14.* Cui planè congruit, quod tanquam ex Pythio tripode pronunciavit Horatius, Od. 2 lib. 3. carm:

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

est enim pœna injustitiæ comes, ut Plato dicebat *lib. 5. de LL.* quod si suspensa vel dilata ea quandoq; fuerit, meminerimus bracteati illius apud Valerium Max. *lib. 1. cap. 2.* Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira: tarditatemque pœnæ supplicii gravitate compensat; suadente idipsum Nemesi: cujus quidem simulachrũ Romæ in Capitolio quondam fuisse scribit Plinius, at nomen ejus latinum esse negat *lib. 28. cap. 2.* Ut & Ausonius *Idyll. 3.*

Nemesis.

—Latia Nemesis non cognita lingua.

Eam Ammianus Marcellinus, scriptor lectu omnium jucundissimus & fide historicâ nulli secundus, uti à Georg. Remo deprædicatur *in Notis ad Themist. orat. 4. fol. 183.* veluti ultricem facinorum impiorum, præmiatricẽmque bonorum appellat *lib. 14.* atq; his verbis ferè depingit, ac verè ob oculos ponit: Adrastia, *inquiens*, facinorum impiorum, bonorumq; præmiatrix, jus est quoddam sublime Numinis efficacis: quam veteres Theologi fingentes *justitiæ filiam*, ex abdita quadã æternitate tradunt omnia despectare, nunc erectas mentium cervices opprimit & enervat, nunc bonos ab imo suscitans, ad benè vivendum extollit.

Quæ & Adrastia.

Sed

Vota nostra quàm dubia?

Sed & monemur ea fabula, quænam sint mortalium vota, cum quid parùm honestum à Diis impetrare contendimus. Nam qui votorum compotes facti sunt aliquando, tum demum intelligunt, quàm absurda vel turpia cupierint: quæ antequam consequerentur, infelices se & miseros exclamabant, ut est apud Natalem Comitem *in Mythol. gic.* Constat autem Myrrham in Arabia laudatissimam progigni. Hæc antequam incidatur, sponte sudat guttam, à *στάζω*, quod est stillo, *Stacten* nominatam, qua dictione gutta sive lachruma liquoris significatur, quo capilli deliciarum caussa ungebantur. Ovidius in Sappho:

Stacte,

Non Arabum noster rore capillus olet.

Intelligit enim Myrrham Arabicam, cujus stacte, id est, gutta Myrrhæ ad crines ungendos erat potissima: ut ocellus eruditorum *Gregorius Bersmanus* rectè interpretatur. quanquam non ad Myrrham solùm pertinet *Stacte*; verum ad liquores alios item, lachrymasq; ex arboribus stillatim promanantes, ut Lud. Cœl. Rhodig. observavit *lib. 24. lect. antiq. cap. 27.*

Balsamum.

De Bdellio videatur Plinius *lib. 12. cap. 19.* ut & de Balsamo *c. 25.* quod est arbuscula quædam uni terrarum Judææ quondam concessa, & in duobus tantum hortis, utroque regio. Viti similior est, quàm myrto, Seritur malleolis, ut vitis; & colles implet, vinearum modo, sustinens sese sine adminiculis: intra tertium annum fructifera. Proceritas intra bina cubita subsistit. Inter unguenta, bonitatis palmam dant Balsamo, quod omnibus odoribus præfertur. Succum Balsami *Opobalsamũ* vocant Juvenalis:

Vnguentorũ primum, Opobalsamum.

—hirsuto spirant Opobalsama collo.

Xylobalsamum.

Xylobalsamum, lignum dicunt, surculumque balsami: quod & ipsum pro succo substituerũt officinæ. Præcipua gratia est lachrumæ, secunda semini, tertia cortici, minima ligno. Summa balsami probatio est, ut lac coagulet, & in veste maculas nõ faciat. succum porrò illum quem opobalsamum vocari diximus, Theophrast. & Dioscorid. hunc in modum hauriri ajunt. Arborem ipsam ferreis unguibus scalpi seu incidi solitam, quod & Claudian. *in epithal. Palladij* innuit:

Opobalsami hauriendi modus.

Gemmatis alij per totum Balsama tectum
Effudere cadis, duro quæ saucius ungue
Niliacus pinguis desudat vulnere cortex.

Plinius, Solinus, Tacitus vitro, lapide, ossicisve cultellis, testâ vel fragmine lapidis, venas aperiri volunt. Pavere enim hanc arborem, imò emori protinus, si vim ferri adhibeas. Quod aliqui existimant tum fieri, cum detracto jam cortice ipsa nuda arbor ferro violatur, & in hanc sẽtẽtiam accipienda esse verba Plinij, Solini. Taciti: Theophrastum & Dioscoridẽ de cortice abradendo intelligendos. Atque hoc modo dissidentiam opinionem conciliandam putat Matth. Rader. in notis *ad Martial. Epigr. 59. lib. 14.* Balsamum deniq; Judeæ solùm etiam Strabo attribuit *lib. 16. Geograph.* neq; aliud ingerit dictio *Balsamũ*, Arabibus *Balsamin.* h. e. dominus aut Princeps olei. Quippe ut legimus *Exod. 30. vers 23.* Aromatum præstantissimũ. Quod dominus Becmanus monuit. Sed & Justinus Trogi Epitomator *lib. 36. de opobalsamo* ita scribit: opes (genti Judæorũ) ex vectigalibus opobalsami crevere, quod in his tantum regionibus gignitur. Est namque vallis, quæ continuis montibus velut muro quodam ad instar castrorum clauditur. Spatium loci ducenta jugera, nomine *Areus* dicitur. In ea sylva est, & ubertate & amœnitate insignis: siquidem palmeto & opobalsamo distinguitur. Arbores opobalsami, formã similem piceis arboribus habent, nisi quod sunt humiles magis, & in vinearum morem excoluntur. Hæc certo anni tempore balsa-

Balsamum soli Iudeæ tributum.

balsamum sudant. Sed non minor loci ejus opacitatis quàm ubertatis admiratio est; quippe cum toto orbe regionis ejus ardentissimus sol sit, ibi tepidi aëris naturalis quædam ac perpetua inest opacitas.

DE AZZALO INDICO TIT. XIII.

Azzalum ferrum.

ERat ferri quodam genus Azzalum quod Indicum appellabant: sed revera in Serum regione nascebatur, quam nunc quidem China m *dicimus. Id autem omnium censebatur nobilissimum. de quo Plinius* lib 34. cap. 14. *& Marcianus loco suprà citato. atque adeo bona temperatura erat casura & acies ejus, ut quodlibet ferrum incideret. Id genus ferri nos non habemus. Caterùm excellentissimum id reputabatur.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

AZzalum Indicum esse puto, quod Marcianus ferrum Indicum *in l. ult. §. species. ff. de publican. & vectigal* Plinius ferrum sericum appellat, cui ex omnibus ferri generibus palmam deberi contendit *lib. 34. c. 14.* Est autem ferri usus, diversis mortalium rebus gravioribus donandis, maximè necessarius. Hoc enim cæteræ artes omnes suum munus ex convenienti ad incidendi firmitatem, & ad tundendi soliditatem, temperatione exsequuntur. Hoc tellurē scindimus, serimus arbusta, ponimus pomaria, vites squalore deciso añis omnibus cogimus juvenescere. Hoc extruimus tecta, cædimus saxa, omnesque ad alios usus utimur, quam ob rem ferri materies *venerabilis* dicta videri potest *in l. 1. C. de Fabric. lib. 11.* Quanquam Lucas de Penna ibid. pro venerabilis, *bene habilis* legendum putet; Gothofredus *vena nobilis:* eo sensu, ut Fabricensibus ea præbenda sit ferri materies, quam vena nobilis produxit. Qua nobilitate præ multis insignitam dixeris *Ambergam nostrā*, Electoralis Bavariæ metropolim, ab ipso etiam *Friderico Barbarossa*, ante annos quadringentos, & quod excurrit, privilegiis liberaliter ornatam, & à *Ludovico Bavaro* Imperatore amplificatā, atque Xenodochio insuper etiamnum percelebri adauctam, quæ mihi veluti altera obtigit, & merito colenda est patria, totos quippe triginta quatuor annos inhabitata. Cujus temporis trientem unum Serenissimo Electori Palatino *Friderico IV.* impendi, Secretarii & Feudorum præpositi munere functus: reliquos annos viginti quatuor Amplissimo civitatis Senatui inservii, Advocati & Syndici personā atque officium conditione satis honesta, sustinendo. Quid post futurum, desino quærere: quando, ut cum Horatio dicam *lib. 2. carm. od. 16.*

Ferri usus.

Amberga.

> *Latus in præsens animus, quod ultra est*
> *Oderit curare; & armara lento*
> *Temperet risu*——

Nec enim decet mortales arcanum Dei acrius scrutari judicium, & de futuro rerum, si unquam antea, jam certè turbulentissimarum eventu plus justo esse sollicitos: sed præsentia potius æquo animo ferre; cætera in divinam reiicientes Providentiam & moderationem paternam, à qua toti pendemus. Nam ut divine, ultra hominum certè captum idem prodidit Horatius *lib. 3. od. 29.*

> *Prudens, futuri temporis exitum*
> *Caliginosa nocte premit Deus;*
> *Ridetque, si mortalis ultra*
> *Fas trepidat*——

Hæc

Ab ærifodinis celebris. Hæc igitur ita sunto: Cæterum ob Ærifodinas illas, quarum Principatum *Ambergæ nostræ* passim tribui notius est, quàm ut dici debeat; non possum non adscribere, viri doctissimi *Michaelis Sonleutneri*, Scholæ Martinianæ Rectoris quondam solertissimi versus sanè quam elegantes, & eruditos: quibus ille Ambergam ita inter alia introducit loquentem.

Præterea jacet in cāpis Thesaurus apertis
Moles illa mihi fulvo congesta metallo,
Quam latus ad dextrum exoriens Sol adspicit, imis
Eruta visceribus terræ cæcisq; latebris.
Hæ mihi divitiæ: tantarū hinc gloria rerū
Parta mihi. Centum namque ære hinc inde caminos
Instruo ubi in liquidam massam rapido igne subactam
Fit ferrum, multos belliq; & pacis ad usus.
Quas terra miratur opes vicinia latè,
Assurgitq; mihi. Nec vis aut gloria major
Usus est ferri, quàm quod meus excoquit ignis.

Abusus. Sed redeo ad ferrum, ejusque usum & abusum quoque, ferro enim ad bella, cædes, latrocinia, non cominus solum, sed etiam missili volucrique, nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc verò pennato abutimur, quam sceleratissimam humani ingenii fraudem Plinius lib. 7. cap 56. arbitratur: siquidem ut ocius Mors perveniret ad hominem, alitem illam fecimus, pennasque ferro dedimus: ut optimum sit ferrum, idemque pessimum vitæ mortalium. *Christoph. Milæus in histor. Universitat. rerum lib. 2. mihi fol. 125.* quanquam culpa ista non tam ferri ipsius naturæ, quam pravo hominum ingenio accepta erit ferenda. Rectè enim Tibullus: (*enses?*

Mors pennata.

Quis fuit, horrendos primus qui protulit
Quam ferus, & verè ferreus ille fuit?
Tunc cædes hominū generi, tūc prælia nata,
Tum brevior diræ mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit. Nos ad mala nostra
Vertimus, in sævas quod dedit ille ferat.

Arma quæ olim. Ante usum ferri, pugnis, calcibus, morsibus, corporumq; luctatione certabatur: ut ex illo Lucretij *lib. 3.* colligitur,

Arma antiqua, manus, ungues, dentesq; fuerunt.

nondum fabrefactis scilicet armis, quæ Vulcanus nondum monstraverat, ut Plinius loquitur *lib. 16. cap. 15* Sed & æs pro ferro usurpatum fuisse memorant, temporibus præsertim Heroicis, quibus ferrum insolens fuisse testatur Hesiodus. Atque eo modo accipiendum illud Virgilii *2. Æn. --telis & luce coruscus ahena.* h. e. fulgore armorum æneorum, ex interpretatione Taubmanni. Ferrum autem Ammianus Marcellinus inquit, per *Chalybes* primitus erutum. At *Dactylos* Idæos id primitus excudere adortos scribit Diodorus *in Bibliothec. lib. 17* à deorum matre artem illam edoctas. Ejus verò fundendi rationem primum excogitasse, ac inde statuas conflasse *Theodorum Samium*, memoriæ proditum est, teste Ludov. Cælio Rhodigino *lib. 18. lect. antiq. c. 5.* Sacra tamen historia *Tubalcainum* facit authorem ferrariæ & opificii fabrilis *Genes.* 4. quod quidem certe fuit inventum dignū prole fratricidæ Caini, ait Gualtherius in Notis *ad Horat. Satyr. 3.* Neq; vero semper solvitur ferrum, ut æs, quod & solvi & fluere dicitur; sed mollescit, quo sensu Virgilius dixit *Æneid. 8. vers. 446.* (*scit. Vulnificusq; chalybs vasta fornace lique-*

Æs pro ferro.

Ferri inventores.

Estque notandum, eos qui emollire ferrum cupiunt oleo id tingere; at, qui obdurefacere, in aquam immersare, quod ab eodem Cælio relatum est *lib. 6. c. 6.* Porrò ferrum apud classicos Latinæ linguæ auctores pro gladio usurpatur. Virg. *in 6.*

Ferrum pro gladio.

Tuq; invade viam, vaginaq; eripe ferrū.

Et Propertius.

Tu mihi vel ferro pectus, vel tũ de veneno. quo sensu & Paulus ait: Carceri præpositum officio judicis puniendum, qui precio corruptus ferrum venenumve inferri passus sit *l. carceri 8. ff. de custod. reor.* & Abigeorum admissum ideo graviter puniri solere Macer respondit, quoniam plerunq; ferro utantur abigei *l. 1. ff. de abigeis* quos Ulpianus bestiis objiciendos pronunciârat, si cum gladio abegissent. *l. 1. §. quanquã. d. t.* Unde & qui ad gladiatoriũ ludum condemnati sunt, ad ferrum damnati Cajo dicuntur. *l. ejus qui 8. §. fin. ff. qui test. fac. poss.* Suetonio ad ferrum exhibiti; (Sic enim in Nerone scribit. Exhibuit ad ferrum etiam 400. Senatores, sexcentosq; Equites Romanos) Ulpiano ad gladiũ damnati. *l. si quis filio 6. §. sed & si quis. 6. ff. de iniust. rupt. & irrit. fac. test. l. si quis mihi. 25. §. si quis planè de acq. her.* quod scil. supplicii capitis feriendi sint gladio ultore prostrati, ut Imp. loquitur *in l. nemo. 5. C. de malefic. & mathem. & in l. si quis. 20. C. de his qui accus. nõ poss.* adversus quos ut & alios insurgere jubet leges & armari jura gladio ultore. *l. cum vir. 31. C. ad L. Jul. de adulter.* Atque hoc modo allegatã *l. 8. ff. qui testam. fac. poss.* etiam Alciatus accipit *lib 1. parer. cap. 23.* Ubi simul & *l. ult. C. de plagiar.* cujus principium à fine differre putat, ita invicem conciliat, ut principium illius, quod plagiariis pœnã minatur, de iis videatur accipiendum, qui civitatis Romanæ jus habent: finis verò, ingenuum quidem hominem pro plagii crimine gladio consumens; servum verò vel libertum bestiis subjiciens, de quibusvis aliis, qui civitatis Rom. jus non habent, sit intelligendus. Quæ interpretatio cũ Accursii sententia, quã & Baldus amplectitur, satis convenit: qua *principium* de Nobilibus; *finem* de Ignobilibus exaudiendum putavit: ita tamen, ut tum demùm Nobiles ob plagium

Varii intellectus L. ult. C. de plagiar.

1. Intellectus.

in metallum damnentur, si prius fuerint verberati. Id enim hæc Legis istius verba innuere: *cũ cæteris ante cognitis suppliciis.* Sed ab hac interpretatione tanquã divinatoria & non satis munita ipsemet deflectit Accursius, atq; alium comminiscitur, inter raritatem & frequentiam criminis hujus distinguens: ut si quis in plagii crimine committitendo frequens non fuerit, in metallũ damnandis; sin frequenter id cõmittere consueverit, tum vel bestiis objiciendus, vel gladio sit consumendus.

2. Intellectus.

Quæ sententia, quam & Baldus & Salicetus probant, etsi hisce textus verbis non parùm juvari videtur (*postquam super crimine claruerit* hoc est, celebris & famosus plagiarius fuerit) & Juris alioquin constitutissimi sit, frequentiã & reiterrationẽ delictum aggravare. *l. nemo 3. & ibi gl. C. de Episc. audient. l. 4. C. d. serv. fugit. Chassã. in consuet. Burgũd. rub. 1. §. 5. verb. simple Larrec. nu. 16. Iacob Menochius de arbit. judic. quæst. lib 2. casu 295 n. 18. 19.* Eam tamen Legis menti minus congruere putat Steph. Forcatulus *in Necyomãtia dial. 27. nu. 3.* Ideoque principium textus illius ita interpretatur, ut plagiarius non tantum pœna metalli damnandus sit, sed etiam cæteris ante cognitis suppliciis. In fine autem declarari ait, quænam illa sint ante cognita supplicia: In homine libero scilicet gladiũ; in servo vel liberto, objectionem ad bestias. Esse itaque penes judicem, utrum gladio, an bestiis objiciendo plagiarium puniendum, re perspectâ & expensa arbitretur. Arguta sanè & non inepta videri posset hæc interpretatio, si contextus cohęrẽntiâ juvaretur. Sed quia per Adversativam orationem posterior Legis pars à priore planè separatur & secernitur: vix est, ut quæ primũ in genere posita fuerunt supplicia, ea posteà in ultima parte speciatim expressa credam. Proinde omnem hãc difficultatem unius literæ

3. Intellectus.

4. Intellectus.

literæ adjectione tolli posse autumo: Si pro *teneantur* legerimus *tenebantur*: hoc sensu, ut priori Legis parte vetus in plagiarios pœna constituta referatur: deinde verò hac immutatâ, in posteriori parte aliud supplicii genus in eosdẽ sanciatur. Ita verò, ut dixi, legendum esse, cũ ex veteribus Manuscriptis, tum ex C. Theodosiano *Lib. 9. l. 1.* unde hæc Constantini constitutio desumpta est, liquido probatur. Nec possum hoc loco non meminisse ensis sive gladii illius Martii, quo tantopere delectatum & confisum fuisse legimus *Attilam* Hunnorum omnium Dominum, & penè totius Scythiæ Gentium (cum Jornande loquor) solum in Mundo Regnatorem, qui erat famosa inter omnes gentes claritate mirabilis, Vir in concussionem gentis natus in mundo, terrarum omnium metus: qui nescio qua sorte terrebat cuncta, formidabili de se opinione vulgata. Neque verò illi, ut *Priscus* historicus *in Ecloga legationum pag. 50.* scribit, parva potentiæ accessio contigerat ex eo, quod *Martis ensis* erat detectus. Hic namque sacer, à Deo bellorum præside dedicatus; à Scytharum Regibus olim colebatur, & multis seculis non visus, bovis ministerio fuerat tunc temporis erutus. Quâm rem laudatus modo Jornandes *de rebus Geticis* ex eodem Prisco (apud quẽ tamen locum istum à Jornande ita adductum, nunc quidem non extare Fridericus Lindebrogius notat) sic explicat: Quum pastor, inquiens, quidam gregis unam buculam conspiceret claudicantem, nec causam tanti vulneris inveniret; sollicitus vestigia cruoris insequitur, tandemque venit ad gladium, quem depascens herbas bucula incaute calcaverat, effosumq; ad Attilam protinus defert. Quo illi munere gratulatus, ut erat magnanimus, arbitratur, se totius mundi Principem constitutum, & per Martis gladium potestatem sibi concessam esse bellorum. Nec enim ignorabat, aut augurabatur certè gladiis quibusdam fatales & occultas inesse vincendi rationes. Quod ipsum hoc Martis gladio probat Stephanus Forcatulus *lib. 7. de Imper. & philosoph. Gallorum fol. 1062.* Et de eodem hoc Martis sive Martio gladio, ut & aliis non minus celebrib. varia congessit Philippus Camerarius *Oper. succisivarum c. 29. centur. 2.* à quo etiam illud Senecæ laudatur: qui gladium bonum esse dicit, nõ cui deauratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secandum subtilis acies & mucro munimẽtum omne rupturus. *Epist. 76. ad Lucilium*

Attila Hunnorum Rex. *Martis gladius.* *Quomodo inventus.* *Attilæ oblatus.* *Gladii bonitas.*

DE AMMONIACO TIT. XIV.

Ammoniaci desideratio. *Ammoniacus sal.*

***A**Mmoniacum salem, qui sub terra Cyrenaica effodiebatur, Matthiolus censet hodie non haberi. Nam qui à Seplasiariis nobis ostenditur, fictitium esse.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

SAl Ammoniacus, qui & Hammoniacus scribitur, Plinio *lib. 31. c. 7.* & Dioscoridi *lib. 5.* terræ salsugo est, in Lybiæ arenis crescẽte Luna effervescens, alumini scissili, quod *Schiston* vocant, non dissimilis, venisq; in longitudinẽ rectis, neq; perlucidis. Ipse ingratus sapore, sed medicinæ utilis. Invenitur potissimum in Cyrenaico tractu juxta Jovis Ammonis templum: unde & nomen habet. quanquam etiã ab arenis, in quibus reperitur, ita potuit indigitari. Arenas enim Græci *ἄμμους* appellant. Sunt qui Ammoniacum Salem, Metopii arboris lachrumam, quæ & ipsa Ammoniaca dicitur, interpretentur, homonymia verbi decepti: cum tamen res sint

sint diversissimæ ut ex Plinio *lib. 12. c. 23.* & Dioscoride *lib. 3.* manifesto colligitur. Etsi autem Ægyptii olim Salem ne ita aversabantur, ut ne pane quidem salito vescerentur: quippe cum vivendi puritatem inprimis adamarent, omnia nequitiæ irritamenta submovenda censebant: Sal autem libidinem propter calorem excitare, seminalemq; vim expergefacere & acuere. Inde salacitatem petulantiæ nomen: inde Venerem mari vel Salo natam fingi, illique salacitatis ergo fanum ad portum maris aruspices poni jussisse. Inde marinos Deos omnes lasciviores fœcundioresque habitos à Poëtis. Inde & illa Cœli virilia Saturni falce recisa, & in mare prolapsa, Venerem procreasse. Etsi (inquam) hæc ita se habeant: Negari tamen non potest, maximam ubique ferè semper Salis auctoritatem fuisse; in sacrificiis præsertim. Quæ Heraclitus Philosophus inter veteres non incelebris, medicamente solebat nuncupare: quoniam præpotentis pharmaci vice à morbis animum expurgent, in hac generatione concretis, ut Ludo. Cælius Rhodig. retulit *lib. 12. lect. antiq. cap. 2.* & quæ æternus ille Legislator non nisi cum Sale peragi voluit. Quicquid obtuleris (*ait Levit. 2.*) sacrificii, sale condies: nec auferes Sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo ; In omni oblatione offeres Sal. quem locum Joh. Pierius *lib. 31 Hieroglyphicon* eruditè explicat, & ex illo universo mandato Immanuel Tremellius & Franc. Iunius censent, admonere nos Sospitatorem & salutis nostræ auctorem Christum, *Marc. 9. v. 49.* ut ad æternam & incorruptam fœderis observationem sanctitatemque comparemur; oblationum exemplo, quæ sine sale ingratę erant, quasi dicat Legislator: in te ipso semper habeto fœdus meum, quo veluti sale conditus sis. Oblationes hominum alienorum à fœdere abominationi sunt mihi; quibus junge quæ ad illum Marci locum notavit doctissimus *Beza.* Sed & apud Ethnicos quoque nulla sacra, sine mola salsa conficiebantur. Sic enim nominabant far tostum, sale conspersum: quòd eo molito hostiæ adspergerentur. Virgil. in pharmaceut.

Ægyptii cur Sal aversati.

Salis auctoritas in sacrificiis.

Mola salsa.

Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros.

Et Horatius *Satyr. 3. lib. 2.*

(natam
Tu, cum pro vitula statuis dulcem Aulide
Ante aras spargisque molà caput, improbe salsa.

Quam enim Virgilius Molam sale conspersam; eam Horatius salsam dicit, qua Dii supplicātibus placatiores sperabātur.

Hinc Plautus in Amphitruone: *Prodigiali Iovi aut molā salsā hodie, aut thure masculo comprecatum oportuit.* Molæ adspergendæ rationē ex ritu olim adhibito lubet cognoscere. Mola etenim ista ex farre tosto, sale & thure sic præparata, imponebatur capiti victimæ; quæ tū mactata credebatur & immolata. deinde vinum vel mustum eidem affundebatur, prius ab auspice degustatum, & à circumstantibus leviter delibatum. qui ritus dicebatur Libatio. Posteà extispicium fiebat: epulæ celebrabantur: chori agitabantur, & pedibus complodebatur, ut Petrus Gualterius *ad Horat. Satyr. 3. lib. 2.* adnotavit, à quo nō longè abit Taubmannus in Notis *ad Virg. Eclog. 8 fol. 86.* De victimis autem sive sacrificiis illis probè expendendū est, quod Porph. Philos. singularis *l. 2. de sacrificiis & diis atq. dæmonibus*, Sapienti esse notissimum scribit, malos quidē Dæmonas animalium oblectari victimis inq; iis futura portendere: Deum autem id genus sacrificio haud quaquam egere: qui sanè adorantium perpendit mores, id præcipuum maximeque omnium sibi gratum sacrificium existimans, rectum inconcussumque de ipso judicium & rebus aliis.

Ritus circa molam adspergendam.

Apud

Sacrificium quod Deo gratum.

Apud cœlestem divinamq; naturam eximia oblatio est *Mens pura* & à perturbationibus sejunctus disparatusque animus: ne, quod Aristoteles inquit, illis convulsis lancinatisque carmen proferamus Empedoclis, inscitia adobruti, & nil ad modum percipientes Scenicorum more. Hinc Plato: addecere *bonum virum*, ait, rem divinam obire, atque interesse sacris: in quibus rursum Malos inaniter laborare testatur, idem Lud. Cælius Rhodig. *lib. 13. lect. antiq. c. 23.* quod utinam etiam atque etiam cogitent, qui in opere illo operato, spem atque fiduciam habent repositam! Fuit alioquin Sal & amicitiæ symbolum, durationis gratia. Corpora enim solidiora facit, & diutissimè conservat. Unde hospitibus ante alios cibos apponi solitum, quo amicitiæ firmitas ac perseverantia significaretur. quare plerique ominosum habent, si Sal in mensam profundi contigerit: contrà verò faustum, si vinum, atque id merum effusum sit: Vel quia velut ex aquis Sal multis & fusibilis in unum quoddam & solidum coit; ita ex diverso convenientes in unum animi coalescant, fiatq; Platonicum illud μία ψυχή: quemadmodum Pierius loco modo citato interpretatur. Constat etiam Salis olim in mensa quandam fuisse religionem: ut in profanis habitum fuerit, mensam carere salino. contrà appositus Sal mensam consecrare videretur, quemadmodum ex illo Macrobij deprehenditur: *Sacras facite mensas salinorum apposit u, & simulachris Deorum.* Sed & Valer. *lib. 1.* scribit, C. Fabritio & Q. Æmilio Pappo fuisse patellam Deorum, & salinum in Mensa, in tutelam convivarum. Unde illud hemistichion Statij: *castæ Genius tutelaq; mensæ.* Hinc est, quod ἱερὰς ἅλας Græci dicunt: & Horatius *Satyra 3. lib. 1.* Salem purum vocat:

Sal amicitiæ symbolum.

Hospitibus appositum Sal in mensa profundi ominosum In vino contra

Salis religio.

> *—modo sit mihi mensa tripes &*
> *Concha Salis puri.*

Persius salinum purum, & sine labe. *Sat. 3.*

> *—Sed rure paterno*
> *Est tibi far modicum, purum & sine labe salinum.*

Id quod tam ad naturam Solis, quam Plutarchus *lib. 5 Sympos. problem. c. 10.* describit, rationes afferens, quare Homerus Salem dixerit divinum; quam ad mundam victus tenuitatem poterit referri. quo sensu illud Horatij exaudio *libr. 2. Od. 16.*

> *Vivitur parvo benè, cui paternum*
> *Splendet in mensa tenui salinum.*

Significat enim tenuem & parcum, pauperemque victum hominum, pro obsonio Salem lingentium, quod pauperes factitasse, Adrianus Turnebus *lib. 10. Adversi c. 22.* ex Persio *Satyr. 5.* probat:

> *Vare, regustatum digito terebrante salinũ*
> *Contentus perages.*

Vbi terebrare salinum, est pauperem esse: quod tales nimirum essent, qui isto opere vitam tolerarent, interprete Meursio in Mantissa *ad lib. de luxu Rom. cap. 2.* Salis porrò, utpote rei tam necessariæ nomen ad voluptatem quoque transiit, ut quicquid in omni genere gratũ est, id salsum; atque adeò animi quoq; solatia, Sales dicamus, Lucanus:

Salis gratia. Sales.

> *Assoliti lusere Sales.*

Sed & cum dictis facetis & mordacibus aliquem perstringimus, Sale cum defricare dicimur. Horatius *lib. 1. Satyra 10.*

> *—Sale multo Vrbem defricuit.*

quem tropũ Persius imitatus, *Satyr. 1. ait.*

> *—Secuit Lucilius Vrbem.*

Notat enim facetias & Urbanos sales Lucilianæ Satyræ; quibus Lucilius depravatos civium Romanorum mores taxavit, de quo Plinius in præfatione historiæ Naturalis, ad Vespasianum: *Lucilius*, ait, *primus condidit styli nasum*, hoc est, poema fine nomine vitia hominũ exagitans. Sal igitur eo sensu argutiam quandam leporemque

remque notat: quæ est sinceritas quædã cum mordacitate conjuncta. *Afranius: quicquid loquitur Sal merum est.* Sic Terentius: *Qui habet Sale quod in te est.* Ita enim Muretus legit. Et quis adeò in Latina lingua hospes est, qui sales pro jocis, facetiis & dicteriis ab optimis auctoribus usurpari ignoret? E diverso insulsa oratio, carmẽ, est illepidum, invenustum, neptũ & insulsus homo; cui ut cum Catullo dicã. *Nulla in tã magno est corpore mica salis.*

Insulsi.

Salaria.

A Sale quoque originem habent Salaria: quibus non tantum annona cuique destinata & assignata intelligitur *l. cum hi. §. si in annos 23. ff. de transact. l. ult. ff. de in rẽ verso. l. ult. in fin. de obligat. & act.* Sed & mercedes ac stipendia iis significari, Adrian. Turnebus probat *lib. 18. c. 20.* Hinc Salariorum, quæ & solatia dicuntur. *l. matriculam C. de agent. in rebus l. si quis in sacris. C. de proxim. sacr. scrin. lib. 12.* ut putà ob liberalem artem, aut medicinã, vel aliam caussam legitimam constitutorum toties in jure nostro fit mentio *l. ambitiosa. 4. §. sed & si ff. de decret ab ordin. fac. l. alimenta. 16. §. 1. ff. de aliment. legat. l. un. C. de præb. salar.* An & quando autẽ Salarium ad hæredes transmittatur, id luculenter pertractatum habes à Dd. præsertim vero Andr. Alciato, Hier. Cagnolo, & Petro Calefato *in l. diem. functo. ff. de offic. Assessor.* Luca de Penna *in d. l. matriculam, & d. l. si quis in sacris.* & Stephano Forcatulo *in sua Necyomãtia. dial. 62.*

Salarium an ad hæredes transmittatur.

A Seplasiariis) Seplasiarii, Pantapolæ & Dardanarii, Cujacio *lib. 10. Observ. c. 19.* promiscuè usurpãtur. quo genere hominũ nihil est fraudulentius, nihil iniquius in oneranda annona mercium quarumlibet. Unde & Stelliones dicti sunt, translato nomine ab animalculo ejusdem nominis ad hominem vafrum, & decipiendi peritum. Est enim Stellio lacerta minor, ore maculoso in morem stellarum distinctus: qui ut Ovid. canit. l. 5. Metamorph.

Stellio.

—Latebramq;, petit, aptumque colori
Nomẽ habet, variis stellatº corpora guttis.

Nullum animal stellione fraudulentius homini invidere, Plinius tradit *lib. 30. c. 10.* Solet enim *stellio*, anguis modo, senectutem exsuere. Quoniam itaque præsagit & præscit eas exuvias usui hominum futuras, ad epilepsiæ morbum propulsandum, malignè eas devorat, ne prosint, ut Scipio Gentilis notavit *ad Apuleii apolog. n. 542.* Indeque Stellionum nomen in maledictum translatum Quocircà & Venus irata, Cupidinem filium probroso & maledico nomine *Stellionem* vocat, apud Apulejum *lib. 5. Milesiacar.* Hinc Stellionatus crimen extraordinarium. Sic enim Vlpianum *in l. 3. §. pœna ff. de crim. stelliõ.* interpretor: ubi crimẽ hoc legitimum esse negat, hoc est, ordinarium: sicuti nec pœnã ejus legitimam; sed extra ordinem id plecti solere ait. quo nomine omnis fallacia, impostura, dissimulatio, & quidquid turpiter fit in fraudem alterius, quod proprii criminis nomen non habet, continetur: Incurret igitur Stellionatum, qui res alii jam obligatas, alii vendiderit, aut permutãrit: qui merces adulteraverit, aut supposuerit, putâ pro auro Orichalcum; pro gẽmis veris vitreas subjecerit. *d. l. 3. §. sed & si quis. de crim. stell. Steph. Forcat. in Necyomant. dial. 28.* Nam & subjicere aliud pro alio, est impostnram facere: ut ex faceta illa illusione, de qua apud Trebellium Pollionem in Gallienis liquet Cum enim quidam gemmas vitreas vendidisset pro veris, subripi quasi ad Leonẽ, venditorem jussit: deinde caveã Caponem emitti, & per Curionem edici: Imposturã fecit, & passus est. quem locum ex Capitolino etiam Lipsius adducit *lib. de Amphitheatro cap. 9.*

Ejus invidia.

Stellionatus crimen extraordinarium.

A quo committatur.

Sed an famosum sit Stellionatus crimen, non immeritò dubites. Famosum enim

An sit famosum.

enim hoc esse Ulpianus negat *in l. 2. ff. d. t.* Contrà, esse id famosum, vel infamiam irrogare damnato idē affirmat *in l. quid ergò 13. §. ult. ff. de his qui not. inf.* Julius Pacius *centur. 2.* [illegible] *cap. 27.* ex Martini & Bulgari glossatorum opinione inter infamiā quæ à lege, & infamiam quæ à judice irrogatur, distinguit: ut scilicet Stellionatus crimen non inferat pœnam legitimam, hoc est, per se non infamet, licet aliquis eo crimine condemnatus fuerit; sed afficiat deliquentem infamia judiciali, hoc est, ut condemnatus fiat infamis si judex eum infamem esse jusserit. Mihi potior videtur Joannis glossatoris sententia, rem omnem ex concursus differentia dirimendam censentis: ut si concurat cum hoc crimine civilis actio famosa; ipsum etiam crimen sit famosum: Si concurrat non famosa; non famosum quoque sit Stellionatus crimen. Verbi caussa, Merces, quas mihi debebas ex stipulatu, aut deposito, dolo malo corrupisti, & sic tradidisti: teneris civilis actione de dolo & depositi. Harum utraque famosa est. Erit igitur hoc casu etiam Stellionatus crimen famosum: cum absurdum sit, civilem esse famosam, criminalem famosam non esse. quo sensu exaudiendum erit Ulpiani responsum *in d. l. 13. §. ult. ff. de his qui not. infa.* Contrà, rem uni obligatam, alii sciens dolo malo pignori obligasti: teneris contraria actione pignoratitia, quæ non est famosa. Ergò non erit quoque ex ea caussa famosum criminale Stellionatus judicium, atq; ita *l. 2. ff. de crim. stellionat.* erit accipienda. Quæ conciliatio cum & doctissimo probetur Cujacio *lib. 10. Observat. c. 26.* & JCti auctoritate quàm maximè juvetur: *l. infamem 7. ff. de publ. judic.* præ superiore illa meritò erit amplectenda. Eamq; & Olswaldus Hilligerus defendit. Antonii Fabri & aliorū contra nitentium argumentis probè confutatis, in Notis *ad Donell lib. 18. comment. juris civ. cap. 8. lit.* Nec abludit Jacobus Schultes in additio. *ad Modest. Pist. q. 153.* Plura de hoc crimine videantur apud Anton. Gomezium *lib. 3. Resol. cap. 7.* Prosper. Farinac. *in praxi criminali lib. 1. tit. 3. cap. 9. n. 35. cum mult. seqq. & in Fragment. criminalib. verb. creditor petens debitum n. 725. cum seqq.*

Conciliat. L. 2. de cri. Stellion. & L. 13. §. ult. de his qui not. inf.

1.

2. *Conciliatio.*

* *
*

DE MARMORIBUS TIT. XV.

Marmor.

V*Enas nobilium Marmorum, ut sunt Porphyrites, Serpentinum sive Ophites, Serpentinum adulteratum, marmor Parium Græcum, & alia excellentia, hodie quidem etiamnum esse credo. Sed quia in Turcarum manus venæ illæ devenerunt;* Serpentinum *& alia quæ habemus, vetera planè sint oportet, in antiquis inventa ædificiis, tanta duriciei, ut calari aut scalpi nequeant. Duritiem enim hanc adepta sunt ob temporis diuturnitatem; non verò, quòd primitus cælo ita temperari nequiverint, ut sculpturæ apta efficerentur.*

Marmora igitur ista tanquam pro derelictis aut perditis haberi poterunt, quandoquidem venæ ipsorum amplius non exscinduntur. Et constat sanè maximam ipsorum partem in Insula Paro cæsam. Parium *marmor candidissimum in Carysto; Donysa, Naxo & aliis Cycladibus invenitur. Sed & in Ægypto marmora caeduntur.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Marmor Lacium Lacedæmoniũ.

DE Marmorũ generibus habes apud Plinium *lib. 36. c. 6. cum seq.* & Isidorum *lib. 16. cap. 5.* Inter hæc, ut Parium candore; ita Lacedæmonium viriditate cunctis hilarius. Lacedæmonium Martialis intelligit, cum *lib. 1. Epig. 84.* ita canit:

Quisquiã picta colit Spartani frigora saxi?

hoc est, potētiorũ domos Laconico marmore cultas. Lacedæmonios enim Spartiatas sive Spartãos fuisse nominatos, notum est, & historicam huic rei fidem facit Perotus ad istũ Martialis locum. Ac quia Lacedæmonium sive Spartanum istud marmor diversis quasi squammarum coloribus erat variegatum; non immeritò pictum id appellat Idq; à Serpentum maculis Ophites quoq; nominatur, ut idem Perotus alibi innuit.

Marmoris appellatione quid veniat.

Marmoris autem appellatione rudem tantum materiam contineri Paulus *ait in l. quæsitũ 78. §. illud. de legat. 3.* Nõ continebitur ergò illud, quod in crustas sectum & expolitum fuerit: quod ἀπὸ τὸ μαρμαίρειν, splendescere, & quasi scintillis micare dicitur: cum hoc ita elaboratum; vel, ut cum Accursio loquar, specificatum talis naturæ sit, ut ad suum redigi nequeat initium: secus atque in argento; quo legato, etiam factum argentum comprehendi idem Paulus asserit. Idq; ideo: quoniam quæ talis naturæ sunt; ut sæpius in sua redigi possint initia, eã materiæ potentia victa, nunquam vires ejus effugiunt.

Lum secandi ratio.

Secandi autem marmoris rationem quisquis primum invenit, hunc importuni ingenii fuisse Plinius autumat *lib. 36. c. 6.* Fit autem arenâ, licet ferro videatur fieri, serrâ quod instrumentum Perdix Dædali filia invenisse dicitur; uti & circinum, referente Taubmanno ad *Virg lib. 1. Georg.* in prætenui lineâ prementе arenas, versandoq; tractu ipso secante. quemadmodum in Italia passim, Romæ verè inprimis ad D. Petri Basilicã sæpius vidi.

Circinum.

Atque hujus etiam Horatius meminit *lib. 2. carmin. 18.* his verbis:

Tu secanda marmora
Locas sub ipsum funus.

hoc est in ipso jam mortis limine cõstitutus, mercede conducis sectores marmoris, & redemptores marmoreæ sculpturæ. Et lapidum serrâ sectorum intrinsecus & extrinsecus in regia illa structura Salomonis fit mentio *1. Reg. c. 7. versu 9.* Eam verò secandi atque expoliendi marmoris artem qui callent, hos Marmorarios in jure appellari puto *l 1. § ult. C. de excusat. artif. lib. 10.*

Marmorii.

& varia marmorum gėnera enumerata & doctė explicata habes apud Matth. Raderum in eruditissimis Commentariis *ad Martial. lib. 6. Epig. 42. & lib 9. Epigram. 77.* quorum quidem marmorum & species, & colores varios Sidonius pulcrè mihi experimere videtur *in Epithalamio Ruricii.*

Marmorum genera.

His lapis est, de quinque locis dant quinq; colores:
Æthiopus, Phrygius, Parius, Pœnus, Lacedæmon.
Purpureus, viridis, maculosus, eburnus, & albus.

Crusta.

Hinc rupium variatarum crustæ, apud eundem Sidonium *lib. 2. ep. 2.* Crustæ autem propriè sunt marmorum Petronio, Senecæ, aliis. Inde crustæ marmoreæ apud Ulpian. *l. fundo 17. § qui tabulis ff. de act. emt.*

DE LAPIDIBUS PRECIOSIS TIT. XVI.

GEmmis & Lapides preciosi veterũ magna ex parte noti sunt: inpoimis verò ii, qui pristinum retinuerunt nomen. Id quod quã plurimis usu venit: verbi caussa,

causa Adamenti, Smaragdo, Chrysolito Topazio, Sapphyro, & similibus. Reliqui ut sunt Lapis Phrygius, Thracicus, Arabicus, Memphites & alii planè ignorantur.

Alabastrum in quo odorifera unguenta conservabantur, hodie non haberi multi opinantur. Istud enim nostrum, ex quo multi juga vasa, pelluvia & candelabra. illa Gemma, quæ Italis Agata *est Latinis* Achates *Pyrrhi Epirotarum Regis dicitur, aliquid commemorare. Gemmæ enim isti vena inerat, quæ Apollinem in medio novem Musarum choro cum insignibus suis, cithara canentem repræsentabat, ut à Plinio relatum est.* * *Etsi autem Gemma ista unica in Mundo exstitit: non tamen inter vetera illa pono, quæ hodie desiderantur. Nec verò pro falso habendum est, quod de Lapide eo commemoratur. Nam & Ravennæ ad S. Vitalem, Marmor quoddam conspicitur, quod Presbyterum Missæ sacrificio accinctum & sanctissimam hostiam elevantem exhibet. Hostiam illam Paulus III. Pontifex cum cultello rasit, ita eam depictam esse arbitratus: Sed venas naturales fuisse deprehendit, à summi Dei majestate profectas.*

1. Alabastrũ. *2. Achates.* *3. * Lib. 37. c. 1.* *Sic fides penes auctorē.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

INter ea, quæ terræ visceribus perinde ac nativi fœtus continentur, nõ postremum merentur locum nitentes & pellucidæ, raræ ac parvæ diversi generis gemmæ, quæ ex purore quodammodo terrâ secretâ, ac puriter in se concretâ fiunt, & varios habent effectus, atque vires incredibiles: quarum varietas & decus ex colorum dissimilitudine atque pondere, mortalibus est in deliciis: quemadmodum Milcus scriptum reliquit *lib. 1. Histor. univer.* & pluribus explicat sollertissimus Piccartus *Observ. Historico-polit. decat. 15. cap. 6.* Etsi autẽ Ulpian. ex Sabini sententia gemmas & lapillos à margaritis distinguit, eò quod concha apud rubrum mare & crescit, & coalescit. *l. cum aurum ... §. margaritas. 18. ff. de aur. arg. leg.* hoc est, quia margarita conchæ pars est potiùs, quàm gemmæ aut lapilli, ut Cujacius interpretatur *lib. 10. Observat. cap. 18.* vel partus conchæ, ut Plinius voluit *lib. 9. c. 35.* Usu tamen rectè & Latinè loquentium receptum est, ut & Margaritarum & Gemmarum atque lapillorum nomen promiscuè usurpetur. Quas enim margaritas rubri maris grana Hieronymus vocat; eæ Martiali *Erythæi lapilli, & gemmæ Erythæis eruta valis* dicuntur. Ac cum Curtius scribit: Pendebant ex auribus insignes candore & magnitudine lapilli: Et Horatius. *Nec magis huic intra niveos, viridesq; lapillos*:
certè Margaritas & Smaragdos intelligunt. Sed & ipsemet etiam Solinus, Margaritas in Lapillorum genere habet, cum ait: Conchæ sunt, in quibus hoc genus lapidum requiritur, quæ certo anni tempore, luxuriante conceptu, sitiunt rorẽ veluti maritum, cujus desiderio hiant: & cum lunares maxini liquuntur aspergines, oscitatione quadam hauriunt humorem concupitum. Sic concipiunt, gravidæque fiunt: & de saginæ qualitate reddunt halitus unionem Sanè Tertullianus *lib. de Habitu muliebri*, inter lapillos sive gemmas, & Margaritas nõ dissimulanter distinxisse videtur. Nam cũ de *lapillis*, quos terræ minutalia sive minutias appellat, disseruisset; mox de *Margaritis* subjũgit: Si quid de mari Britannico aut Indico ambitio piscatur

Gemmæ & Lapilli à Margaritis an differãt.

" piscatur, Conchæ genus est, non dico, cõ-
" chylio aut ostreo, sed nec peloride gratius
" de sapore. Ad hoc enim Conchas nove-
" rim maris poma. Quod si concha illa a-
" liquid intrinsecus postulat, vitium ejus
" magis debet esse, quàm gloria. Et licet
" Margaritarum vocetur: non aliud tamen
" intelligendum, quàm concha illius aliqua dura & rotunda verruca, *Maris poma* appellat conchas, quòd non ad fastum, sed ad saporem & esum sint ordinatæ, veluti poma quædam maris, quibus assimilantur: ut Beatus Rhenanus rectè interpretatur. In profundo maris enim jacentia ab urinatoribus colliguntur, velut.

Margarita cur Maris poma Tertulliano.

Strata jacent passim sua quæque sub arbore poma.

Cur Conchæ verruca.

Margarita verò sive margaritas pustulã tem conchæ verrucam vocat; quia, ut Plinius scribit, sani concharum partus multiplici cute constant, ut non impropriè callum corporis existimari possint: ideoq; purgari soleant aperitis. Ita enim in ipsa Ostrei carne nascuntur, quemadmodum grando solet in suilla. *Athenæus lib. 3. Dipnosoph c. 8.* Exq; margaritæ ita purgatæ & mundatæ, Ulpiano extricatæ videntur appellari *in l. si servus servum 27 § si eum maritus 30 ff. ad L. Aquil.* quem textũ ad hoc allegat Lud. Cælius Rhodigin. *lib. 5. lection. antiquar. c. ultim.* ut ostendat nimirum, solitas fuisse mulieres margaritis pertusis, sive perforatis in linia uti. Lino enim ea inserebantur, ut ex Tertulliano & Hieronymo docet Brissonius. Inde lineę margaritarum toties in jure mentio: *ut in l. si quis uxori. 52. §. si linea margaritarum subrepta sit, dicendus est numerus ff. de furtis.* Cujusmodi numerum, margaritarum nempe triginta quinq; expressum videmus *in l. lineam. 26. ff. ad L. Falcid.* Et mulier illa decedens, volebat inter alia ornaméta sepulturæ suæ inferri etiam lineas duas ex margaritis *l. ult. ff. de auro & argento legat.* Videmus tamen & JCtis quandoq; lapillos & margaritas ita distingui: quod *Gemmæ* sint pellucidæ materiæ ut sunt Smaragdi, Chrysolithi, Amethisti: *Lapilli* verò non sunt translucentes, ut Obsidiani & Veietani. At *margaritæ*, nec lapides nec gẽmæ sunt, sed cõchæ vel uniões, quæ in rubro mari crescãt & coalescant. Ita probant Sabinus & Ulpianus *in l. cum aurũ 19 §. gemmæ ff. de auro & argent. leg.* quos ita interpretatur Mynsingerus *in §. itẽ lapilli. Instit. de rerũ divis. n. 5.* ubi gẽmam quoq; dictam esse censet, quasi geminam, propter translucentem naturam. Meminit & Zonaras *lib. 3. Annal.* margaritę sive unionis cujusdã, quẽ Perozes Persarũ Rex in expeditione adversus albos Hunnos suscepta, extremo in periculo constitutus à dextra aure detractũ abjecit, ne quis eum post se gestaret, aut ipsum Regem agnosceret. Eum unionem postea repertum Justinianus Magnus 100. auri libris redimere à Barbaris voluit. Sed recusârunt Barbari, asservantes eum in signum Persicæ stoliditatis.

Margarita pertusæ Linas.

Ingens unionis precium.

Sed & Egnatius in Itinerario Insulæ Chinæ *cap. 19.* prodidit in Regno *Bisnaga* repertum fuisse lapidem tanti precii, ut eum Rex cuidam vicino Regi suo, cui *Odialcam* nomen, decies centenis millibus aureũm vendiderit. Apud Chinas autem, Margaritas magno sanè numero, quãvis rotunditate minus conspicuas reperiri, ut annua ex his pensio, vicies sexies centena millia numũm; vectigal verò gemmarum, quæ pluribus locis toto regno effodiuntur, quaterdecies cẽtena septuaginta millia efficiat: si verum est, quod Johannes Gonzales Hispanus in descriptione Chinæ *lib. 3. c. 4.* commemorat. quem libellum ex instructissima bibliotheca sua mihi utendum dedit Vir Clarissimus *VVolffgangus Zundelinus*, Serenissimi Electoris Palatini Cõsiliarius, cui; ob egregias animi do-

Margaritarum copia apud Chinas.

Wolffgangus Zündelinus.

mi dotes, & eximiam cum regionum, tum linguarum exoticarum cognitionem, eruditionemque singularem; maximum præterea rerum plurimarum usum; & quam exteris quoque nationibus, potentissimorum Principum legationibus laudabiliter fungens satis probavit, plusquã Tullianam facundiam; haud dubiè,

De meliore luto finxit pracordia Titan.

Eum ego non ægrè laturum confido si hîc loci non dignam satis, prout ingenium & virtus viri doctissimi merebatur, mentionem sui factam; & ad laudis suæ fastigiũ, styli mei humilitatem non potuisse pertingere conspexerit. Sed ut eò, unde digressus eram, deveniam; maximam quoq; Unionum copiã Christophorus Columbus tertia in Americam navigatione, anno 1498. Hispaniæ intulit, ex Insula Cubagua; quam ipse *Perlarum* ex revocavit. Ubi tanta erat eorum vilitas, (quippe cotidiè eos piscabantur) ut Indicæ mulieres in vulgaribus ornamentis, ac quidem simpliciter uniones haberent. siquidem pro catino fictili, & eo quidem fracto, quem Indicæ mulieri natura Hispanus dabat; ea illum contrà quatuor unionum seu margaritarum lineis munerata est: ut refert Hieronymus Benzo Mediolanensis, historiæ Occidentalis Indiæ *lib.*1 *cap.*11. Ut scilicet inferre hinc liceat, non integrum posthac futurũ soli mari rubro de his opibus gloriari. Jacob. Rickius *de Unione prolium c.*1. *num.* 7. De gemmarum porro, Lapidum preciosorum, & Unionum generibus videatur Plinius *lib.* 37. *c.*1. *cum seqq.* & Isidor. lib. 16. cap. 6. cum multis seqq. & Athænæus *lib.* 3. *Dipnosoph. c.* 8.

Tertulliani de lapidibus preciosis sententia.

Quibus pro capitis hujus coronide non ineptè videtur addi posse inprimis notatu dignus Tertulliani locus: de quo de operosa lapillorũ cura differens, nostras miseratur ineptias, qui tam anxiè in re adeò inani occupemur. Is libro singulari, de Habitu muliebri, quem modò adduximus, in hæc verba prorumpit: Sed & lapillos istos, qui cum auro superbiam jungunt, quid aliud interpreter, quam lapillos & calculos, ejusdem terræ minutalia? nec tamen aut fundamentis demandandis, aut parietibus moliendis, aut fastigiis sustinendis, aut tectis densandis necessaria? Solum hunc mulierum stuporem ædificare noverunt, quia tardè teruntur, ut niteant: sub dole substruuntur, ut floreãt: anxiè forantur, ut pendeant: & auro lenocinium mutuum præstant. Species verò lapillorum pretiosorum, quibus Regum diademata insignita esse decet, commemorãndo eleganter explicat Luc. de Peñ. *ad rubr. C. de auro coron. lib.* 10. quẽ vide.

1. *Alabastrũ*) Unguenta optimè servari in alabastris; odores in oleo, Plinius docet *lib.* 13. *c.* 2. Hinc Cicero in Academicis: Quibus etiam Alabaster plenus unguenti putere videtur. Hieronymus Alabastrum pro genere marmoris accipit *c.* 26. *in Matthaeum.* Græci lapideum vas intelligum unguentarium, μὴ ἔχον λαβὰς h.e. citra ansas, vel quia ob levorem capi aut teneri vix possit. Unde conciliatum nomen lapidi *Alabastrita*, ex quo fierent aptissimè soliditatis causa & frigoris. Inde & *Alobastrotheca*, pro myrothecis, apud Demosthenem. Quod Ludov. Cælius Rhod. observavit *lib.* 24. *lection. antiquar cap.* 25. *& lib.* 27. *c.* 27.

2. Achates.

2. *Latinis Achates*) Isidorus *lib.* 16. *c.* 11. Achatem nigram esse gemmam ait; in medio circulos nigros & albos, junctos & variatos habentem; similemque Hæmathiti. Ejus præterea suffitu Magos tempestates evertere & flumina sistere. Hinc Mardobanus de Gagate sive Achate.

Idem Dæmonibus contrarius esse putatur.
Vincit prastigia, & carmina dira resolvit.

Atque auctor est Guliel. Parisiensis *part. ult. de univers. c.* 22. Solitum in Britannia

redactum in pollinem tenuem Achatem in potu præberi: quem qui, quæve sumsit, nisi virgo sit, statim cogatur evomere. Martin. del Rio *lib. 4. Disquisition. Magicar. cap. 2. q. 7. sect. 1 fol. 179.* Luculenta hujus lapidis descriptio extat apud Lāgium.

Achatis sive Gagatis descriptio.

» Est namq; Gagates, *inquit*, lapis niger ex » sulphureo bitumine in ostiis Gatis fluvii » Lyciæ, ubi sese in mare exonerat, concre» tus: crustaceus: incensus nidorē bitumi» nis spirat, nullius ferè ponderis, fossilis ta» men, carbonibus ex terra ampletide cō» cretis similimus. qui ob id indurati & po» liti in ejus censu habentur, cujus ergò Ga» lenus Lyciam peragravit: quem in ea non » repertum tandem in orientali Coelesyries » collis vertice, qui mare mortuum circun» dat, & ubi *Asphaltus* nascitur, copiose re» perit, quit accensus Asphaltum redolebat. » Quare nil mirum, ejus malè olenti odore » & suffitu Epilepticos deprehendi: cū et» iam aromatum odor & exhalatio caput repleat, & Cephalalgiam excitet. Hactenus Langius *lib. 1. epist. Medicinal. 75.* cōgruit cum Langio, quod in descriptione Britaniæ Henricus Hunotingdonius Anglicanarum histor. *lib. 1. in pr.* de ipso hoc lapide, quem plurimum ibi optimumque gigni ait, memoriæ prodidit. Est autem Gagates nigro gemmeus & ardens: igne accensus serpentes fugat, attritu calefactus applicita detinet æquè ut succinum. Ejus plenior descriptio extat apud Pliniū *lib. 36. c. 19.* ubi inter alia quoque ait, suffitu ejus sonticum morbum & virginitatem deprehendi. Et quidem per *morbum sonticum* ibi comitialem intelligi dubium non est ex illo Apuleii *in Apologia*: ubi Achatis sive gagatis odore etiam in venalitiis, vulgò sanitatem aut morbum Medicos experiri ait. Agere autem ibi Apulejū *de morbo comitiali*, ipse contextus docet & verbit porrò illis: *hoc lapide nimirum morbum vel sanitatē explorare solitum* Scipio Gentilis notat *n. 482.* ad jurisdictionem ædilium Curulium pertinere ejus rei cognitionem. Nec redhibitioni locum fuisse censet, si Medicus de mancupio consultus (ut mos fuit teste Claudiano *in Eutropium lib. 1.*) id morbi non indicasset aut deprehendisset. Ab hac gemma, fidum illum Æneæ Achaten nomen habuisse multi opinantur: alii tamen ab ἄχος & εἶδος, id est, à consuetudine dolendi deducunt, ut est apud Turneb. *lib. 27. Adversar. cap. 21.*

Virtutes.

Hunotinus.

3. Apollinem in medio Musarum choro) De hoc Pyrrhi Regis, qui adversus Romanos bella gessit, annulo, cujus gemma Achates erat, in quo novem Musæ cum imaginibus suis singulæ, & Apollo tenens Cytharā videbantur; non impressis figuris, sed ingenitis, præter Pliniū *lib. 37. c. 1.* etiam Solinus scribit *cap. 11.* & Alexander ab Alexandro *lib. 2 genial. dierum c. 18.* & Simon Majolus *canicul. dier. colloq. 18. f. 577* de quo Mardebanus sic canit:

3. Apollo cum Musis. Pyrrhi annulus.

Rex Pyrrhus digito gessisse refertur Achaten,
Cujus plena novē signabat pagina Musas,
Et stans in medio cytharā tangebat Apollo
—non artis opus, mirabile dictu.

Quos versus Matth. Raderus recenset in Comment. *ad Martial lib. 4. Epigr. 12.* ubi & Stellam poetam annulum gessisse auguratur, qui decem puellas insculptas habuerit. Cur autem Musæ cum Apolline conversari fingantur, eleganter & argutè explicat Joh. Pierius *lib. 47. Hierogl.* Apollinem autem μουσηγέτην quasi ducem & principem Musarum vocari, quibus cœlestes denotantur orbes, Macrobius tradit *lib. 2. in Somn. Scipion. cap. 5.*

Stella poeta.

DE

DE FRUCTIBUS TIT. XVII.

Poma. *Pyra.*

Q*Vanquam ex fructibus quibus veteres gaudebant, non raros etiam nos habemus: facit tamen specierum diversitas, ut quinam illi fuerint, non satis exploratum nobis sit, paucis tantùm exceptis qui pristinum obtinuêre nomen: ut sunt* poma Cotonea, Apiana, Roscida, Nana, Mel mela alias *dicta. Aliorum nulla est notitia. Idem & pyris obtigit. Præter enim* Apianum, Moschatulum, *quod* Pyrum superbum *dicitur & alia pauca, vel quorum nulla ferè est cognitio.* Crustumium *multi volunt id fuisse; quod hodiè* ghiaccivolo: *Ego verò vocabulum istud corruptum, & idem illud Pyrum fuisse putârim, quod nobis etiamnum in usu est,* pero buon Christiano *appellatur: quasi dicas,* Pyrum Crustimianum. *Hujus, ut & aliorum duorum nomina simul unico versiculo expressit Virgilius, cum ait:*

Crustumiis, Syriisque Pyris, gravibusq; volemis.

Nec aliarum Pyri specierum meminit, ut Plinius notat. De triplici pomorum sorte idem auctor diversis in locis disseruit: verbi caussa de pomo roscido, Cotoneo, *quod malum aureum;* & Naranzo, *quod malum felix appellat. Similiter & uvis evenit, ut nulla earum sit cognitio, nisi paucis quibusdam exceptis, quæ in veteris nomenclaturæ possessione manserunt: ut* Rhetica, Bumasta, Purpurea, Precia, Apiana, *quæ hodie est* Muscatella, à Muscarum teli, *quibus impetebatur, non verò à* moscho *sic cognominata. Veteres etiam* Apianam *dicebant, quòd Apes eam libenter admodum invaderent.* Vinum Falernum, *tantoperè scilicet celebratum, est vinum Græcum è Vesuvio advectum; &, prout alij volunt,* Magna guerra *nuncupatum. De reliquis non constat. Et quidem multas fructuum species interiisse & alias rursum de novo emersisse puto.*

Vua. *Vinum.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Pomum generale fructuum nomen.

DE variis fructuum generibus Varro tractat *de re Rustica* & Macrob. *lib. 3 Saturnal.* Omnium autem fructuum, qui ex arbore esui apti proveniunt, sive molles, sive duri sint, generale nomen est Pomum. Jta enim *l 8. ff. de servit.* generaliter accipio: cum & *Pomarium*, pro omni horto, in quo fructus arborum quilibet nascuntur, sumatur & *Pomona Dea* omnibus hortis præsidere dicatur Ovidio *libr. 14. Metamorph.* Rursus Pomum in duas diducitur species: in Malum, & Nucem. *Malum* est, quicquid herba, & fructu virens lignoso operculo caret, extra habens, quod esui aptum est, licet durum quandoque etiam intus contineat, cujusmodi Persica sunt; aut acinos, cujusmodi sunt punica mala. Jta enim hæc ex Macrob. *lib. 3. c. 19.* supplenda sunt, ut Peroti reprehensio evitetur. Nux verò est omne pomum, quod foris duo operculo tegitur, & intus habet, quod esui aptum, ut idem Macrobius definit. Nec enim infrequens est, ut Pomi appellatione etiam Nux comprehendatur: *l. qui fundum 205. de verbor. sign.* cum & Cato Prænestinas, & Martialis Pineas nuces poma dixerit. *lib. 13 Epigr. 25.*

Eius duæ species Malum. *Et Nux.*

Pomar

Poma summus Cybeles: procul hinc discede viator.

Ne cadat in miserū nostra ruina caput.

Caselii responsum de Nuce, an pomum esset.

Hinc traditum est, quod cum Vatinius gladiatorium munus editurus esset, vereretur que, ne quod aliquando sibi contigerat, rursus fieret, ut scilicet propter nimiam crudelitatem à populo saxis impeteretur; impetravit ab Ædilibus, ut edictum proponerent, ne quis quicquam in arenam mitteret, præter Pomum. Quo tempore Casellius JCtus à quodam interrogatus, *An Nux pinea pomū esset?* respondit: *Si in Vatinium missurus es, pomū est.* Erat autem odio Vatinius plerisque optabatque Casellius, ut tali Nuce ille ceu lapide feriretur. ut post Macrob. *lib. 2. c. 6.* Alciatus *lib. 6. Parerg. c. 2.* memoriæ prodidit. De pomorum autem & pyrorū cùm hic, tum alibi commemoratorum generibus; sicut & de uvarum speciebus variis, & inde expressis vinis, aliis atque aliis præstantioribus consulat æquus lector, quæ *ad Virg. lib. 2. Georg.* doctè & eruditè commentati sunt Dn. Georgius Bersmannus, Ludo. de la Cerda, Frideric. Taubmannus, alii, quibus nihil addi potest explicatus.

DE ÆDIFICIIS IN GENERE, TUM DE AMPHITHEATRIS ET THEATRIS. TIT. XVIII.

Postea quam de Rebus, quas Natura produxit, disseruimus; ad artificiosas nunc deveniamus, & primùm quidem ad ædificia. Modus & eleganter & commodè ædificandi planè intercidisset, nisi quædam etiamnum vestigia exstarent: & ex antiquis illis fabricis aliqua essent cōservatæ: quæ tamen non tantùm ad magnificentiā & venustatem illam non accedent sed etiam ejusmodi ædificia sunt, quorum usus amplius non est ut sunt Theatra & Amphitheatra: quorum unicum duntaxat ferè integrum in Italia conspicitur, Arena videlicet Veronensis. quo in loco Leones & aliæ feræ conficiebantur, & homines quandoque cum illis commissi pugnabāt. Amphitheatri *forma talis erat. Cingebatur quaqua versū lapideis gradibus, ita ut unus in alium atque item alium largius sese extendens, latior subinde adsurgeret; & populo confidenti venationum contemplandarum copiā faceret. Sustentabatur altissimis porticibus, & inferius multis pervium erat portis; ut cuilibet absque alterius incommodo & molestatione, integra esset egrediūdi facultas. Opus mehercùle admiratione plenum, & quod aliquot centū annis neglectum stetit, atque ipsis etiam Meretricib. locum & receptaculum præbuit: usquedum populus Veronensis apertis oculis expurgatum id custodire occepit. Habet adhuc muri partē, quo olim undique circūdabatur. Sed hodie fere totus ille est dirutus*

Amphitheatrum Veronense. Eius descriptio.

Nullum vero alium hic præbebat usum, quàm ut ex eo velorum tegmen, arcendo æstui ac soli superduceretur. Exstructum fuit Amphitheatrū hoc à privato quodam, ut ex inscriptione colligitur. Nostro hoc seculo vel Rex satis haberet, quod ageret, ædificio eiusmodi erigendo. Extra Taurinum in via, quæ Pinarolum ducit ad Monturuccios, quasi agger quidā in gyrū deductus conspicitur. Ibi quondam Amphitheatrum steterat cujus etiamnum videntur fundamenta lapidea: ex quibus scalares illi gradus ab imo orientes, magis diffundebantur in altū. Eo in

Muri ipsius cui usus? Amphith. à quo exstructum.

loco

loco castrametatum fuisse credunt Hannibalem: nec tamen considerant, vix ducentorum militum exercitum ibi collocari potuisse. Romanorum ibi fuit colonia. qui novam aliquam inhabitaturi Vrbem, ædificia eiusmodi exstruebant, ut Varro asserit. Hinc Veronæ non modo integrum fere adhuc Amphitheatrum; sed & Campi Martii vestigia conspiciuntur: ut & in Rhegio, Vicentia, & aliis in Vrbibus. Ideoq; etiam Taurini Amphitheatrum, & id genus ædificia, quæ iam diruta jacent fuerant erecta. Theatrum, *dimidiatum erat Amphitheatrum, ex quo populus Comœdias spectabat, & Tragœdias. In hoc scenæ erant magnificentissimæ: quarum aliquæ marmoreis innitebantur columnis. Nam, ut Plinius * scriptum reliquit, M. Scaurus, Syllæ gener tercentarum sexaginta columnarum exstruxit Theatrum, scena triplici, alij alia imminente.* Ima *erat ex marmoreis columnis duodequadragenũ pedũ*: Media *è vitro.* Summa *tabulis inauratis habebat columnas. Inter quas tria millia collocata erant signa ænea. Theatrum sive cavea ipsa hominũ capiebat millia octoginta. Sed & reliquus apparatus totus è pretiosis erat tapetis & picturis. M. Curio* qui postea bello civili inter Cæsarem & Pompeium flagrante* obijt, ingeniosius quid adinvenit. Funebri enim patris munere, duo theatra fecit è ligno ferret cardinis versatili suspensa libramento. In quibus inter se aversis, antemeridiano tempore diversæ recitabantur fabulæ, ita ut qui hunc insidebant, alteri inhærentes theatro nec cernerent, nec audirent. posteà utrisque theatris unà cum populo circumactis, & cornibus inter se coeuntibus Amphitheatrum repræsentabatur: in quo omnes simul edita spectacula & venationes videbant, Res mehercule miraculosa, quæ nostris temporibus vix à potentissimo aliquo Rege posset exhiberi. quanquam inventum istud plus reprehensionis, quàm laudis etiam in Ethnico, nedum Christiani homine meretur. Ideoq; Plinius, magnificentiã illius exponens, graviter id reprehendit. Romæ quatuor erant Theatra, Amphitheatra duo. Sed tamen & aliud quoddam Theatri genus usurpabatur,* Odeum, *nominatum, eò quòd cantui esset destinatum, ut Pausanias* lib 1 *declarat, & Vitruvius* lib. 5. c. 9. *ut & Suidas, qui tale quoddã Athenis Pisistratum ædificasse ait. Ac Dion quoq; auctor est, Traianũ etiam Romæ Odeum eiusmodi fabricasse, operâ Apollodori architecti: quem Adrianus invidia & æmulatione stimulatus primùm exsilio, postea morte mulctavit. Hujus quoque Odei Tertullianus mentionem facit, de Resurrectione carnis.*

Theatrum Eius magnificæ structura.

** Lib. 36. cap. 15.*

Capacitas.

** Plinius hunc Curionem, Cajum appellat. Amphitheatr. ex duobus theatris.*

: I. Odeum.

Apollodorus insignis architectus.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

1. Lipsius.

DE Amphitheatris; quæ sæpè Caveæ, sæpè Arenæ dicuntur, ita doctè, luculẽter, & perspicuè scripsit Lipsius, ut nihil addi; nihil demi posse jure videatur. De hoc nihil hîc loci attinet dicere magnificentius: quandoquidem celeberrimum scriptorem commendare, hoc esset planè laudare, quem nemo vituperat: ut de Festo dicebat Scaliger, Amphitheatrum autem illud, quod laudibus tantoperè prosequutus est Martialis, & cujus lacerá quãtumvis forma etiamnum Romæ conspicitur,

Amphitheatrum Romæ à quo structum.

citur, ab Augusto destinatū, Vespasianus exstruxit, Titus Filius dedicavit, ex J. Cæsaris Scaligeri sententia *lib. 1. poetices, c. 21.* Justus Lipsius paulò clariùs à Vespasiano opus idstructum, non exstructum; cœptum, non absolutū ait, At Titum Filium summam manum imposuisse, atq; id dedicasse. Ideò verò Tito à vulgo & fama hoc adjudicari, quod Romanorum ritu receptum esset, opera censeri à dedicante, *lib. 1. de Amphith. c. 6.* Martialis Domitiano id attribuit: sed adulatoriè & falsò. nisi fortè poëta; quæcunque vel à Vespasiano, vel Tito gesta sunt, referenda putavit ad Domitianum, cujus & ipsum etiam quodammodò fuerit imperium: quod ipse, ex quo puer Capitolium unà cum patruo defendit, accepisse videbatur: atque adeò imperantibus patre & fratre nō desiterat Imperii principem se gerere, si vera est Domitii Caledrini interpretatio. Veronense verò, quod & è marmore totum & omnium, quæ in Italia vidi, integerrimum habetur, quonam structore gaudeat, sanè ignoratur. Lipsius utique, etsi certus est, nihil in hac re esse certi, tamen ante Augusti tempora id exstructū suspicatur, *in libell. de Amphitheatr. extra Romam. c. 2.* Cæterùm Amphitheatrum ex duobus Theatris videtur esse compositum. Theatri enim figura fuit semicirculi in cornua producti. Quod si igitur duorum theatrorum cornua coirent in circulum, Amphitheatrū constituebant. *Theatrum*, primum fuit temporarium: posteà M. Scaurus triginta diebus duraturum exstruxit: tandem Pompejus Magnus perpetuò mansurum Romæ primus erexit: propter quod Cornel. Tacitus incusatū eum fuisse à Senatoribus scribit, quod mansuram theatri sedem posuisset, cum antea subitariis gradibus, & scena in tempus structa foret. Sed parsimoniæ consultum, quod perpetua sedes theatro locata esset potius, quam immenso sumtu singulos per annos consurgeret ac strueretur. Id verò opus maximum omniū, quæ unquam ferè humana manu facta, Plinius asserit *lib. 36. cap. 15.* Ideoque Nero Princeps Nobilibus Germanis populi Rom. magnitudinē ostensurus, eos in hoc theatrum populo plenum introduxit, ut ex Peroto & aliis, Chassaneus retulit in Catalogo gloriæ mundi, *part. 12. consid. 66.* Id theatrum posteà alia, atque itidem alia exceperunt. quæ etsi primitus ad hoc exstructa fuerunt, ut roboris, & celeritatis spectacula (unde & à spectando nomen sortia sunt) in iis ederentur: posteà tamen Scenicis ludis locum præbuerunt, ex quo populo Comœdias aut Tragœdias commodè spectandi potestas esset. Comœdiæ verò & Tragœdiæ originē, partes & species Jul. Cæsar Scaliger eruditè, ut omnia, expressit *lib. 1. Poetices.* In utravis recitanda, qui operam suam locârant, *Histriones* dicebantur. *Qui latis risum salibus misisse faceti:* ut Claudian. canit *panagyr. Theodorici*, quorū alii *Pantomimi*, hoc est effictores & imitatores aliarum omnium personarum in scenis quorum & Julianus meminit *in l. si libertus artem. ff. de oper. lib.* & Paulus *in l. Titius 43. infi. de act. emt.* Alii *Chironomi*, qui taciti veluti præscriptis motibus & nutibus, cum manuū gesticulatione saltabāt Unde & *Chironomia*, saltatio gesticulatrix. à quo scenicorum grege nequaquam segregandi *Thymelici*; quorum etiam apud Ulpianum mentio *in l. Athletas. 4. ff. de his qui not. infa.* quales sunt Cytharœdi, Cytharistæ, Psaltæ, Lyristæ, tibicines in scena dispositi, ut spectatorum aures demulcerent; à Thymele muliere saltante, & histrionicā exercente, sic dicti. Mulieres enim Mimas in scenicis ludis fuisse adhibitas, cū ex illo Mart.

Qua Thymelē spectas, derisoremq; Latinū;
Illa fronte precor carmina nostra legas:

Cur Tito auctore gaudeat. — *Cur Domitiano.* — *Veronense Amphitheatrum.* — *Amphitheatr. ex duobus theatris.* — *Theatri figura.* — *Magnitudo.* — *Theatri finis & usus.* — *Histriones.* — *Pantomimi.* — *Chironomi.* — *Thymelici.* — *Mulieres Mimæ.*

tum ex Cicerone passim colligitur. Sic enim *in Philip.* 2. Inter quos, inquit, apertâ lecticâ Mima portabatur, & paulò post: Venisti Brundusium, in sinum quidem & complexum tuæ Mimulæ Et *Philippica* 13. Antonio tales objicit delicias: Quum in gremiis Mimarum mentum & mentem deponeres, Græci μιμαλλόνας vocant, quam vocem & Ovidius, forma tamen patronymica usurpavit *lib. de Arte*:

Ecce Mimallonides sparsis in terga lacertis:
Ecce leves Satyri prævia turba Dei.

ubi poëta describit comitatum Bacchi proficiscentis ad Cnossidem amicam, talibus Mimis stipati, ut Gualtherius interpretatur apud Horat. *Satyr.* 20. *lib* 1. quo mulierum genere apud Jtalos nihil frequentius; quas sua lingua *Comedianti* vocant, easque à maritis adulterij accusari posse negat Hieron. de Cævallos *in speculo commun. opinion. contra commun. qu.* 106. *n.* 6. illis quippe in hæc ipsarum crimina conniventibus, & tantum non passim earum formam venalem exhibentibus & meretricio more prostitutam habentib⁹, ut ait text. in *l. si ea quæ.* 21. *C. ad l. Iul. de adult.* cujusmodi mulieres promercale corpus habere dicimus, & ideo *mercales uxores* recte vocare possumus cum Jmperat. *in l. mercalem* 5. *C. de condict. ob turp. caus.* Tales olim erant & *Psaltriæ sive Lyristæ*, quæ præter Lyræ pulsum ad molles corporis gesticulationes effractæ erant. Quas olim symposiis intromitti solenne erat: usque adeò, ut nec emendatioris vitæ philosophi abstinerent, Seneca *epist.* 84. & Macrob. *lib.* 2. *Saturn. c.* 1. Quia sub illorum supercilio non defuit, qui psaltriã intromitti peteret; ut puella ex industria super naturã mollior, canora dulcedines & saltationis lubrico exerceret illecebris philosophantes. de his Juvenalis *Satyr.* 2.

Forsitan expectes, ut Gaditana canoro
Incipiant prurire choro——

Mima ad ulterii accusari nequeunt.

Psaltria Lyrista.

ubi vetus interpres: quæ suo motu faciant barbatos pati pruriginem, id est, philosophos. Adversus quas D. Hierony. *Ep. ad Furiam*: Fidicinas, inquit, & psaltrias, & istiusmodi chorũ diaboli; quasi mortifera Syrenarũ carmina, proturba ex ædibus tuis, Proturbavit eas & *lex.* 10. *C. Theod. de scenicis*, his verbis: Fidicinas nulli licet vel emere vel docere. vel vendere, vel conviviis aut spectaculis adhibere: quem text. adducit Savaro ad *Sidon. Apollin. ep.* 2. *l.* 1. Per *Thymelen* porrò alii pulpitum, alii aram significari volunt, ut Joh Corasius annotavit *lib. miscellan. cap.* 24. *num.* 15. & Cœl. Rhodig. *lib.* 11. *cap.* 51. Erat autem pulpitum istud vel ara in Orchestra chori, hoc est, loco saltantium honoratiore, qui in ima parte theatri erat, quo loco Senatores & alii viri amplissimi sedebant, ut omnium agentium gestus spectari possent. Ea verò seddilia adportari & reportari consuevisse Juvenalis docet,

Quaque reportandis posita est Orchestra cathedris:

sic dicta, quòd in ea saltationes per scenicos fiebant. ὀρχοῦμαι enim Græcis idem est, quod tripudio & salto. Alciatus rectè proscenium interpretatur *in l. si qua* 4. *C. de spectacul. lib.* 11 quod est locus ante scenam porrectus, in quo pulpitum erat ludicris exercendis accommodatum. Quo sensu opus proscenii legimus *in l. de pollicitationibus* 10. *ff. de pollicit.* & theatri proscenia *in d. l.* 4. ut & apud Virgilium:

—*Veteres ineunt proscenia ludi.*

Sed an Histriones pro Jnfamibus habeantur, meritò dubites. Eos enim Jmperatores *in d. l. si qua* 4. *C. de spectac. l.* 11. & viles & inhonestos appellant, quos in loco honesto adnotare sive collocare non liceat. Ulpianus contrà hos ignominiosos haberi negat *in l. athlet.* 4. *ff. de his qui not. infa.* Sic verius est, *in d. l. si qua.* inhonestas personas nam pro infamibus, sed pro vilibus

Thymele.

Pulpitum Orchestra.

Orchestra.

Proscenium.

Histriones an infames.

Conciliata L. 4. *C. de spectac. lib.* 11. *cum lib.* 14 *ff. de his qui not. infam.*

vilibus & abjectis accipiendas esse, quæ inter consecratas Imperatorum imagines non sint collocandæ. quo sensu & Tertullianus *in lib. de spectaculis* scribit, *Artem non artificē notari.* quod ita interpretor. nisi operas suas certa mercede locaverint, atque ita quæstus caussa & ob præmium in scenam prodierint Histriones. Hos enim famosos esse, Pegasus & Nerva responderunt *l.2.§ fin.ff.de his qui not.infa.* Quid ergò, siquis operas suas locârit, ut prodiret artis ludicræ caussa; nec prodierit tamen? Et negat Cajus, hunc notari: quod ea res adeò turpis non sit; ut etiam consilium puniri debeat *l.3.d.t.* licet is, qui operas suas, ut cum bestiis pugnaret locavit; etiamsi non pugnârit, nihilominus tamē infamis fiat. *l.1.§ removet ff.de postul.* Cur tā variè? quia scilicet in arte ludicra factum ipsum requiritur, non etiam propositum duntaxat. In eo autem qui cum bestiis pugnat, non tam factum, quàm propositum intuemur. Cum bestiis enim pugnant Imperatores & milites, suæ virtutis specimen præbentes. Proinde, qui quæstus, non virtutis caussa vitam suam prostituit, & in summum discrimen adducit, quamvis cum bestiis non pugnârit; nihilò tamen minus ob propositum turpe infamis efficitur. Jacob. Rævardus *lib. 3. Varior. cap. 11. n. 3.* Cæterùm hanc totam artem Histrionicam, ipsi etiam Tiberio ita displicuisse scribit Dio lib 57. ut Rōā Pantomimos exegerit. Quod & à Trajano factum Plinius in panegyrico laudat. Musicam istam gesticulationē, effœminatas artes & indecora seculo studia appellans. Molles enim erāt, & ut cum Hieronymo dicam, infracti in fœminā. Hinc Seneca *Hostium* quendam; quod obscenitatis usque in Scenam productus fuerit exsecratur *lib. 1. Natural. quæst. c. 16.* & Juvenalis.

(thyllo
— Chironimon Ledam molli saltante Ba-

exagitat. Scipio Gentilis in Notis doctiss. *ad Apulei Apologiam n. 727. & seq.*

1. *Odeum)* Odei vox apud Ciceronem, & in historiis frequens. In Odeo Attici theatri vestibulo (quòd ᾠδῆς τῆς ᾠδῆς quasi *Cantilenarium* dicas.) Ægyptiorum Regum statuas fuisse, Pausanias scripsit *lib. 1. in Atticis*: Extra theatrum quoq; loca dicata Musis, eodem dicta nomine Scaliger asserit *lib. 1. Poetices cap. 21.* quale Athenis fuit illud à Percle destinatum Musicis certaminibus. Cujus interior descriptio multa habuit sedilia, multasque columnas; tectum autem subvexum fuit & acclive, in unum adsurgens fastigium, ut est apud Plutarchum in vita Periclis. Cujus & Vitruvius meminit *lib. 5. Archit. 9.* Atq; hic fortè fuerit ille imagine theatri locus (ut cum Cœlio Rhodigino loquar *lib. 28. lection. antiq. c. 12.*) in quem deferebantur carmina priusquam in theatro recitarentur. Quidam odeum intelligunt pusillum theatrum, unde musica certamina spectabantur, & observavit Philoander ad Vitruvium, quatuor Romæ fuisse odea. *Primum* in Auentino; *Secundum* inter Palatinum & Cœlium montes. *Tertium* propè theatrum Pompeii. *Quartum* Domitiani: ut refert Conrad Rittershusius in Comment. *ad Salvianum fol. 189.* De Odeo Trajani, & cur Apollodorum architectum ejusdem, Adrianus interfici jusserit; habes apud Xiphilinum in Adriano Dionis.

Conciliata L. 3 de bu infa. cum l. 1 §. removet de postul.

Histriones Roma exacti.

Odeum.

Atheniense.

Odea quatuor.

Trajani.

DE CIRCO MAXIMO, BASILICIS, TABERNIS ET NYMPHEIS. TIT. XIX.

Circus Maximus.

PRæter theatra erat etiam Circus Maximus: *cui septē metæ in medio: in circuitu, portæ duodecim. in hoc bigis aut quadrigis currebatur, quæ circū metas acta*

acta septem totidem hebdomatis dies significabant: mox per duodecim portas immissæ, duodecim illos ludos in Solis honorem institutos denotabant, ut Cassiodorus pluribus recenset. Circumquaque verò populus in scalaribus illis gradibus, non secus atq; in Amphitheatro sedebat. Romæ circi maximi erant octo, hodiè nusquam conspiciuntur. Sed hujus ludi vice, Equorum cursus ad milliare unum solet institui: qui tamen parum habere videtur gratiæ. Qui enim initium illius perspicit; neq; medium, neque finem illius visu poterit contingere. Atque hunc ipsum ludum; Ad pallium currere, *indigitarunt: quandoquidem victori, certi generis linteamenta conferebantur ad pallium conficiendum. Sed &* 1. Basilicæ *ibi erant, quarum nullum hodiè usum videmus: quanquā olim in omnibus habebantur civitatibus attestante id Suetonio in vita Augusti, his verbis: Corpus Decuriones municipiorum & coloniarum, à Nola Bovillos usq; deportaverant noctib. propter anni tempus: quum interdiu* in Basilica cuiusq; oppidi, *vel in Ædium sacrarum maxima reponeretur. Romæ XXI. erant quamvis P. Victor XIX. duntaxat recenseat: siquidem duæ jam tum interciderant. Inter alias tamen omnes primum obtinebat locum, quæ à Iulio Cæsare fuerat erecta,* Basilica Iulia *ex eo dicta. Hæc ad formam templorum nostrorum erat exstructa & fulcita* 100. *columnis in quatuor ordines, quorum quilibet viginti quinque tenebat, divisis. Et centum quidē ista columnæ duas utrinq; porticus constituebant: ipsum vero his superpositum corpus intermedium, subdialem præbebat in ambulationē, ut Vitruvius describit, quin imò ex Theodosij & Valentiniani, descriptione, Basilica ista planè inaurata erat, & marmoribus decorata. Sed & Virgilius* lib. 17. *hujus mentionem facit. Etsi enim Regi Latino eam attribuit, verè tamen Iulia hanc Basilicam denotat. Id quod ipsi frequens & familiare est: cum & Liviæ vestes Augusto factas, & Romanorum maiestatem, aliis sub personis & locis repræsentet. De Basilica igitur ista scribit:*

Equorum cursus.

Basilica.

Basilica Iulia. Eius descriptio.

> Tectum augustum ingens, centum sublime columnis.
> Urbe fuit summa, Laurentis regia Pici.
> Hinc sceptra accipere, & primos attollere fasces
> Regibus omen erat: hoc illis Curia templum.

Quibus versibus non tantùm describitur Basilica: sed & ratio exponitur, cur ita dicta, & in quē usum fuerit instituta. Basilica, *græca dictio est. Latinis Regiam denotans, hoc est, sedem Regum Romanorum. Solebant enim ibi Regalia insignia suscipere: verbi caussa, sceptrū, fasces cum securibus, Item trabeam, quæ toga erat ex purpura contexta de quibus infrà erit dicendū. Ibidem & audientiam faciebant Legatis: quemadmodum Virgilius Regem Latinū Troianos eo in loco dicentes audivisse fingit. Ibidem & jus dicebatur. Nā ut Quinctilianus prodidit, XIII. ibi erant tribunalia; cum totidem Prætoribus.* 2. *Est q; advertendum Christianos ad Basilicarum imitationem templa sua exædificasse, ita ut columnis in me-*

Notatio.

Usus.

dio positis sustentarentur. Ideoq; ea solummodò templa, quæ columnis muniantur & fulcita sunt, Basilicæ *Latinè dicuntur: cætera verò,* Ædes. *Erant etiam Romæ 3.* Tabernæ *mercimoniorum; ad nullum alium destinata usum, quàm ut negotiantes & mercatores sub iis deambulare, & in umbra, tuti à pulvere & prætereuntium impedimentis, commodè inter se possent contrahere. Vna harum dicebantur* Argentaria: *eo quod non nisi aurea & argentea vasa; Item collaria, armilla, anuli, globuli sive clavi, & id genus alia ex auro conflata ibi vendebantur. Et harum quidem mentionem quoq; faciunt Leges aliquot civiles, parum ad hoc ponderatæ, & forsan à Legentibus non intellecta.*

Quæ ædes hodie dicantur Basilica. Taberna. Argentaria.

Præter Basilicas erant quoq; Romæ XI. alia ædificia, 4. Nymphea, *dicta, ut P. Victor testatur. Erantq; aula amplissima, quas nuptiarum celebrandarum gratia ij frequentabant, qui propriis in ædibus idoneo ad has perficiendas destituebantur loco. In hunc finem, ut Zonaras in vita Leonis Magni declarat, Nymphea ista columnis fulta fuisse credo. Et hæc quidem instructa erant Culinis, & conclavibus: in quibus Mantilia, patinæ, orbes, & alia vasa reponebãtur. Appellabanturq;* Nymphea, *quod sponsam Græci Nympham dicerent. Capitolinus auctor est, Gordianum Imperatorem Nymphea à se exstructis, balneas lavandi caussa adjecisse. Id quod veteribus valde familiare erat ante cœnam. Atq; id ipsum quoq; ex duabus legibus Theodosii & Valentiniani colligere promptum est * Suidas ait, aquas istas ex fonte, qui nunc* Enneacrunos, *olim* Callirhoe *dicebatur, ad ædificia illa, in quibus nuptiæ agebantur fuisse deductas. Habebãt etiam porticus altas & largas, atq; ad deambulandum satis amplas, quarum unam Augustus, ædibus Vedii Pollionis, à quo hæres fuerat scriptus, funditus eversis, ibi exstruxerit: eidemque non Pollionis, sed Liviæ nomen inscripsit, ut Dion refert. Sed & alii multi pulcherrimas porticus erexerunt.*

Nymphea.

Horum notatio.

**L. 5. & 6. C. de aquæductus lib. 11.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Circus Maximus.

FUit olim Romæ maximus Circus, ovata figura, instar cœli: in cujus medio erat etiã Obeliscus pro Sole, & utrinque ternæ metæ, pro reliquis sex Planetis. Fuerunt inibi & *Carceres*, hoc est, locus è quo decursuræ quadrigæ vel bigæ educebantur: sic dicti, quod coërcerentur illic equi, ne inde exirent, antequã Magistratus signum misisset, ut Varro voluit *lib. 1. de ling. Latin.* Unde Virgilius 1. *Georgic.*

Carceres in Circo.

——Carceribus sese effudere quadrigæ.

Et in 5. Æneid.

Corripuere, ruuntq; effusi carcere currus.

quo loco Servius per *Carcerem* intelligit *Repagulum*, quo Equi arceantur. Equi isti, à circo *Circenses* Hermogeniano dicũtur *in l. 1. ff. de munerib. & honor.* ut & Paulo, ludi circenses *in l. civitatibus 122. ff. de legãt. 1.* quos populũ expensis propriis exhibuisse Jac. Rævardus probat *libr. 5. Varior. cap. 14.* Iis in ludis, qui curruli certamine equos istos agitando se exercebant Aurigæ, *Agitatores* ab Ulpiano nominãtur *l. athletas 4. ff. de his qui not. infam.* Pãnis & tunicis hi distincti, nam alii *Russati*: quidam *Albati*: *Prasini* alii: & nonnulli *Veneti*. Quod si quis ex factionum harum aliqua erat, puta vel Veneta, vel Russata, vel

Equi Circenses.

Agitatores Horum species.

vel Prasina, vel Albata; *Factionarius*, appellabatur, ex Adriani Turnebi conjectura *lib. 11. Adversar. cap. 11.* Agitatoribus à Prætore, qui ludis præerat, præmium proponebatur. Mappa. *Alciatus in l. 2. C. de spectac. lib. 11.* quamprimum ostendebat, non sine magno Aurigarum applausu & gaudio celebrationem futuram significãs. Deinde in spectaculis Mappam Aurigæ victori pro præmio dabat: ut Joh. Corasius *lib. 4. Miscellan. cap 24.* ex Juvenalis Satyra 11. colligit:

Praemium.

Interea Megalesiaca spectacula mappa
Idæũ solenne colunt, similisq; triumpho
Præda caballorum Prætor sedet &c.

Factionariorum istorũ zelus.

Hoc autem [illegible] sive equitationis studio, factiones istæ Albatorum, Russatorum, Venetorum & Prasinorum sic captæ olim fuerunt: iique maximè, qui Venetæ ac Prasinæ factionis erat, ut ad dignoscendum equi habitum, olfacerent ipsius stercus Unde nobilitatem aut ignobilitatem illius facilè dijudicabant. Si illam; nulli rei parcebant ad emtionem & tractationẽ. *Galen lib. 7. Method.* Sed ad hunc usum præcipuè nutriebantur ac formabantur Equæ. Unde *Georgic. 1.* dicitur Epirus Eliadum equarum palmas mittere. Ac illæ multo in precio habebantur senio confectæ & mortuæ, ut Plutarchus refert in vita M. Catonis, & Gualtherus *ad Horat. Ode 1.* Circumactionem istam quadrigarum circa metas septem fieri solitam, Propertius indicat.

Equæ in cursus certamen maximè curatæ etiam.

Quadrigarum circumactio.

Aut prius infecto deposcit præmia cursu
Septima, quã metam triverit ante rota.

Et Ausonius in Epitaph.

Phosphore, clãosi spaciosa per æquora Circi
Septenas solitus victor obire vias.

Domitianus tamen septem illa curricula seu spatia ad quinque corripuit seu contraxit, ut missus centum perficere posset. Quod ex Tranquillo *in vita Domitiani cap. 4.* notat Raderus *ad Martial. Epigr. 11. lib. 8* ubi egregiam Circi Maximi videre licet descriptionẽ. Cum Agitatoribus Ulpianus, & eos conjungit, qui aquam equis spargebant *d. l. Athletas. 4* Quibus verbis haud dubiè intelligit eos, qui in stadio dispositi, & Circensibus deserviẽtes. Equis cursum calescentibus frigidam suffundebant, ut paulùm refocillati alacriùs cursum repeterent: quemadmodum post Accursium Alexander *lib. 3. Genial. dier.* Johan. Corasius *loco jam allegato*, & Barrab. Brissonius *lib. 1. selectar. antiquit. cap. 10.* rectè interpretatur. Quò pertinet, quod Sextus Pompejus scriptũ reliquit, Nassiternã genus esse vasis aquarii & patentis: quale est, quo Equi perfundi solẽt. Quo tamẽ in loco post Turnebum *lib. 7. Adversar. cap. 27.* Josephus Scaliger pro *Nassiterna, Nasiternam* legendũ censet, quasi aquarium illud vas inde nomen invenerit quod tres nasos, hoc est, ansas habuerit. Cum qua interpretatione planè convenit illud Satyrici:

Aqua equis sparsa.

Nassiterna.

Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quatuor. &c.

à Vatinio sic dictum: qui & sutor erat, & nasum habebat magnum atque prominentem, ad cujus similitudinem conficiebantur calices nasis prominentibus: quos tamen Vatinii nasus superabat. de quo Martial. *lib. 14. ep. 96.*

Vilia sutoris calicem monumenta Vatini
Accipe. Sed nasus longior ille fuit.

Cujus sententiam hanc esse putat Lipsius, cum quatuor nasos haberet ille Vatinianus calix, tamen longiorem fuisse nasum Vatinii notat eum scilicet Martialis callidè ut acrem & sagacem inquisitorem criminatoremq;, qualis à Xiphilino describitur. Cæterum Agitatores sive ministri illi, de quibus modò diximus, curules equos, non tantum aquam illis spargendo aut suffundendo, sed & notis vocibus adhortando ad cursum excitabant, ipso etiam

jam Plinio tradente, quod equilili in Circo ad currus juncti non dubiè intellectũ adhortationis & gloriæ fateantur *libr. 8. cap. 42.* Inde Lucanus lib. 1.

——clamore juvatur
Eleus sonipes, quävis jam carcere clauso
Immineat foribus, prõnsq; repagula laxet.

Impatiens scilicet moræ, & ipsum jam anhelans cursum.

Stare adeo miserũ est! pereũt vestigia mille
Ante fugam, absentemque ferit gravis ungula campum.

Ut canit Statius *lib. 6.* usque dum emittendis quadrigis buccinâ signum daretur in Circo

Inde ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes
Haud mora, prosiliere suis ——

Ut est apud Virgil. 5. *Æneid.* & loco huic accomodat Savaro in Notis ad Sidonii Apollinaris *carmen 23.*

1. Basilica. 1. *Sed & Basilica)* Basilicæ loca fuerunt publica, spaciosa & ampla: in quibus negotiationes privatæ, consilia & judicia exercebãtur Hæc foris adjuncta, quàm calidissimis partibus oportere constitui Vitruvius docet *lib. 5. de Architect. cap.* 1. ut per hyemem sine molestia tempestatum se conferre in eas negotiatores possint. Privatas enim negotiationes in Basilicis fuisse exercitas, planũ facit Asconius: qui in Miloniana testatur: inibi librorũ quoque tabernas fuisse. Et Paulus *in l. peaicu- lis 32. §. idem cum quæreretur ff. de aur. & arg. leg.* mentionem facit argenti cujusdam, quod negotiatrix in Basilica negotiandi caussa venale habebat propositum. Judicia certè in his peragi solita, Plinius Nepos in Epistola quadam indicat. De- » scenderam, inquit, in Basilicã Juliam, au- » diturus, quibus proxima comperendi na- » tione respondere debeam. Sanè Basilicam principio locum fuisse constat, quo sub tectum & ante vestibulum ædium principes ad jus dicendum conveniebant: cui dignitatis gratiâ tribunal posteà additum est, tanquã plus inesset auctoritatis, quòd judicia publica ante domos darentur. Ac, deinde, quò Basilica laxior esset, primariis tectis non sufficientibus, porticus intrinsecus hinc atque hinc additæ sunt: ut Corasius *lib. 6. Miscellan. cap. 18.* scriptum reliquit. Etsi autem Plinius *lib. 36 cap. 15.* quatuor duntaxat Basilicas recenset; plures tamen Romæ fuisse, ex Plinii junioris epistolis, Cornelio Nepote *de viris illustribus* Suetonio, & aliis colligitur.

1. Basilica [illegible] olim [illegible].

Porticibus ampliata.

Basilica in stipulationem venire nequit.

Basilicam porrò, utpote rem usibus publicis in perpetuum relictam; quemadmodum & *rem sacram* vel *religiosam*, aut *hominem liberum* inutiliter nos stipulari, ut ne tum quidem valeat stipulatio, cum res sacra profana effecta; & usibus publicis relicta, in privatos usus reversa; vel liber homo ad servitutem fuerit redactus: Paulus quinq; rationibus evidenter probat *in l. inter stipulantem 83. §. sacram. & ibi* Zasius *ff. de verbor. oblig.*

Basilica Ecclesia.

2. *Istque advertendum*) Basilicarum appellatio postea ad templa fuit extensa: ut videre est *in can. omnes de consecrat. dist. 1. & c. ult de Eccles. ædif.* atq; ita exstruebantur Basilicæ sive sacræ ædes ut orientem spectarent. Sic enim Higinius *de limitibus*: posteris placuit, omnem religionem eo convertere, ex qua parte Cœli terra illuminatur: Firmat hoc Tertullianus *in Apologia dist. 8.4* sed & pleriq; vestrûm in affectione aliquando et cœlestia adorandi ad Solis ortum labia vibratis. Et hoc, quia solem adorabant antiquitus,

Versus ortũ exstructa.

Esse Deum solẽ recta non mente putantes,

Ut Corripus canit *libr.* 1. qui ritus postea Ecclesiastica traditione receptus est, sed alia de causa: quia scilicet oriẽs est Servator & Sospitator *Christus*, qui mortis chirographum purpureo sui sanguinis cruore penitus interlevit & erasit. Quæ egregia

gia est Savari sententia *ad Apollin. ep. 10. lib. 2.* ubi illud Zachariæ: visitavit nos oriens ex alto, de Christo rectè & piè interpretatur. Idcircò versus orientem supplices convertimur: & innotuisse ait Tertullianus *distinct. 84.* nos ad orientis regionem precari: Idque consuetudine ita observari tradit Augustinus. Quæ enim literarum figura orientem versus orare nos docuit? *can. Ecclesiasticarum 11. dist.* Sane ipsius etiam Salomonis templum Sol æquinoctialis illustrabat, ait Josephus, & ex eo Eucherius *lib. 3 Regum cap 8. & 10.*

Et eo preces direita.

3. *Taberna mercimoniorum*; Etsi Tabernæ appellatione Ulpianus omne utile ad habitandum ædificium complectitur. *l. taberna. 183. de verbor. sign.* Usu tamen communi tabernas intelligimus, quæ mercium causa paratæ sunt. Harum varias species Brechæus & Gœddeus *in d. l. taberna.* recensent. Sed potissimæ tamen omnium habitæ fuerunt Argentariæ: quas circa forū fuisse dispositas Vitruvius *lib. 5. cap. 1.* indicat, & Livius *lib. 26.* his verbis innuit: Inventum Romæ emtorem, ut extemplò vocato præcone tabernas argentarias, quæ circa forum Romanum tunc essent, jusserit venire. Quod & inde manifestum satis fit, quòd qui Argentariā cedebant, foro cedere dicebantur. *l. si hominē 7 §. quoties foro ff. depositi l. ult ff. de Curator. bon. dand.* Brissonius *lib. 2. selectar. antiquit c. 12.* Tabernis illis qui præerant, Argentarii, ut & argentariæ mensæ exercitores dicebantur *l. 4 ff. de edendo.* quorum officiū erat dati acceptique rationes tam ad se, quàm ad alios pertinentes conficere. Scribebant enim negotiationes ultrò citroque dandi, accipiendi, credendi solvendiq; pecuniā fœnoris caussa. quorum libris sive codicibus plurimum habebatur fidei: ad quos probationis ergò decurrebatur. *l. 6. 8. & 9. §. nihil interest, d. t.* Quò pertinet illud Plauti in Asinaria:

Taberna appellatione quid veniat.

Argentaria.

Argentaria sive foro cedere.

Argentarii. Horum officium.

Quadriduum hoc unum modò foro operā dedi, dum reperiam, qui quærittet argentū in fœnus. Et in Gurgulione: *In foro infimo boni homines atq; dites ambulant sub Veteribus, ibi sunt qui dant, quiq; accipiunt fœnore; Pone Castoris, ibi sunt, quibus credas malè.* Sic Terentius in Phormione: Transi sodes ad forum, atq; illud mihi argentum rursus jube rescribi Phormio, hoc est, per mensæ scripturā reddi, vulgò *Reconfirmare* dicunt. Nihil autē frequentius erat, quàm pecuniam ab Argentariis fœnori sive sub Usura accipere. Quod cū contra naturæ regulam fieret, quæ ex nihilo nihil gigni docet: omni lege, universa fœnerandi ratio profligata est, ut Plutarchus tradidit in libello. *Quod nō oporteat fœnori.* Et nominatim Lucius Genutius Trib. plebis Romæ ad populū tulit, *Ne quoquo modo fœnerari liceret.* Deinde ab Ædilibus mulctatos fœneratores; ex eorumq; mulctatitia pecunia in Capitolio posita fuisse ænea limina. Livius scribit: Proinde M. Varro interrogatus, Nunquid fœnerare utile foret? Quid hominē, inquit, occidere? Et *lib. 1. de Re rustica* idē refert, usque adeò exosum fuisse hoc hominum genus, ut cum furem dupli tantum pœna affecerint; fœneratorem quadrupli condemnârint. Quanto pejorem inquit, civem fœneratorem putarint, quàm furem; hinc licet existimare. Quæ omnia sapienter constituta, & summa ex ratione profecta esse nemo negaverit: ne scilicet homines, qui necessitate impulsi pecunias sub quacunq; lege à fœneratoribus accipiebāt. Usurā multiplici omnia arrodente obruerentur, tandemque ad sūma rerum inopiam redigerentur. Cum enim Usura sortis sit accessio, propter pecuniæ mutuò datæ usum plerunque exacta: evenire sæpè veteres videbant, ut cum non nisi egentes sub fœnore pecunias acciperent: cogerenturque hi etiam

Usura quare prohibita.

Usurariorum pœna.

eo tempore, quo nullos rerum suarum fructus perceperant, gravem aliquando accessionem præstare; miseri & infelices ad extremam paupertatem deducerentur. Hinc est, quod usura, quæ ut Hirudo

Non missura cutem, nisi plena cruoris,

Usura cur Hebrais morsus.

& quam Hebræi apposité *morsum* appellant, non modò debitorum opes exhaurire; sed etiam ossa penitus arrodere, ac medullas ex ipsis ossibus exsugere; & vel ipsi deniq; paupertati unicum ejus solatium, nempe animi securitatem auferre dicatur: quòd qui sub Usuris pecuniam accipiunt, vorsuram ex vorsura facientes; nunquam se extricant. Jure tamen civili Usuræ permissæ quidem illæ sunt, sed ad certum saltem modum. *l. eos.26. & t.t. C. de Usuris.* non quod per se bonæ sint, sed ut gravius malum, nempè furtum & rapina evitetur. Quia verò civiles constitutiones ita de Usuris disponentes, tanquã divinis præceptis contrarias Pontifex irritas pronunciat. *clem. un. §. fina. de Usuris t.t. Ext. & in VI eod. & 14.q.3.* & prætereà Imp. nos in ea Religione versari jubet, quã Petrus Romanis tradidit. *cunctos. C. de summ. Trinit. & fide Cathol.* Sub Usuris autem dare non lege tantùm veteri, sed & Evangelica, nobis ab Apostolis tradita prohibitum sit. *Exod.22 Levit.25 Deuter.23. Psal.15. Ezech.18. Nehem 5. Luc.6.* cum sexcentis aliis Juris divini textibus: Idcircò sciẽdum, citra culpam hodiè Usuras exigi non posse, nisi nomine ejus quod interest: vel ob damnum emergens, *l. socius qui. ff. pro soc.* vel etiam ob lucrum cessans, ut in eo, qui solitus est negotiari. *leg 3. §. fin & ibi Castr. de eo quod cert. loc* Quod autem hæc Juris civilis sancita, à superiore putã divino Legislatore cassata non sint, ex eo apparet, quòd negotiationes & commercia, Trapezitarumque seu Numulariorum mensas, ad civilem hominum societatem necessarias Dominus non condemnârit.

Iure civili permissa.

Contra Legem divinã & Evangelicam.

Argentariorum mensa à Domino non damna-

Math.25. Planè si immoderatam & pravam nocendi intentionem tollas; Usura beneficium, non onus erit: & vel bonę fidei debitor, in partem lucri te sponte vocaturus est. Quanquam si divinas pressius intuearis Leges, tam disertè iis omnia fœnorum genera prohibita invenies, ut nemo eas in dubium vocare debeat, nisi apertè inanibus argutiis oracula divina fallere se posse putet. Tutius igitur esse Bodinus *lib.5. de Repub. c.2.* contendit, Usurarum non modò radices, sed etiã fibras omnes amputare: neque has Reipublicæ nec Corporibus ullis aut Collegiis, ulla utilitatis specie permittere. Quis enim, quod publicè utile ac honestum videatur, privatim turpe putet? Qua de re tamen plura videantur apud Bodinũ *de loco.* Carol. Molineum, Joh. Borcholten, & Conradum Paulum in tract. de Usuris, Matth. Colerum *de processib. executiv. lib.1. c.10. num.29 cum mult. seqq.* Vacon à Vacuna *lib.1. declarat. juris c.14.* Joh. Corasium libro singulari Epistolicar. quæst. *cap 10. & lib.3. Miscellan. cap.21.* Didacum Covarruv. *lib 3. variar Resolut. c.1.2.3. & 4.* Gothofredum *in l. Mora.32. de Usuris,* & Anton. Guibertum Costanum, *quæstion. juris. c.1.* Jam, ut ad Tabernas redeamus: sciendum est, Tabernam nomẽ loci esse, non negotiationis, quo fit, ut vendita aut legata taberna; merces in dubio non contineantur *l. taberna.13. ff. de instr. vel instrum. leg.* quanquam obligatâ tabernâ, merces quoq; obsignatas teneri responsum sit *l. cum tabernã 34 ff. de pign* quod ob modicum scilicet præjudicium in pignore quidem; non verò etiam in venditione aut legato receptum esse Bartolus ibi tradidit. Nam & generali pignore bona etiam futura comprehenduntur *l. ult. C. qua res pign. obl. poss* quod tamen in generali venditione vel publicatione non admittimus *l si mandavero.22. §. is cujus. ff. Man-*

Usura nullo etiam prætextu toleranda.

Taberna locum notat, non negotiationem.

Taberna vendita, legata vel oppignorata an & quando merces veniant.

ff. Mandati. & c. ult. §. verùm. de pœn. in VI. uti nec in legato *l. ul. §. 1. de legat. 2. l. si ita 7. de auro & arg. leg.* Petr. Costalius *in l. qui tabernas. 32. ff de contrab. emt.* Inter alias autem Tabernarum species non postremū locum obtinuit *Taberna casearia:* ex qua negat Ulpianus in ædificium alienum, quod superius est, fumum jure immitti, nisi fuerit nominatim constituta servitus: alioquin vicino Negatoriam actionem competere. *l. sicut 8. §. Aristo ff. si servit. vend.* Quo in loco TabernamCeasariam, non quidem in qua Casei fiunt & venduntur accipimus; sed in qua fumigari solent: ubi scilicet casei reponebantur, & fumos bibere instituebantur. Moris ea enim fuit veteribus Romæ, ac in plerisq; Italiæ locis colorandi siccandique casei gratia fumum aut ex culmis, aut ex malignis viridibusq; lignis facere. Docet hoc Plinius *lib. 11. c. 42.* illis verbis. Et captarū gregibus sua laus est Agrigenti maxima, eam augente gratiam fumo, qualis in ipsa urbe efficitur cunctis præferēdus. Et Columella *lib. 7. c. 8.* de casei faciendi ratione docens: Est etiam, *inquit,* non ingrati saporis muria perduratus, atque ita maligni ligni vel culmi fumo perduratus. Quibus authoritatibus innitur Franc. Duarenus *lib. 1. Anniversar. disput. c. 24.* & eò spectat Martialis *distichon. 32. in Xeniis.*

Non quemcunque focum, nec fumum caseus omnem;
Sed Velabrensem qui bibit, ille sapit.

quasi dicat: ille caseus tantum est gratus, non qui qualemcunque fumum bibit aut haurit; sed qui Valebrensem; vel qui Valebro infumatur. Fuit autem inter Aventinum, *Valebrum,* sic dictum, quod cum locus esset paludosus, volentes transire in Aventinum, ferrentur cymbula, & solverent stipem. Pecunia autem quæ solvebatur nautis *velatura* dicebatur. Unde velabrum, à vehendo; & velaturam facere dicuntur Vatroni, qui id mercede faciunt. Propertius:

Ut quà Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pulsa per vada linter aquâ.

præter Ovidium, à Matth Radero adductum in Comment. ad dictum Martialis distichon.

4. *Nymphea*) Eodem planè modo & Cujacius Nymphea interpretatur ædes publicas & capaces: in quibus nuptias celebrabant, qui ædibus carebant. Quam sententiam tamen & Alciatus damnat *in l. si quis per divin. im C. de Aquæductu lib. 11* & Beroaldus ad Apulejum *lib. 11* fœdissimè has labi, & cæcutientes hallucinari asserit, qui per Nymphea genialem thorum, aut cubicula nuptialia significari putent Proinde Nymphea pro lavacris & thermis, quæ posteritatis caussa à Principibus exstruebantur, accipiunt Unde Jul. Capitolinus: *Opera Gordiani,* inquit, *nulla exstant præter quadā Nymphea & balneas.* Ut ita Nymphea lavacra quidem & balnea fuerint, tepidam aquam habentia; at non valetudinis, sed voluptatis caussa, quemadmodum ex Strabone & Pindaro probat Forcatulus 10. *Cupid. 2.* quanquam non video, qui absurdi inde consequuturum sit, si cū Auctore nostro dicamus, Gordianum Nympheis jam exstructis etiam lavacra adjecisse, ut non absurdum nec à veritate alienum sit si per *Nymphea* tam loca lavandis mulieribus destinata, quàm etiam cubicula nuptialia intelligamus. Nam & Nymphicus h. e. sponsalis lectus fuit, qui *parabystus* vocabatur, quasi tu absconditum & latentem dicas ἀπὸ τοῦ βύω quod est claudo. Nec desunt qui *Nymphas* dici sponsas interpretantur, ἀπὸ τοῦ νῦν πρώτως φαίνεσθαι, quia nunc primum visendas se præbeant, cum antea prodierint obtectæ Sed & matrimōia ipsa Græci vocarunt *Nymphea:* quoniam pietas & religio, à Nymphis, ut creditum est, per

Taberna casearia.

Casei fumigati.

Velabrum.

Nymphea, nuptiis celebrandis destinata.

Imò lavacris.

Voluptatis caussa institutu.

Mortales fuerunt propagatæ. Argumento esse potest, quòd citra Nympharum mentionem nullum obibant sacrum: quãdo & Nympharum una *Melissa* inventum monstravit favum, & aquam melle temperavit: vel quod præsides aquarum Deas propriè Naiades dicunt. Ac quoniam Naiades Nymphæ sunt in corpora tendentes, factum inde, ut sobolis propagandæ causa Nuptæ puellæ vocentur Nymphæ: quãdo & aquis perfundi consueverant, ex fonte perenni aut flumine petitis. Et Nymphis quoq; antea dicare ob affatim destillantes aquas effluentesque, ignotum non est ex Lud. Cœlio Rhodigin. *lib. 28. lect. Antiquar. cap. 24. & 27.*

DE FORO TIT. XX.

Forum: Græcum. *Romanum.* **Lib. 5. de Architect. cap. 1.*

FOra nos admodùm diversa à veteribus & minori quoque cum elegantia constituimus. Græci in quadrato perfecto, duplicibus circumquaque porticibus ea efformabant, suprà Ambulationes in contignatiõibus faciebãt, quas columnis & marmoreis epistyliis adornabant: Romani in quadrato longo fora ita efformabant, ut longitudo tertia parte latitudinem exsuperaret. His porticus quoq; circa erant, sed simplices, quanquam magnæ in quibus Argentarij suas habebant tabernas Superioribus verò coaxationibus podia & 1. mæniana collocabantur, ad gladiatorum spectacula quæ in foro quondam edebantur accommodata, ut Vitruvius testatur. Atq; hæc fori forma venusta erat, & elegans, & cum ad pluvias, tum Solis æstum fugiendum satis apta, quæ qualis olim reipsa exstiterit, animo tam saltem cogitationeque nobis liceat effingere.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Fori notatio. *Forum cui res,* *Forum civile. Venale.*

FOrũ variis modis accipi, Festus tradit, & Isiodorus: cujus verba Pontifices descripserũt *in c. forus. de verb. signif. in Antiq.* Generaliter forum a ferendo dicitur: eo quòd Coloni, quibus est demandata agrorum cultura, certis diebus constitutis frequentes in foro conveniũt, & omnem Agriculturæ opulentiam adferentes venalem exponunt *Christoph. Milaeus lib. 2. Histor. Universal.* Cæteroquin Forum non tantum nundinationis & negotiationis; sed & juris dicẽdi locus erat. Inde forum Flaminii, forum Julij, forum Licinij, de eorum nominibus, qui ea fora constituenda curãrunt. Fora itaque, quorum in universum XVII. enumerant descriptores urbis, in duo potissimum dispesci poterunt genera. Erãt enim civilia: erant & venalia: *illa* in quibus res & lites agebantur; hæc in quibus merces aut species certæ venales: ut Suarium forum, Pistorium, Boarium, Olitorium, Piscatorium. Plautus Gurculione *act. 3. scena. 1.*

—quique stipulari solent:
Symbolarũ collectores apud forũ piscariũ.

Jn utrisque & cœtus & circuli & sermones hominum erant, ut solet in vacuis. Sed magis in civilibus illis: quæ scito olim fuisse tria potissimum, *Romanum Iulium, Augustũ*, quibus dein alia accessère, monente Lipsio *de magnit. urbis Rom. lib. 3. cap 7.* Et plura de foris tradiderunt Alexander ab Alexandro *lib. 2. Genial. dier. c. 12.* Et Ludov. Cœl. Rhodigin *lib. 28. lectio. antiquar. cap. 9 10. 11.* quos vide.

1. *Meniana*) Menianorum frequens in jure nostro est mentio *l. 20. de servit. urbũ. prad. l. 2. §. cum quidam. Ne quid in loc. publ. l. malum. 242. §. 1. de verbor. sign. & l. 1. C. de ædif. priv.* Ea Accursius à mœnibus

bus nomen sumsisse autumat. Cui tamen doctissimi quique & inter hos etiam Alciatus refragatur, aliam ex historia Notationē verbi istius adducens. Fuisse enim, ait, Menium quendam Romanum: qui cum patrimonium abliguriisset, domum vendidit, quam ad forum spectantem reliquam habebat, excepitq; sibi unam columnam, ex qua projecit tigna, quò amplius podium efficeret, unde gladiatorios ludos conspiceret. hincque exterius porrecta ædificia appellari cœpta Meniana. De Menio isto sensisse videtur Horatius, *lib. 1. Epist. 15.* ubi ita scribit:

Menius. scurra.

Mænius ut rebus maternis atque paternis
Fortiter absumtis, urbanus cœpit haberi
Scurra vagus, non qui certum præsepe teneret,
Impransus non qui civē dignosceret hoste:
Quælibet in quēvis opprobria fingere sæv⁹.
Pernities & tēpestas, barathrūq; macelli,
Quicquid quæsierat vētri donabat avaro.

Hic luxu ad extremum deductus erat assem, ut etiam Uxor ipsius, vile mendicimonium, ad ustrinas sepulchrorum, è funebri cœna sive silicernio cibum peteret, de qua Catullus:

Hujus uxor.

Uxorne Meni sæpè quam in sepulchretis
Vidistis ipsô rapere derogo cœnam?

Alii tamen Meniana, non à Scurra illo; sed à C. Menio, Crassi Collega, nomen mutuasse tradunt. Hunc enim ideò domum, Catone & Flacco Coss. vendidisse, ut ibi Basilica exstrueretur; jure tamen unius columnæ supra quam tectum projiceret, & tigna immitteret, sibi excepto, quò superiora latius paterent, & ipse ac posteri gladiatorum munus, quod etiam tum in foro dabatur, spectaret, Plin. *lib. 34. c. 6.* Ascon. *in Act. contra Verrem.* Alexander ab Alexand *lib. 5. genial. dier. c. 11.* & Joh. Coras. *lib. 3. Miscellaneor. cap. 25.* de Meniano autem sive projecto illo, quod tectum erat & ad spectandum habile, qui prospiciebant, spectare de Podio dicuntur Sidonio Apollin. *lib. 8. cap. 9. in fin.* sic & Juvenal. *Satyr.*

Menius Crassi collega.

Omnibus ad Podium spectantibus—

De cujus structura videatur Vitruvius *lib. 5. Architect. cap. 7.*

DE VIIS TIT. XXI.

Viæ antiquitus lateribus stratæ habebantur tam intra, quam extra Romam per totum Imperium. Nam & in Regno Neapolitano ejusmodi lateres compactis longo satis spacio conspiciuntur. Et viæ quidem illæ, Appia, Æmilia, Flaminia, *nominantur, quod ab Appio, Æmilio, Flaminio lapidibus stratæ, compactæ, & exornatæ. Plutarchus refert; Cajum Gracchum non modo lapidibus viam stravisse, sed & curasse quoque, ut lapidibus certa mensura positis, & columellis quibusdam notarentur millia passuum; & aliis quoque propinquioribus lapidibus effecisse, ut qui equo veherentur, possent in eum facilè ascendere; sine instrumento illo, quo huic rei facto utebantur, eum imponi in equū vellet. Nondum enim tunc stapedum usus erat, ut infra dicetur. præcipiunt etiam Leges civiles, vias per Imperium Romanum stratas habere. Id quod à nobis non observatur. quo fit, ut nec hyeme lutum, nec æstate pulvis unquam deficiat. Munditie igitur & elegantiâ veteribus longè inferiores sumus. Romæ viæ Regiæ & publicæ erant XXXI, cæterarum, CCCCXXIV.*

Via strata.

Lapides milliar. indices. Stapedum usum præstantes.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

REfert Andreas Palladius *de antiquitatibus Urbis Romæ*, fuisse ibi vias principales viginti novem; sed harum tres celeberrimas, quarum & Auctor noster meminit. Electos autem olim quosdam fuisse penes quos Viarum cura esset, cum ex aliis multis, tū verò inprimis *ex l. munerum. 18. §. si aliquis. 15. ff de vacat. & excusa. munerū* colligitur: ubi JCtus personale munus interpretatur, si quis electus, ut eos, qui prope viam publicā possident: sternere viam compellat. Atq; hi Viarū Curatores, quorū Paulus *lib 5. Sentent. tit. 6.* meminit, composito nomine *Viocuri* dicebantur. quo verbo & Varro usus est *lib. 4. de lingua Latina.* Ita enim legit Brissonius *lib. 4. Select. ar. Interpret. c. 12.* & Turnebus *lib. 22. Adversar. c. 17.* Dio sanè *lib. 58.* & Suetonius in Vespasiano *c. 5* narrat, Caii Caligulæ jussu, Flavii Vespasiani ædilitatē gerentis vestem luto oppletam ac resperlam, propter curam verrendis viis non adhibitam: quarum ad eum ex officio purgatio pertinebat. ædilium enim aliquando hanc curam fuisse, colligitur ex *l. 2. ff. ne quid in loco publ.* Fuit quandoque & *censorum* ea functio & munus, florente Repub. ut in urbe vias sternendas silice; glarea extra urbem substruendas marginandasque locarent. Ut videre est apud Livium *lib. 14.* Quandoq; & *Collegio Quæstorum* structura viarum commissa est, teste Suetonio *in Claudio cap. 24.* Ipse etiam *Augustus* eandem hanc curam perhibetur non fuisse dedignatus: qui, cùm jam viarum curator esset constitutus, etiam viros prætorios viis reficiendis designavit, eosque binis lictoribus uti voluit. Dio Nicæus *lib. 53.* Sic quoque Imperator Antoninus istis viarum curatoribus coercitionis potestatem concessit, ut punirent, quos videretur: aut certè puniendos ad Præfectum Urbi remitterent. Capitolin. *in M. Antonino Philosopho.* Et Plinius Cornutum Tertulliū multis laudibus commendat, quod ei, cum consularis esset, demandata fuerit cura viæ Æmiliæ *lib. 5. epist. 15.* Adeò opus illud Regiū; & cura principe, ac principibus in civitate viris dignissima fuit visa, id curare sedulo, ut subditi commodè & tutè commeare possint. *l. 1. § summa: ff. de his qui dejecere vel effuderc. & c 1. quæ sint Regal.* Indeque est quod viarum refectiones & instructiones publicis sumtibus, & communi omnium pecunia fieri debere legibus fuerit constitutum: quibus scilicet commune usum & utilitatem respiciant, ut est text. *in l 1. § vicinalis. Ne quid in loco pub.* ideoq; Rogationem illam de muniendis & struendis viis Cœlius Ciceroni rescribens legem viariam appellat *l. 8. ep. ad Fa.* Nec mirum, tantam viarum curam veteres subiisse, cum earum tutelam etiam ipsis Diis commendarint: qui, Dii Vii, ἐνόδιοι dicebantur; à Plauto *Lares viales* nuncupati in Mercatore *act 5. sce. 2.* & notat Hadrian Turneb. *lib. 7. ad Aversar. cap. 15* quo sensu & Apollo à Pausania *viarum præses* appellatur *libr. 2. in Corinthiac. & lib. 8. in Arcad.* Et sacrificabatur olim *Deæ Vibiliæ*, quæ ab erroribus viarum mortales liberabat. Arnobius *lib. 4.* atque à Nicephoro Gregora fit mentio Dei genitricis τῆς ὁδηγητρίας *lib 8. histor. Roman. pag. 135.* Et compitales Lares Augustus ornare bis anno instituit, vernis floribus & æstivis, apud Sueton. *cap. 31.* Exstatque etiamnum inscriptio vetus

FORTUNÆ REDUCI
LARI VIALI
ROMÆ ÆTERNÆ
Q. AXIUS ÆLIAN.

Hinc Arnobius; possumus, si videtur, summatim aliquid & de Laribus dicere: quos arbitratur vulgus viarum atque itinerum Deos

Viarum Curatores, Viocuri.

Viarum cura ad quos spectarit.

Viæ publicæ regiæ.

Dii Vii.

Vibilia.

Deos esse, ex eo quod Græci vicos cognominant Lauros *lib.3. advers. gent.* ubi notat Clarissimus & doctissimus Elmenhorstius. Hinc tantæ dignationis viarum instructiones fuerunt habitæ, ut earum causam omnibus privilegiis potiorem cēsere debeamus. Viarum namque instructiones sive munitiones, ait Callistratus, non personarum sed locorum munera sunt *l. honor. 14 juncta l.1.§.personalia & l.cum muneris, in fin. ff. de muner. & hon.*

à viarum refectione nemo immunis.

Rectè itaque constitutum est, in hac viæ muniendæ causa, omnes immunitatis & æquitatis privilegia, quocunq; titulo cōcessæ sint, cessare debere. Ad instructiōes itinerum (*inquit Imperator*) etiā divinas domos & venerabiles Ecclesias tam laudabili titulo lubenter adscribimus *l. ad instructiones C. de SS. Eccl.* quæ quidē constitutio alio in loco iisdem ferè verbis repetitur. Ad instructiones reparationesque itinerum nullum genus hominū, nulliusque dignitatis ac venerationis meritis cessare oportet *l. absit. C. de privil. dom. August. lib.11.* Cum iis, quæ adversus Ecclesiasticos à viarum refectione nequaquam immunes adduxit, & in caussa obtinuit Amianus Robertus *lib.2. rerum judicat. c.3.*

Via publica, vel regia sequenda.

Ac quia de Viis jam nobis sermo: sciendum est, quantum quidem ad pedagia vel vectigalia attinet, semper sequendam esse viam publicam, qua communiter utuntur omnes. Si quis enim extra hanc reperiatur; tum malam adversus ipsum gigni suspicionem, ac si vectigalia fraudare voluerit. *l. præsidibus §. sed nec per aliam viā eundi quisquam habeat facultatem, nisi per quam cursus publicus stare dignoscitur. C. de cursu publ. lib. 12. & in l. qui fiscales ibi si de via sectatus, & rectas vias avertēdo, &c. C. de navic. lib. 11.* atq;

Vectigal defraudans

eo quidē casu jure constitutum est, ut gabellos, sive vectigalia defraudans, omnes merces, atq; omne id, quod vehit, si vectigal de eo, non solverit, perdat, & quidem ipso iure *l. fraudati vectigalis. commissa. l. fin. §. divi. ff de publicā. l. cum proponas. C. de naut. fœn l. qui fiscalis. C. de navicul. lib. 11.* Joā Schneidw. *in epit. feudali par. 2. n. 114.* Etsi enim text. *in l. ex prostatione. C. de vectigal.* tantum de octava parte fisco commissa loquatur: & gl. ac Bartolus ibidem inter eos, qui merces publicano intimant, & eos, qui absque intimatione fiscum defraudant, distinguendum censeat; priori casu octavam mercium partem, posteriore mercem totam commissam esse, existimantes: distinctionis tamē illius nullâ ratione habita, merces omnes per defraudantem committi, Lud. Facilisius respondit, & nomine juridicæ facultatis Lipsiensis approbavit Modestin. Pistoris *cons. 48. n. 15. vol. 2.* ad quod *d. l. ex prostatione* nō loquatur de pœna defraudantis, sed de quantitate vectigalis, ut Johan. Köppenius interpretatur *decis. 50. n. 5 6. 7. part. 1.*

L. ex prostatione C. de vectigal intellectus.

Quod tamen cum hoc temperamento recipiendum est: nisi inusitatum illud iter ex justa & legitima caussa fuisset susceptum: verbi caussa, si usitata & solita via ab aquis inundata, vel ab hostibus aut latrunculis esset obsessa; ut Matth. Colerus luculēter probat *in tract. de processibus Executivis. part. 1. c. 3. n. 83.* quibus addi poterant, quæ de viis publicis eruditè scripsit Regner. Sixt. *de Regalibus.* & Henricus Bocerus *lib. 1 c. 2. n. 49. cum mult. seqq.* *Viarum huic tractationi accedat* quæ Romæ in via Flaminia supra fontem visitur inscriptio:

SI HVMANO INGENIO PERPETVO
VIATORIBVS PARARI VINA
POTVISSENT, NON AMOENVM
QVEM CERNITIS FONTEM
AQVARVM, C. LEPIDUS MAGNA
IMPENSA ADDVXISSET
POTA FELIX.

Quæ quidem fontis inscriptio in memoriam mihi revocat venustum Epigramma illud

illud quod Ocricoli ad fontē oppido illi vicinum conspicitur.

Monte sub hoc triplici cunctis fluit unda salebris
Quæ levet arentem, si cupis, apta sitim
Siste gradũ, repara vires, hoc fôte, viator,
Dic precor, ut vireat mõs simul iste diu.

DE LIBRARIIS SIVE BIBLIOTHECIS TIT. XXII.

Bibliotheca.

Constituerant etiam loca publica, in quibus Bibliothecas habebant reconditas, quas legendi gratia intrare cuilibet permittebant. Romæ, ut P. Victor scribit, XXIX. erant Librariæ publicæ: inter quas Palatina & Vlpia *primas tenebant. Hodiè commoditate hac destituimur. Tres enim duntaxat in Italia extant:* Vaticana *Romæ;* Medicea, *Florentiæ; &* Veneta *ad D Marcum, quæ à Cardinali Bessarione Reipubl. isti testamento fuit relicta. Has non licitum est cuivis pro libitu ingredi. In Monasteriis quoq; aliqua habentur, ut* Bononiæ *ad D. Dominicum.* Venetiis *ad D. Antoniũ; & alibi aliæ, quibus tamen uti, quandocunq; volueris, non possis: sed certo quodammodo, & licentia prius impetrata. Idemq; de* Dionisiana *Bibliotheca in Gallia erit judicandum. Primus copiosam Bibliothecam instruxit Theophrastus: cui Aristoteles libros suos unà cum schola; hic Neleo discipulo suo moriens reliquit. quo mortuo, hæredes parvam bibliothecæ curam primùm quidem habuerunt. Sed cum intell gerent posteà, Eumenem Atthaliæ Regem diligenter de libris illis inquirere, ut Pergamũ transferret; sub terra eos absconderunt: ubi magna ex parte à vermibus fuerunt corrupti. Longo verò tempore iam exacto, ingente pe uniæ divenditi fuerunt. Apellitoni: qui ita corruptos eos describi curavit, ut pleni errorum restiterint. Mortuo Apellicone L. Sylla postquam Athenas cepisset libros illos Romam portari curavit, ut Strabo recitat* lib. 13. *Primus ibi Librariam dedicavit Asinius Pollio, ut Plinius scribit* lib. 25. cap. 2. *In Ægypto Ptolomæus Philadelphus Bibliothecam fundavit 700000. librorum, quæ posteà, Cæsare cum Alexandrinis confligente, arsit.* Constantinopolitana 12000. *habebat libros: Inter quos etiam Ilias & Odyssea Homeri continebatur, aureis literis in intestino Draconis descripta. Hæc tempore Basilisci Imperatoris incendio fuit absumta, ut Zonaras tradidit. quod tanquam notatu dignum referre hîc loci placuit.*

Bibliothecã quis primus instruxerit, Theophrastus.
Eumenes.
Apellico.
Sylla.
Asinius Pollio.
Ptolomæus Philadelphus.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Bibliotheca à summis semper viris condita.

FUit hoc vetustissimis quoq; temporibus sapientissimorum Regum & Principum singulare studium ac opus, ut Bibliothecas conderent, tanquã castella quædam & armamentaria Sapientiæ. In quibus non solùm ex auro argentove, aut certè ex ære (ut Plinius eleganter & summa cum amœnitate prodidit, *lib. 35. cap. 2.* dicantur illi, quorum immortales animæ in iisdem locis ibi loquuntur: quinimò etiam quæ non sunt, finguntur, pariuntq; desideria non traditi vultus: sicut Homero evenit, quo majus, ut equidẽ arbitror, nullũ est felicitatis specimen, quàm semper

per

per omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis. Moris quippe fuit ut Bibliothecæ statuis doctorum virorum, aut Musarum & Apollinis exornarentur: Sic enim Plinius junior *de Silio*: Multum ubiq; librorum, multum statuarum, multum imaginum, quas non habebat modo, verum etiam venerabatur. Et Cicero *lib. 4. ad Attic. Ep. 9.* Ego hic posui Bibliothecā Fausti. & mox: maloque in illa tua sedecula, quā habes, sub imagine Aristotelis, sed ere, quam in istorum sella curuli. Ubi Cicero *sedeculam* diminutè dicit, à sede: sicuti Symmachus *Bibliothecuiam lib. 4. ep. 18.* & Plautus *speculā* à spe *in Casin. act. 2. scē. 4.* etiam specula in sorte restat mihi. Eadem flexione *Bonuscula* dicuntur *in l. 29. C Theodos. de petit.* & Marcedula *in l. 32. C. Theod. de Navicular.* & de statuis in Bibliothecis collocatis plura congessit. Raderus in commentat. *ad Martial praef. lib. 9.* Ac si certaminum victores magnos honores meruerunt, ut in conventu stantes, sicuti Vitruvius ait, palma & corona donarentur, & redeuntes in propriam patriam, quasi victoria triumphantes quadrigis inveherentur, adhæc veste publica, perpetuoq; victu alerentur: quantò magis efferendi sunt viri illi, qui doctissimorum hominum scripta maximis impensis, & sumtibus prorsum incredibilibus anxiè ac solicitius undiq; conquirunt, quò Rémpublicam iis præsidiis communiant, quæ posteris seculis profutura sint, & unde omnis vis lepor humanitasque pendeat? In quibus nemo palmam præripuerit Ptolemæo illi Philadelpho: à quo non tantum ingens librorum numerus, ad millia fermè voluminum septingenta vel conquisitus, vel cōlectus fuit, ut Gellius scriptum reliquit *lib. 6. c. 17.* sed & Atheniensibus annonæ penuriâ pressis non prius alimenta concessa, quàm sibi Tragœdiarum Sophoclis, Euripidis, Æschyli autographorum potestatem fecissent. Pro quibus tamen, præter vectigalium im̄unitatem, XV. talenta iisdem oppigneravit: & eadem posteà cum exscriptis exemplaribus illis dono dedit. Quo Ptolemæi facto nullum generosius putat Melchior Guilandinus *in tractatu de Papyro membro 5.* Quando etiam librorū studio asserit Julianus Imperator cætera doctissimus, at Christianorū, quos per contemtum Galilæos nominabat, hostis acerrimus; id epistolæ illius initiū ad Ecdicium Ægypti præfectum perscriptæ satis indicat: *Quidā, inquit, equis, alii avibus non nulla feris delectantur. Ergo vero inde usq; à pueritia librorum cupiditate arsi.* Quam suā dentem cupiditatē egregiè manifestavit idem Imperator in eo epistola, qua mandat Porphyrio, ut mittat Antiochiam Georgii episcopi Alexandrini bibliothecā, gravi pœna irrogata, nisi integrè mitteretur. Pari ante hunc studio & cura bibliothecas conquirendi alios quoque ductos fuisse, dubium non est. Nam & *Clearchus* Heracleæ Ponticæ Tyrannus disciplinæ philosophicæ haud equidem rudis (è Platonis enim discipulis unus fuit, & Isocrati Oratori quadriennium operam dedit.) ac enim verò crudelem, si quisquā alius. civibus se exhibuit & cructum, & ad summum usque insolentiæ processit, ut & Jovis se filium nominaret: Bibliothecam tamen sibi comparando tantam consequutus est laudem, ut ea antegressus fuerit alios quo tyrannis famosos reddit, ut est apud Photium in *Memonis historia c. 2. fol. 706.* Julius Cæsar certe Bibliothecas Græcas & Latinas, quas maximas posset, publicare destinavit, data M. Varroni curà comparandarum ac digerendarum, ut Suetonius scripsit, *in vita Cæsaris, cap. 44.* Postea Octavium Augustum in ea parte domus, quam fulmine ictam desiderari à Deo haruspices pronunciârant, templum

Statuis ornata.

Bibliotheca, quale præsidium.

Ptolomæus Philadelphus.

Julianus Apostata.

Clearchus.

J. Cæsar.

Octavius.

Apollinis excitasse, addita porticu cum bibliothecis Latinis Græcisq; , idem auctor testatur *in Octavio. c. 29.* quas à manubiis Dalmatarum protinus subactorũ exstructas, & à Sororis nomine Octavianas nuncupatas Dio asserit *lib. 49.* Sed & Bibliothecas Romæ incendio absumtas, Domitianum impensissimè reparari curasse, idem Suetonius prodidit *Octav. cap. 20.* exemplaribus undique petitis, missisque Alexandriam, qui describerent, emendarentque. Sed Alexandrina illa Bibliotheca, posteà bello priore Alexandrino, dum diripitur ea civitas, non spontè, neque operâ consultâ, sed à militibus, fortè auxiliariis, incensa simul arsit, *Gellius lib. 6. cap. 17.* Refert præterea Andreas Palladius, *de Antiquita. Vrbis Romæ*, Bibliothecas Romæ fuisse 37. Sed in his præcipuas tamen Augustam sive *Octavianam, Gordianã & Vlpiam*, ab Ulpio Trajano instructam. Luculli quoque bibliothecam insignem, utriusq; Linguæ libris refertam, atque omnibus obviam & patentem fuisse, scribit Budæus *de Asse & partib. ejus lib. 2.* quibus adde, quæ de aliis quoque Bibliothecis adjecit Chassanæus in Catalogo gloriæ mundi *part. 12. consid. 73.* De Medicea autem seu Florẽtina Bibliotheca videatur Philip. Melanchthon *lib. 5. Chronicor. sub Mahomete Secundo.* Injurius verò adversus Principem meum fuerim, si florentissimam illam Bibliothecam Palatinam, quæ Heidelbergæ (heu!) fuit, silentio præterierim. de qua *Iosephus Scaliger*, helluo ille librorum, & dictator literarum, dum vixit verè unicus, *in ultima Epistola* quæ inter postuma ejus scripta reperitur, scribit, se indicem Bibliothecæ Palatinæ sedulò legisse, & eam locupletiorem, & multo plurium librorum esse, quam Vaticana sit, testatur: In qua (eodem in alia Epistola *pag. 460* ad Janum Gruterum affirmante) nihil prorsus reperit, quam vulgaria omnia, præter tres aut quatuor Mathematicos, quos etiam alibi extare sciat. Reliqua scribit ejusmodi fuisse, quæ ignorare præstet, quam unius jacturam horæ in illis legendis facere. Et quemadmodũ isti aurum, argentum, tam factũ infectum signatumq; , quod in Triumpho translatũ fuerat; in ærariũ populi Romani inferebant, spolia verò & arma hostium tanquam populi partem in publicis armamentariis, ut æterna haberent divitiarum gentium signa, condebant. Anton Voltrin. Societatis Jesu *lib. 7. de re milit. Roman cap. 18.* Ita qui rei summæ ibi præest, hodie pro clero suo hanc Germaniæ prædam Bibliothecæ, non quidem Palatinæ isti, quam olim Augustus juxta Fidei templum in Palatio exstruxit; Martianus *lib. 3. urb. Rom. typograph cap.* sed suæ Vaticanæ infert. Sed amissum hoc Germaniæ decus deplorandũ aliis relinquimus, ait author præfationis ante Hubertum Leodiũ *de vita Friderici II. Electoris Palatini ad Rhenũ.* Porrò quis Romæ primus Bibliothecam erexerit, dubitationem non habet: quando id præstitisse Asinium Pollionem testatur Plinius *lib. 35. c. 2.* Asinii, inquit, Pollionis hoc Romæ inventum: qui primus bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit. Rectè, *dicando*. Erant enim Bibliothecæ Musis & Apollini sacræ. Hinc veluti templa Musarum dicuntur *dedicata*, & proprium esse verbum *dicare*, cum ad Bibliothecam refertur, probat Raderus in comment. *ad Martial. ep. 16 lib. 7.* ex Plinio *lib. 35 c. 2.* Quo in loco tamen ambigit nonnihil, utrum Alexandriæ & Pergami Regum bibliothecæ prius exstiterint. Addit enim: An priores cœperint Alexandriæ & Pergami Reges, qui Bibliothecas magno certamine instituêre, non facilè dixerim. Planè quod Strabo asserit, Aristotelem Ægypti Reges bibliothecæ

Domitianus.

Alexandrina bibliotheca incendio perit.

Romæ quæ bibliotheca præcipua. Lucullus.

Bibliotheca Palatina Heidelberg.

Et jam Vaticana præ lata Romã

Romæ Bibliothecam primus instituit Asinius Pollio.

An Alexandrina bibliotheca instituenda Aristoteles author. Strabo refutatur.

Syntaxin

Syntaxin docuisse, quo scilicet ordine hæ instituendæ essent: id nulla ratione probabile fieri potest. Quomodo namq; Aristoteles Ptolemæum secundum ab Alexandro Magno Regem Ægypti, qui primus Bibliothecam Alexandrinam instituit, ejus Bibliothecæ Syntaxin docere potuit, si, antequam Ptolomæus isto cognomento Philadelphus regnum susciperet, Aristoteles jam ante annos prope XL. in humanis esse desierat? Neque fuit res ea tanti momenti, ut propterea Aristoteles à mortuis excitandus, atque sic consulendus fuerit, quemadmodum hanc Strabonis sententiam Melchior Guilandinus, vir multi juga rerum plurimarum cognitione, & eximia doctrina præcellens, in tractatu de Papyro.

Melchior Guilandinus.

Docto (Iupiter!) & laborioso;

solidè confutat: quem adire operæ erit precium. Cæterum Bibliotheca in jure nostro non tantũ armarium sive locum, in quo libri reponuntur *l. quæsitum* 12. §. *instructo.* 34 *ff. de instr. leg.* sed & libros ipsos denotat. *l. Labeo.* 50. *ff. de cõtrah. emt.* Idq. communi usu recte loquentium ita receptum esse Pompejus Festus probat: qui Bibliothecas & apud Græcos & apud Latinos, tam librorum magnum per se numerum, quam locum ipsum, in quo libri collocati sunt, appellari testatur. Legata igitur Bibliothecâ; & armaria & libros deberi quidẽ; sed in hoc tamen testatoris mentẽ, Utrum ex his senserit, potissimùm intuendam esse Nerva censuit: & Ulpianus probat *in l. librorum* 52. § *sed si bibliothecam de legat.* 3. Nam si membro adhærcant vel adfixa sint armaria: negat ea legato cedere: cum ædificii portio sint, quo in loco *Membrum* Ulpiano cubiculum significat: ut & in *l. si ita fuerit.* 13. § 1. *de manum. testam.* & *Foruli* librorũ sunt, in quibus veluti capsis certo ordine graduq; illi reponuntur. Martialis *nidos* vocat *Epig.* 17. *libr* 7.

Bibliotheca non tantum locũ, sed & libros complectitur.

Librorum foruli.

Hos nidos licet inferas vel imo,
Septem quos tibi mittimus libellos.

Ubi *in nido* imo, idem est, quod infima statione, infimo ordine. Librorum autem festiva descriptio, & elegans encomium exstat apud Lucam de Penna *in rubr. C. de navicul. seu naucler. publ. libr.* 11. quod in hunc locum transscribere, non abs re putavi. Liber (inquit) est lumen cordis, & speculum corporis, virtutum repertorium, vitiorum confusorium, corona prudentum, diadema sapientum, honorificentia Doctorum, clarificentia Rectorum, comes itineris, domesticus fidelis, socius colloquentis, collega præsidentis, vas plenum sapientiæ, via recta eloquentiæ, hortus plenus fructibus, pratum fluens floribus, mare sine fluctibus, principium intelligentiæ, fundamentum memoriæ, hostis oblivionis, amicus recordationis: Vocatus properat, jussusque festinat, rogatus respondens, fideliter obediens, contra fortunas luctor, atque verus tũr ductor; hortus conclusus, & fons signatus, putens aquæ vivæ, Paradisus absq; ruina, ædificans tegnarum si reperit ignarum, nunquam patitur fastidium, etsi graves eum nimium, arcana revelans, obscura clarificans.

Librorum encomium.

Quibus non planè absimile est, quod Aristoteles dicebat. Literas inter secunda & prospera ornamentũ esse, & inter adversa refugium. Quo sensu & Plinius *lib.* 9. *epist.* scribit, Omni studioso ex studiis esse solatium Mihi sanè (inquit Corasius *in epist. quæst. cap.* 18.) omne vitæ Solamen, dicam amplius, vivendi desiderium auferret, qui libros, veteres meos amicos mihi adimeret. Quo fit, ut omni solatio studiosi, ne dicam docti homines privari videãtur, quib. custodiâ collocatis, studiis interdicitur. Quod pœnæ genus suadent Tranquilli verba, *in Tiberio cap.* 61. Qui-

Litera in utravis fortuna vel ornamentum vel refugiũ.

Studendi solatium [illegible]

& sermonis usus ademtus.

busdam, inquit, custodiæ traditis, non modò studendi solatium ademtum; sed etiam sermonis & colloquii usus. De Librorum autem materia, ex qua olim confecti fuerint, commodior nobis erit dicendi locus *lib. 2. tit. de Charta.* & de singulari librorum privilegio, quippe per quos & ex quibus comparantur laus, gloria, honor & opes sempiternæ, videri poterit Michael Beuther. *lib. 1. consultation. in jure prælation. c. 21.* Ne enim Respub. ex perniciosa librorum privatione aliquid detrimenti capiat, placuit eos studiosis obæratis relinquendos esse, ut not. *gl. in l. Nepos Proculo verb. dignitate. de verbor. signif.* Ac sicuti in executione judicati, arma non sunt auferenda militibus, neq; ipsorum stipendia, ut notat Angel. *in §. item Serviana. num. Inst. de action.* ita nec libri scholaribus. Ut proinde traditū sit, sententia adversus studiosum lata, executionem tamen rei judicatæ in libros ejus non rectè fieri. Jason. *in d. § item Serviana n. 64. 65.* post Bal. in Margarita *in verbo Scholaris.* Hoc amplius, etsi Scholaris bonis cesserit, non poterunt tamen libri à creditoribus ei auferri. Quod idē Baldus eleganter notat: *ad rubr. C. qui bonis ced. poss.* & Jason loco jam allegato. Jam si libros Studioso auferre fas non est: qua ratione excusari poterit eorum combustio? Quæ tamen pœna in *Labienū* (qui, quòd passim omnes lacerabat, *Rabienus* vocabatur) primum fuit excogitata. Effectum enim est per inimicos, ut omnes ejus libri comburerentur. Quæ res (*ait Cœlius Rhodiginus*) inusitata fuit, & prorsus mira, supplicium de studiis sumi. Eam contumeliam Labienus non tulit, nec superstes, ut inquit Senecæ ingenio suo esse voluit: sed in monumente majorum suorum se ferri jussit, atque ita includi: veritus, credo, ne igni, qui Nomini subjectus erat, sibi negaretur: nec tantum finivit ipse se, sed sepelivit. Cassius Servius Labieni amicissimus, cum ex senatus Cto libri ejus comburerentur, nunc, *inquit*, me vivum uri oportet, qui illos edidici. Rhodig. *lib. 11. lect. antiq. c. 13.* Quam in rem multa præclarè congesta sunt à Michaele Piccarto *Decad 7. observ. Historicopol c. 13* Quod ille caput magno cum judicio ita concludit: Aboleantur sanè (libri) non pii, in Deum contumeliosi, & stuprandis liberalibus moribus apti: sed vigeant vivantq; & grata mente volvātur libri boni, & quà publicè quà privatim utiles Judicium autem de libris ferant, quibus oculus mentis nulla suffusione; h. e. præjudicio est vitiatus, non malevoli, aut affectionum mācipia. Istud præterea hic monuerim, Bibliothecas, ex Vitruvii præcepto, ad Orientem spectare debere. Usus enim matutinum postulat lumen: & in hujusmodi bibliothecis libri non putrescent Nam in his, quæ ad meridiem & occidentem spectant, à tineis & humore vitiantur; quod venti humidi advenientes procreant eas & alunt, infundentesq; humidos spiritus pallore volumina corrumpunt. *Vitruvius lib. 6. Architect. c. 7.* & ex Sidonio Apollinari colligit Savaro, olim in villis & fundis rusticis Bibliothecas quoque extructas fuisse, ut nullum à studiis tempus vacaret. Docet hoc Paulus *lib 3. sent. Tit. 7. de legatis. §. instructo fundo legato*, libri quoque & Bibliothecæ, quæ in eodem fundo sunt legato continentur. Docet item Martialis *lib. 7. Epigr. 16.*

Librorum privilegiū.

Librorum combustio.

Bibliotheca Orientem versus statuenda.

> *Ruris Bibliotheca delicati*
> *Vicinam videt unde lector urbem.*

Atque eò pertinet illud Horatii *Satyr. 3. lib. 2. sermon:*

> *Si vacuum tepido cepisset villula tecto,*
> *Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro?*
> *Eupolin, Archilochum, comites adducere tantos?*

Et

Bibliotheca Doctis instar thesauri.

Et consortii sui agrum thesauris bibliothecalibus largè refertum prædicat idem Sidonius *lib. 8. ep. 4.* Rectè ait *thesauris*. Est enim librorum copia doctis hominibus thesaurus, quem propterea & *mysticam gazam* appellat *lib. 9. ep. 9.* Themistius uti animam viri cujusque sapientis sapientiam ipsam esse intelligit: & mentem ac rationem: ita *sepulchra horum* libros & scripta esse ait: in quibus reliquiæ illæ ceu monumentis conditæ jacent *orat. 2.* ubi doctissimus Remus Bibliothecas ita habendas esse monet, ne *sepulchrorum ritu* perpetuum claudantur.

DE ÆDIFICIIS PRIVATIS TIT. XXIII.

Antiquorū ædificiorum consideratio.

SEd nec nostra quoq; ædificia cum veteribus formâ aut elegantia comparanda sunt, quantumvis exculta satis atq; illustrata sit Architectura. Veteres ante portam magnificarum ædiū, Vestibulum *statuebant: quod erat porticula quædam antis sive ostii lateribus obfirmata: in qua, ostio occluso, sub tecto stabatur. Servius secundo Æneidos, ad illum Virgilii versum: Vestibulum ante ipsum, &c. cameram fuisse dicit, duabus sustentatam columnis. Modulum seu formā hujus videre est Romæ,* alla Rotōda, *in Pantheo, à M. Agrippa exstructo, ubi pulcherrimæ conspiciuntur columnæ ante portam ex nitidissimo ære solide conflatā. Posteà per portam amplam ingressus patebat ad atrium, quod ipso ingressu multo erat latius, ad dextram & sinistram se extendens. Extremitates verò illius muris erant occlusæ versus Cavadium. Ibi ad murum appensa habebant arma, & ad alterū latus cibum capiebant. Erat ibi & Pluteus; quē locum Tablinum dicimus, in quo 1. Maiorum imagines & res præclarè gestæ erant depictæ. Ex altera parte Culina erat: Inde in porticum deveniebatur ipsam aulam sive Cavadium circumdantē. Quia enim quadratum erat Cavadium, quatuor concludebatur porticibus, quas Ambulacra rectè dixeris. Intrinsecus habebantur undiq; conclavia: & adversus ostium locus erat collationibus & disputationibus destinatus. Quod si spaciosa & magna essent palatia: duæ aut tres inibi constituta erant Aulæ, porticibus quaque versus cinctæ: ad eum plane modum, quo Vitruvius* describit. Habebantur ibi &* horti *item 2.* Sphæristeria, *in quibus pilæ lusus exercebatur: Item* Balnea *&* Triclinia, *quæ conclavis erant cœnationi commoda: ut & loca festivitatibus idonea: Item* Piscinæ, *& id genus alia affabre exstructa, quorū commoditate nos maxima ex parte destituimur. Sed quia in primitiva Ecclesia multi palatia sua Monachis donabant: inde evenit, ut hi etiamnū in Monasteriis exstruendis eam obtinuerint modum, ad quem palatia illa erāt ædificata: ut Blōdus scriptum reliquit: 3. Idem quoq; prodidit, Veteres non usos fuisse Caminis, sed aquam inferius calefecisse, & canaliculis quibusdam per medios muros dispositis ita ordinasse, ut in hos ferventis aquæ vapor immissus per certā quædam orificia conclavibus adæstata exhalaret: æstatis tempore per eosdem meatus frigus captatū emitteretur. Verùm ego crediderim. Eos etiam caminos usurpasse, quibus nos utimur. 4. cum &* Vaporarii & camini *verbum in hac significatione inveniatur. Conclavia*

* *Lib. 6. c. 3. 2. & seqq.*

2.

Monasteria veterum ædificiorum formā quodammodo repræsentat.

3. *Veteres an Caminis usi.*

4.

 sternebant,

5. *Musivum opus.*

sternebãt. 5. Musivo opere, *mormoribus infrustra comminutis. Plinius de quodam scribit, qui hoc pavimentorum genere tam artificiosè minutis quibusdam, tessulis expresserat cœnarum reliquias, quæ scopis solent everri, ut semper viderentur pavimenta illa non esse purgata: eaq; quæ in pavimento depicta erant, vera viderentur ossa putamina, aut alia analecta in terram projecta. Videbantur ibi duæ columbæ ex uno vase bibere, & altera harum aquam umbra capitis infuscare. In ædificiis antiquis quæ eruuntur, videre est opera ista : quæ* Musiva vel Mosaica *dicuntur. Ea olim appellabantur* Lichostrata, *ut Plinius scribit:* * *de quibus etiam Evangelium loquitur. Ædes maxima ex parte non erant contiguæ, interjectis in medio Cloacis, aut viis quibusdam angustis. Antè surgebant in acumen, frontispicium constituentes. Unde Architecti recensiores portarum & fenestrarum ornamenta sumserunt. Et illæ quidem 6. nominabantur* Insulæ. *Quarum verò stillicidium in viam derivabatur, & quæ testudinis forma ædificata erant, eæ* Domus *appellabantur, & hæ erant magnificentiores. Et ideò P. Victor scribit, Arcadii & Honorii temporibus, Romæ 4662. Insulas; & 1780. domos fuisse. Portæ clavis compactæ erant ex ferro lucidissimo, ad eum modum, quem Latini* Quincuncem *dicunt, iidemq; clavi sæpè fricabantur. Plautus Asinaria:* Jussine in splendorem dari bullas has foribus nostris ? *Aperiebantur utroq; latere.* Virgilius 4. *Æneid.*

* *Lib. 36. cap. 25.*

6. *Insula. Domus. Porta ædii.*

Quomodo Aperta.

Concedunt tectis bipatentibus :

ubi Servius; & maxima ex parte occlusæ tenebantur, ut ex Plauto, Terentio, & Plutarcho in Publicola colligitur. Virorum triumphalium portæ extra aperiebantur, 7. janua in publicum reiecta, quæ antequam aperiretur, tintinnabulo pulsabatur, ne præeuntes offenderentur. Plutarchus *in vita Publicolæ, &* Plinius *libr. 36. cap. 15.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Ædificiorum cultus decus Urbium.

MAnifestius est quàm ut dici debeat, Ædificiorum cultu decus Urbium acquiri, & ædificantium habitationes Civitatum ornamento adiici *l. 2. C. de præd. & omnib. reb. navic. lib* 11. Sed id absque *Architectura*, quod commune omnibus artificiis nomen est, commodè fieri nequit. Quæ singulari cultu, magnificentia atque nitore non modo urbes, publica privataque ædificia expolire, & concinnè ornare; sed & magno fastu, stupendis impensarum sumptibus, præclara & magnifica illa ædificia septé construere docuit; quæ humanæ industriæ miracula mundus admiratur. Itaq; nobilissima *Architectura*, in summo collocata fastigio, totius universi ornamentum jure nominatur. Quæ etenim urbs, quod oppidum aut castrum absque architecturæ præsidiis, vel minima nominis celebritate claret? illa ædificiorum magnificentia, populi opes, vasta propugnaculorum mole, murorum & turrium dispositione ac ordine Moderatorum curam ac providentiam spectantibus non obscurè demonstrat. Eam proinde *Daniel Barbarus* omnium artium

Architectura.

prin-

principem ac dominam, judicem atque Reginam artificiorum & inventorum optimo jure vocat. Quam & *Vitruvius* scientiam dicit, pluribus disciplinis & variis eruditionibus ornatam. Cujus judicio probantur omnia, quæ à cæteris Artificibus perficiuntur opera. Cujus quidem artis dignitas ex eo maxime elucet, quod ejus nomen à principatu; quē inter omnes artes obtinet, sit derivatum. Quare & Plato Architectū præesse ait, his, qui artibus utuntur. Sed ab hac Architecturæ commendatione illud Gellii me dehortatur; Turpius esse putantis exiguè atq; frigidè laudare, quam insectanter & graviter vituperare. Quod pluribus executus est *Georgius Brun* Agrippensis in doctissima præfatione *civitat: orbis terrarum*. Ipsis vero etiā Decemviris curæ fuisse pulchrā & decoram Civitatis faciem, vel ex eo planum fit, quod ædificiorum ruinis publicum aspectum deformari noluerunt. Tignum enim (cujus appellatione *in L.* 12. *tabb.* omne genus materiæ, ex qua ædificia constant, significari Cajus ait *in l. tigni* 62. *de verb. signif.*) alienum vel furtivum ædibus, vel vineis junctū, Lex XII. tabb. neq; solvere, hoc est, eximere permittit, neque vindicare. Quod prudenter Lex effecit, ut Ulpianus ait *in l. 1. ff. de tigno juncto*, ne vel ædificia sub hoc prætextu diruantur, vel vinearum cultura turbetur. Sed in eum, qui convictus esse junxisse, induplum dat actionem. Qua de re tamē, & quæ sit domino Tigni repetio: quæ domino ædium facultas ejus eximendi, si velit ejus restitutione dupli aut etiā simpli æstimationem vitare; videndus est Hugo Donellus *lib. 4. Coment. iur. c* 33. Verba autem Legis Decemviralis ita nobis restituit ingeniosissimus Scaliger ad Festum *Tignum ædibus, vineaq; concapes ne solvito*. Ubi pro *concapes*, exemplaria quædam habebant *concapus*: quam vocem corruptam esse ipse etiam Balduinus agnoscit. Alii, quos Arnoldus ab Hærsolte sequitur. *tract. de actionibus. part. 7. act. 10.* pro Concapes legunt *& capulo*: qui quasi noluerint decemviri tignum Capulo sive feretro, quo mortui efferebantur, junctum dissolvi: ne funus impediatur, neve justa hominis mortui turbentur. Pia sane interpretatur, sed ad rem minus accōmodata. Etsi enim per *Capulum* Festus inter alia etiā id intelligit, quo mortui efferuntur, Capuli tamē, in Tigni explicatione, mentio apud Festum nulla: Nullā quoq; apud JCtos, qui Legem istam interpretantes, Ædium quidem & Vineæ crebro; Capuli autem nunquam meminerunt. Pardulphi Prateii emendatio *Concaptum* habet, h. e. conceptum cognitumque; at viri docti non usquequaque captum. Doctissimus Turnebus *lib. 13. Adversar. c. 27.* in hoc fluctuat. Nam aut, *Copula ne solvito*: aut, *ne vindicato, ne solvito*: aut, *néve capito, néve solvito*, legendum putat. Quælibet harum tolerabilis lectio; sed ab antiquis libris, qui *Concapet* habent, nimium recedens: quorum tamēn non negligendam esse auctoritatem ingenuè fatetur. Propior verò hæc: *Cum capite ne solvito.* quæ in effectu idem, quod Scaligeri Concapes tignum significat: sic dictum, quod habeat caput suum cum capite vineæ vel vitis commissum. Caput enim vineæ; radix est Rei rusticæ scriptoribus, Sic namque Virgilius 2. *Georgic.*

—superest deducere terram
Sæpius ad capita.

Ubi Taubmannus ex *Turnebo*: capita vitiū, inquit, stirpes sunt & radices, quibus tanquam ore alimentum attrahatur. Quo sensu Plato forte *hominē arborem inversam* dixit. Concapes igitur cum dicunt. Decemviri, depactum ac fixum terræ significant; ad vitem vel vineam sustinendam. Ex quibus perspicuum fit, Scaligeri casti-

Nomen.

Tignum quid.

Cur ædibus vineæ junctum non eximendū.

Lex 12 tab. De tigno varie lecta & emendata.

Capulum quid Festo.

Concapes quid?

Caput quid in re rustica

castigationem omnibus aliis meritò præferendam.

Tigna legari prohibita. Eandem porrò ob caussam, ne scilicet ædificiis depositis publicus deformetur adspectus *l.2. C. de ædif. privat.* SCto ea legari prohibētur tigna, quæ ædibus juncta sunt. *l. cætera.41.* §.1. *de leg.1.* nisi absq; injuria seu deformatione illarum auferri ea possint *l. unum.21.* § *fin. de legat.3.* & nisi ad opus Reip. faciendum legentur. *d. l. cætera.* §. *sed si quis ad opus.* tū enim à favore publico Urbis ruinis non deformandæ recedemus, propter favorem publicum majorem. Utilitati scilicet publicæ magis favendum, quàm ornatui ædium, nemo negaverit, & oratione generali publicam utilitatem non coërcendam, sed juvandam potius constat *arg. l. hoc modo.64. in fin. ff. de condit. & demonstr.* Cæteroquin ædificiorum contemplatione, & ne Urbs ruinis deformetur, placuit eum, qui nullo prohibente, in publico ædificaverit, cogendum non esse ut ædificium illud tollat vel demoliatur. *l.2.* §. *si quis nemine.17. & l. ult. ff. Ne quid in loc. publ.* ut nec ædificiū perficere volentem, prohibendū, si satis dederit cum ad decus Urbium pertineat, ædificia non derelinqui *l prætor ait.2.* §. *hoc interdictū,10. ff. de Novi oper. nunciat.* & horum ruinis Urbis aspectum non deformari: adeò ut Magistratus incumbat officio, inspectis ædificiis dominos eorū ad refectionem compellere; & contra detrectantem competenti remedio deformitati auxilium ferre. *l præses.7. ff. de offic. præsid.* ut & cautionem de damno infecto exigere. *l. in stipulatione. ff. de damno inf.* & ne quid ex illis detrahatur, inhibere *l cætera 41. de legat 1.* Quinimò diruí jubētur omnia, quæ per diversas Urbes vel in foro vel in publico quocunq; loco, contra ornatum & commodam ac decoram civitatis faciē exstructa noscuntur *l. præscriptio.5. C. de operib publ.* sicuti autē ædificiorum destructio sive demolitio vetatur *l.2. & 3 C. de ædif. privat.* ita eorundem restitutio atque reparatio præcipitur *l. singularū.8. C. eodē & l. ult C. de jure Reipubl. lib.1.* in tantum, ut relictum pro cōstructione vel reparatione domus, publicum favorem continere dicatur. ut per notata in *l. si quis pro redemtione.36.* §. *eādemq; libertatem. C. de donation.* Consultus respondit Tiber. Deciā. *Resp.15. n.31. 32. vol.4.* Hinc quamvis jure cautum sit, Eū qui tempore prior est, omnibus aliis creditoribus præferendum esse. *C. quia prior. de Reg jur. in 6. l quoties utriusq; 99. ff. eod. tit. l. qui balneū 9 ff. qui pot. in pign. hab:* si hujus obligatio vel unius tantum horulæ spacio alios præcesserit. *ut not. gl. in l. ex pluribus 89.* §. *fin. verb. ex usu ff. de Solut.* Facit tamē singularis ædiū & Urbis favor, ut qui ad ædium restitutionē, hoc est reparationem sive refectionem (idenim hoc loco restituere significat. *l. cum duobus.* §. *idem respondit ff. pro socio.*) pecuniam mutuā credidit; aliis etiam creditoribus, quamvis hypothecam habentibus & tempore prioribus præferatur. *l. creditor.25. & ibi Donellus. ff. si cert. pet.* eò quod pecunia sic credita salvam fecerit totius pignoris caussam *l. interdum. & l. seq. ff. qui potior. in pign. hab.* Quod Papinianus non tantum ad eum pertinere interpretatur, qui domino insulæ vel ædium pecuniam mutuam dedit; sed & qui redemtori operis, domino mandante numos administravit. *l.1. ff. in quib. causs. pig. tac. contr.* quia nihil interfit, utrum pecuniam domino, an alij, jussu ejus, in eandem caussam dederimus *l. solutum.* §. *solutā. de pig. act.* Petrus Loriotus *in d. l. creditor. 25. ff. si cert. pet* Quid ergò? an & ad navis, aliarumq; rerum refectionem hoc erit protendendum? quod Accursius malè putavit. Nam cum SCtum illud, quod Papinianus interpretandum susceperat, de eo factum

Tempore prior.

Restituere est reficere.

Mutuam pecuniam ad ædium refectionem aliis præfertur creditoribus.

An & in Navis refectione idem? Quod negatur contra Accursum.

ctum sit nominatim, qui ad *ædificii* refectionẽ exstructionemve crediderit: haud dubiè cæteri excluduntur verbis, qui ad refectionem *alterius rei* pecuniam crediderunt. Nec enim eadem caussa est ædificii reficiendi, & navis aut alterius rei conservandæ. In ædificiis tuẽdis sarciendisq; publica versatur utilitas. Agitur enim in eo dignitas Urbis & ornamentum, ut ædificia integra sint & benè composita; non cassa, non ruinosa: ne ruinis, ut supra dictum est, aspectus Urbis deformetur. Horum nihil simile in navi & cæteris rebus, ut proinde dicendum sit, Verbis SCti cessantibus & sententiâ, pignus in cæteris rebus non contrahi. quæ aut refectæ, aut emptæ ex pecunia nostra fuerint: nisi de eo generaliter aut specialiter convenerit. *l. q. avis. 17. C de pignor.* Idq; Hugo Donellus latius prosequitur. *in tract. de pign. cap. 5.* Quid autem si ampliorem sum̃am crediderit quis, quâ necessaria vel requisita esset ad refectionem, habebitne insolidum prælationis privilegium? Negat hoc Zasius, & beneficium hoc in summa excurrenti cessare tradit *in l. creditor. 25. num. 7.* post Jason. *ibid. nu. 3. ff. si cert. petat* per textum *in l idemq; est 7. vers. quod si res non in totum. ff. qui potior. in pign. hab. & in l. Lucius 7 vers. quare & si in ea caussa fuerit. ff. de exerc.* ut Michael Beuther. Consultat. sive Resp. *de jure probat. lib. 1 c 20 fol 35.* Sed quoniam ædificandi luxuria, ut fit, in dies latius serpebat: certus posteà modus & forma usitatæ altitudinis fuit præscripta, quam excedere nemini licuit. *l. qui luminibus. ff. de serv. urban. prædior. l. 1. C. de ædif. priv.* Barnabas Brissonius *lib. 1 selectar. interpret. cap. 1.* & Joh. Corasius *lib. 3. Miscellan. c. 24. n. 6.* Prudenter sanè. quandoquidem cum in aliis omnibus, tum verò in ædificiis potissimum placuit, honestum modum servandum esse, non immoderatam cujusq;

An in summa refectionem excurrunt.

Modus ædificius positus.

luxuriam subsequendam. *l. ex damni 40. ff. de damno inf.* Præterquam enim quod parùm decorum est, superfluas ædificationes aggredi. *cã. pulcra. 86. distinct.* experientia magistra docemur, Domus in quibuslibet Urbibus non modica impensa sustentari *can. non liceat. 12 q 2.* adeò ut ex Celso & Proculo Ulpianus notet, plures sumtui impares eò redigi, ut domus aliis cogantur derelinquere. *l. sed. an ultrò 10. ff. de negot. gest.* Nam ut Græcum habet elegans epigramma, ita ab Alciato latinè redditum.

Ædificare domos, multorum & pascere ventres
Pauperiem in miseram prompta frequensq; via est.

Alciat ad *l. ædificia 139. n. 4 ff. de verb. significat.* Ut taceam, quamlibet etiam habitationem ruinæ vel incendio subjectã esse. *l. cum hi. 8. fin ff. de transact.* quod enim tam firmum ædificiũ est, ut fluminis, aut maris, aut tempestatis, aut ruinæ, incendii, aut terræmotus vim sustinere possit? apud Ulpianũ Labeo ait *in l. fluminũ. 24. § Servius. de damno inf.* Quo pertinet gravis illa Bernardi ad Nobilem quendã admonitio: Si vis, *ait*, ædificare domum, inducat te necessitas, non voluptas. Cupiditas ædificandi, ædificando non tollitur. Nimia & inordina ædificandi cupiditas exspectat ædificii venditionem. Turris completa & arca evacuata faciunt tardè hominem sapientem. Præterea ornanda est dignitas domo, nõ ex domo tota quærenda; nec domo dominus; sed domus domino cohonestãda, ut est apud Tulliũ, quẽ Luc. de Peñ. laudat *in l. 2. C. de prædiis & omnibus rebus navic. l. 11.* & ut ille dicebat, nõ lapidib. & picturis, sed inhabitantium virtute domus decoranda. Equidem iis, qui sumtuosas ædes in perpetuam scilicet sui memoriã, extruere tantopere gestiunt (nõ secus ac *Agrigentini* de quibus

Bernardi præceptum circa ædificationem.

Plato dixisse fertur, eos quasi semper virtutos ædificare & comedere quasi semper morituros, ut est apud Ælianum *lib.* 12. *variar. histor.*) illud Johannis Cœli Megapolitani Epigramma etiam atque etiam inculcandum censeo:

Joh. Cælius Megapolitanus.

Hicubi nulla mora est, & mansio nulla perennis,
Æternam tibi vis ædificare domum
Ædificare parũ curãs, ubi mansio quondã
Æterna est, & non interitura mora.

Nihil enim in hoc universo tam constans & durabile licet cernere, quod mutationi non sit obnoxium, & temporis dentibus corrosum peredatur tandem.

—monimenta fatiscunt,
Mors etiam saxis Nominibusq; venit.

Ædificiorũ ætates.

Ut Ausonius conqueritur. Nec novum est, ipsis etiam monimentis & ædificiis ætatem quandoque attribui, juventutem nimirum & senium. Sic enim ædificiorũ ætates æstimandas sive examinandas esse Ulpianus scribit in *l. domus 58 ff. de legat.* 1. Quo in loco etsi Cujacius per ætatem intelligat amplitudinem & magnitudinem *lib. 6 observat. cap. 3. & lib. 18.* nihil tamẽ restat, quo minus in proprio suo sensu id verbum accipiatur. Nam & ædes ætatis senio concuti legimus in *l. 15. C. Theodos. de operib. pub.* & ornamenta urbium & decora marmorum sentire sensum temporis *in l. 6. eod. tit.* & Cassiodorus *lib.* 1. *varia. ep. 25.* Antiqui principes, scribit, nobis meritò debent suas laudes quorum fabricis dedimus longissimam juventutẽ: ut pristina nativitate reluceant, quæ veternosa iam fuerant senectute fuscata. Et Mamertinus *in Panegyrico Iuliani*, dixit, urbium mœnia renovata ab Imperatore induisse juventutem. Sic ædibus etiam *Canos* tribuit Ovidius *lib.* 1. *Amor. eleg. 8.*

Ætatis senio concuti.

Canescunt turpi tecta relicta situ

Eodemq; sensu Ennodius Ticinensis *ad Boetium.* Ædificia ejus, scribit, sub negligentia consenescere, & alibi:

Abjurãt priscam, te Præsule, tecta senectã.

Pati quoque forma ætatem Chirographi legimus *in l. 1. C. Theod. si cert. petat*, & ætatem vino accedere, apud Plinium *lib. 23. cap. 1.* Ipse etiam Symmachus papyri senectutem dixit *lib. 43. & ep. 35.* ætatem charitatis de epistolarum tyrocinio non debere æstimari. Prout diligenter hoc annotavit Francisc. Iuretus in Notis ad Symmachum *lib. 1. c. 4.*

In quo majorũ imagines) Solebãt Romani, qui nobilitate & majorũ suorũ gloria, præstabant, mortuorum imagines ad similitudinem vitæ, totiusque corporis delineationẽ effingere, ut vitæ seriem servantes, & juxta imagines cujusq; propriã virtutem, haberẽt quos imitarentur. Eodem modo unusquisque è parentibus ejusmodi statuas, & ornamenta habuit, ut ex eorum picturis quisq; intelligat quantas in repub. dignitates singuli & honores gesserint. Ut notat *Photius ex Diodoro Siculo lib 31.* Eas defunctorum imagines in celeberrima ædium parte ponebant veteres lignea quadam ædicula circumsertas: easdemque persolennitates publicas aperiebant, & cum studio exornabant: ut videre est apud Polybium *lib 6. cap. 51.* Quò pertinet illud Salustii *in Iugurth.* Nã sæpe audivi, *(inquit)* Quintum Max. Publ. Scipionẽ, præterea civitatis nostræ præclaros viros solitos ita dicere, *cum majorũ imagines intuerentur, vehementissimè sibi animum ad virtutem accendi:* scilicet non ceram illam, neque figuram, tantam vim in se habere, sed memoriâ rerũ gestarum eum flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adæquaverit Joh. Corasius *lib. 3. Miscellean. c. 3. n. 1.* Accedat illud Valerii Maximi de *Manlio Torquato*: Videbat se in eo atrio cõsedisse, in quo illius Imperiosi Torquati se-

ti severitate conspicua imago posita erat: prudentissimoque Viro succurrebat effigies Majorum suorum cum titulis suis, idcirco in prima ædium parte poni solere, ut eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur. Nam si legentes intuemur illustrium virorum præclara facinora, quibus æternitatem meruerunt, Nitamur ad honestos labores, & studium immortalitatis: quanto hic amor laudis & gloriæ ambitus animos nostros vehementius percellet, spectantes eorum iconicas imagines, & quasi cominus congredientes cum his, qui sibi illud nomen, eamq; apud posteros nominis celebritatem pepererant? ut egregiè scripsit Cœlius Calcagninus *lib.* 15 *ep.* 8. Quis est enim quem impetus ad laudem non rapiat, cum imagines virorum, quos sua virtus fecit insignes; velut vivas omnes spectet ac spirantes? aut hoc spectaculo quid potest aliud esse pulchrius?

Sphæristeria.

2. *Sphæristeria*) Sphæristeria Accurs. ridiculè interpretatur loca herbis amœna *in l. si quis* 16. *ff. Mandati.* cum tamē hæc locum inprimis exercitio pilæ deputatum designent. Ut sit sphæristerium locus, ubi *sphera*. h. e. pilæ vacabant veteres; & sphæræ lusus, pro lusione pilari accipiatur, pila

Pila lusu veteres oblectati.

enim sparsiva oblectatos eos fuisse, & inprimis quoq; Sidonium Apollinarem ex ipsius liquet epistolis: ut proinde *Spheristæ* sint, qui sphæra ludunt: quorum quidē pila ludentium adversa fronte constituta erāt paria. Sic enim Sidonius: Et ecce hinc sphæristarum contrastantium paria, inter rotabiles Catastrophorum gyros duplicabantur *Ep.* 9. *libr.* concurrebant nempe sphæristæ, atque alter alteri pilam subripere conabantur: nec nisi agiles & pede strenui, ludo pilari apti erant Ex quo natum credo illud proverbiū: *Asinus segnis inter spheristarū ordinē celeri volatu discurrit.* Nec ignota est illa in jure proposita facti species: cum pila complures luderēt, quidam ex his servulum, cum pilam præcipere conaretur, impulit: servus cecidit, & crus fregit. Quærebatur an dominus servuli lege Aquilia cum eo, cujus impulsu ciciderat, agere posset? Respōdit Alfenus, non posse: cū casu magis, quam culpa videretur factum *l. si ex plagis* 52, §. *fin. ff. ad L. Aquil.* Quo in loco notandū est, non absque impetu vel vehementi motu lusum istum fuisse exercitum. Quod etiā ex *l. itē Mela.* 11. *in pr.* colligitur. Et, quia omnes corporis partes æqualiter eò exercentur; minus mirari subit, cum etiam principibus viris fuisse usitatissimum. Idq; ex ultima Platonis epistola ad *Dionysium Iuniorem* Siciliæ tyrañum cōstat: ubi collusores pilæ cum tyraño salvere jubet. Et ei cuivis accedendum est, ut salubris exercitatio sit, corpore bene purgato, & intēperantiæ cautione: sicuti & in rebus ceteris. De quo consule Galenū *lib. de sanit. tuend* & Hieronym Mercurial. *lib.* 5. *Gymnast cap.* 2. sed & pilæ, sive ludi istius genera diligenter explicat Josephus. Quercetanus *in Diatetica polyhisto. sect.* 2. *c.* 11. *fol.* 241. Sphæristeriis autem plerunque & *Aleatorium* jungebatur: quod erat locus, ubi Aleatores tales ludebant, & in quo pilæ labore fatigati se refocillabāt, viresque integrabant; prout interpretatur Savaro ad Sidon. Apollin. *ep* 2. *lib.* 2. Quo fit ut Sphæristeria & locum balnei rotundum denotent: in quo Veteres frictiones suas & varia exercitationum genera faciebant.

Aleatoriū.

De exercitiis Lampridius *in Alexandro:* post lectionem operā palæstræ aut Sphæristerio, aut cursui, aut luctaminibus dabat. Defrictionibus verò Suetonius *in Vespasiano*, *c.* 20. sic scribit: Valetudine prosperrima usus est: quamvis ad tuendam eam nihil amplius, quàm fauces cæteraq; membra sibimet ad numerum in Sphæristerio defricaret. Eodem autem modo, quo

Exercitiis destinata.

Et frictionibus.

quo Lampridius pilæ lusum sphæristariũ nominavit, Aristo. sphærisin dixit *1. Rhet.* & Galenus sphæricum, qui pilæ lusu atq; exercitio juvenes imbuit. Ludovic. Cœl. Rhod. *lib. 25. lect. antiq cap. 2.*

Heliocaminus.

3. *Idem quoque prodidit.)* Huius loci descriptione Helio caminus, denotari videtur: cujus apud Ulpianum mentio *in l. si arborem ff. de servit. urbã prædior.* quo loco Budæus Heliocaminum ad verbum *Solarem fornacem* dici posse ait: Quod ut plenius intelligatur, sciendum est, Moris apud Veteres fuisse, ut *Zetam* haberent, hoc est, cubiculum quoddam hibernum, frigori accommodatum, quod igni quandoq; calesceret, plerunque sole. Ita enim constructũ erat, ut per vaporarium quoddam solare & apricum, ad quod sol hibernus accedebat, vaporem & calorem acciperet Locus autem, qui ita calefactus Zetam evaporabat, Heliocaminus appellatus est, quasi Solis vaporarium sive æstuarium dicas. ut Joh. Corasius interpretatur *lib. 1. Miscellan. cap. 14.* Sipoutinus propius ad Auctoris, nostri mentem accedit, dum Zetas (quæ in usu nostra quidẽ tempestate, non sunt; à veteribus autem frequentissimè habebantur in ædibus) loca fuisse scribit, in variis partibus domus: ad quæ per meatus quosdam intra parietem relictos; qui *Tubuli* dicebantur, ascendentes ex imo Spiritus frigidæ seu calidæ atq; in pavimento sparsæ, locum ipsum aut tepefaciebant, aut refrigerabant, prout ratio temporum exigere videbatur. Unde Tubulos Proculus definit, per quos flamma torretur paries. *l. quidam Hiberus. 13. ff. de servit. urbanor. præd.* Per Zetam Adrianus Turnebus Dietam intelligit *l. 24. Adversar. cap. 4.* utrumque verbum promiscuè usurpans. quo cœnaculũ significatur, naturâ vel arte calefactum ut Corasius interpretatur: in quo hyeme ad Solem; æstate ad Vmbrã cœnando vivimus

Zeta.

Tubuli.

Diæta.

& conversamur: à διαιτῶμαι, quod vivo & conversor significat, id dictum. & diætis quidem à veteribus varia imposita fuisse nomina, Titus Popma docet *de oper. servorum f. 63.*

Diætarum meminit & Ulpianus *l. senatus. 43. §. 1. de legat.* 1 *l. si cujus 13 § sed si adem cum §. seq.* ubi eas amœnas vocat *ff. de Vsufr.* præcipuè verò *in l. ligni 55. §. lignis. de legat. 3.* ubi ligni appellatione omne id contineri ait, quod comburendi caussa est paratũ, sive ad balnei calefactionem, sive diætarũ hypocaustum, vel hypocaustarium. Ita enim legendum monet Philipp. Beroaldus ad Apulejũ *lib. 7* Milesiac. cum priùs *Hypocaustrarum* vitiosè legeretur. Cujus mendosæ dictionis Accursius mendosissimum dedit interpretamentum: siquidẽ Hypocaustras exposuit loca esse, ubi stant ægroti. Latinè *Valetudinariũ* dixeris. In cujus Notatione alibi etiam argutus est & festivus. Dictas enim Hypocaustras ait ab *hypo.* sub & *sterõ.* statio: ut sit subterranea statio, in æstate bona *l. si quis 16. ff. Mãdati.* Verius est Hypocaustariũ sive Hypocaustum, locũ esse, in quo ignis succenditur & erumpit, calefaciendis vaporandisq; balneis, cubiculis & diætis præparatum. Unde ἀπὸ τοῦ ὑποκαίειν, id est, subtercalefacere ac succendere id nominatũ, à Diætis porrò Vlpiano dicuntur Diætarii, *in l. quæsit. 12. §. hostiarii. ff. de instruct. & instrũ. legat.* qui sunt Diætis inservientes ministri. Quamvis sint & ea appellatione fures, qui cœnacula furandi gratia penetrant, ut Cœlius Rhodig. interpretatur *lib 12. lect. antiq. c. 18.* adductus fortasse illo Vlpiani *in l. saccularii 7. ff. de extraord. crim.* Vbi directarii appellatur (quidam autem Diætarii legunt (qui in aliena cœnacula se dirigũt furandi animo: quod fit, dũ malis artibus in ea scandunt aperiẽtes fenestras hamis, uncinis, vel qua alia ratione. Vnde *Apertularii*

§. lignis in l. ligni 55 de legat 3 emendatus.

Accursii Notatio.

Hypocaustũ.

Diætarii.

Apertulariis. tularii dicuntur, ut post Cujacium *lib. 10. Observat. cap. 27.* notat Oswaldus Hilliger, ad Donellum *lib. 15. Comment. juris civil. cap. 29. lit. B.* utramq; certe lectionẽ tam *Diatarii quam Directarii* probat Turneb. *lib. 9. Adversar. cap. 17. circ. fin.* Licet diætarii vocem, ut & directarii ibi improbet Petrus Crinitus *lib. 17. de honesta discip. cap. 8.* quem cautum hominem magis quàm doctum appellat Forcatulus, eò quod nihil aliud quã aliena transcribat *in Necyomant. dial. 28. n. 4. in fin.*

Petrus Crinitus.

Vaporarium. Caminus.

4 *Cum & vaporarii & camini verbum:*) Vaporarii verbo usus est Cicero in Epistol. ad Quintum Fr. Ita erant posita, ut eorum vaporariũ, ex quo ignis erumpit, esset subjectum cubibulo. Caminorum verò Papinius meminit:

——calo vaporatum
Fluxit opus, Siculis an cõformata caminis
Effigies lassum Steropẽ, Brontenq; reliquit.

Caminum etiam eleganter expressit Sidonius Apollinaris *ep. 2. lib. 2.* cùm ita scribit: A crypto porticu in hyemale triclinium venitur, quod arcuatili Camino sæpè ignis exanimatus pulla fuliginẽ fecit, qui vel unicus locus argumento est, in Tricliniis Caminos fuisse. idque suadetur illo Suetonii in Vitellio: nec ante in prætoriũ rediit, quàm flagrante triclinio ex conceptu Camini. Ut vel hinc confutari possit eorum sententia, qui Caminorum usum veteres ignorasse tradiderunt. Sed Caminum tamen non eundem apud nos esse, qui apud veteres; perspicuum facit Manutius *lib. 7. ep. 10. ad Famil.* Quæ enim quasi gula adscendentem è foco ignem accipit, & extra tectum educit innocentem, is Caminus à nobis appellatur: illi, modò pro fornace, modò pro hypocausto, interdum pro igne usurpabant. De fornace Virgil. *3. Æneid.*

Ejus usus an veteribus cognitus.

Diversus tamen à nostris.

—ruptis flammam expirare Caminis.

Et Juvenalis *Satyr. 14.*

Sed crescũt quocunq; modo, maioraq; fiũt
Incude assidua, semperq; ardente Camino.

De Hypocausto accepisse videtur Galenus *lib. 5. de sanit. tuend.* de Camino Cicero *d. ep. 10. lib. 7.* Nam in castris, ubi Trebatius erat, & ad quem Cicero scripsit, fornacibus aut hypocaustis milites usos fuisse, verisimile non videtur. Eodem sensu Horatius *Satyr. 5.*

—Neque nos vicina Trivici
Villa recepisset, lachrymoso non sine fumo,
Udis cum foliis ramos urente camino.

Atque hic veterum camini loco & forma differebant à nostris. Non enim ut nunc in excavato pariete, quo simul cum fumo ignis excipitur; sed ut monere videntur exẽpla, in medio cubiculo hiberno, quod conclave dicebatur fieri solebant. Propterea dixit Cato *cap. 18. de re rustica:* Focum purum circumversum priusquam cubitum eat, habeat. Quomodo enim circumverti focus possit, si fuisset more nostro in excavato pariete? Nostri à lateribus vertuntur, à tergo nec possunt, nec opus est. Et cùm ait Columella *lib. 11. c. 1.* Consuescat rusticus circa Larem Domini focumque familiarem semper epulari: quid aliud significat, nisi larem & focũ, circa quẽ epularetur familia rustica, medium in conclavi locum tenuisse? Fornaçem verò quod attinet, exitum ignis caminus antiquus non habebat: itaq; molestia fumi vacare non poterat, nisi vel ligna urerent, quod Cato docuit, amurcâ illitâ, vel apertis fenestris uterentur, quorum alterum impensis non minimis: alterum qui fieri posset, cum per fenestras: hyeme præsertim, frigori & ventis aditus pateret, nequit intelligi. Horatius certè

——Lachrymoso non sine fumo

cum dixit, exitu caminum caruisse demõstrat. & pluribus hoc adstruit Manutius loco supra citato.

5. *Musivo opere.*) Musivi hujus operis *Musivum.*

sive Mosaicum opus. quod vulgo Mosaicum appellatur, mentio fit in vita Pescennij Nigri, & apud Augustinum, *de Civitate Dei*. De hoc Musivo sive Mosaico opere Nilum scholasticũ epigrammate illo Græco sensisse Alciatus censet, quod ipse ita Latinũ reddidit. *Libr. 4. Antholog.*

Sunt Satyri fulpq; peculeiq; : ast age cur te
Ad nos vertentem lumina, risus habet?
Admiror qua arte ex aliis aliisq; lapillus,
Tã cito compositũ transierim in Satyrũ.

Musearii. Hinc qui artem istam callebãt, *Musearii* dicti videntur *in l. 1. C. de excusat. artif. l. 10.* In subterraneo quoq; domicilio illo, quod ostenditur juxta Cumas Italiæ, & quod vulgus fingit fuisse *antrum Sibyllæ*, (quum verisimile sit fuisse spelũcam prædonum ac Piratarum) visuntur parietes vario concharum contextu Musaicum opus imitantes, ut Erasmus Roterodamus retulit *Chiliad. 5. cent. 2. Adag 20.* & ipsemet ego anno 1587 in rem præsentem eundo oculis hisce fui contemplatus.

Insula. 6. *Nominabantur Insulæ.*) Insula non tantum terram significat, in flumine marive, aquis circumfluam, ob spiritum solo erumpere non potentem, enatam, ut auctor est Plinius *lib. 2. natur. histor.* sicq; dictam, quod in salo, id est, in mari sit: ut scribit Festus. Sed & domum denotat ab aliis sejunctam, & quæ communibus parietibus cum vicinis non adhæret, ac publico privatorumve circuitu discingitur. Qua significatione Insula ab Ulpiano accipitur *in l. si insulã. de verbor. oblig.* Scævola *in l. non utiq;. §. si quis insulam ff. de eo quod certo loco.* & Paulò *in l. 3 §. effractura ff de officio præf. vigil.* Et in hoc potissimũ à Domo secernitur, quòd Domus sint habitationũ ædificia conjuncta proximis & vicinis domorũ parietibus, ut viciniã numerosam & frequenti habitatione stipatam efficiant. *Insula à domo quid differat.* Festi finitionem Alciatus ex Cornelio Tacito, *lib. 15. Annaliũ*, confirmat *in l. Urbana. 166 ff. de verb. sig.* Is, propter crebra incendia, cum multi aquæ ductus in Urbem deferrentur, à Nerone excogitatum tradit, ut aqua privatorũ licentia intercepta, quo largior & pluribus in locis haberetur, in publicũ flueret; ædificiaque non cõmunione parietũ, sed propriis quæque muris ambirentur; canalibus puta eis in parietibus additis, ut reprimendis ignibus aqua facilius decurreret. Hinc Insularum nomen; quæ non modò ab incendiis tutiores; sed etiam à furibus, qui per tegulas commeare in eas non poterant. *Insulæ domibus tutiores.* Ideoque in eis preciosiora quæque reponebantur, ut quæ solius effracturæ periculo subjicerentur. Quod animadvertens Paulus *in d. leg. 3. §. effractura. de offic præfect vigil* Effracturæ, inquit, fiunt plerunq; in Insulis horreisque: ubi homines preciosissimam partem fortunarum suarum reponunt. *Insularius.* Ab Insula, *Insularius* dicitur servus, qui insulæ custodiendæ curam gerit: ut & *Saltuarius*, qui saltus vel fundi tuendi magis, quã colendi caussa paratus est. Interest enim Domini, fines prædii tueri. *l. si ita legatus. 16. §. Dominus ff. de Usu & habit. leg. cum quæreretur. 60. §. final. de legat 3.* Ideoque Insularium, Urbanorum mancipiorum numero haberi Pomponius scribit: siquidem custodia propriè civile est officiũ: nisi ex domini destinatione aliud colligatur. *d. l. urbana. §. Insularius, & ibi Brechæus de verb sign.* Errant igitur Cœlius Rhodig. *lib. 7. lect antiquar. cap. 31. & lib 25. c. 20.* & Alexander ab Alexandro *lib. 3. Genial: dierum. c. 25.* dum Insularios interpretantur Servos viles ac pessimos, absque civitate, & in insulas deportatos, sive in publicum opus atque in metallum damnatos. *Insulares.* Sanè *Insulares* hi dicerentur rectius, quam Insularii. Sic enim *Insularem pœnã* legimus, pro ea, qua quis in Insulam deportatus est, Marcell. nec strepente, nec obsistente, *insulari pœna* mulctati sunt.

Nec

Nec desunt, qui servos insularios, sive insulares, putent indicatos in carmine obscœno his versibus:

Ductor ferreus insularis, æquè
[illegible] viacor fricare cornu.

Quod titus Popma de *operis servorum* autumat *fol.* 00.

Fores olim quomodo aperta.

7. *Porta sive Janua aperiebantur, ostio in publicū rejecto.*) Idem hoc ex Helladio testatū facit Photius in Bibliotheca *Cod. 279. fol. 1595 his verbis:* Ideò apud comicos, exeuntes pulsant fores, quia nō, ut apud nos nunc quidem, ostia olim aperiebantur interius; sed adverso modo Foras enim trudentes exibant, manu pulsantes prius, ut audirent, si qui ad fores essent & caverent, ne inscii læderentur, foribus repentè in viā protrusis Huc pertinet, quod de Janua in publico aperta scribit Scævola *in l ult. § fin ff. de servit. urban. præd* & Duarenus explicat *lib. 1. Anniversf. dispu. c 52.* itemque Cujacius *lib. 13. observ cap. 27.* & confirmatur illa Isiodori notatione sive definitione: qua *Ostium* esse dicit, per quod ab aliquo arcemur, ab obstando dictum. Et Scholiastes Aristophanis in Pluto itidem docet, Romanenses Januas vocasse ostia, quod irrumpentes extrudant. Petr. Gualth. ad Horatij *Satyr. 1. lib. 1.* Ac ut sibi caverent, qui domum ingredi vellent, inscriptum erat Januæ longis literis. CAVE CANEM. Non solum enim vi-

Ostium.

Eius inscriptio.

[illegible]

pi vel januæ appingi, cū ista inscriptione. Ita Petronius Arbiter in Trimalcionis domo: ad sinistram intrantibus, non longè ab Ostiarij cella, canis ingens catena vinctus, in pariete erat pictus, superque (quadrata litera) scriptum, CAVE CAVE CANEM. Janus Duzia *in præcidaneis ad Tibull. c. 1.* scitu digna refert de Janitorum sessione ad ostia, cum inquit: Sciendum est, Janitores & catenatos, & cōpedites fuisse; in ipso aditu ac vestibulo quasi in præsidio collocatos. ubi servili cella, ac sub custode cane contenti noctu atq; interdiu vitam sedentariam exigerēt; haud ante pedes quod erat, prospicientes modò, sed post etiam respicientes: credo: ne q is adventor gravior, quam advenisse, discederet. de quo ritu plura Titus Popma *ad Varron.* Casaubonus *ad Theophrastum & ad Suetonii Vitellium. c. 16.* Petrus Faber *semestr. lib. 2. c. 12.* Jan. Gruterus & Lipsius *ad Senecam lib. 3. de ira. cap 37.* Et, cave canem proverbij more usurpatum fuisse Turnebus monet. *Adversf. lib. 16. c. 4.*

Janitorum sessio ad ostia.

DE STATVIS EX MVLTIS PARTICVLIS SEV CRUSTIS COMPOSITIS TIT. XXIV.

Solebant etiam Statuas ex marmorum crustulis coagmentare tanta compagine & firmitudine, ut ex solido marmore facta viderentur, & pluris etiam æstimarentur. Ægypt jcreb ò his utebantur, ut & Theodorus sculptor. At Græci artem hanc ignorarunt, ut actor est Diodorus Siculus.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Crusta.

CRustarum cum mentionem fecerit Auctor noster, venit mihi in mentē ejus, quod Proculus tradidit *in l. quidem Hiberus 13. circa fin. ff. de servitut. urban. præd.* licitum esse, parietem communem incrustare: sicuti picturas preciosissimas in pariete communi habere licet Tantū enim abest, ut incrustatione vel paries communis deterior reddatur, ut ex parte ejus qui incrustat, melior etiam fiat & ornatior.

natior. *l. in fundo. 38. ff. de rei vindic.* Incrustatione certè parietem exornari Paulus ait *in l. impensa. 79 §. fin. ff. de verbor. signif.* Est autem Incrustare, parieti, pavimento, aut alteri operi crusta adjungere, inducere & applicare. *Ioh. Corasius lib. 4. Miscellan. c. 16.* Crustæ enim sunt tabulæ marmoris, unde & marmorati parietes & crustati dicuntur. Incrustationes igitur investiunt parietes crustis marmoreis. authore Hadr. Junio, ut murus sive paries ille totus videatur marmoreus, ut cum Barth. Cœpella loquar *de servit. urban. præd. c. 71. n. 3.* ubi in pariete comuni licere etiam invito vicino incrustationẽ fieri docet: cum per hoc melior & pulchrior fiat paries, ut notat glo. *in d. l. impensa 79. §. fin. de verbor. sign.* Ejuscemodi incrustatione Veneris exornatũ vidi & obstupui Divi Marci ædem: quæ cum penè tota purissimo fulget auro, tum intus extraque circa imũ marmoreis tabulis est compacta: ut ex Sabellico in historia Veneta *decad. 3. lib. 6.* Philippus Camerarius, Magni illius Joachimi F. Jureconsultus insignis, & inclutæ ac celebratissimæ Noricorũ Reipublicæ Consiliarius dignissimus, in præclaro illo opere Operarum succisivarum refert *c. 64.* cent. 1. & pulchrè describit Georgius Draudus Cōmentar. *ad Solini Memorab. c. 9 f. 385. & seqq.* Incrustationis proxima est *Loricatio*: quæ & ipsa tegumentũ est parietis, sed calce arenata [illegible] etiam ex Gypso ut tradit Vitruv. *lib. 7. c. 1. & seq.* Quod si ex Gypso effigies & signa fiant, iisq; hæc loricatio pingatur atque exornetur, specialius *plastice* appellatur, teste Isiodoro *c. 14. lib. 19.* Picturæ autem studio adeò Græci & Romani insaniebant, ut pictoribus eadem, quæ liberaliũ artium Professoribus atq; Magistris concesserint privilegia & im̃unitates *l. archiatros. 8. C. de Metatis & epidimet. lib. 12.* Joann. Gœdd. *ad d. l. impensa § fin. ff. de verbor. sign.* Cæterum Romæ primum parietes crusta marmoris operuisse totius domus suæ in Cochio monte *Mamerrã* Equidem Rom. præfectum fabrum Cæsaris, Plinius tradidit *lib. 36* auctore Cornelio Nepote. Id nõ aliud fuit quàm marmor in tenues crustas sectũ parieti imponere scite, & pro tectorio ei dare. Lucan.

Nec summis crustata domus sectisque nitebant
Marmoribus—

De Marmoris autem secandi ratione diximus supra *ad Tit. 15.* de marmoribus.

Incrustare. *Templum D. Marci Venetiis.* *Philippus Camerarius.* *Loricatio.* *Pictura Romanis grata.*

DE CELLIS TIT. XXV.

Equidem opinor, veteres non habuisse cellas subterraneas, quandoquidem dolia in quibus vina adservabant, sub terram dimittebant: præsertim si hæc essent imbecilla; ut Plinius tradidit. Id verò superfluum & supervacaneum fuisset, si subterraneæ exstitissent cellæ. Et quidem nec Plinius eodem in loco, ubi & de vinariis cellis, & quomodo hæ fieri debeant, tractat, subterra eas fieri meminit: nec etiam Vitruvius ad istum modum eas describit, qui tamen locus adeò utilis & necessarius nequaquam fuisset prætermittendus. Sanè dolia defodi fuisse solita, etiam ex Legibus nostris* colligitur. At quia ad Cellas jam devenimus, non fuerit alienum à proposito nostro admonere, veteres non condidisse vina ligneis vasis sive cupis, quales nos habemus; sed in vasis figulinis, iisdemque magnæ capacitatis: quippe quæ carrum sive plaustrum vini capiebant, hoc est, amphoras 120. quæ 1600. aut secundum quosdam 1920. libras conficiunt.*

Veteres an habuerint Cellas. **Lib. 14. cap. 21.* *Dolia defossa.* **L. in instrumento 8 l cũ fundus 2. ff de fundo instr.* *Vinum in Vasis fictilib. conditũ.*

Sed

Sed & sub dio exposita habebant vina, quae erant nobilissima, ut Plinius eodem loco testatur. Cupas, quibus nos utimur, veteres non usurpabant, nisi Alpium incolae; sed harum loco habebant dolia, quae ut ex Plinio ostendimus, terrae infodiebant. Vinum hoc modo conficiebant. primum calcabant uvas, & mustum in grande aliquod vas, quod Laccus *vocabatur, mittebant. posteà harum scapos cum folliculis subiiciebant sub praelum, & quod reliqui habebant musti in eundem exprimebant Laccum, ut ex Ulpiano colligitur * & Varrone lib. 1. de re rustica cap. 54. Quidam extrema illa, racemum puta cum pediculis circumcidebant, & denuò premebant, ac i. expressis acinorum folliculis, aquam addebant, quam pro vino operariis dabant hyeme.*

Sub dio expositum. *Vinum conficiendi ratio.* ** In l. si servus 27. §. ult. ff. ad L. Aquil.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

AUctor est Suidas in dictione λάκκος, Athenienses & alios Graecos fossas subterraneas excavasse latas, vel rotundas, vel quadrangulas: iisque tectorio inductis, vinum & oleum excepisse. Id verò fossarum genus Laccum fuisse nominatum, satis indicat textus in *leg. si servus 27. §. ult. ff. ad L. Aquil.* Ubi si tectori locaveris laccum vino plenum curandum: & ille eum pertudit, ut vinum sit effusum: Labeo scribit, in factum agendum. Quo loco Budaeus pro *Tectori* reposuit *Victori*: & laccum interpretatus est excipulum musti defluentis è torculari. Malè: cum Laccus Ulpiano idẽ sit, quod alibi *vini cisterna*, quam in terra defossam tectorio inducere & incrustare intus forisque solebant. *l. vulgaris. 12. § sed si de navi. ff. de furt.* Tector igitur, qui tectorium cisternae inducit. Tectorium enim incrustationem esse à tegendo sic dictam, Alcianus docuit *in l in rutis 241. de verb. signif.* & Johan. Corasius *lib. 4. Miscellan. cap. 16. num. 10.* ut sensus sit; Teneri tectorem actione in factum locatori, si Laccum quem *curandum*, hoc est, incrustandum conduxerat, pertuderit, quia imperitia scilicet culpae adnumeratur, ut Cujacius explicat *lib. 10. observat. cap. 9.*

Laccus. *Interpretatio l. si servus 27 ult. ad l. Aquil.* *Tector: tectorium.*

Nec verò Laccu tantùm isto sive Cisterna ad hunc finem veteres utebantur; sed & Doliis, etiam fictilibus: quibus terram adgeri solitam Javolenus docet *in l. dolia. 26. de fundo instruct.* ad vina scilicet conservanda. In hunc enim finem dolia defodi solere Ulpianus innuit *in l. in instrumento 8. d. t.* cui adsentiens Pomponius, fundo legato etiam dolia infixa contineri ait *in l. cum fundus 21 eod. tit.* Rectè *infixa, inaedificataq;* cum sint haec veluti pars fundi, & amoveri nequeant, ut rectè notavit Accursius, & ex eo Jacobus Menochius *lib. 4. praes. 154. n. 2. 3.* Nõ quevis igitur dolia aut vasa vinaria (quae in cella defixa quidem sunt, non tamen ita ut solo suo aut lateribus fundo haereant, sed ut tota, & integra erui inde possint) fundo legato continebantur *l. Lucius 93 §. collegio ff de legat. 3.* Verum ea, quibus terra ita adgesta est, vel quae ita: fundo cohaerent, ut perpetuo ibi sint & sine ruina aedificii avelli nequeãt *l. dolia. 26 ff. de fundo instr.* Oswald. Hilliger in Notis *ad Donell. l 8. cap. 19. fol. 667.* In qua sententia, rectè advertas ipsemet etiam Connanus fuisse videtur *lib. 7. comment. iuris civil. c. 7. nũ. 6.* Doliis illis contentum vinum, *Doliare* Ulpianus appellat *in l. 1. §. si doliare. ff. de peric. & comm. rei vendita.* Doliare sic dictum, ad differentiam diffusi: quod non amplius in doliis, sed in vasis esse Proculus ait *in l. vinũ. 15. ff. de trit. vin. & oleo legat.*

Dolia fictilia. *Defossa.* *Doliare vinum.* *Diffusum.*

gat.

gat. Diffundi scilicet vinum ex Lacu, sive doliis, vel cupis, in testas, cados & amphoras solebat, ad ætatem diuturniorem, sive vetustatem, quæ vino maturitatem & suavitatem adfert, ut Adrianus Turnebus interpretatur *lib.1. advers.c.1.* Unde Horatius *lib.1. Epist.5.*

Vina bibes Tauro diffusa.

& Cicero 3. de Finibus: Quibus vinũ diffusum (Turnebus *defusum* legit) è pleno sit œnophoro, pro quo Varro dicit: Ubi dies triginta præterierint, transfundito. Hodiè vinum *transvasare* barbarè dicimus. Amphoras verò sive cados, & vasa fictilia (nam & his vina condebantur) veteres picabant, vel gypso linebant, ne virtus vini aut raritate materiæ, aut poris vasorum occultis evanesceret. Horatius lib. 1. Carmin. Ode 20.

Transvasare. Amphoræ eur pice oblitæ.

—græca quod ego ipse testâ
Conditum levi.

hoc est, pice vel gypso obstruxi & obduxi, vel incrustavi Græcam autem testã appellat, quia primum in Samo plastice, id est, figlina inventa est, auctore Plinio *lib. 35. c.12.* Et quidẽ *picationis* illius tempus docet Columella *his verbis.* Dolia quoque & serias, cæteraque vasa ante quadragesimum vindemiæ diem picanda sunt *lib.12. res rust. c. 18.* Johan. Bræcheus *in l. vinaria. 206. § serian 3 de verb. sign.* Præterea Notis & titulis signabant amphoras & fictilia illa vasa, quibus vinum erat conditum. Hinc Juvenalis Satyra 5.

Notis & titulis signata.

—cujus patriam titulumq; senectus
Delevit multa veteris fuligine testa.

Unde & proverbium, *De meliore nota:* de quo apud Turneb. *d.cap.1.* atque hinc interpretationem capit illud Petronii Arbitri, statim allatæ sunt amphoræ vitreæ, ac diligenter Gypsatæ: quarum in cervicibus pittacia erãt affixa cũ hoc titulo: FALERNUM OPIMIANUM, ANNORUM CENTUM. & alibi. Scediũ affixum ampullis; cui inscripta ætas vini. Ubi tamen notandum est, quod Petronius scedium & pittacia appellat, id Plautum *literatas fictiles epistolas* vocare, pice signatas quibus nomina (consulũ nempe) insint, cubitum longis literis. *In Pænulo act. scen.2.*

Contra Resignare amphoras vel cados Relinere dicebãtur, cum operculum amphoræ è cortice vel subere picatum vel resinâ obturatum dimoverent. Terentius: Relevi dolia omnia, omnes serias. Horatius *lib. 3. carm. od.8.*

Resignatio.

Corticem adstrictum pice dimovebit
Amphora.

Quo pertinet illud Tibulli:

—Chio solvite vincla cado.

Planè qui Doliare vinum vendidit; nisi in tempore vinum tollatur, id potest effundere: Atque ut sciatur, vino ad mensuram vendito, quantum emtori perierit, qui pro eo, quod admensum fuerit, precium debet: mensuram, ut Jureconsulti veteres tradiderunt, facere per Corbem potest. *l.1.§. ult. ff. de peric. & comm. rei vendit.* quod facetè à veteribus dictũ videtur, ac si per cribrũ dixissent: ut sic quod ex dolio diffunditur, quasi in vas aliquod effluat statim & effundatur. Vix est enim, ut Corbis vinum contineat: cũ juxta Varronẽ *lib.1. de re rustica c.22.* fiat ex viminibus, colligendis liquidis inepta; & propriè cogẽdis fructibus comparata sit. *l. in instrumento 8. ff. de fundo instruct.* Ac ut maxime ita possit Corbis consertè cõtexteq; fieri; Corbem tamen mensuræ genus esse negat Cujacius *lib.2. observ. cap. 36.* Ex quo dubia nonnihil redditur Turnebi opinio; qui *lib.7. adversarior c.23. ex d.l. 1.§. ult.* conjicit, Urnas & amphoras sparteas parari solitas ad vinum metiendum: cum, si fictiles essent, tractando sæpè, ut in metiendo fit, frangerentur. Animadvertere enim debuit Vir doctus, Ulpianum eo loco jocosè dicere, & molesto lectori face-

Mensuram per Corbem facere intellectus §. ul. l. 2. de peric. & commod. rei vend.

Turnebi conjectura dubia.

ri facetias ac jocos reponere. Superiore namque paragrapho dixerat, Laudandum esse venditorem, si nō effundat, cum possit effundere. Deinde hortatur eū, ut dolia gratis concedat, aut si id nolit, locet. Si ne ista quidem venditori sedeant; ut vinum vendat minimo adversarii detrimēto. Quod si neque hoc placuerit, & ante vindemiam, quo tempore doliorum opera necessaria futura sit, nondum evacuata ea fuerint: integrum esse venditori, ex faceta & jocularia Veterum sententia, *mensurā per Corbem facere*, hoc est, effundere. Quæ Gothofredi approbata interpretatio adeò mihi etiamnum placet, ut nihil cavisse sit; quare per Oswaldi Hilligeri in Notis ad Hogon. Donell. *lib.16.c.14. lit. F.* dissentientis argutationem inde abducat. Etsi enim in enumerādis instrumentis quibusdam, quæ cogentis fructibus apta sunt, ab Vlp. Corbes jungūtur torcularib. in *l.in instrum.8.§ cogēdi ff de fund. inst.* Torcularia autē propriè vasa vinaria Alfenus exstimat. *l.vinaria vasa 206.* nō tamen inde consequitur. Ergò quod de Torcularibus pronunciatum est, ut scilicet, sint vasa vinari; idem etiam de corbibus fori constituendum. Hac enim ratione & falces fænariæ, quas torcularibus itidem conjungit Vlpianus, idem enunciaremus. Quod plusquam ridiculum foret. Et ut verum sit Corbibus uvas quoq; cogit aut colligi, quod nemo negaverit: quis tamen inde colliget, etiam vini mensuram fuisse corbes, aut, per eos solitos fuisse veteres vinum admetiri? Cæterum an in vasis vinariis etiam dolia sint; quod Javolenus ait, præsertim si vinum habeant. *l.vinaria 206.de verbor.signif.* Trebatius à Proculo reprehensus negat *in l.vinum 15. ff.de tritic.vin.& oleo legat.* Cujacius solerter & ingeniosè explicat. *d.l 2.Observ. c.36.* & post eum Jacobus Menoch. *lib.4. præsumpt.152.* Vina porrò vetustate quā

Gothofredi interpretatio defensa.

Dolia an sint in vasis vinariis.

Vina vetera optima.

maximè cōmendantur, & generosa censentur. Nam & Christus Salvator noster: Nemo, inquit, vetus vinū bibens, statim vult novum. Vetus enim est melius. *Lucæ 5.* Et Salomon in Ecclesiast. Vinum novū inveterascet, & cum suavitate bibes illud. Hinc Plautus in Casina, Sapientes eos putat, qui veteres fabulas spectant libenter: ut & eos, qui vino vetere utuntur. Certè diuturnitate temporis vina meliora fieri, Horatius ostendit:

Si meliora dies, ut vina poemata reddit.

Ideo avitum sibi fundi optat Ovidius,

Qui properant, nova musta bibant, mihi fundat avitum
Consulibus priscis condita testa merū.

Et Tibullus:

Nunc mihi fumosi veteres adferete phalernos
Consulis & Chio solvite vincla cado.

Ita enim Pierius *Hieroglyphicon lib.51.* emendat, cum prius ita legeretur.

—fumosos veteris proferte Phalernos
Consulis

Fumosum enim Consulem poëta appellat, pro vetustate quadam veluti fuligine coloratum Romani enim atria sua Majorum illustrium imaginibus complebant, ad excitandam scilicet posteriatem: ut quod sibi imitandum proponerent, adsidue contemplarentur Unde & Cicero ad Pisonem, Imagines illas, ob vetustatem " scilicet & fuliginem, ut jam diximus, fu- " mosas vocat. Obrepsisti, inquit, ad hono- " res, errore hominum, commendatione " fumosarum imaginum: quarum simile n- " hil habes, præter colorem. ut legi omninò debeat apud Juvenalem.

Fumosa imagines.

Fumosos equitū cum Dictatore magistros.

Fumosis autem imaginibus illis Plinius opponit *subitas*, pro recenti, & nuper exorta nobilitate, cum ita scribit: Neque ardentius tu pronepotes; quam ego liberos cupio: quibus video è meo tuoque latere pronum ad honores iter, & audita latiùs

nomina & non subitas imagines relicturus. Nisi magis placet, subitas interpretari non diu duraturas Fran. Conn. *lib. 2. Comment juris civ. cap 12 n. 8.*

Consulum nomina cadis inscripta.

Notam vero est, cados atq; amphoras nominibus Consulum fuisse inscriptas ad tempus ætatemque vini indicandam, jam inde ab ipsius conditione inchoatam. Horatius:

O nata mecum Consule Manlio
Testa, &c.

& passim. Hinc cum L. Opimio Cos. vini bonitatem præcipuam commendet. Plinius *lib. 14. c. 4.* rectè Cicero *Opimianā*; ut & *Anitianam* vini notam optimam appellat, ex illorum hominum consulatu: Factum inde est, ut *Consulare* vinum pro vetustissimo & optimo fuerit usurpatum: sicuti Adr. Turnebus *lib. 25. advers. c. 24.* ex illo Martialis notat:

Vinum Consulare.

Potavi modo Consulare vinum.
Quæris, quàm vetus, atq; liberale?

Monet tamen Gualtherius ad Horatium *lib. 1. epist. 15.* nisi ad ætatem vini, laudabile soli ingenium accesserit; tum generositatē illā, quæ ex loci bonitate magis, quàm vetustate æstimanda sit, planè defuturam. Vinum enim illud nullam fere vetustatem, & vel tantillo fieri *edentulū*, hoc est, ut ipsemet interpretatur, nullarū virium, aut certè perexiguarum quanquam Plautus in Pœnulo, Vinum vetustum & ob id preciosum, licentiosa quidem, at eleganti locutione, *Edentulum* appellâsse videtur: cui ob ætatem & senium quasi dentes exciderint. quo etiam sensu L. Apulejus *l. 2. Milesiacar* vini cadum in ætate pretiosi à Byrrhena sibi missum ait. Eadem hæc vini veteris bonitas in causa est, ut debitor pro vino novo vetus creditori solvens, obligationis nexu liberetur. Etsi enim vinum in eadem bonitate, ex ipsius contractus naturâ, reddendum est, etiamsi cautum non fuerit, ut æquè bonum redderetur,

Vinum Edentulum.

Vinum vetus pro novo cur solvere liceat.

l. cum quid 3. ff. si cert. pet. quia tamē vetus novo melius est, ipsum quoq; bonum meritò dici debet. *l. ubi antē non apparet. in pr. de verb. oblig.* cùm res, quæ pluris est, utiq; tanta sit *l. cum furti ff. de in lit. jur.* Ideoq, creditor, cujus nihil hoc modo intersit, solutionem eam recipere cogi queat. *Paulus. ff. de solut.* cum liberari debitorem placeat, rem meliorem præstando, quantumvis invito creditore. *l penult ff. si ex noxali cau. agat.* non obstante Johañis glossatoris sententia, cui Joh. Corasius satis facit *lib. 5. Miscellan. c. 12. n. 6.* Cæterùm generosi vini vires & effectus varii decantantur à Poëtis. Nam & solicitis animis onus eximit: curas, metum, pauperiem fugat: & spes jubet esse ratas:

Vini effectus.

—neq;
Mordaces aliter diffugiunt solicitudines.
Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem crepat?

ait Horatius *lib. 1. Carm. Od. 18. Et lib. 3. Od. 21.* Amphoram ita alloquitur:

Tu spem reducis mentibus anxiis,
Viresq; & addis cornua pauperi,
Post te, neq; iratos trementi
Regum apices, neq; militum arma.

Quò pertinet etiam illud sapientis, *Proverb cap. 31. v. 6. 7.* Date siceram mœrentibus, & vinū iis, qui amaro sunt, animo Bibant & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui amplius non recordentur. Nam, ut gravis est Socratis apud Xenophontem sententia: Vinum non aliter mœrori medetur, quàm mandragora hominibus: lætitiamq; non aliter excitat, quàm oleum inspersum igni flamam adauget. Vinum certè & Deo & hominibus lætitiam dare solere, Jonathan pronunciavit, *Jud. cap. 9.* Sed & nullo magis stimulo concitatur Musica, quàm suavis vini gustu. Ovid.

—nec non & carmina, vino
Ingenium faciente, canunt.

Et

Et Tibullus:

Ille liquor docuit voces inflectere cantu
Movit & ad certos nescia mēbra modos.

Disertos autem Vinum facere, ex vulgato illo constat:

Fœcundi calices, quem non fecere disertū?

cum fomes hoc quidam sit, & incitabulū ingenii virtutisque, ut Cretensis ille apud Gellium jactitabat *lib. 15. Noct. Atticar. c. 2.* Vini denique utilitatem vix Deorum potentia æquari posse, Asclepiades pronunciavit, ut est apud Plinium *lib. 23. cap. 1.* sed & Horatio *lib. 1. Satyr. 3.*

Nulla placere diu, nec vivere carmina possunt;
Quæ scribuntur aquæ potoribus.

idque confirmat exemplo cum Homeri tum Ennii:

Ennius vinosus.

Laudibus arguitur vini vinosus Hōerus.
Ennius ipse pater, nunquam nisi potus ad arma
Prosiliit dicenda. ——

Eumque ob id articulari morbo consumtum ferunt, quem ex immodico vini usu contraxerat. Quam rem egregie perdocet Serenus.

Ennius ipse pater dū pocula siccat iniqua
Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.

Æschylus item.

Quod Ludov. Cœlius prodidit *l. 28. lect. antiq. cap. 30* Æschylus quoque dicitur vini appetentior, quippe quē apud Lucianum Calistenes dixit in vino Tragœdias scribere: quemadmodum & *Alcæus* poëta, cujus memorabilis fertur ebrietas (semper enim potans inventus est) poëmata sua scripsit ebrius.

Alcæus.

Quod & de Comico *Aristophane* proditur, quin & *Epicharmum* in scenam primum vinolentiā induxisse ajunt: in totum ut dixisse liceat, poëtas vel insignes, vinosos fuisse, Joh. Bruyerin. *dipnosophia seu Sitolog. lib. 6. c. 6.*

Aristophanes: Epicharmus.

Cujus rei rationem Plutarchus in *symposiacis* tradidit: quod vini calor vini, inveniendi excitet, quæ in sobriis torpet aliquando; imagines moveat, impetumque & fiduciam ministret.

Et poëtæ ferè omnes, & quare?

Hinc Bacchum furoris Deum Plato & Aristoteles poetas amare scribunt. Rectè igitur Joh. Cœlius Megapolitanus *Cent. 3. Epigr. 42.* in vini laudes ita lusit.

O vini ambrosias laudes! ego munera vini
Osculor, ipse lubet, qui mihi laudat aquā.
Si vinum desit, nil vena poetica prosit.
Da vinū & venam vatibus, alme Deus.

Et *cent. 1. Epigram. 20.*

Aonio fas est ex fonte bibisse poetam
Nobis vina magis quam sitiuntur aquæ.
A meliore post meliorem spero poetam,
Docte magis scribit, qui meliora bibit.

Unde etiam vetus ille poëta Nicrates vinum *poetarum equum* appellavit Græco epigrammate: quod hanc in rem adduxit Matth. Raderus *in comment. ad Mart. lib. 11. Epig. 7.* sed & Alexis apud Athenæum *lib. 2.* vinum poëtarum equū esse ita canit.

Vinum poëtarum equus.

Vinū equus est lepido prōtus veloxq; poetæ
Potus aqua haud quicquam parturit egregii.

Ex interpretatiōe Michaëlis Piccarti *lib. 15. observat. Historicopol. c. 3. circ. fin.* Bacho autem poëtas curæ & charos fuisse; & Tragœdos inprimis, nemo ignorat. Itaq; ut emeriti milites arma sua Marti; gladiatores rude donati Herculi; pastores fistulam Pani; mulieres vetulæ & effœtæ pectiriem vel speculum Veneri suspendebant: ita Tragœdicum artem suam desinerent, personas in templo Bachi consecrabant. Joā. Meursius *in Mantissa ad libr. de luxu Roman. cap. 11.* Plura de vini laudibus, ut poteram, adcumulare nolui, ne forsan ipse laudibus arguerer vini vinosus. Laudes tamē ejus pluribus congressit Michaël Piccartus Philosophiæ Professor Altorffinus & Philosophus eximius *decad. 23. observat. historicopolit. c. 6.* ubi quidē miserias, sive curas vino diluere, frequens, sed infirmum ad modum remedium esse docet. Itaq; ut lætitiæ huic, quæ ex vino promanat,

Michaël Piccartus.

manat, modum imponamus: meminerimus illius, quod Salomon ait: Exultatio animæ & cordis vinum moderatè sumtum, ad jucunditatem enim creatum est, non ad ebrietatem, quæ te vita defraudet. Rectè Anacharsis, primum cratera sanitatis esse dixit, alterum hilaritatis; tertium contumeliæ; quartum insaniæ. Ex immodico scilicet & immoderato vini usu, rerum omnium oblivio est, morsque memoriæ. Vino sapientia obumbratur, vigor animi impeditur, ingenium obruitur: vel, ut Gellii verbis utar, crebris & ingentibus poculis omne ingenium ingurgitatur. A Salomone certe quasi Ilias quædam malorum, quæ dat ebrietas, colligitur; præsertim verò *proverb. cap. 23. v. 29.* ubi ita quæritur: Cui væ? cui dolor? cui rixæ? cui quærimoniæ? cui vulnera impune? cui oculorum rubor? postea subjicit: vini sectatoribus, & compotationes rimatum euntibus. Sed & Horatius, cum singula enumerare non posset, damna illa aggravando exclamat:

Viri immodicè sumti effectus.

Quid non ebrietas designat! operta recludit, &c.

Nam, ut ille dicebat:

Arcanum demens detegit ebrietas.

Quod & sapiens confirmat *Proverb. c. 30.* Nullum, ait; secretum est, ubi regnat ebrietas. Dicacitate quippe plurimum Ebrii valent. Cujus garrulitatis ergo Picam Bacho dedicatam Plutarchus asfirmat, & refert Pierius *lib. 23. Hieroglyphic. an.* Sed enim & Plato in Legibus, Nullũ tormentum ad veritatem eliciendam, vino efficacius adhiberi posse dicebat. Quò respexisse videtur Horatius, *de Arte:*

Vinosi garruli. Pica cur Bacho sacra.

Vinum, tormentũ

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quẽ perspexisse laborãt.

Est enim urgere culullis, vi poculorum, & largioris meracioris que potionis eiicere, quidquid latet secreti abditum in mente bibentis. Torquendi verbo etiã *in ep. 18. lib. 1.* utitur idem Poëta, cum rationem consuescendi & convivandi cum amicis præscribit:

Arcanũ neq; tu, scrutaberis ullius unquã
Commissumq; teges & vino tortus & irâ.

Atque id torquendi sive tormenti genus doctè & eleganter, ut omnia, Michael Piccartus explicat *Observ. Historicop. decad. 7. c. 2.* Omnẽ præterea pudoris ignaviam Apuleio restinguere dicitur vinum, sive Liber inverecundus ille Deus, ex eo sic nominatus, quod inverecundi per vinolentiam homines fiant. *Horat. Epod. 11.*

Simul calentis inverecundus Deus
Fervidiore mero
Arcana promorat loco.

Bachum autem *Liberum* ex eo dictũ putant, sive quod liberat servitio animum, asseritq; & audaciorem in omnes conatus facit, ut Seneca existimavit, & supra iñuimus; vel, ut alii, ob licentiam linguæ & libertatem loquendi, tanquam ex ebrietate fiant homines linguæ liberioris petulantiorisq;. Quid? quod vinum haud dubiè maximum est libidinis incentivũ: ut non immeritò Liberum sive Bachũ *hortatorem & armigerũ Veneris* Apulejus appellet: siquidem vinum restinguat omnẽ pudoris ignaviam, & alacrem vigorem libidinis incutiat: atque hac sitarchia (hoc est, annonâ & alimento) navigium Veneris indigeat solâ. Nam, ut est in proverbio; *Sine Cerere & Libero friget Venus.* quod eleganter explicat Erasmus *Chil. 2. cent. 3. ad 97.* inter alia etiam illud Athenæi Dipnosoph adducens.

Bachus cur Liber dictus.

Libidinis incentivũ.

Saturis Venus adest: cæterum infelicibus
Miserisq; nulla adest Venus mortalibus.

Ut non inscitè Aristophanes vinum, *lac Veneris* appellaverit. Hinc tãtoperè Tertulliano laudatur illud Romanæ civitatis institutum, quo Mulieres Romanas, ait olim usque adeo vino abstinere jussas, ut matronam ob resignatos cellæ vinariæ loculos

Mulieribus vinum interdictum.

culos sui inediâ necârint. Sub Romulo vero, quæ vinum attigerat, impune à Mecennio marito necata sit: Cædis enim accusatum ad Romulum, ex Patrum sententia absolutum esse, Plinius scribit *lib. 14. cap. 13.* Mecennium enim & Leges quas uxor violârit; & morem patrium, quem neglexerit: & matrimonium suum ultum esse; quasi eam in adulterio deprehenderit, quæ incitamenta maxima libidinis, furtim, atq; nimis avidè sectaretur: ut P. Ærodius refert *lib. 2. Decretorum, sive Rerum judicatar. titul. de extraord. crimin.* Eâdem ratione & Pompilius Faunus Fatuam Faunam virgis myrteis ad mortẽ usq; cecîdit, quod contra mortem decusſque Regium, clàm vini ollam ebibisset; & ebria facta esset, *Lactantius lib. 1. c. 22.* At nunc, ô tempora, ô mores! eam sibi impunitam, vini licentiam Mulieres usurpant; ut ab his viros bibẽdo non provocari dicam, sed & superari, cum perpetuo sexus istius dedecore atque infamia videamus. Inprimis verò & sacerdotes vinum & siceră (qua omnis potio, quæ inebrietare potest, nuncupatur) bibere prohibentur: ne in crapula & ebritate aggraventur corda eorũ, *can. vinolentum 35. dist. 6.* Fabulãtur nempe Antiqui, filium Liberi & Veneris fuisse Priapum, ducti conjectura verisimili propterea, quod, qui vino indulgent, sint natura ad Venerem propensiores. Venter enim mero æstuans, citò despumat in libidinem. Ubi ebrietas, ibi libido dominatur & furor. *can. venter. ead. dist.* Luxuriosa quippe res vinũ est, & tumultuosa ebrietas. *can. Luxuriosa ibid.* atq; adeò omnium vitiorum fomes *can. ult. ead. dist.* Venter & genitalia ait Hieronymus, sibimetipsis vicina sunt, ut ex vicinitate membrorum, confœderatio intelligatur vitiorum: in tantum ut vini liquor vel in authorem quoque suum lascivire non erubuerit. Istius certè liquoris ardore sopitus Noa pater, eam partem, qua viri dicimur, tegere non potuit. Unde à Chamo filio irrisus, caput ejus diris devovit. quanquam sunt, qui putent, Chamũ patri madido, virilia ostentanti, sterilitatem induxisse malefico carmine. Chamum enim Magiæ improbæ opificem, & Zoroastrum, quasi viventem stellam fuisse vocatum, Stephanus Forcatulus retulit *lib. 1 de Gallorum Imperio & Philosophia fol. 12.* Hodiè paucos reperias Invinios. Ita enim Abstemii, & qui absque vino sunt, appellantur ab Apuleio *lib. 11. Milesiac.* Nec possum jam non meminisse miri cujusdam Hierophantæ (Sycophantæ penè dixeram) aulici: qui, etsi vini libidine, ut cum Gellio dicam, usque ad ludibria ebriosus, tantum non lupanari clarebat infamia; ad imperitum tamen vulgus, & gynæceum inprimis, Religiosæ ac sanctioris vitæ castimoniam, mirum in modum ementiebatur. Eum ego, cum vini tum chorearum ductu & incalescentia inflammatum atque exstinctum, hoc Epitaphio carmine sum prosequutus:

Vi & sacerdotibus.

Bachi & Veneris filius Priapus.

Noha ovir Chamum filium execratus.

Invinii.

Hac mea, quicunque es, qui transis busta, Viator,
Busta precor fusis humida redde cadis.
Sparge merũ cineri, lætetur ut ossa sepulti:
Ipsa etiam urgetur (quis putet?) Umbra siti.
Atque Dioneam, tumulum prope, consere myrtum.
Nunc quoq; apud Manes est mihi grata Venus.
Et cane: Te Veneris juvet & lascivia Bachi
Qui Bachi & Veneris lætus alũnus eras.
Post has plena mero cape pocla, an lente moraris.
Epotis cyathis & tribus, Hospes, abi.

Epitaphium ebriosi & lascivi.

Cæteroquin Antrocydes cũ Alex. M. ab ebrietate deterreret, dixisse fertur: memineris Rex, quoties vinũ biberis, te epotare sãguinẽ terrę. Vinũ nõ abs re *terra ſãguinem*

Vinum terra sanguis.

nem vocavit naturæ consultissimus, & non medendi solùm sed etiam dicendi peritus: ut vim ac vehementiam vini magis exprimeret & indicaret, sicut in corpore sanguis plurimum pollet, utpote conceptaculum spiritus & animæ vehiculum; ita vinum ad excitandos animos, propellendamque mentem mirificam potestatem habere. Qua causa veteres Bacchū è concremata matre editum dixerunt. Plutarchus quoque in libello *de Iside & Osiride* author est, Ægyptios (qui in sacris indigitamentis vinum *Gigantum sanguinē* vocabant) ad Psametichi usq; Regis ætatem neque vinum bibisse, neq; Diis libasse, atque ab eo omnino, ceu parum superis grato abstinuisse: veluti quod eorum sanguinē potarent, qui cum Diis aliquando dimicassent, ex quo effuso & terræ admisto vites essent progenitæ. Quare largiter ingurgitantes se mero, ebrietatem & insaniam, furoremque incidere, non secus ac si impiorum bellatorum sanguine se expleant. Inde illud epigramma, cujus sanè quàm venusti authorem se profitetur Cœlius Calcagninus *lib. 1. ep. q. 36.*

Terrigenæ victi, victor Saturnius, actis
Undiq; Phlegræis molibus horror erat.
Mœsta parens tellus in vites ossa redegit
Cæsorum: & vinum est, quod modo sanguis erat? (*nata.*
Ah! ne quis mala vina bibat, de sanguine
Qui biberit, cades exitiumque bibit.

Noctua Bacho invisa. Illud quoque addidero, Noctuam avem Bacho invisam fuisse, utpote cui vitem denegārit, solamq à suis racemis abegerit, quòd Mortalibus vinum criminata fuerit. Proinde si infantes Noctuæ ova adsumserint, perpetuò vinum odisse feruntur, & id non modò non bibere; sed & temulentos formidare: ut Philostratus auctor est, & Lilius Gregorius Giraldus retulit, *de Historia Deor. Syntagm. 8.* **Caper gratus.** Contrà verò Caper Bacho gratus & acceptus fingitur, quòd putationem primus doceret, dum vitis, quam Caper præroserat, felicius provenisset, tanquam damno cresceret. *Hyginus lib. 1. c. 274.* Hinc Capricornus in signa cœlestia relatus, & Caper Bacho immolari solitus, ut Deo amicum animal, non ut infestum, quemadmodum Græca vanitas existimavit. **Eidemq; immolari solitum.** Nam in more positum erat, ut capitibus vectimarum vinum adspergeretur. Hinc illud Ovidij:

Rode caper vitem: tamen hinc, cum stabis
ad aram.
In tua quod spargi cornua possit, erit.

Caprinum genus Minervæ infestum. Inde Capra Minervæ nunquam, ut nec aliud quidquam caprini generis, quemadmodū Varro loquitur *lib. 1. de re rustica cap. 2.* immolabatur: quia olivam vel lambendo sterilem faciat. Ejus enim salivam esse fructui venenum; ut ex Varrone Stephan. Forcatulus retulit *lib 1 de Gallorum Imperio & philosophia*: licet ab ipsius sententia, quo ad hirci immolationem, nonnihil recedat; vel ideò fortassis, quod mactatum Bacho Caprum existimat, veluti vitibus infestum atque nocuum. Cui sententiæ stabiliendæ illud Virgilij.

—Bacho dicamus honorem
Et ductus cornu stabit sacer hircus ad arā

adducit J. Christoph. Sarbar. *in centur. ep. philologicar. ep. 25.*

Vinaceos lavare Lora. 1. *Expressis acinorum folliculis aquam addebāt*) Catoni est, *vinaceos lavare*. hoc est, ex vinaceis aqua perfusis Loram facere. Id enim potionis genus, *Loram* etiam Varro appellat, *de re rustic. c. 54.* de quo videatur Adr. Turnebus *lib. 25. cap. 20.* Ulpianus Acinatiū vocat, & vini nomine contineri respondit in *l. si quis v. nū. 9. ff. de tritico, vino, oleoq; legat.* Quod ipsemet etiā Forcatulus *in penu iuris* existimavit esse *Lorā*: quæ fit dilutis aqua & maceratis acinorum folliculis sive vinaceis: quorum mentio *in l. si quis uxori 52. § si quis massā 14. ff. de furt.* Ab hoc dissentit eruditissimus

ditissimus Hieron. Mercurialis, qui *lib. 5. variar. lection. c. 1.* Acinaticum id, vini genus aromaticum esse dicit, cum Alciato *lib. Prætermiss. in verb. Canũ:* Sed hunc toto cœlo errasse censet Jacobus Menochius *lib. 4. præsumt. 152. n. 18.* & accedit Cujacio, qui *lib. 24. observ. c. 39.* ex Cassiodori sententia scripsit, Acinaticium dici vinum, quòd longè post vindemiam hyemali tẽpore ex uvis diu suspensis & rigosis conficitur. id quod ante Cujaciũ Hermolaus Barbarus ex Cassiodoro animadverterat: dum ex acinis dici vinum existimat. Veronensis agri alumnũ, odoris saporisque suavissimi, colore purpureo, ineffabilique dulcedine, tactu quoque densum atque pingue, ut carneus liquor, aut potio esculenta videri possit. Hujus occasione de *vino aqua diluto* dici aliquid poterat. Eo enim modo Cyclops ut barbarus & temulentus (tales enim Homerus inducit) vinum aqua corrumpi existimabat: cum è diverso sapientum judicio reddatur melius ac salubrius. Unde & Plato admonet, ut Bachum, temulẽtum Deum, Nymphis sobriis deabusq; temperemus. Idemque docetur ex Meleagri illo epigrammate Græco: quod Erasmus ita latine reddidit:

Vinum aqua dilutum.

Bachus ut è flammis puer exiluisset, in ũdis
Tinxerũt Nymphæ sordidũ adhuc cinere.
Hinc junctus Nymphis est Bachus gratus; at ignem
Ardentem capies hunc nisi miscueris.

Quam tralationem sunt qui ita commendent, ut eam vel cum Petronii Afrani certare posse censeant; quæ de vino lymphato sic habet:

Infantem Nymphæ Bachum, quo tempore (ab igne
Prodiit in vetum sub cinere abstulerãt.
Ex illo Nymphis cũ Bacho gratia nulla est,
Sejunctus quod sit ignis & urat adhuc.

Proditum idipsum quoq; veteri illo oraculo, quod & piscatoribus fuit percelebre, *Dionysium scilicet in mare esse immergendum.* Quo significatur, vino marinam aquã affundi oportere: ideo quòd ea res faciat defecatius vinũ & firmius ac incorruptius. Quod plurib. explicat Lud. Cœlius Rhodigin. *lib. 26. lect. ant. cap. 8.* quanquã vinum largius dilutum, illud habere noxæ creditur, quod in posterũ diem gravius doleat caput, qui biberit, quam si merũ bibisset. Aristoteles id putat esse in causa, quod vinum per se crassius accessione aquæ factũ subtilius, citius penetret angusta capitis foramina, meri noxam, cujus adhuc multam vim obtinet, eodem transmittens; præterea concoctu difficilius sit, Erasm. Roter. *Chiliad. 2. centur. 2. adag. 96.* Sanè si Martial. *lib. 1. Epig. 19.*

Quomodo noxium.

—scelus est jugulare Falernum,

h. e. optimo vino pessimum miscere: quibus modis execranda erit cauponum malignitas, dum vinum (quod alias quoque putrefactam in ligno aquam dicebat Empedocles teste Aristotele *lib. 4. Topic. cap. 5. in fin.*) non alio quidem vino tenuare; sed aqua ipsa solent corrumpere, ne perimere dicam & internecioni dare? Nõ abs re certè Horatius cauponẽ vocat perfidũ *lib. 1. Satyr. 1* & caupones malignos *Sat. 5.* In quos elegans extat Martialis epigramma 57. *lib. 1.*

In caupones vina corrumpentes.

Cõtinuis vexata madet vindemia nimbis
Nõ potes, ut cupias, vẽdere caupo, merũ

Eo enim hoc innuitur, cauponem illum capere quidem vinum infuscatum, ut loquitur Plautus, & multa aqua fractum hospitibus exhibere; id autem nõ posse propterea, quod vinum illud ex uva madida expressum & aquosa, non patiatur insuper aliam aquam sibi infundi; quæ vera est Turnebi interpretatio *lib. 2. Advers. c. 7.* Cæteroquin quam propensi ad fraudes sint caupones, ipsemet etiam Jureconsultus conqueritur: dum in fraudib. ne statutâ quidem pœna eos abstinere scribit

Cauponũ malignitas

l.1.ff.Nautæ caupõ.stabu. qui titulus *de tribus furibus* communiter agere dicitur. Ex illo certè textu Alexander caupones ex illo genere prædonum esse notat. *in l. 1. in pr. C. de edendo.* Ideoque prætor curam agere debet, reprimendæ improbitatis hoc genus hominum *l.5. §. mirantur. ff. naturæ caup. stabul.* Quos Baldus rapaces vocabat *in l. 2 n. 2. C. Locati.* eò quòd sæpius in exigendo excedant metas, & plus justo exigere soleant ab hospitibus, quàm impenderint. Chassaneus *in catalogo gloria mundi part. 11 consid. 46.* Hinc Angelus dicebat, paucos eorum reperiri divites, ita ut divitiæ ipsorum durent: quia in mendaciis suis non justificabuntur, Angel. *in l 1. §. Caupo autem num 4. ff. Furti advers. naut. caup stabul.* Matth. Colerus de processib. execut *part. 1. cap. 2. n. 253.*

DE PALÆSTRIS ET STADIIS TIT. XXVI.

Palæstræ. Stadia.

Fabricabant etiam Palæstras, *aut* Stadia: 1. *in quib. adolescentes exercebantur luctando, currendo, saliendo, jaculando, & cum cæstu pugnando. Locus ille quadratus erat, & stadium nominabatur; quia duorum* * *Stadiorum habebat ambulationis circuitionem: quæ quartam mille passuum continet partem. In hoc tres porticus simplices erant dispositæ; quartaque, quæ ad meridianas regiones erat conversa, duplex; uti cùm tempestates ventosæ essent, non posset aspergo in interiorem partem pervenire. Sub hac aperta erat porta, quæ in aulam ducebat amplissimam, undique sedes habentem in quibus Philosophi & Rhetores sedentes disputabant.* 2. *Eaque dicebatur* Exedra *sive* Ephebeum; *eò quod adolescens, qui & Ephebi dicuntur, ibi erudiebantur. Quia veteribus pauci erant libri: disputando magis, quàm scribendo se exercebant; ut Suidas scribit, verbo Gymnasia. Eratque locus ille instar capituli Monachorum, quod in Monasteriis solet cogi: cuius in locum Scholæ nostræ successerunt. Exedra tertia parte longior erat, quàm lata, ut Vitruvius describit:* * *& à dextro ac sinistro latere concamerationes habebat, balneorum usui inservientes. Similis huic locus etiamnum Pisis exstat,* Campus sanctus *appellatus qui tamen per omnia ad veterem illum modum non est efformatus.* *** *Quidam existimant, ibi constituta fuisse* 3. Gymnasia: *quorum tria Athenis habebantur; Academia, Lyceum, & Cynosarges, in quibus iuvenes ante bellum exercebantur, ut Suidas ait, in verbo Lycæum.*

*Verba sunt Vitruvii lib. 6. cap. 11.

2. Exedra. Ephebeum.

*lib. 5. c. 11.

*** In manuscripto italico 3. paucula quædam, ut videtur, plane omissa.

Gymnasia. Palæstra notatio.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

PAlæstræ græca vox ex usu facta est Latina. παλαίω n. Græci luctā dicunt, ἀπὸ τ̃ παλαίειν sive q totius corporis membra luctando concuterentur: sive q ante luctam Urna moveretur, ut Serv. voluit: quoniam sorte ducti luctabantur. Fuit autem Lucta pars tantū Gymnastices, ut Plutarch. scribit *l. 2. sympos. proble 4.* siquidē hæc quinq; constabat exercitationib. Cursu, Lucta, Saltu, Jactu, & Pugilatu cum cæstu, de quibus Jul. Cæsar Scaliger, *lib. 1. poetices. cap 22* Eademque à Paulo quoq; recensentur *in l. 2. de alear. lusu & aleator.* Ubi SCto cautum esse ait; ut non nisi his ludis tantum

Gymnastica partes.

Quinquertium. tantũ in pecuniam ludere liceret. Idemq; Quinquertiũ Festo dicuntur, quòd quinque artibus illis id ludi genus constaret: ut & Pentathlum. *Pentathlum.* Hermolaus ad Plinium, Pancratium dicit: sicuti & Pancratiasten, *Pancratium.* qui his omnibus ludis vicisset. qua de re tamē videatur Alciat. *ad l. un. C. de Athletis l. 10.* & Turnebus *lib 27. Adversf. c. 8.* Usu autē obtinuit, ut Palæstra non tantùm quinque istos ludos denotaret: sed & locum in quo ii exercentur. *Palæstra etiam locũ denotat.* Ulpianus eleganter *De palæstra* appellat eum, qui palæstræ dat operā *l. sed si quid ff. de Usufr.* Sic *palæstritæ* dicuntur, qui se pale exercent; *De Palæstra Palæstrita.* magistri luctationis, & omnis palæstricæ exercitationis gnari. Apulejus: *An ignorας, inepte nudum nec a decē palæstritis te spoliari posse?* hoc est, à robustissimis atq; exercitatissimis quibusq;. Sciendum & illud est, Spartanas virgines nondum adultas, in discorũ jactu, cursu, palæstra exerceri solitas omnes nudas. *Spartanarum circa Palæstram studium.* Id quod ne Plato quidem improbavit: imò censuit, ut non modò puellæ, sed & anus luctarentur cum viris; ut patientes laborum, facilè res arduas subirent. Quo studio Lacones in posterum adeò affecti sunt, ut Gymnasia & Palæstras quibus tota Græcia dedita erat, ita occupasse animos tradant, ut præ fortibus militibus se bonos palæstritas, & athletas dici potius exoptārint. *Alexand. ab Alexandro lib. 2. Genial. dier. c. 25.* Cæterum Augustus morem & consuetudinem illam inverecundam, ac turpem deprehendens, spectaculis ejusmodi fœminas ne interesse quidē voluit: tantũ abest; ut nudas eis exerceri permiserit cũ nemo non videat, talia ludorum genera, verecundiæ modestiæque fines longè lateque excedere, ut rectè arbitratur Josep. Quercetan. in diætetico polyhist. *sect 2. c. 11. fol. 227.* Nec vero silentio prætereundem est, Palæstram à veteribus Mercurii habitam fuisse filiam. *Palæstra Mercurii filia.* de qua Lactantius: Cum aliquando, inquit, Mercurius somnum caperet, quidam dormienti tetēdit insidias. qui conata peregisset, nisi eum filia Palæstra excitasset, Qui cũ odio terræ migrasset ad cœlum creditus est obiisse: quo facto injuriosam meruit sepulturam. Unde Statius *lib. 2. Thebaid.*

Pollutamq; suo despectat Phocida busto.

Hanc Mercurii filiam Palæstram, Philostratus in Arcadia luctā invenisse scribit. *Lucta inventrix.* Et in palæstricis illis exercitiis Mercuriũ simul cum Hercule cultum fuisse Phurnutus ait: *Mercurius cum Hercule cultus in palæstricis.* vel ideò, quòd cum ratione fortitudo moderanda sit. Qui enim vi corporis sola nituntur, rationemque, quæ artes in vita invexit, negligunt; his admodum illi quispiam decenter dixerit: Dæmonie perdette robur tuum. Lilius Greg. Gyraldus *de Histor. Deor. Syntag. 9.*

1. Stadium.) Stadium Latinè curriculum dicas, in quo equi currunt, & athletæ certant, ἀπὸ τῆς στάσεως sive statione nuncupatum: *1. Stadium.* quòd Hercules eo spatio uno spiritu confecto constitisset. de quo Gellius *lib. 1. noct. Attic. cap. 1.*

2. *Eaque dicebatur Exedra sive Ephebeum*) *Exedra.* Exedræ mentionem facit Vlpiā. *in l. si verò plures 5. §. interdum ff. de his, qui deiec. vel effud.* his verbis: oportebat prætorem æquitate motum dare actionem in eum, ex cujus cubiculo vel exedra deiectum est. Ubi Gothofredus *exedram* interpretatur cellam, quales sunt cellæ Monachorum. Alexand. ab Alexand cubiculum designari putat columnis fultum & epystiliis pluribus, quibus prospectus in viam erat, aliquando sub dio, nonnunquā sub tecto, *lib. 5. Genial. dier. c. 11.* Cujus hæc verba sunt: Constituuntur autem in tribus potissimum exedræ spatiosæ habētes sedes, in quibus Philosophi, Rhetores, reliquique, qui studiis delectantur sedentes disputare possint: Sic Cicero se in exedra sedentem disserere asseverat *lib. 1. de*

 nat.

nat. Deor. Et Julius Pollux exedram tradit sessionem esse, ubi viri considēt *lib.1. c.4.* sicut & Buleuticum construxerunt Græci in Theatro, ubi Seniores; & Ephebicum, ubi juniores spectarent, ut sit Bulenticum Theatri pars senioribus assignata; Ephebicum autem: ubi spectabant Ephebi, pro Epheorum & puberū multitudine, ut post Lud. Cœl. Rhodig. *lib.5. lect. antiq. cap.8.* Alexand. ab Alexandro & ibi Tiraquell. tradidit *lib.5. Genial. dier. cap.16.*

Bulenticum *Ephebicum.*

Gymnasia.

3. *Gymnasia)* Sic propriè dicebantur loca in quibus gymnici ludi ab athletis nudis, & oleo unctis, ac pulvere aut arena conspersis exercebantur. quod nomen haudquaquam literariis ludis convenire putat J. Cæsar Scaliger *lib.1. Poetices c.22.* cum nusquā minus, quàm in tam sanctis sodalitatibus nudos agere conveniat. Sed pace tanti viri, inquit doctissimus Becmannus *lit originibus*, Scholæ atque Musarum domicilia nō à nunditate sic dicta; sed ut inducantur perpetua exercitia, eaq; satis difficilia: qualia fuerunt Athletarum: qui ideò, ut etiamnum operarii solent ac messores, corpora denudabantur aut saltem vestes aliquā detrahebant, quo agiliores fierent & promtiores. Cæterum Athenis tria potissimum fuerunt celebra Gymnasia, quorū & Pancirollus hic meminit: Lyceum scylicet, Cynosarges, & Academia, de quibus apud Alexandrum ab Alexandro *lib.3. genial. dier. c.9* & ibi Tiraquell. Et quantopere à Græcis culta Gymnasia, quanta itē in dignatione fuerint, idem Alexander explicat *lib.2. cap.25.* A Gymnasiis porrò dicebantur *Gymnasiarchi* vel Gymnasiarchæ, qui præfecti erant gymnicis agonibus; Athletarum propositi & Palæstriarum Magistri: Agonothetæ sive Athlotetæ sive Munerarii; itemq; Domini ludorum, certaminū præfecti vel præsides, seu editores gladiatorum, Circensium ludorum vel Curulium curatores, (hæ enim illorum appellationes promiscuè apud Classicos usurpantur authores) ad quorum nutum *Palæstritæ & Xistarchi* præsto erant; quos præcedere sive comitari solebant *Mastigophori*, quorum mentio apud Arcadium JCtum *in l. ult. §.17. ff. de muneribus & honor* h. e flagriferi: sive ut virginis insolentiam certatorum spectatorumq; coercerent; sive, ut acrius isti pugnarent. *Virgis*, inquam; quia virga Gymnastum insigne erat, quam Gymnasiarchi gestabant exemplo Mercurii, qui colitur & honoratur in palestris, utpote cum palæstricam instituisse putetur. Sicuti hoc sedulo annotavit Johā. Savaro ad Sidon. Apollin. *ep.2. lib.2.* & Gothofred *ad d. l. ult. §.17.* ubi inter alia egregia dicta, *illud Tertulliani ad Martyres* adducitur: vos benedictæ, quodcunque huc durum est, ad exercitationem virtutemq; animi & corporis deputatur: bonum agonem subituræ estis, in quo Agonothetes Deus vivus est, Xistarches Spiritus sanctus corona æternitatis bravium.

Gymnasia Athenis tria.

DE THERMIS AUT BALNEIS TIT. XXVII.

Thermæ. Antoninæ & Diocletianæ.

Thermæ & Balnea Romæ adeò fuerunt magnifica, ut etiam murorum reliquiæ, altitudinem ipsorum intuenti admirationem moveant. Antoninæ & Diocletianæ *thermæ, ubi hodiè Certesinorum templum, ab Angelis cognominatum, exstat, altitudine & latitudine omnia ædificia superabant. Multa habebant conclavia: sed tria præcipuè balneis destinata: In quibus tria ahena, * caldarium scilicet, tepidarium, & frigidarium ita erant collocata, ut ex tepidario in caldarium quantum aqua caldæ exisset, influeret: ac de frigidario*

** Vitruvius lib.5. cap.10.*

in

in tepidarium, ad eundem modum. Veteres frequenter utebantur Balneis, eò quod absq; tibialibus incederent, ut infrà dicetur. At quia viæ admodum pulverulentæ erant, crebra lotione indigebant. Unde hodiè quoque in Italia multi lacus appellantur Balnea; ut & Balneola, sive balnea minora. Balnea nunc quidem in usu non sunt præterquam raro, & in paucis quibusdam oppidis: res mehercule vilis & nullius splendoris. P. Victor scribit Romæ DCCCLVI. balnea publica exstitisse.

Thermarum frequens usus.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Thermarum, quæ ab aquarum caliditate nomen sortitæ sunt, quamplurimæ fuerunt Romæ. Inprimis tamen celebres Antoninæ & Diocletianæ. Antoninas thermas Andr. Palladius *de Antiquitatibus Urbis Romæ*, ab Alexandro absolutas fuisse ait, admirandæ altitudinis, & cum pulcherrimis marmoribus, tum maximis columnis ornatas. Ad ædificationē vero Diocletianarum, quæ & ipsæ stupendæ altitudinis erant, Diocletianum centum & quadraginta millia hominū, multis annis conducta habuisse. Thermarum autem diligens descriptio habetur apud Vitruvium *lib. 5. c. 10.* Hæ crescente Principum luxuria, magno sumtu ac splendore ædificabantur: ita ut lavacra sæpè instar Urbium viderentur: nec mirum fuerit, ipsos etiam Principes ad frequentem thermarum usum, deliciis ipsarum fuisse allectos: quemadmodum Sipontinus ad Martialem recenset, & cum apud Suetonium, tum alios passim, præsertim verò Alexandrum ab Alexandro videre est, *lib. 4. genialium dierum cap. 20.* Balneum certe Græcis βαλανεῖον Beroaldus *ad libr. 1. Apuleji* dictum putat, quòd anxietatem pellat ab animo, quanquam Alciatus *lib. 1. Prætermissor.* & Brechæus *in l. Carbonū 167. de verb. sign.* Balneum sive Balineum, imitatione vocabuli Græci βαλανεῖον à Balanis deducit, eò quod Balanis præsertim immitioribus exsiccatis vel etiam glandium βαλανῶν testis & corticibus veteres consuêrint fomēta igni admovere, ut Suidas scriptū reliquit. Sanè balnea, quædam laborum esse remedia, idem Suidas ait: quamvis non neget, eadē esse certissimam ad delicias viam, & frequenter his utentes effœminare. Urbem, ait ingressus cum esset, quæ lavacra haberet, partim manu & arte facta, partim è terræ gremiis scaturientia, & cum voluptate ad utilitatem & delicias hominum ebullientia prono, quod ajunt, flumine delatus, voluptatis servus evasit. Tertullianus caloris & sanguinis servandi caussa, lavacra instituta asserit. Sic enim *in apologetico*: Non lavor, inquit, diluculo Saturnalibus, ne & noctem & diem perdam. Attamen lavor honesta hora & salubri, quæ mihi & calorem & sanguinem servet, plures verò illorum caussas Clemens Alexandrinus recenset: corporis munditiem, tepefactionē, sanitatem, & voluptatem. In Balneorum verò, etiā privatorum luxum graviter invehitur Seneca *lib. 13. ep. 87.* Quis est, inquit, qui sic (ut Scipio, ille Carthaginis horror) lavari sustineat? pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis & preciosis orbibus refulserint: nisi Alexādrina marmora Numidicis crustis distincta sint: nisi illis undiq; operosa, & in picturæ modū variata circumlitio prætexatur: nisi vitro cōdatur Camera: nisi Thasius lapis, quondam rarū in aliquo spectaculū templo, piscinas nostras circūdederit: in quas multa sudatione corpora exinanita demittimus: nisi aquam

Thermæ Antoninæ.

Diocletianæ.

Thermarum luxus.

Et usus etiam apud principes ipsos.

Balnei notatio. 1.

2.

Balneorum finis.

quisitam frequenter conversari soleo, probari animadverti.

Sed ut ad Balnea revertamur: certum est; priscam Romanorum verecundiam non esse passam, ut puberes filii cum parentibus lavarent, aut generi cum soceris. Valer. Maxim. *lib. 2. c. 1. exempl.* 4. Multo minus igitur promiscua viris cum Mulieribus balnea fuere: in tantum, ut ex Romuli 1. Romanor. Regis sanctione, criminis capitalis reus haberetur, qui se nudum à fœmina videri passus fuisset. *Plutarchus in vita Romuli.* Sed & Lex infamia notari jubet eos, qui Mulieres in balneis ad vestimenta custodienda habuerint conductas *l. athletas 4. §. ait prætor. de his qui not. infa.* Quanto gravius igitur mulctabuntur, qui communia cum Mulieribus lavacra habuerint? quod in Christiano nequaquam ferendum, cū, ut Canon ait, etiam apud Gentiles prima hæc sit reprehensio. *can. non oportet. 81. dist.* Quinimo nō placuerūt Hieronymo lavacra in adulta virgine, quòd etiam sola seipsam debeat erubescere, & nudam videri non posse *in ep. ad Letam de instit. filia.* Et hoc Sidonius ait, propter velanda corporis, quæ nec in balneis detegi debent *ep. 2. l. 2.* Hinc Ambrosius ad Sabinum *ep. 36.* Nonne ipsi nos inspicere nudos plerunque reveremur? Denique idcirco indumentis operiuntur genitalia hominum, ne deformi visu obtutum aciemque perstringant oculorum intuentium. Atq; ita qui lavabant, se plus putabant, quàm nudos, quod pudorem intuentium oculis exponerent, & eum cum interula deponerent. Savaro ad Sidon. Apoll. *d. ep. 2. lib. 2.* Unde si Uxor ita luxuriosa sit, ut etiam cum viris voluptatis occasione lavetur: licentia data est viris, mittere eis repudia, & lucrari dotes, atque antenuptiales donationes. *Novella 22. de Nupt. cap. si verò etiā, 16. & Novella 117. Vt liceat. mat. & avia. c. quia verò plurimas 8. circa fin.* Sicuti & maritus, cum alienis lavans Uxoribus, donatione propter nuptias privatur, *leg. jubemus. 11. §. inter culpas C. de repud.* Nam, ut gravissima est Gyges apud Herodotum sententia: Mulier exsuta tunica, ipsum simul pudorem exsuit. Atqui eam ego, cum Plauto, periisse puto, cui quidem jam periit pudor. ideo virorum & mulierum distincta erant balnea. Varro *lib. 2 de Analog.* & Vitruvius *lib. 5. c. 10.* quæ, cum invalescente luxuria communia & promiscua essent, separavit Adrianus autore Spartiano; eademque submovit Antoninus philosophus; Idque Ecclesiastico jure receptum fuit Concilii Carthaginēsis *can. 30.* Photius in Nomocanone *tit. 9. c. 31. & tit. 11. c. 7* Nulla igitur non turpitudinis labe meritò notandus videtur Tiberius Cæsar: qui Sestio Gallo, libidinoso ac prodigo seni, cœnam ea lege condixit, ne quid ex consuetudine immutaret, aut demeret; utque nudis puellis ministrantibus cœnaretur. *Suetō. in Tiberio. c. 42* quanquam hunc præministrandi morem etiam Babylonicis mulierculis in usu fuisse, Q. Curtius testatur *lib. 5. de reb gest. Alexand. Magn.* Harum, inquit, licet in conviviis principio modestus sit habitus: tamen deinde summa quæque amicula exsuunt, paulatimque pudorem profanant. Ad ultimum ait, ima corporum velamenta projiciant, nec meretricum hoc dedecus est; sed matronarum, virorumque, apud quos comitas habetur vulgati corporis vilitas. Sed & apud Lacedæmonios Lycurgus virgines omninò nudas proponebat oculis omnium in publicis spectaculis. At Chrysostomus graviter admōet, eos à Dæmonibus impelli, cum virgines denudantes in palæstram producunt, ad spectationem hominum. Certè Euripides, mulieres Laconicas appellat ἀνδρομανεῖς quòd impudica fuorum corporum nuditate, multos ad furorem turpis

Adversus promiscua sexus utriusque balnea.

Pœna uxorum cum aliis viris lavantium.

Et contrà.

Puella in conviviis nuda.

Et in Palæstra.

turpis amoris & libidinis adigerent. *Balduin. in pr. Instit. quibus mod. tutel. finiat.* quibus adde, quæ de verecundiæ in balneis etiam ab Ethnicis ratione habita eleganter scripsit Philippus Camerarius *c. 31. Operar. succisivarum.* Forma denique in balneo extruendo ea est, quam Imperatores præscribunt *in l. 1. C. de ædif. priv.* ut sit balneum concameratum, atque etiã ædificium, quod balneo superimponitur. Concamerationes enim sunt firmiores, & diturniores, quam contignationes aut coaxationes. Ad hoc concamerationes superiores minus onerant inferiora ædificia: & inferiores oneri ferendo aptiores sunt, maximè, sicuti oportet, inferiores, firmiores sint superioribus, ut Vitruvius præcipit *lib. 6. c. ult.* & ex eo notat Cujacius *ad l. 1. C. de ædif. privat.* & Architecti optimi balneorum, aversa ea à septentrione & Aquilone, ad occidentem hybernum versa construebant. ut ex eodem Vitruvio notat Savaro *ad Sidon. Apoll. ep. 2. lib. 2.*

Balneorum forma.

DE ARCUBUS TRIUMPHALIBUS
Tit. XXVIII.

Arcus triumphales.

Non prætermittam Arcus triumphales è marmore instar trium ingentium portarum, marmorei cuiusdam palatii formam repræsentantium erectos. In his inscribebantur præclara eorum facinora, quorum in honorem exstruebantur. Romæ erant XXXVI. extra Vrbem, unus. Atque haud scio, an Ariminii adhunc exstent duo illi sanè magnifici: qui iam quidem perierint, nisi Celsitudo Tua sartum tectumque id præstet quod ab iniuria pluviarum & temporis adhuc est reliquum.

NOTÆ SIVE COMMENTARII.

ARcus triumphales in eorum erigebantur honorem: qui exteras civitates, provincias, & nationes, populi Romani imperio subjugassent. Eorum 36. olim Romæ erant: hodiè sex tantum ibi conspiciuntur, quemadmodum & Andr. Palladius refert *de antiquitat. Vrbis Romæ.* ferunt in Simarum Urbe Cantaon, plures, quam mille triumphales arcus eximie ædificatos conspici, si Melchioris Nugnez literis inde missis credimus, ex relatione Simonis Majoli Canicular. dierum *tomo 1. colloq. 23. f. 716.* De Triumphis autem infra dicetur Titulo peculiari.

DE COLUMNA TRAIANI ET ANTONINI
Pii TIT. XXIX.

Trajani & Antonini Columna.

Columna Traiani omnem admirationẽ exsuperat, alta est pedes CXX. Intus autem testudinea via CLXXXV. gradibus ad fastigium usq; ducit, ubi ossa Traiani in aurea pila sunt recondita. Extus res ab Imperatore gestæ insculpta sunt cum figuris circum circum instar præli ascendentibus, tanta cum sculptoris arte, ut omnes illæ figuræ, unius eiusdemque magnitudinis contempianti appareant. Et revera etiam quantitate non differunt. Alia huic similis erecta est Antonino Pio: quæ & ipsa adhuc in pede est. Hodie eiusmodi opera non fiunt.

NOTÆ

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Columna cur inventa.

MOnet Pierius *lib. 49. Hieroglyph.* Romanorum quoq; columnas non absq; mystico aliquo intellectu erigi cōsuevisse: nec dissimiles in hoc Ægyptiorum inventis esse, dum aliæ firmitudinis, aliæ rei præclarè gestæ, famæq; supra mortalium conditionem ad usque cœlum attollendæ; aliæ captivitatis, aliæ profligationis, alii opprobrii sint indicia. Earum duæ etiamnum Romæ visuntur, quæ Romanæ potentiç atque splendoris testimonium faciunt, Trajano una; altera Antonino Pio erecta; ad quarū summam altitudinē, quæ admodum excelsa est (illa quidem pedum CXXVIII. hæc pedū CLXI. si Palladio credimus) per interiores gradus, illius quidem CXXIII; hujus verò CCVII. ut idem Palladius prodidit, coclitis in modum circumductos commodissimus est ascensus. Illa XLIV. fenestras habet; hæc LVI. Utriusque verò parti exteriori, unius atque alterius res præclarè gestæ insculptæ sunt. Trajanus suam nunquam vidit. Rediens enim ex prælio cum Parthis commisso, Soræ, quod Seleuciæ oppidum est, diem suum obiit. Ejus ossa in auream collecta urnā, Romam allata; hæc in apicem columnæ fuit posita. Inter alia autem Trajanus vel hoc nomine Optimi Principis laudibus fuit insignitus, quòd Leges, quæ vetustate extabuerant, renovari jussit: ne cui fraudi esset, quod publico omnium errore in legem commisisset. Videbat scilicet, jus sæpissimè in errore publico positum esse *l. 3. ff. de offic. prætor. l. 3. ff. de supell. legat.* nisi tamē quid in naturæ legem peccetur: contra quam probabilis error nullus esse potest: *Iohā. Bodin. de Repub. lib. 3. c. 4.* Antoninus verò pius vel ob hoc quoque inprimis celebratur, quod omnes Imperio Romano subditos (exceptis tamen servis) civitate

Trajani & Antonini.

Trajani ossa.

Trajanus leges renovavit.

Antoninus omnes subditos civitate donavit.

Romana donavit, non rescriptis; sed lege populis omnibus lata. *l. in orbe ff. de statu homin.* ut esset Roma gentium omnium patria *l. Roma ff. ad Municipal.* quemadmodum ipse Mundi se Dominum fuerat professus. *l. deprecatio. ff. ad L. Rhod. de jactu.* In quo quidem Alexandri Magni exemplum quodamodo visus est imitari: qui Orbem terrarum civitatem communem; sua verò castra, civitatis illius arcem appellabat. *Plutarchus in Alexan.* Antoninus autem cur à Senatu *Pius* fuerit cognominatus; & qui prætereà Imperatore hoc nomen usurpârint, diligenter explicatum habes apud Jacob Revardum *lib. 3. Varior. c. 10.* Antonini quippe singulari virtute & incredibili quadam pietate factum est, ut ad quamplurimos successores nullo licet sanguinis vinculo junctos, nomen illud veluti hæreditarium transiret. Et debent profecto Principes sive Reges præter justitiam & Prudentiā, etiam pietati inprimis studere: ut Tutores status publici nominari mereantur cum Seneca *lib. 1. de clementia c. 4.* sicuti principem Callistratus patrem patriæ appellat *in l. ult. ff. de interdict. & relegat.* Symmachus principes vocat publicos parentes *lib. 10. ep. 22.* & parentes generis humani *ep. 36.* & defensores publicæ salutis *ep. 28.* quandoquidem salutem Reipubl. tueri nulli magis conveniat, nec alius ei rei sufficiat, quàm Cæsar *l. nam salutem 3. ff. de off. præf. vigil.* Nec verò de quopiā magis confidere potest Respub. quàm de Principe: quem Romanis rebus antistantem ad bonum publicum natum scribit Symmachus *lib. 3. ep. 34.* quem alibi ad salutem publicam genitum ait *ep. 55.* Hinc vetus illa laudis formula in lapidibus B.P.N. vel B.R.P.N. quod est, *Bono publico, vel Bono reipublicæ natus.* Contraria autē ratione Malo publico nasci vel fieri, dixerunt veteres, ut Seneca *lib. 1. de clementia. c. 18.*

Mundi Dominus.

Cur Pius nūcupatus.

Principum bonorum elogia.

Quantò non nasci melius fuit, quàm numerari inter publico malo natos? Et præsagio profectò fuit Domitii patris vox, inter gratulationes amicorum negantis, quidquã ex se & Agrippina nisi detestabile nasci potuisse, ut est apud Sueton. & Xiphilin *in Nerone*. Rectè igitur *Apollonius Magus* postquam audivisset Agrippinã à Nerone filio interfectã: Jure, *inquit*, matrem interfecit, quæ tale portentum peperit reipub. Philostratus *lib. 5. cap. 3.* & Stephanus Forcat *de Gallor. Imper. & philos. lib. 1. pag. 21.* Sic Lampridius Commodũ Imperatorẽ *Malum Reipub.* vocat: sicuti Plinius Neronem, *terrarum venenum lib. 22. cap. 22.* Notumq; est illud Tranquilli *in Caligula cap. 11.* referentis, Tiberium de ipso dixisse, se *Natricem pop. Romano, & Phaetontem terrarum orbi educare:* prout hæc ex Francisco Jurato, & aliis nõ indiligenter congessit *Filius* mihi cognominis, in dissertatione sua juridicopolitica *de Natalitio veterũ ritu:* qua Regi Bohemiæ gratulatus est, ob multorum conceptum inde gaudiũ: quod ob subsequutos, proh dolor! eventus ferè hilaritatem fictum, aut gravem & *suppuratam tristitiam* cum Seneca dixeris *lib. 11. ep. 81.*

DE MOLE HADRIANI, ET SEPULTURA CESTI TIT. XXX.

Moles Hadriani. Eius descriptio.

Moles Hadriani, quæ pro sepultura ipsius fuit posita, tam stupenda erat magnitudinis, ut veluti mundi quoddam miraculum posset videri. Hodiè præfecto Artis habitationem præbet, atque armamentarium inibi habetur, & Castellum sancti Angeli nuncupatur. Circumdabatur columnis multis: quarum 80. *aut maxima certè pars D. Pauli templum sustentant: quæ ex solido sunt lapide, maximæ cum altitudinis, tum gravitatis, Habet ultra DCC. statuas pulcherrimas, ac circumeuntibus ornata erat porticibus. In culmine seu fastigio, Hadriani statua equestris conspiciebatur. Extra portam D. Pauli, cernitur* sepultura C. Cesti, *ad formam integræ Pyramidis exstructa: quantumvis, quæ juxta fuerunt ædificia, ruinam fuerint passa. Quæ omnia etsi vana fuerunt: tantam tamen præ se tulerunt maiestatem, ut vanitates nostræ adsequi eam haud possint.*

C. Cesti sepultura.

NOTÆ SIVE COMMENTARII.

Narses.

QUanta hujus Molis structura fuerit, haud obscurè ex eo colligitur, quod Narses Eunuchus, Justiniani Dux, rebus gerendis accommodatior, quam ferret naturæ conditio, post partam victoriam, quam in Gothos Urbe Romã potitos obtinuit, Urbis clavibus ad Justinum Imperatorem missis, significavit quanta vi hostes extrahi oportuisset, fretus Mole ista Hadriani Cæsaris, in prẽsidii formam redacta: ad quod pristinæ virtutis immemores, destitutis mœnib. confugerãt. At ea moles sepulchrum fuerat Hadriani, operosè elaboratum summa artificium industria, ex marmore Pario: in cujus fastigio area latissima, ponte ad alteram Tyberis ripam pervio itinere, Urbis mœnia respiciebat. Sed in ea oppugnatione egregios Statuariorum labores militum sive imperitia sive improbitas absumpsit: dum projicere mavult ruderum vice dignas Promethei furtivis flammis statuas. Nam & præci-

Moles Hadriani pro præsidio.

Pro sepulchro.

Eius magnificentia.

præcipites ipsæ eruditis viris angi & lugere tum calamitatem Romanam, tum miras artificium manus videbantur; simul mœrente Narsete antiquitatem venerabundo; & lugubri lætitia victoriā prosequente, ac verè confitente, Mausfeola & monimenta marmorea violētiæ temporis prolixi cedere, solas literas adesse: ut verè lamentatur Steph. Forcatulus *lib. 3. de Gallor. Imperio & philosoph* & videatur in hanc rem, quod de Mausoleis scripsit Simon Majolus *tomo 1. dier. canicul. colloq. 23. fol. 727. & seq.* Porrò in Molem istam exstat elegans Theodori Bezæ epigrāma. quod ob venustatem adscribere placuit:

Theo. Beza.

Cæsareos cineres qua Moles clauserat olim,
Arx est Romano nunc sacra Pontifici.
Quàm benè, qui mortis nunc est mortalibus auctor,
Morti sacratas obtinet iste domos!

C. Cestius.

C. Cestius autē, cujus Auctor hic meminit, ex Epulonum fuit Collegio: quod indicendi Epulas Jovi, cæterisque Diis potestatem habebat. Pontifices veteres, ait Cicero 3. *de Oratore*, tres viros Epulones esse voluerunt, à quibus fieret ludorum epulare sacrificium. Mox numerus Epulonum auctus, & præpositus est Rex sacrorum, qui Rex Sacrificulus dicebatur; Additi deinde & alii tres viri, qui sacris libris legendis, carminibusq; Sibyllæ præerāt. Hi quoties prodigia magnos aliquos rerum eventus auspicantia emergerent, lectisterniis ad pulvinaria Deorū factis, sacris suppliciisque placabant. qui & *Titii sodales* dicuntur. Lucanus:

Epulonum Collegium.

Et doctus volucres augur servare sinistras,
Septem virq; epulis festus, Titiiq; sodalis:

Titii sodales.

vel à T. Tatio, à quo etiam Titiensis tribus, & Titia curia vocata est, ut Perotus putavit; vel ut Beroaldo visum est *lib. 2. de Apuleium* à Titiis avibus, quas in auguriis certis observare solebant. Habitabant scilicet Titii sodales extra Urbem, & in tuguriis certa auguria servabant. qua de re etiam Lilius Gregorius Gyraldus scripsit, *Hist. Deor. Syntagmate 17.* Sanè magna olim fuit Augurū auctoritas, de qua, ut & Augurum numero; & quomodo Auguria olim captarentur, videatur Alexād. ab Alexandro *lib. 5. Genial. dier. cap. 19.* Ego autem cum Accio nihil credo Auguribus, qui verbis aures divitant, alenas, suas ut auro locupletent domos. Cestii porrò, cujus hîc Auctor meminit, Pyramis etiamnū Romę exstat, hac inscriptione: Opus absolutū diebus CXXX. ex testamēto C. Cestii Corn. Tri. pl. septēviri Epulonū. huic Cestius monumento adjungatur, si placet, mirabilis illa *Memnonis* sepultura à Josepho descripta *lib. 2. bell. iuda cap. 9.*

Augures.

Cesti Pyramis.

Memnonis sepultura.

DE OBELISCIS TIT. XXXI.

Erant etiam Romæ obelisci, majores sex; minores, XLII. Majores ex Ægypto, ubi præparari solebant, advecti fuerunt, vulgo Aguglie *dicti: iidemque in ima parte duplo latiores sunt, quàm in supremitate: quæ ferro quodam æneam infixam habebat pilam. Obeliscus Cæsaris ad horarum distinctionem fuit adinventus. Instar enim gnomonis aut styli horas in terra marmore strata descriptas signabat: & pila apici addita umbram adaugebat, ne evanesceret; ut Plinius recitat* lib. 39. cap. 10. *Atque hoc quidem opus fuit Augusti. Inventi autem fuerunt Obelisci à Regibus Ægypti. Primus omnium fuit* Mitres, *qui Heliopoli* regnabat & somno iussum se dicebat, ut id institueret. Posteà & alii Regum multos erexerunt, XL. LXXX. & XC.* cubito-

Obelisci.

Obeliscus pro horologio.

Obeliscos Ægypti Reges invenere.

Mitres.

* Plinius Solis urbem appellat. lib. 36. c. 8.

cubitorum longitudine. Omnium tamen memorabilis maxime fuit ille 1. Ramisis Regis, quo regnante Ilium captum est. Hinc enim Obeliscum posuit longitudine undecenis pedibus, per latera cubitis quatuor. Hunc viginti millia hominum erexerunt. Ipse Rex, cum sub vecturus esset, vereretur, ne machinæ ponderi non sufficerent, quò majus periculum curæ artificum denunciaret filium suum adalligavit cacumini, ut salus eius apud molientes prodesset lapidi. Qua admonitione, laborantium diligentium excitavit, qui integrum eum elevarunt. quemadmodum scriptum reliquit Plinius. Plus laboris fuit in erigendo eo, quam in fabricando. Ideoq; in eorum aliquo, qui adhuc Romæ exstant, hoc scriptum habetur distichon, ad demonstrandum scilicet ingenium quod in erectione horum necessariò adhibendum:*

1. Ramises.

*L.36.c.9.

Si lapis est unus; dic qua fuit arte levatus?
Sed si sunt plures: dic ubi congeries?

quasi diceret; Si Obeliscus iste ex integro est lapide, quomodo potuit erigi? Sin ex pluribus; ostendas mihi juncturam. Sed certum est, ex solido eum lapide esse cæsum.

NOTÆ SIVE COMMENTARII.

Obelisci.

Solis sacri.

OBelisci trabes sunt lapideæ, Pyramidibus minores, deorsum versū specie quadrata, in angustum verticem desinentes, & paulatim gracilescentes. Hos Solis numini consecratos esse Isidorus tradit *lib. 18. c. 31.* propter quod ad radiorū similitudinem fiebant: Apud Ægyptios nomen habent à radio. & planè talis est radii forma, dum per fenestram intrat. De horum varietate & præstantia pluribus agit Plinius *lib. 36. c. 9. 10 11.* de forma verò & figura Blondus tractat *lib. 1. de Roma instaurata:* ut & de horū primis auctoribus Polyd. Virg *lib. 3 de Invētor rer. c. 11.*

Ramises rex.

Obeliscus è Smaragdis.

1. *Ramisis Regis*) Ægypti scilicet. Cujus operis admiratione factum est, ut cum Syenem oppidum expugnaret Cambyses Rex; ventumque esset incendio ad crepidines Obelisci, extingui ignem juberet molis reverentia. Sed & Theophrastus auctor est, apud Ægyptios in Jovis delubro Obeliscum fuisse è quatuor Smaragdis, quadraginta cubitorum longitudine; latitudine verò in una parte quatuor, in altera parte duorū, ut idē Plinius refert *lib. 37 c. 5.* Inter omnes verò Obeliscos Romæ ante ædes Pontificias & S. Petri delubrū nō absq; stupore & admiratione spectatur Vaticanus ille integer ex lapide Ophite, D. Julio Cæsari, cujus cineres in summo cōtinuisse fertur fastigio, sacer olim: cujus altitudo est pedum CLXX. præter basim, quæ cōtinet pedes XXXVII. Obeliscis ille, in inferiore parte latus est pedū XII. in superiori VIII. steterat primo ad sinistrū templi Vaticāi latus in Circo Neronis, sed *Sixti V. Pōtificis Max.* iussu translatus inde est in mediam plateam sive arcam, loco celebriori: opera *Dominici Fōtani Architecti Comensis.* Factum id anno 1586. quo ipsemet ego Italiam invisi, & sub sequente anno Romam me cōtuli: ubi integros sex menses hærens, cum obeliscum illū, tum alia urbis monumēta sæpius fui contemplatus. Nec scio utrū in hoc admirari debeamus Architecti cōfidentiam, an excellentiā artis! qua saxum tanti ponderis suo loco movere, & alio illæsum atq; sine fra-

Obelisci in Vaticano descriptio.

ctura

ctura sive ruptura transferre potuit. Solus enim obeliscus ille præter basim superat pondus 956148. librarum; præter vectes, repagula, cingula, & harpagines ferreas, quibus oportuit tantam molem lapideam cingi, ut posset facilius comprehendi, & aliò moveri: quæ omnia decies centena millia, quadraginta duo millia, octingentas & viginti quatuor libras æquabant, ut supputat Georgius Draudius in adnotationibus ad *Solini memorabilia part.1. folio131.*

DE PYRAMIDIBUS ET LABYRINTHIS: SPHINGE Ægyptia: Thebis: septem Mundi miraculis: & aliis. TIT. XXXII.

Exspectant etiam Pyramides *ex eadem Ægypto, ut quid de ipsis dicamus: Harum quatuor fuerunt exstructæ; ex quibus duæ grandiores inter septem memorabilia Mundi spectacula sunt habitæ. Structura autem harum quadrata erat in fundo, ex tabulis marmoreis quaqua versum composita: eoq; sensim in excelsum adsurgens paulatim gracilescebat in acuminatum usque adamanta. Amplissima, octo iugera obtinebat soli, quatuor angulorum paribus intervallis, per octingentos octoginta tres pedes singulorum laterum. Versus Orientem habebat portam, per quam ingresso declivis parumper descensus patebat ad duas Cameras satis amplas, magnam atq; itidē parvam continentes tumbam. Neq; verò alia ædificandæ Pyramidis causa fuit, quàm vana & stulta ostentatio ut scilicet nec pecunia ipsa, nec etiam plebs ociosa esset. Nec enim alia huius rei caussa præterea dari potest. Una ex his à trecentis sexaginta hominum millibus, annorū viginti spacio constructa proditur. Nec desunt, qui in raphanos & allium ac cæpas mille octingenta talenta pro laborantibus erogata fuisse dicunt. quæ summa decies centena millia aureorū excedit. In medio ipsius fundi puteus erat 86. cubitorum. Ac quēlibet meritò magna subire posset admiratio, qua ratione in tantam altitudinē subvehi potuerint cæmenta.*

1. *In lacu Mæridis ijdem reges Ægyptii* 2. Labyrinthum *fecērunt cujus medio, pro numero præfecturarū 37. erāt aulæ; in quibus Ægypti præfecti sepeliebātur. Viæ erant longæ, tortuosæ, & subterraneæ, quæ ad domus illas perfossis cuniculis ducebant: cæterum adeò intricatæ, ut qui has ingressus esset, inexplicabili errore duceretur & exitū invenire nequiret. Ideoq;* Labyrinthum *appellabant. Portā habebat ex Pario marmore candidissimo. Fossus tam eundo cū quis ad viarum finem pervenisset deferebatur ad porticum columnis de Porphyrite lapide conspicuam, qua nonagenis gradibus ascendebatur. Inde perveniebatur in aulam sive cœnaculum marmoreum, pulcherrimis simulachris & statuis ornatum. Sed & viæ, seu meatus illi erant marmorei, aut lapide polito fornicibus tecti. Quædam etiam fores adapertæ eiusmodi edebant sonum, ac si tonitruum intus terribile exsisteret. Contigua Labyrintho huic erat Pyramis ampla latitudine quaqua versum quatuor iugera soli obtinens altitudine octo. In qua Rex ille, qui Labyrinthū istū fecerat, erat sepultus. Hinc*

Pyramides.

1. Mundi miraculum.

Harum structura.

Cur ædificata.

1.

2. Labyrinthus.

Eius descriptio.

Dædalus. * Lib. 36. cap. 30.

utique sumsit Dædalus exemplar ejus Labyrinthi, quem fecit in Creta: sed centesimam tantùm portionem ejus imitatus, ut Herodotus, Plinius & alij tradidere. 3. Porsena quoque Hetruriæ Rex Labyrinthum sepulchri caussa sibi fecit, quem tanquam mirabilem Plinius* ex Varrone describit.*

3. Porsena. à cap 13.

4. Sphynx Ægyptia.

Amasis Rex.

5. Thebæ.

Sed & Amasis Ægypti Rex 4. Sphyngem, *quæ revera, quantum quidem ad formam, nihil aliud est, quàm catus Ægyptius, quem Cercopithecum dicimus, ex unico saxo elaboravit. Huius longitudo erat pedum CXLIII; altitudo à ventre ad summum apicem in capite LXII; capitis ambitus, pedes centum & duos colligebat. Amasin Regem in eo canditum volunt. In eadem Ægypto celeberrimum fuit oppidum,* 5. Thebæ Ægyptiæ: *quas Homerus scribit, centum habuisse portas. Id quod de muris tantum, non etiam de templis & aliis ædificiis publicis erit intelligendum. Ambitus XVII. milliaria occupabat: longitudo decem. Extra Vrbem centum erant stabula, quorum quodlibet ducentorum Equum capax erat.* 6. *Intus viæ habebantur subterraneæ, per quas subterducere solebant Reges exercitum, nullo oppidanorum sentiente. Ædes Vrbis illius quatuor aut quinque compositæ erant tabulatis. Templa verò ibi pulcherrima; & inter hæc illud, quod sesquialterum miliare circuitu complectebatur. Murus latus erat pedes XXIV. altus LXX. si Diodoro credimus. Hodiè vix trecentas ibi videre est domos. Hac occasione non præteribo silentio.* 7. templum Dianæ Ephesiæ, *ducentis viginti annis factum à tota Asia. Longitudo eius erat CCCCXXV. pedum; latitudo, ducentorum viginti. Columnæ centum viginti septem à singulis Regibus factæ, sexaginta pedum altitudine; omnes ex integro saxo. Ex iis XXXVI. erant cælatæ, ut infinita alia ornamenta taceam. Atque adeò inter septem mundi spectacula, sive miracula fuit reputatum. Huic adjungam tertium Mundi miraculum, quod est* 8. Mausoleum, *sepultura caussa Mausolo Cariæ Regi ab Artemisia Vxore ædificatum: cujus delineationem & effigiem in Numo argenteo Patavii vidi. Erat quadratum & de pulcherrimo marmore: In circuitu pedes quadringentos & undecim habebat: in altitudinem attollebatur XXV. cubitis, & columnis cingabatur triginta sex. Nec ascensus ibi dabatur, nisi gradibus in murorum angulis alarum instar in altitudinem consurgentium constitutis. Quorum loco, ut & in medio, nobilissimæ erant statuæ: In summo verò quadriga marmorea. Quarto miraculo nomen dederunt* 9. Muri Babylonici: *quorum circuitus LX. complectebatur miliaria. Ipsi ducenos pedes alti; quinquagenos lati: in singulos pedes ternis digitis mensura ampliore, quàm Romanorum: quibus pes XVI. digitos continebat. Quintum, fuit* Colossus Rhodi, *maximum solis simulachrum, ex ære conflatum; altitudinis septuaginta cubitorum. Huius singuli digiti maiores erant, quàm pleraque statuæ: pollices verò tantæ amplitudinis*

6.

7. Templum Dianæ. 2 Orbis miraculum. Plinius lib. 36. c. 4.

8. Mausoleũ. 3. Miraculum. Plinius lib. 6. c. 5.

9. Muri Babylonici. 4. Miraculum.

10. Colossus Rhodi. 5 Miraculum.

plitudinis, ut nemo eos brachiis potuerit amplecti. Duodecim annis tradunt perfectum trecentorum pretio talentorum. quæ summa centies octoginta millia aureorum refert. *Sextum fuit* 11. simulachrum Jovis Olympii *à Phidia cælatum; tantæ pulchritudinis, ut nemo eam potuerit imitari. Septimum fuit* 12. Capitolium *Romæ, adeò sumtuosum, ut quater centum millia aureorum in fundamentis saltem ponendis fuerint expensa. Et infinitum prope adhibitum fuisse aurum Plutarchus scribit; Alii hujus in locum* ædes Cyri *Medorum Regis substituunt, quæ tabulas marmoreas auro illigatas habebant. Erant quoque Romæ quinque* 13. Naumachiæ, *hoc est, Lacus, in quos aqua derivabatur, navalis prælii committendi gratia. Sed hæ in desuetudinem iverunt.* 14. *Hodie non usurpantur in publico statuæ, nisi perquam pauca. At Romæ satis multæ spectabantur, æneæ & inaurata:* 84. *eburnea:* 124. *equestres magnæ: viginti tres Colossi ænei &* 37, *marmorei. Inter has statuas omnes magnitudine excelluit Colossus ille Rhodius, de quo modò diximus. Sed revera vani fuerunt sumtus illi, nec convenientes homini Christiano. Ideoque iis adnumerari poterunt rebus, quarum vel nullus omninò usus est, vel is saltem, qui ad veterum illam magnificentiam & pulchritudinem minimè esset accessurus.*

Plin lib. 30 cap. 7.

11. Jovis simulachrum 6. Miraculum.

12. Capitolium. 7 Miraculum. Ædes Cyri.

13. Naumachia.

14.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Pyramidis descriptio & notatio.

PYramides, moles erant maximæ, sive lapideæ struices ita erectæ, ut è lato in acutum mira altitudine tenderent: dictæ ab ipsa figura, quæ flammam imitatur igneam. πῦρ enim Græcis ignis est: unde & pyramis. Ignem certè Pyramidis formam habere, Plato testatur: propterea quod cum in imo latus sit circa materiem & fomentum, quo pascitur, in acutam flammam, quæ cœlum spectat, desinit. Nam per basin, materia concreta significatur: per reliquum corpus, materia jam ad formam recipiendam parata, & quasi fermentata: per punctum, ipsa informis & simplicissima substantia, ut est apud Pierium *lib. 60. Hieroglyph.*

Pyramides pro miraculis.

Tam altæ verò in Ægypto Pyramides fuisse traduntur, ut magna omnium admiratio fuerit, qua ratione in tantam altitudinem subvecta sint cæmenta. Ideoque Martialis eas pro miraculis habet.

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis.

Et alibi:

Barbara Pyramidũ Cæsar miracula ride.

A quibus inventa. Et quo fine.

Reges Ægyptii primùm excogitasse id genus ædificii putantur, ad stultam ostentationem in pecuniis erogandis: sive ne pecuniam successoribus præter modum relinquendo, insidiandi sibi causam præberent: sive ne plebs ocio torperet. *Plinius lib. 36. cap. 12. Chassaneus in catalogo gloriæ Mundi part. 12. consid. 74.* quanquã & alia hujus rei possit dari ratio, ut scilicet sub tam regio & admirabili ædificio terrâ conditi, immortalitatis famam consequerentur. Nam cum viam universæ carnis sibi quoque ingrediendam cernerent, ex magnificis istiusmodi structuris, Nominis immortalitatem sibi pollicedãtur, haud ejus memores quod vetustas inviolatum sinat, atque ipsa etiam marmora Temporis dentibus peredantur. Nam ut Ausonius canit:

—*monu-*

—monumenta fatiscunt:

Mors etiam Saxis Nominibusq; venit.

Sanè Regum sepulturis Pyramides fuisse superpositas, ex illo Lucani colligitur:

Quum Ptolomaeorum manes, seriemq; pudendam

Pyramides claudant.

Nec verò ob temporis duntaxat perpetuitatem, aut nominis immortalitatem, ut diximus; sed vel ideò magnifica Regum atque Heroum sepulchra Ægyptios sub ingentibus Pyramidibus fecisse Johann. Pierius *lib. 60. Hieroglyph.* existimat, ut testarêtur, corpore soluto & corrupto, animam superesse: quæ cum summo Opifici visum esset, h. e. circulo illa triginta sex millium annorum circumacto (hoc enim evoluto spatio omnia in eundem statum redacta iri opinabantur) aliud corpus genitura, ac sibi factura esset. Idq; Geometrica ratione ingeniosè demonstrat. Hinc forsan est, quòd *Zarina* Sacarum Reginæ officiosissimæ & invictissimæ, post obitum memores subditi sepulchrum magnificum exstruxêre, triangulari Pyramide, cujus quodlibet latus tribus stadiis protendebatur: Altitudo in arctum sensim desinens, unius fuit stadii. Addita est aurea statua instar Colossi, & heroici honores, beneficiorum acceptorum recordatione. Diodorus Siculus *lib. 2. cap. 9. de Regibus Medis.* Sed & inoleverat olim mos, in Montibus insignium virorum, præsertim Regum sepulchra instituendi. Nam & Augustinus *lib. 8. de civitate Dei cap. 26.* Asclepii avum, medicinæ repertorem, templum habuisse ait, & tumulum in monte Lybiæ, juxta litus Crocodileû. Et Josias Rex, superstitionis vanissimæ hostis, sepulchra quæ erant in monte, deturbavit, proiectis ossibus, præterquam Prophetarum, quæ ex elogio & inscriptione cognovit. *4. Reg. 23. v. 5 17. 18* Eodem spectat ille infamis Spiritus apud D. Marcum; qui obnoxium habebat hominem die ac nocte in montibus ac monumentis versantem: quem generis humani sospitator Christus valetudini mentiq; pristinæ restituit, expulso dæmone multiplici. *Mar. 5.* Indeq; natum opinor, ut columnæ & Pyramides tumulis collocarentur: quemadmodum Servius ad illud Virgilii annotavit, *lib. 11.*

—ingens monte sub alto

Regis Dercenni terreno ex aggere bustū.

Illud quoque animadversione dignum, quod ipsemet etiam Nazianzenus minimè respuere videtur eorum opinionem, qui Pyramides in Ægypto celebriores à Josepho Hebræo exædificatas putant, ut frumenti conditiora essent. Idque nominis conjectura probari ait: quandoquidem πυρὸς triticum; & Pyramides illæ etiam adhuc granaria Pharaonis, ab incolis nominentur: referente Pierio *lib. 39 Hieroglyphica de Meta.* Cui tamē sententiæ vix est, ut tutò quis possit subscribere. Nā ut ex Plinio *lib. 36. c. 12.* Auctor noster refert, vel una ex celebrioribus illis Pyramidibus (quas Nazianz. intelligit) 20. annis integris à trecentis sexaginta hominum millibus: tres verò aliæ, annis 70. & mensibus quatuor fuerunt exstructæ, ut Textor in sua officina prodidit. Atqui prævisa à Josepho, & mox subsecuta illa fertilitas, septennio duntaxat duravit; ut verisimile non sit, tam angusto temporis spacio, tantas illas moles, quarum unius saltem exædificatio 20. annos, ut dixi, desiderabat, ab ipso fuisse erectas.

1. *In Lacu Mœridis*) Lacum Mœridis Plinius fossam grandem vocat *lib. 36. c. 12.* & de lacuum speciebus variis, ac mirabilibus eorum effectis atque operationibus quam plurima compilavit Simon Majolus *tom. 1. dier. can. colloq 12.*

2. *Labyrinthum*) Labyrinthus Isidoro *lib. 15. c. 2.* est perplexum parietibus ædificium

Zarina Sacarum Regina.

Sepulchra olim in montibus.

Asclepi.

Item aliorum.

Nazianzeni de Pyramidibus notata sententia.

Labyrinthus.

cium

cium. Ovidio *lib.* 8. *Metamorph. fab.* 4.
multiplex domus, cœca tecta, & limina flexu ducta
—in errorem variarum ambage viarũ.
Virgilio
Labor ille domus, & inextricabilis error.
Horum quatuor celebrantur ita constructi, ut dissolvere eos nec ulla quidem secula possint. Primus Ægyptius: secundus Creticus: tertius in Lemno, quartus in Italia. de quibus apud Plinum *lib. 36. cap* 13. Isidorum *lib.* 15. *cap.* 2. Chassaneum in Catalogo gloriæ Mundi *part.* 12. *consid.* 75. & latissimè omnium Simonem Maiolum *tomo* 1. *dier. Can. Colloq* 23. quò benevolum lectorem remitto.

Porsena Hetruriæ regis tumulus.

3. Porsena quoque Hetruriæ Rex) Hic à senio admonitus humanæ conditiõis, sepulchrum sibi mirabile exstruxit, Gallica magnificentia externorum Regum vanitatem longè superante, Labyrinthi specie: è quo, sine lini glomere exitus nõ dabatur. Moles fuit sub Urbe Clusio, lapide quadrato. Pyramidum in eo sitarum altitudinem M. Varronem puduit adjicere, fastigiatum opus alias describentem, & in summo orbem æneum, ex quo excepta cathenis tintinabula vento agitata lõgè sonitus referebant. *Plin. lib.* 36. *cap.* 13. Atque hic quidem Porsena ille est, qui Tarquinii superbi unà cum filio (qui, dũ Ardea obsideretur, Lucretiæ matronæ pudicissimæ Collatini Uxori vim passæ stuprum intulerat) regno expulsi rogatu Romam oppugnare incepit, mox etiam obsidere: ac penè sedendo Urbem in summa frumenti caritate & inopia constitutam capturus videbatur, nisi C. Mutius adolescens Romanus indignum ratus, populum Romanum à Regum jugo liberatum, hostem diutius formidare; audaci facinore, abdito intra vestem ferro transisset Tiberim, & in castra hostium ivisset propè Regium tribunal, densa corona militum circumdatum. Fortè enim his tum stipendium dabatur. Ibi scribam pari cum Rege ornatu sedentem præceps obtruncat. Ilicò per trepidam turbam vadens, cruento mucrone viam quærens, à satellitibus regiis comprehenditur, & retrahitur. Tum Porsenæ infenso simulque conterrito, ipse fortia facere & pati solitus, commento lepido dixit adesse complures Romanos juvenes, qui eosdem animos generent, ac per Hetrusca castra latitarent, opportunitatem cædis opperientes, & unius Regis mortem studiosè captantes, Hæc fatus, dextram accenso ad sacrificium foculo injicit, ne mutato quidem vultu, eam ulciscens, quod purpuratum pro Rege occidisset, quãquam errando pulchrius quiddam præstiterat. Ita terrorem ingeminans, tanquam Regis attoniti manus arderet, perfecit, ut Rex, quem nihil, præter insidiatoris errorem texerat, quique trecentos ejusdem audaciæ conjunctos latêre suspicabatur; Mutium, cui pòst Scævolæ nomen fuit, intactum inviolatumque dimiserit. Livius *lib.* 2. Propensior itaq; Porsena Rex iam ad pacis conditiones factus, agro Rom. excessit: nec amplius Tarquinii finitimarum gentium auxilio regnum recuperare frustrà nitentibus opem tulit. Steph. Forcatul. *de Imper. & Philosoph Gall. lib.* 4. Qua de re exstat elegantissimum Martialis epigramma 50. *lib.* 1. quod quia historiam hanc omnem planè explicat, adscribendum putavi.

C. Mutius Scævola.

Cum peteret Regẽ decepta satellite dextra,
Injecit sacris se peritura focis.
Sed tã sæva pius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis iussit abire virum.
Vrere quam potuit contemto Mutius igne,
Hanc spectare manũ Porsena nõ potuit.
Major deceptæ fama est & gloria dextræ.
Si non errasset, fecerat illa minus.

Labyrintho quid significatum.

Cæterùm per Labyrinthum veteres nihil aliud significare voluerunt, quàm perplexam, multisque difficultatibus implicatam vitam hominum, cũ ex aliis aliæ semper graviores oriantur; è quibus nemo se explicare possit absque singulari prudentia & fortitudine, quod Ariadnæ filum est, Theseo ex Dædali inventione cummunicatum. Natalis Comes *lib. 7. Mytholog. cap. 9.*

Sphynx.

4. *Sphyngem*) De saxea hac Sphynge Plin. scripsit *lib. 36. cap. 12* Verres Sphyngẽ ex ære Corinthio habuit, Reo in provincia ablatam. Hinc Cicero in judicio illo in altercatione, neganti Verri, se ænigma intelligere: *Imò verò*, inquit, *intelligere deberes, quoniã Sphyngem domi habes.* Sphynx etenim quo primum tempore Thebas venit, ænigma prætereuntibus proposuisse fingitur; eo qui non solvisset, peremto, de quo apud Diodor. Sicul. *libr. 4. rerum antiquar. c. 6.* Hinc Thebanum ænigma apud Martial. *lib. 1. ep. 58.*

Commenta es dignum Thebano ænigmate monstrum.

Sphyngis descriptio.

Id verò Æthiopiæ animal monstrosum putatur, è Simiarum genere, fusco pilo, mammis in pectore geminis. Plin. *lib. 8. c. 21.* ad hominis speciem accedens, solo pilo, & solitudine feram adsimilans. Poëtæ faciem habere virginis fingunt pennas avium, pedes Leonius. Ausonius.

Terruit Aoniam volucris, Leo, virgo triformis:
Sphynx volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Sphynge quid significatum.

Etsi autem hac fabulâ veteres varia & multa significarunt, ut Natalis Comes *lib. 9. Mytholog. cap 18.* diligenter expressit: ea tamen inprimis ad ignorantiam submovendam eos usos fuisse Alciatus putavit, illo Emblemate:

Quod monstrum id? Sphynx est. Cur candida virginis ora,
Et volucrũ pennas; crura Leonis habet?
Hanc faciẽ adsumsit rerũ Ignorantia: tãn?
Scilicet est triplex causa & origo mali.
Sunt, quos ingenium leve; sunt, quos blanda voluptas;
Sunt, & quos faciunt corda superba rudes.
At quibus est notum, quod Delphica littera possit:
Præcipites monstri guttura dira secant.
Namq; vir ipse, bipesque tripesq; & quadrupes idem est.
Prima æque prudẽtis laurea, nosse virũ.

Meretrices cur Sphinga dicta.

Sed & meretrices Sphyngis effigie hieroglyphicè designari, Pier. *lib. 1.* ostendit, quòd capite humano mansuetudinem præ se ferrent quidem; cæterum corpore reliquo leonino, rapacitatẽ & imperium, quod in Amatores exercent, indicarent. Idemque & Philipp. Camerarius *cap. 71. succisivar. horar* scriptum reliquit: & novissimè Georgius Draudius in annot. ad C Solini *supplementum c. 36. mihi fol 14. & seqq.* Cui rei non parum inservire videtur ille ex Græco ita redditus versiculus:

Par est Leæna & fœmina crudelitas.

Laidis tumulus.

Ante Urbem Corinthum Veneris erat templum, juxtaque Laidis tumulus, cui Leænæ simulachrum appositum videbatur, ariete inter priores pedes apprehenso: quod nimirum petulantiam eam indicabat, qua præcipuè lasciunt Arietes. Eam in rem elegans est ejusdem Alciati emblema λογικόν quod adscribo:

Quis tumulus? cuja urna? Ephyreæ est Laidis. ah non
Erubuit tantum perdere Parca decus?
Nulla fuit tũ forma: illã iã carpserat ætas.
Iam speculũ Veneri cauta dicarat anus.
Quid scalptus sibi vult Aries, quem parte Leæna
Vnguibus apprensum posteriore tenet?
Non aliter captos quod & ipsa teneret Amantes.
Vir gregis est Aries; clune tenetur Amans.

Fuit

Lais. Fuit autem Lais, meretrix nobilissima Corinthi: unde & Corinthia dicta Gellio *lib. 1. Noct. Atticar. c. 8.* quanquam patriã habuerit Siciliam, auctoribus Plutarcho, Athenæo & Solino. Hæc ob elegantiam venustatemq; formæ, grandem pecuniã demerebat. Conventusque ad eam ditiorum hominum ex omni Græci celebres erant: nec admittebatur, nisi qui dabat, quod poposcerat. Poscebat autem illa nimiam quantitatem. Hinc natum illud frequens apud Græcos adagium:

Non cuivis hominum contingit adire Corinthum.

Hæc senio jam confecta, Veneri speculum dicasse fingitur, qua de re festivissimè lusit Ausonius:

Lais anus Veneri speculum dico, digna habeat se
Æterna æternum forma ministerium.
At mihi null⁹ in hoc usus: quia cernere talẽ
Qualis non sum, nolo: qualis erã, nequeo.

Eam porrò Suidas à Thessalis mulieribus zelotypis in templo Veneris interfectam scribit, ex Athenæo.

Thebæ Ægyptiæ. 5. *Thebæ Ægyptiæ*) Nam & aliæ fuerunt Urbes hujus nominis, ut Perotus ex Plinio & aliis collegit. Ægyptiæ autem Thebæ centum portis nobiles conjecturam miræ amplitudinis reliquerunt universæ posteritati, quarum ambitum centũ quadraginta stadiorum fuisse scribit Herodotus: Urbem insignem publicis privatisque ædificiis, & cæterarum omnium Urbium felicissimam. Certè inter clarissimas Ægypti Urbes Pompon. Mela *lib. 1. cap. 3.* numerat, auctoritate Homeri. *Iliad. 9.* De centum verò portis etiam Juvenalis meminit:

Atque vetus Thebe, centum jacet obruta (portis.

Vnde Pontanus centiforem eam urbem appellat:

Hinc ad centiforem Nili subit ostia Thebẽ.

quanquam Pomponius Mela *d. c. 3.* non portas centum; sed aulas totidem, Principum Ægyptiorum domos interpretatur, solitas singulas, ubi negotium exegerat, dena armatorum millia effundere.

6. *Viæ subterraneæ*) Hinc Plinius, totum illud oppidum pensile fuisse scribit *libr. 36. cap. 14.*

Templum Dianæ Ephesiæ. 7. *Templum Dianæ Ephesiæ*) Hoc communiter à Civitatibus Asiæ factum, fama vulgaris ferebat, ut ait Livius. *lib. 1. Decad. 1.* Alii maluêre, ab Amazonibus cõditum, ob venandi & sagittandi studium virgineum, cum è Scythia progressæ, Asia potiri cœpissent. Ideoque Deæ propitiæ ædem dicasse effusis opibus, cedrinis trabibus, simulachro autem Numinis ex ebeno nigerrimo. Jornandes *in rebus Geticis.* Sed ut Auctores illius non usque adeò certi sunt: extra tamen controversiam est, id & admirationis & magnificentiæ fuisse, ac in palustri exstructum loco, ne terræ motibus quateretur. Plinius *lib. 36. cap. 14.* De quo Martialis:

Molles honores. *Nec triviæ tẽplo molles laudentur honores.*

ubi *molles honores*. Domitius quidem dici putat, quoniam multa in eo erant ornamenta, ad luxum & mollitiẽ potiùs, quàm ad ædificii solidam laudem spectantia. Sed propiùs, ut cum Georgio Merula, Molles honores accipiamus in commendationem tum artificum, tum statuarum, quæ in templo magnificẽtissimo stabant, qua appellatione æra & lapides frequenter commendari solent. Virgil.

Excudent alii spirantia mollius æra.

Horatius:

—molles imitabitur ære capillos.

de quo tamen videatur Angelus Politianus in Miscellaneis. *cap. 51.*

Templum Iovis Ammonii. Commendatur & templum Jovis Ammonii, insigne & sumtuosum, ab Jarba Getulorum Rege erectum; centum aris nobile. de quo Virgilius:

Templa Iovi centum latis immania regnis

Centum aras posuit, vigilemq; sacraverat ignem,
Excubias Divûm æternas.
Quo & martialis allusit, eo versu:
Dissimuletq; Deum cornibus Ara frequês.

Pantheum.

Nec celebre minus est *Pantheum* illud, à M. Agrippa Cæsaris Augusti amico & affine exstructum, & Marti ac Veneri, tanquam Populi Romani auctoribus dicatum: tametsi nomen τῶν πάντων θεῶν apertè omnes Deos respiciat. Cujus rei Dio rationem affert *lib 53. historiar.* non tam quia eo multorum Deorum imagines exstarent, quàm quòd fastigianum convexa & rotunda forma, cœli similitudinem ostenderet. Hinc à circulari operis ingentis facie *S. Maria rotunda* nominatur; in meditullio Sphæricum foramen habens, ex quo lumen toti templo sine alia fenestra affatim datur: ut Steph. Forcatulus *lib 1. de Gallor. Imper.* describit: atque ipsemet etiam mirabilem istam machinam non absque stupore sæpius sum contemplatus. Id verò Pantheum Agrippa ære, æs item auro texit: quod ad hæc usq; tempora mille ac sexcentos amplius annos æs quidem à rubigine, templum verò ab injuria cœli & à ruina servavit. Ac nisi æs inauratum fuisset, tandem rubigine exesum imbres admisisset, ut Johan. Bodinus *lib 6. de Republ. cap. 3* existimat. De Templo illo, in Deorum gentilium cultum quondam erecto, quomodo à Bonifacio IV. in sacrum usum fuerit conversum, præclarè scribit venerabilis Beda *in homiliis æstivalibus. de sanctis Tomo 7* legimus, inquit, in Ecclesiasticis historiis, quod sanctus Bonifacius, qui Quintus à Beato Gregorio Romanæ Urbis Episcopatum tenebat, suis precibus à Phoca Cæsare impetrarat donari Ecclesiæ Christi templũ Romæ, quod ab antiquis Pantheum antea vocabatur: quia hoc quasi simulachrũ omnium videretur esse Deorum, in quo eliminata omni spurcitia fecit Ecclesiã sanctæ Dei Genitricis atq; omniũ Martyrum Christi, ut exclusa multitudine dæmonũ, multitudo ibi sanctorũ à fidelibus in memoria haberetur, & plebs universa in capite Calendarum Novembrium, sicuti in die Natalis Domini ad Ecclesiã in honorem omnium Sanctorũ consecratam conveniret. In cujus rei fidem sic Mantuanus.

à Phoca Ecclesiæ donatum.

Pantheo hoc templũ Phoca donante recepit
Romulidũ pastor Bonifacius, atq; fugatis
Inde simul cũ matre Deis, solenniter omnes
Transtulit ad superos.

Imperatoris auctoritas etiam in sacris.

Ex quo Bedæ loco satis colligitur, veteres Christianos, multa ab horrida illa Ethnicorũ ãtiquitate in usum Ecclesiæ flexisse; sed interveniente tamẽ Imperatoris autoritate: sine qua vim illa suã retinere nõ possent. Quo referri potest Novella Justin. 67. *de nõ ædificãdis novis Ecclesiis aut Monasteriis*; ut intelligatur rerũ quoq; sacrarum curam ad principẽ pertinere, ejusque autoritati competere, ut de iis leges ferat, jubeat & vetet. Cui quidem maximè convenit, quod habetur *in tit. ff. de colleg. & corpor.* nimirum extraordinarium crimen esse in eos, qui illicitũ collegiũ, vel quodcunq; tale corpus celebrent, id est sine autoritate Principis & senatus, quorum vel mandatis, vel SCtis hujusmodi collegia & corpora dissolvuntur. Quod pluribus firmat Gallofrancus *in sua ad Philomeriũ epist.* pro libertate status & Rep. Venetorũ, *mihi fol 8. & 9.* Panthei porrò exactior descriptio extat apud Georgiũ Draudium in añotationibus *ad C. Solini memorabilia f. 254* M. Agrippa, inquit, prope suas thermas constituxit templum, architectura & sumtibus admirandum. Nullum in Urbe antiquius, nullum integrius aut splendidius extat hodie. Hoc, quia Diis omnibus sacraverat Agrippa, *Pantheon* vocatũ est; hodiè *S. Mariæ Rotund. delubrum.* Estq; omne sphæricum seu rotundum, caret fenestris:

Panthei descriptio.

nestris: lucem admittit ingēti orbe, qui apertus est in summitate fornicis. In media locus est profundus, & crate ænea tectus ad excipiēdas aquas pluvias. Fuit olim laminis argenteis coopertum: sed *Constantinus Heraclii Nepos* eas abstulit, cum reliquis urbis ornamentis; quarum loco substitutæ sunt plumbeæ à Martino VII. P. M. Aditus olim ad portam patebat gradibus septem, qui tēplum in circuitu cingebant. Nunc undecim ad eam descenditur; Unde apparet, quantum ex ædificiorum ruinis solum urbis adcreverit. Cæterum inter omnia templa magnifica, meritò primas tenere debet id, quod Deo Opt. Max. Salomon, anno Regni sui quarto, incredibili sumtu exstruxit & instruxit. Cujus descriptionem habemus 3. *Reg. 6. & 7.* quibus omnino addendū est, quod ex Josepho & aliis luculenter & exquisitè scriptū reliquit Gulielmus Budæus *lib. 4. de Asse & ejus partibus.* & Chassanæus *in Catalogo gloriæ Mundi part. 12. consid. 62.*

Salomonis templum.

Mausoleum.

8. *Mausoleum.*) Ita nominatum fuit Mausoli Cariæ Regis sepulchrum, exstructum ab Artemisia uxore: quæ Mausolum virum adamasse fertur, super omnes amorum fabulas, ultraque affectionis humanæ fidem. Is Mausolus, ubi fato perfunctus est, & inter lamenta & manus Uxoris funere magnifico sepultus est: Artemisia luctu atque desiderio mariti flagrans, ossa cineremque eius mixta odoribus, contusaq; e in pulveris faciem, aquæ indidit, ebibitque; multaque alia violenti amoris indicia fecisse dicitur. Molita quoque est ingenti impetu operis conservandæ mariti memoriæ caussa, sepulchrum illud memoratissimum dignatumque numerari inter septem omnium terrarum spectacula. Agona quoque, id est, certamen laudibus ejus dicendis fecit, propositis pecuniæ, aliarumq; rerum bonarum præmiis amplissimis, ut est apud Gellium *lib. 10. Noct. Atticar. c. 18.* Cæterum priusquam opus id absolveretur, fatis concessit Artemisia. Artifices tamen non recesserunt, nisi opere perfecto: ut gloriæ artisque suæ monumentum relinquerent. *Plinius lib. 36. cap. 5.* De hoc Mausoleo accipiendi sunt hi Martialis versus:

Artemisia.

Aere nec vacuo pendentia Mausolea
Laudibus immodicis Cares ad astra ferant.

& Propertii, *lib. 2.*

Nec Mausolei dives fortuna sepulchri,
Mortis ab extrema conditione vacat.

Ab hoc sepulchro omnia Regum & Imperatorum monumenta pretiosiora, *Mausolea* fuerunt nominata. Sic enim Suetonius & alii intelligendi; quoties Mausolei meminerunt. Sunt qui dicant Artemisiam illam, post viri Mausoli mortem, contemtam a Dardano Abydeno, quem non patienter amabat, dormienti adolescenti oculos effodisse. Cum tamen ne hac quidē injuria morbus remitteret, remedium à Leucata petra quæsivisse. Sed frustra. Nā ex eo saltu ipsam periisse, ibidemque fuisse sepultam. Fertur autem petra illa Jovis templo, quod Leucatæ est, vicina: à qua qui saltu se dimitterēt, amoris insania liberari credebantur. Nam & Venerem post mortem Adonidis, sedulò cum ubique terrarum perquisivisset: tandem eum Argis in æde Apollinis Erithrii invenisse. Et cum impotētiam amoris sui Apollini patefecisset, ab ipso ad Leucatam petrā deductam, jussu Apollinis sese è specula deorsum misisse, quo facto, morbo amoris defunctam fuisse: Cū caussam rei quæreret, Apollinem respondisse sese crebro observasse Jovem, quoties Junonem impotenter deperiret, ibi solitum sedere, & vi mali levari. Quin & Nereum quendam Cotinensem ex amore Atticæ nomine mulieris Athenis natæ,

Sepulchra Regum Mausolea dicta.

Artemisiæ interitus.

Leucata petra, amori medetur.

natæ, ſeſe præcipitaſſe: & non ſolum amore ſolutum fuiſſe: ſed etiam vivum incidiſſe in rete jaculum: in quo ſimul cum riſco auri pleno in terram extractus fuerit. Cũ eo nomine piſcatori, qui ſe extraxerat, litem intenderet, aurum illud ad ſe pertinere: caſu enim ſibi obveniſſe: noctu ab Apolline admonitum, incepto deſtitiſſe. An non ſatis haberet, quod citra vitæ periculum à morbo amoris liber eſſet? quare ſi ſaperet de alieno auro litem ne moveret. Hæc & alia, cum jucunda, tum nunquam ante hac audita Joſeph. Scalig. *libr. 2. Auſonar. lection. cap. 18.* ex Auctore nondum in vulgus edito Ptolemæo ſilio Hephæſtionis recenſet. quæ quoniam in iis & Artemiſiæ Mauſoli uxoris mentio fieret, non abs re hîc inſerenda putavi. Ex oppido autem illo, quod Leucatam diximus, fuit opinor Aracini Varronis, feſtiviſſimi poëtæ amica, quam ille peramaverat, & à patria *Leucadiam* dixerat, ut ex illo colligitur diſticho:

Leucadia Varronis amica.

Hæc quoque perfecto ludebat IaſoneVarro.
Varro Leucadiæ maxima flamma ſuæ.

qua de re videatur Petrus Crinitus *lib. 2. de poetis Latinis.*

Muri Babylonici.

9. Muri Babylonici) Hos Semiramis, æmulatione Ninæ Urbis à Nino marito exſtructæ, poſt obitum ipſius condidit, aut ſaltem ruinoſos reparavit, coctilibus laterculis, & bitumine ferruminatis: tantæ craſſitudinis, ut quadrigæ ſibi invicem occurrentes facilè pertranſire poſſent. Propertius *lib. 3.*

Perſarũ ſtatuit Babylona Semiramis urbẽ,
Vt ſolitum cocto tolleret aggere opus.
Et duo in adverſũ miſit per mœnia curr⁹,
Ne poſſent tacto ſtringere ab axe latus.

Turres Murri iſti habebant 300. plures multò habituri, niſi aliqua ex parte paludes pro mœnibus fuiſſent. Per ambitum centũ portæ ſtabant æreæ omnes cũ cardinibus. Eaque pertentoſo operi adhibita fuerunt ex omni regno terdecies centena hominum millia, teſte Diodoro. Quia verò opus illud multis ſanè annis fuit exſtructum: ideò Martialis aſſiduum laborem id appellat:

Martialis explicatus.

Aſſiduus jactet nec Babylona labor.

quanquam doctiſſimus Turnebus *lib. 17. c. 2.* Aſſiduum laborẽ intelligit, cum quid aſſidue laudatur; quaſi dicat Poëta: Non eſſe tanto labore, tamque impensè laudandam Babylonem, ut perpetuò in laudatorum ore verſetur. Qui autem Plutarchum, Clitarchum & Alexandrum ſecuti ſunt, ſcriptè reliquerunt, quodlibet anni die ſtadium Urbis fuiſſe abſolutum. Babylona autem, Meſopotamiæ urbem, Chaldaicarum gentium caput, ſummam in toto orbe claritatem obtinuiſſe, Plin. ait, *lib. 6. c. 26.* Cui adde, quæ Sypontinus & Domitius ad Martialem; tum etiam Textor in Officina prodidit. Murorum occaſione hac diſſimulare non poſſum, Lacedæmonios *muratas orbes* (quæ apud multas gentes ſerò condi cœperunt, & rarò extiterunt admodũ) *Gynæceis* h. e. mulierum luſtris comparaſſe: quod intra eas degener & imbellis, ſuiſque diffidẽs viribus multitudo latibula quærat. Unde & *Ageſilaus* cives oſtendens armatos; hæc ſunt, *inquit*, Spartæ mœnia. Idem monſtranti cuidam murum egregiè ſtructum atq; præaltum, ſciſcitantique, an pulchrũ ei munimenrum videretur? pulchrum, *inquit*, ſi mulieres, nõ viri ſint inhabitaturi. Nimirum veteres in animoſa juvenum ac virorum virtute, haud in mœnibus videntur fiduciam omnem poſuiſſe: quod exiſtimarent, nihil juvare turres & muros, ubi deeſſet animus, *& bello vivida virtus.* Ita ut rectè judicarit Hippocr. felices eos, qui cogitent, *viros eſſe regionũ præſidia ac munimẽta; non turres aut lapidea mœnia.* Neque minus ſcitè *Lycurgus* Legiſlator dixiſſe proditur; Non videri viduam mœnibus

Muratæ urbes Spartanis quæ?

nibus urbem, quæ viris non coctilibus laterculis sit cincta Quare merito custodiendus est memoria *Alcei Lyrici* versiculus decãtatissimus: ἄνδρες πόλεως πύργος ἀρήιοι. quo significat, *viros esse Martias urbium turres.* Qua de re videatur Hadrianus Junius in Bataviæ historia *cap.17.* post Cœl. Rhodigin. *lib.26 lect. antiq. c.32.* Neque defuit majoribus nostris hæc animi magnitudo. Nam de Landgravio Thuringiæ *Ludovico Ferreo* inter alia præclare facta, hoc etiã referunt historiæ Thuringiacæ: Extruxerat Ludovicus arcem pulcherrimam spectatissimamque quam appellabat Neuenburg (hodie Naumburgũ est) cujus fama cum ad Cæsarem Fridericum affinem Ludovici pervenisset, venit ad eum *Fridericus* (factũ id añ. M.C.XXX) & arcem diligentissime speculatur atque examinat: tandem veluti stupore defixus in hæc prorumpit verba: Huic quidem structuræ, mi affinis, nil nisi murus deest. Cui *Ludovicus* de muro, *inquit*, Domine non sum sollicitus, utpote quem mira celeritate conficere mihi posse videor. Infit *Cæsar*: certè murus qui hanc ambiat structuram, tam expeditè fieri non potest: sed ut ego quidem existimare possum, non exiguo temporis tractu. Cui iterũ *Landgravius*: spondere ego ausim, Imperator, intra triduum murum hunc confectum iri, cumque bonum & idoneum. Risit *Cæsar*: tanquam id quod fieri nulla ratione posset: quin, *inquit*, si vel omnes Germaniæ murarii cõvenirent, præstare intra id tempus, quod tu dicis, non possent. Interim apparatur mensa, dumque Cæsar cibũ capit, jubet *Landgravius* omnes suos comites, dynastas & vasallos nobiles bene armatos cum suis subditis convenire, cumque illi dicto audientes fuissent, ecce collocat eos Landgravius ordine circa arcem armis quemque suis, tanquam si in aciem educendus esset. Ea autem parte, qua putat turrim murum distinguere debere, collocabat comitem aut Baronem cum vexillo. Quibus omnibus tacitè & clam ordinatis, adit iterum Cæsarem & muri, inquit *Domine*, quos pollicitus fueram, structi nunc sunt: Quod si Majestas tua videre non dedignabitur, magno me sibi obligabit, & novo quidem beneficio. Cui: ludis ne me? *ait Cæsar*. Minimè gentium, *respondit Landgravius*, secutumq; adeo Cæsarem spectatum muros suos ducit. Cæsar conspicatus non ex lapidibus, sed ex viris fortib. optimeq; armatis pulcherrimè consertum murum, delectatus fertur spectaculo suprà quam dici potest, atque adfirmasse Landgravio, nunquam se in omni vita, concinniorem murum vidisse, multumq; collaudato Landgravio, atque omni oblata Cæsareâ gratiâ ac favore, ad sua tandem revertisse Quod Michael Piccartus *decad 3. observ. historicop. c.2.* retulit, ubi quæstionem illam: expediatnè urbes muris circumdari, mœnibusque firmari? in utramque partem diligenter examinat. Cæterum Semiramidis, cujus modò mentionem fecimus, varia fortuna fuit Solent enim non viri tantum, sed & fœminæ splẽdidæ, in ipsa mox pueritia magnum & arduum aliquid portendere, maximis exponi periculis, & mirabiliter educari. Hieronem certè Siciliæ Regem; quem Romanis socium fidelissimum exstitisse Siculi apud T. Livium asserunt, *Decad 3. l.6* à parte crudeli expositum apes dulciter pavisse feruntur. Steph. Forcat *lib.4. de Gallor. Imperator.* non secus ac Romulus & Remus, Rhea Sylvia vestali & Marte, culpam specie Numinis velante geniti & in profluentem projecti, Lupæ clementia servari dicuntur, ut est apud Livium. Sed & Cyrum, Mandalæ filium à cane fuisse enutritum: Telephum, Agaves, & Herculis F. à Cerva: Pelium, Neptuni & Tyrus F. ab equa: ut & Alopes Pria-

Ludov. Turingiæ Landgravius.

Murus triduo confectus.

Hieron. Siciliæ rex.

Romulus & Remus.

Cyrus. Telephus. Pelius. Alii.

Priamique filium Alexandrum ab ursa: Ægysthum verò Thyestæ & Pelopis F. à capra, Ælianus prodidit *l.12. variar. hist. c.42.* Sic Semiramis Dercetæ Deæ Syriacæ filia in solitudine de via à matre infans projecta ab avibus enutrita, coagulato lacte è proximis opilionum mapalibus rapto: deinde Magistro regii pecoris dono data, quoad forma & innati leporis commendatione Nino Assyriorum Regi nuberet. Diodor Sicul. *lib.2. rer.antiq. c.2. & 3.* Hæc non Babylonem tantùm, ut diximus, cocto latere & bitumine condidit: sed & Æthiopiam regno suo adjecit, Indiæ bellum intulit, ante Alexandrum Magnum victrix: sed regno potita duos & quadraginta annos, filii Nini concubitum petens ab eo interfecta est. Justin. *libr.1.* Dio verò refert Semiramim marito Regi aliquando perplacuisse, optionemque ab eo retulisse quidvis postulandi. Illam tum petiisse Imperium ad quinque tantummodò dies atque obtinuisse: intra quos potentiam sibi, populo non dissentiente, vendicans, satellitibus Maritum interficiendum mandârit. Steph. Forcat. *lib.7. de Gallor. Imp.* quanquã rem illam Muretus ex Græcorum, ut ipse ait, Commentariis paulo aliter commemorat *lib.6. var. lect. c.17.* & diurnum solum petiisse Imperium diei atque impetrasse; astu autem & vafricie ex *diurno* sibi *diuturnũ* fecisse. Justinus, speciem vir. & sexum mentitam ad Imperium pervenisse scribit. Ejus prætereà vesana & stulta ambitio in eo notatur, quod ad montem Mediæ, qui Bagisthenes diceretur, suam in petra effigiem, decem & septem stadiorum insculpi jusserit: quam centum viri donis ac muneribus venerarêtur assiduè, ut Sacerdotes, Lilius Girald. *Histor. Deor. Syntagmate 17.* Illud hoc loco non omiserim, Babylonem hodiè Cairum dici. Idque neminem præter Jovium ignorare putat Melchior Guilandinus *in tract. de Papyro membr.5.* Jovius enim Cairum facit Memphim: quæ tamen in parte Occidentali, ubi Pyramidum miracula, invenitur; Cairo in orientali collocato. Ac quoniam de Muris Babylonicis hactenus nobis sermo fuit: non abs re erit illud admonuisse, quod Varro Muros civitatum sanctos esse docet: portas autem minimè, eò quod in Urbibus condendis ii, qui Murorum spacia tauro & vacca præscriberent, & quasi delinearent, portarum intervalla metientes, vomerem detraherent, & aratrum transferrent: ut pateret, id tantum sacrum & inviolatum superesse, quod exararetur. Est enim Vrbs, inquit Pomponius, ab Urbo appellata, Urbare autem, aratro definire est. Et Varus ait, Urbum appellari curvaturã aratri, quod in Urbe condenda adhiberi solet. *leg. Pupillus.239. §. Vrbs. ff. de verb significat.* Id verò Hetrusco ritu, religionis caussa & auspicatò fiebat: ut ejus loci penates & genios magis propitios haberet. Unde intra eum circuitum non licebat sepulchra constituere. *leg. mortuorum. C. de religios.* quòd hujusmodi feralibus contaminari sanctum Municipiorum jus, pollui que Urbis Genius videbatur. Nam & cum hostes Urbem expugnarent, in primis eos omnes vocabant Deos, ut non offenderentur; & expugnatores sacrilegii nomine exsolverent: quod Jurisconsulti Evocare sacra nominant, *leg. sacra de rer. divis.* Alciatus *de §. Vrbs.* Muris igitur non licet egredi; sed portis tantum: quæ & ipsæ quanquam & Cajo *in leg.1. de rer. divis.* & Hermogeniano *in leg.2. ff. Ne quid in loco publ.* sanctæ quoq; dicuntur: Constat tamen, eas olim sanctas non fuisse: vel quia earum locus solenni more non signabatur ab Urbium conditoribus: vel quia per eas cadavera efferebantur, at, quod funestum erat, sanctum esse non poterat. Unde, si quis muros, ait Pomponius, violaverit; ca-

Marginalia: Semiramis. — Ejus ambitio. — Babylon hodiè Cairus. — Muri cur sancti. — Vrbis unde dicta [?]. — Portæ an sanctæ.

rit, capite puniatur, ficuti, fi quis transcẽdat, fcalis admotis, vel alia qualibet ratione. Cives enim Romanos aliâ, quam per portas egredi non licet: cum illud hostile & abominandum fit. *l. ultim. de rer. div.* Certè vel ideò Muros fanctos dici, Justinianus putat, quia pœna capitis cõstituta fit in eos, qui aliquid in muros deliquerint. Ideò enim & Legum eas partes, quibus pœnas cõstituimus adverfus eos, qui contra Leges fecerint, fanctiones vocari. *§. Sanctæ quoq; Insti. de rer. divis.* Accedit, quod fancire firmare eft. Murorum autem munimentis firmamur, & in tuto fumus. Sancti igitur erunt muri: cum id, quod ab injuria hominum defenfum atq; munitum eft, Marciano fanctum dicatur. *leg. fanctum. ff. d. t.* Quæ constituto Romuli Romæ fundatoris & primi Regis, Urbem novam inaudita victima fraterni fanguinis confecrantis, parricidium belliffimè excufavit cum fratrem Remum, regni conſortem à Celere occidi curavit, prætextu mœnium, faltu alacri violatorum. Hinc illud Poëtæ:

Romuli parricidiũ.

Fraterno primi maduerũt sanguine muri.

Sanè etfi justa cæteroquin videri poteſt capitalis pœna in civitatis muros delinquentiũ: quos nifi aliqua feveritate tuearis, non præftabunt, quam debent, Reip. fecuritatem: nec potuerunt Cives iis fidere, parum tuti adverfus imperiofam hoftium vel graffatorum vim: Judicavit tamen Cic. 3. *Officior.* Romulum hac in re adverfus pietatem & humanitatem peccaffe: & quam is oppofuit fpeciem honeftatis, non putavit fuiffe probabilem, vel idoneam adverfus fratrem, Regni conſortem, anteà à Lupa fervatum, & à paftore Fauftulo: cujus

Vmbræ vagantes.

Vmbra cruẽta Remi visa est assistere lecto:

Solere enim injuftè interfectorũ manes five Umbras circumvagari, prifca commenta eft fuperftitio. Vnde & Dido Virgiliana Æneæ, à quo mortis cauffa fibi erat præbita, ita minatur:

Et cum frigida Mors anima subduxerit artus,
Omnibus Vmbra locis adero: dabis improbe pœnas.

10. Colossus Rhodi) Rhodiorum Coloffus æneus in Solis honorem à Charete (ita eum Plinius appellat: at à Cedrino apud Zonaram *lib. 5. Annal.* Laches nominatur, ut mox fubjiciam) Lyndio Lyfippi difcipulo conflatus: quem, ob magnitudinem Suidas formidabilem quidem; at nõ amabilẽ fuiffe fcribit: poft quinquagefimum fextum annum terræ motu proftratus, etiam jacens fuit miraculo, ut Plinius teftatur *lib. 34. cap. 3.* Sed cum poftea rurfum erectum fuiffe oportet. Nam & Zonaras fcribit, Agaréos infula Rhodo fubacta, Coloffum iftum demolitos fuiffe atque æs ejus Judæum quendam mercatum, 900. Camelis id adfportaffe. Altum eum fuiffe cubitos 80. Cedrinus loco citato adferit, ex hac infcriptione:

Colossus Rhodius.

Qui stat Rhodi Colossus, octies decem
Fecit Laches hunc altum cubitos Lyndius.

Nero quoq; Coloffum à Zenodoro fibi fieri fecit, centum & viginti pedum longitudine: qui poftea, damnati fceleribus & fævitia ejus principis, venerationi Solis fuit dicatus.

Colossus Neronis.

Eum fidereum appellat Martialis:

Hic ubi sidereus propiꝰ videt astra Colossus: quod & Soli dicatus erat, & radiatus: non fecus ac ille Rhodius. Unde idem Poëta *ep. 38.*

Cur sidereus. & radiatus dictus.

Nec te decipiat miri radiata Colossi,
Quæ Rhodiũ moles vincere gaudet opus

Sed & innuit idem Martialis, Coloffum iftum in atrio domus Neronianæ fuiffe collocatum.

Invidiosa feri radiabant atria Regis,
Vnaque jam tota stabat in Vrbe domus.

Invidiofam vel odiofam Neronis domum appel-

Neronis domus cur invidiosa.

appellat, quia totam ferè Urbem occupare videbatur. Ad domum quippe istam ædificandam, & ut spacia quædam circa eam haberet, Urbem Nero incenderat, Caussatus scilicet Urbis deformitatem, ædilem Vulcanum ipsum constituit, ut eæ septem continuis diebus ac noctibus arserit, non parcente flamma monumentis: Clarissimorum Ducum, vel sacrarum ædium. Quinetiam horrea quædam propinqua, quòd saxeo muro constructa erant, bellicis machinis apertè fuit demolitus. Atq; hanc cladem ipse è turri Mecœnatiana prospectans, hilari vultu prohibuit cives frivola sua legere, & ex incendio eripere. Priamum quoque fortunatum dicebat, quod Trojam suam incensam, & simul cum regno perditam vidisset. Lætusq; flammæ, ut dicebat, pulchritudine, è sublimi citharam pulsans, scenico ornatu, ἅλωσιν Ilii simulatam cecinit, & veram Romæ calamitatem: ut est apud Tranquillum & Xiphilinum *in Nerone*.

Nero Romam incendit

Colossus Domitiani.

Erat præterea in Urbe Colossus Domitiani: quē equestri habitu ipsemet sibi post victoriam Germanicam, supra ingentem molem Columnarum, pulcherrimis marmoribus constructam dicavit in foro. De quo Papinius:

Quæ superimposito moles geminata Colosso
Stat Latium complexa forum.

Et Martialis;

Inde sacro veneranda petes palatia clivo,
Plurima qua summi fulget imago Ducis.

Plura de aliis Colossis videantur apud Plinium, Colossos inter alia statuarum moles turribus pares appellantē. *lib. 34. c. 7.*

11. Simulachrū Jovis.

11 *Simulachrum Jovis Olympii*) Phidias id ex ebore fecit. Unde Jupiter Phidiacus, & signum eburnum Propertio dicitur *lib. 3. Eleg. Mæcenas.*

Phidiacus signo se Juppiter ornat eburno.

12. Capitolium

12. *Capitolium*) Dictum Capitolium Varr. *lib. 4. de Ling. Lat.* putat, ut & montem Capitolinum, quòd hic cum fundamenta foderentur ædis Jovis, quam Tarquinius ex voto parentis in monte Tarpejo ædificaturus erat, caput humanum, quod etiam tum sanguis nondum destituerat, inventum dicitur. Id Romani ad Tyrrhenum vatem perferri curarunt, cunctaturi, quid portenderet? At ille, id signum in Tyrrheniam translaturus, certum in terra spacium designavit in eoque Romæ situ & Tarpejo monte incluso, legatos rogavit, an ea Roma esset? an is mōs esset? an caput ibi inventum esset? ut illis nihil suspicantibus, & Ita esse affirmantibus, illius portenti vis in eundem locum, in quò descriptio facta esset, transferretur. Sed Legati ab illius filio fraudē prius edocti, cum rogarentur. Non hic, inquiunt, Roma colitur, sed in palatio: & mons Romæ est: & caput in monte illo inventum est. Vatis calliditate hac ratiōe elusa, omnem veritatem didicerunt, & civibus suis renunciarūt, eos fore potentissimos, & plurimis imperaturos Igitur hæc quoque res fiduciam illorum auxit, & mons ex eo Capitolium est appellatus ut Zonaras scribit *lib. 2. Annalium*. Cæterum Capitolinus ille mons anteà Tarpejus fuit dictus à Virgine Vestali Tarpeja, quæ ibi à Sabinis necata armis & sepulta Ejus nominis monumentum relictum, quod etiam nunc ejus rupes, Tarpejum appellatur saxum. Olim etiam monti.

à capite sic dictum.

—Saturnius ille
Nomen erat, de quo latè Saturnia terra.

Ita enim corruptum Ennii versum apud Varronem restituit Scaliger. Capitolium igitur L. Tarquinius Romāorum Rex, ex præda Apiolarum (Latinorum id fuit oppidum) inchoavit. Plinius *lib. 3. cap. 5.* M. Horatius Pulvillus, Consulatu suo absolvit: Q. Catulus Jovi Capitolino dedicavit. *Idem* Plinius *lib. 19. c. 1. cir. fi.* & ut Palladius prodidit, laminis æreis, auro obductis

Capitolium à quibus exstructū.

ctis operuit. Ab hoc, furum versus, centum gradibus descendebatur. Erant ibi aureæ & argenteæ statuæ, ut & vasa aurea & crystallina: præterea tria millia tabularum ærearum, quibus Leges continebãtur insculptæ. Sueton *in Vespasiano cap. 8.* Ejus ornamenta etiam Plinius describit *lib. 33. c. 3. circa fi.* & substructiones ipsius insanas, senibus admirabiles fuisse ait, *lib. 36. c. 15.* Capitolium porrò summamque in eo rem Manlium Capitolinum à Gallis obsessum servasse, idem Plinius testatur *lib 7. c. 28.* quanquam id anserum quoq; vigili cura defensum adserat *lib. 10. cap. 22.* Gallorum in Capitolium adscensu deprehenso *lib. 29. cap. 3 in fin.* Certè in summo tum periculo Capitolium fuisse,

à Gallis obsessum.

Anserum clangore servatur.

Qua Galli furtim nocta, sũma arcis adorti
Mœnia, cõcubia vigilesq; repẽte cruẽtant;

ex Ennio refert Macrobius *lib. 1. Saturn. c. 4.* Notarant enim vestigium, qua Nuncius à Veiis ægrè nunc pronus, nunc supinus arrepserat: tantoq; silentio innixi alterni sublevantesq; invicem in summum evaserant, ut non solùm custodes, sed etiam cães, alioquin nocturno strepitu solicitos fallerent. Actum erat de Arce, nisi Anseres, qui in æde Junonis alebantur, cum naturâ sensus excitatos habeant, & ad quemvis strepitum expavescant, celeriter Gallorum adventu animadverso, cum turbulento strepitu fugientes, vigiles cæterosque omnes atque inter hos & Manlium excitassent. Sic Romani iis, qui ascenderant, partem occisis, partim de petra dejectis, periculũ istud evitârunt quidem: at Manlium, triennio ante Consulem, demũ affectati regni & perduellionis Reum, jam senio gravem è Saxo Tarpejo dejecerunt, Tribunis jubẽtibus, adfecta mortuo notâ deletæ domus, in Capitolio sitæ & consecratæ Qua de re Ovidius *6. Fastor.*

Manlius è saxo Tarpeio dejectus.

Arce quoq; ex summa Iũoni tẽpla Monetæ
Ex voto memorant facta, Camille, tuo.
Antè domus Manli fuerat: qui Gallica quondam
A Capitolino reppulit arma Iove.

Verum non satis verisimile fit Stephano Forcatulo *lib. 2 de Gallorũ Imperio*; id Junoni (quam Æneadum posteritati implacabilem scribit Virgilius) curæ fuisse, ut stertentes Romanos excitaret. Ideoque verius multò esse censet, Juvenem è Gallis selectum, qui cautè & alacriter in arcẽ irrepserat, panem secum attulisse, pacandis canibus inedia pressis, & hos ita obticuisse: contrà friabili pane anseres exclamasse, quippe quorũ est natura, semper, dum comedunt, garrire & perstrepere. Sed hac de re etiam videatur Zonaras *lib. 1. Annal.* & Philippus Camerarius *Oper. succisiv. c. 80.* Quater autem arsit Capitolium. Primùm quadringentesimo, decimo quinto anno à fundatione sua. Deinde temporibus Syllæ. Inter omnes enim convenit, *Sibyllam* (quæ simulac è materna alvo prodiit, de fabrica Universitatis rerum disseruisse fertur. Nicet. *lib. 3. Annal.*) ad Tarquinium Superbum tres libros attulisse: (Gellius novem librorum meminit *lib. 1 Noct. Attic. c. 19*) Ex quibus igni duo cremati ab ipsa: tertius cum Capitolio, Syllanis temporibus, Plinius *lib. 13. c. 13.* & cum Capitòlio, ædes quoque Capitolina, *lib. 33. c. 1. circa med.* cui exornandæ Sylla Athenis ex templo Jovis Olimpii columnas advexerat, *lib. 36. c. 6.* Tertiò Vitellij tempore conflagravit, à Vitellianis incensum. *Idem* Plin. *lib. 34 c. 7.* Xiphilinus *in Vitellio Neronis.* Quartò, imperante Commodo, ut Palladius *de antiquitate Vrb. Rom.* scriptum reliquit. Domitiani autem tempore Capitolium de cœlo tactum Suetonius in Domitiano refert *cap. 15.* Quoties tamen incensum, toties in melius refectum fuit Capitolium, & aureo etiã fastigio exornatum. Vespasianum

Capitolium quoties arserit.

1.

2. Sibylla.

3.

4.

Capitol. cœlo tactũ.

Magnificè refectum.

à Vespasiano imprimis.

sianum certè avidissimè id refecisse constat, ita ut ipsemet terrã & rudere egereret, ut cæteris exẽplo esset: & in exstruendo atq; exornando eo amplius bis millies insumserit: Bodin. *de Repub. lib. 6. c. 3.* Imò nulli vel sumtui, vel operæ pepercit, frugalis alioquin & parcus. Xiphilin. & Suetõ. *in Vespasiano.* Planè pauperis olim cultus fuisse Capitolium, conjecturâ improbabile non est: cum ipsamet Romuli regiam Ovidius stramineam appellet *lib. 3. Fastor.* ubi Martem ita loquentem introducit:

Romuli regia.

Quæ fuerit nostri si quæris, Regia nati,
Aspice; de canna straminibusq; fuit.
In stipula placidi capiebat munera somni.
Et tamen ex illo venit in astra thoro.

ut non absque cachinno mirari olim fuerint Galli, ex tam humili casa, culmo & stramentis compacta: potuisse Romulum uno saltu in cœlum scãdere: Deinde, subdita face dixerint, se paupertatem tanti Regis, imò Dei Quirini, tegere, & expiare flammis parricidium, Remo prætextu muri violati peremto admissum. Stephan. Forcat. *de Gall. Imper. lib. 2.*

Capitolia etiam extra Romam.

Cæterum non Romæ tantum, sed & Capuæ, Narbonæ, Pompeiis & alibi, Capitolia, Romanorum imitatione exstructa fuisse, Adrian. Turneb. putat *lib. 11. Adversf. cap. 2.* & ante ipsum, Alexand. ab Alexand. monuit *lib. 6. Genial. dier. c. 11.* Capuani disertè meminit Suetonius in vita Tiberii *cap 40.* & in vita Caligulæ *cap. 57.* A Capitolio porrò, Capitolinorum collegium nuncupatum, hoc est, eorum, qui Capitolium & arcem incolebant, ludosq; Capitolinos exercerent. Ita enim Turnebus *lib. 5. c. 28.* ex Livii *lib. 5.* id planum facit, his verbis: Ludi Capitoli-

Capitolinorum collegium.

» ni fierent; quo Jupiter Opt. Maxim suam
» sedem atque arcem populi Roman. in re
» trepida tutatus esset: collegiumq; ad eam
» rem M. Furius dictator constitueret ex
» his, qui in Capitolio atque arce habitarẽt.

Naumachia.

13. *Naumachia*) Naumachiam, sive navale prælium non effoso tantum & circumstructo juxta Tiberim lacu, sed in Amphitheatro ipso Domitianum commisisse, Suetonius in ipsius vitæ testatur *cap. 4.* Idque & ab Octaviano factitatum ait, cavata circa Tiberim solo. *in vita Augusti cap. 43.* Sed & in Cæsare *cap. 39.* ait Navali prælio in minore Codeta (agrum trans Tiberim ita nominari Festus auctor est) defosso lacu, biremes ac triremes, quadriremesq;, Tyriæ & Ægyptiæ classes, magno pugnatorũ numero conflixerunt. Et in Nerone *c. 12.* Ipsum Naumachiam exhibuisse, ait, marina aqua innantibus beluis. De Tiberio Claudio verò, in vita ejusdem *c. 21.* ita scribit: Quin & emissurus Fucinum lacum, Naumachiam ante commisit. Sed cum proclamantibus Naumachiariis; AVE IMPERATOR, MORITURI TE SALUTANT: respondisset, AVETE vos: neque post hanc vocem, quasi venia data quisquam dimicare vellet: diu cunctatus, an omnes igni ferroque absumeret, tandem è sede sua prosiliit: ac per ambitum lacus, non sine fœda vacillatione discurrens, partim minando, partim hortãdo ad pugnam compulit. Quod ipsum, iisdem penè verbis à Dione refertur *Romanar. histor. lib. 60.* Planè Amphitheatri sive Arenæ faciem variè ab ambitiosis Editoribus, & modo in sylvæ, modò in Maris formam fuisse immutatam, ut studia spectantium allicerentur lenocinio quodam novitatis, Justus Lipsius *De amphitheat. cap. 10.* luculenter ostendit. Et varias Naumachiarum species explicatas invenies apud Matth. Raderum in comment *ad Martial. Epig. 24. 26. & 28. lib. 1.* Naumachiam porrò etiam Sidonius Apollinaris *Ep. 2. lib. 2.* intelligit, cum *circ. fi.* Moris fuisse scribit senioribus nostris agonẽ Drepanitanum, Trojanæ supersti-

Codeta.

Naumachiarum species.

Agon Drepanitanus.

tionis

tionis imitari. Verba enim illa hunc habent ſenſum: ſolitos fuiſſe majores noſtros in lacu navalem, ſive nauticum agonem, id eſt. Naumachiam celebrare: qualem olim Trojugenis in honorem Anchiſes, ſepulti juxta *Drepanum* Siciliæ urbem quotannis exſequebantur: de qua eleganter Virg. *lib. 5. Æneid.* & Ovid. *lib. 2. Faſt.* Quem agonem Drepanitanum vocat à Drepano civitate, ut dixi Siciliæ. De qua idem Virgil. *in fin. libr. 3.* & quò ipſe etiam Auſonius reſpexiſſe videtur *in Moſella*:

—pugnaſque jacentes
Naumachia: Siculo quales ſpectātе Peloro,
Cærulaus viridi reparat ſub imagine Pōt⁹.

De quo plura diligenter colligit Savaro *ad Apollin. d. ep. 2. lib. 2.* ubi etiam navalem illum agonem ait, ſolennitatem iucundam vocari, & in medio lacus prominuiſſe, ſive projectam fuiſſe, aut protuberaſſe metam, ad quā ſe Nautici, velut in circo agitatores exercere ſolebant. Quod Alexand. ab Alexandro ita exponit: in circo maximo, *inquit*, immiſſo Euripo, naves metis appoſitis, ne illas contingerēt, curſu præcipiti concurrebant. *lib. 5. genia. dieri cap. 8. circ. fin.*

Navalis agon.

Statuarum uſus.

14. *Hodie non uſurpantur ſtatuæ*) Rarum fuiſſe olim Statuarum uſum, Livius fidem facit. Nam cum C. Menenio ſupra columnam ſtatua dicata fuiſſet, quod Latinos priſcos dejecerat unà cum Camillo collega: Ea res, inquit Livius, rata illa ætate fuit. Nulla verò harum ponendarum ratio fuit alia, quàm ut cujus nomini dicatæ eſſent, ejus gloria ſupra cæteros mortales attolleretur. Sic enim Pierius *lib. 49. Hieroglyph.* illa Ennij de Scipione verba accipit: Quantam ſtatuam faciet populus „ Romanus, quantam columnam, quæ res „ tuas geſtas loquatur? Poſteà creſcēte ho„ minum ambitione, in immenſum quoq; „ adcrevit Statuarum numerus; Jure etiam Aſyli ad Principum ſtatuas producto, ut mox dicemus. Vetuſtiſſimum autem Aſyli uſum eſſe, meritò creditur. Nam & Cadmum cum Thebas conderet, primum ferunt Aſylum inſtituiſſe: quo perfugiētes, ſive ſervi, ſive liberi, ab omni pœna tuti eſſent, indeque per vim extrahi non poſſent. quanquam Servius Herculis prognatis Aſyli primordium ſive inventum adſcribat, adducens eum Statii locum:

Aſylum.

Fama eſt, defeſſos acie poſt buſta paterni
Numinis, Herculeos ſedē fundaſſo Nepotes
Sic ſacraſſe loco, commune animāib' agris
Confugium.

Hos alii poſtea ſubinde ſunt imitati. Nā & Theſei ſepulchrum Athenis: Plutarch. *in vita Theſei*; ibidemque & σεμνῶν θεῶν, id eſt, verecundarum & caſtarum Dearum phanum ab Epimenide conſtructum, Laërtius *lib. 1. in Epimeni.* Dianæ templum, Epheſi, Diony. Halicar. *lib. 4.* & Romæ, ſacer quidam lucus inter collem & Capitolium. Aſyli loco fuit. Livius *lib. 1. ab Vrbe cond.* Unde Virgil. in 8.

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Aſylum
Retulit, & gelida monſtrat ſub rupe Lupercal.

Et Ovidius 4. *Faſtor.*

Quilibet huc, inquit, confuge: tutus eris.

Id poſteà etiam ad Aras & ædem ſacram fuit protenſum, quemadmodum *ex cap. 21. Exod. & l. 1. C. de his qui ad Eccleſ. conf.* liquidò apparet. Quo in loco placuit, ut præſidium & immunitatem Eccleſiæ tribuant Confugis (Ita enim hi appellantur *in l. ſi quaper calumniam 22. C. de Epiſc. & Cleric.* hoc eſt iis, qui ad eas confugerint, vexationis evitandæ cauſſæ, ſive ob reatum, ſive ob debita publica vel privata, ita ut inde temerè abduci nequeant; ſed loci reverentia & interceſſione defendantur. *d. l. C. de his qui ad Eccleſ. conf. & can. Eos qui 87. diſt.* Quæ tamen concluſio cū hoc mode-

Aſylum etiā in Aris & æde ſacra.

Confuge.

Eccleſiæ quomodo

immunitatem praebeant confugis Servis.

moderamine accipienda est. Aut enim confugæ isti servi sunt: aut liberi. Si servi: tum aut ob suam, aut ob Domini culpam confugiunt. Si ob suam culpam putà metu pœnæ ob suum admissum: siquidem admissum illud gravius sit, vel cum armis confugiant; extrahendi sunt, & Domino simpliciter reddendi *leg. si servus quatuor. C. d. t.* Aut, si levius delictum id fuerit, non aliter erunt reddendi, quàm ipsimet Domino, Pontificis opera ad lenitatem traducto, præstitoque jure jurando, Eam fugam servo fraudi non esse futuram. *leg. præsent. 6. § fi. C. d. t. c. inter alia Ext. de Immunit Eccl.* Sin ob Domini culpam, metu scilicet dominicæ sævitiæ; & durius, quam æquum est habiti, vel infami injuria adfecti, vim injustam declinantes fugerint: tantum abest, ut reddendi Domino sint, ut cogatur hic etiam, siquidem res ita se habuerit, bonis conditionibus servos vẽdere. *l. 2. ff. de his qui sunt sui vel al. jur.* Quod si Liber homo ad Aram ædemve confugerit: rursum subsisto Aut enim ob leve aliquod delictum, vel æs alienum, sive aliã ob caussam eò confugit, & constat, Eum inde adduci aut extrahi citra læsæ Majestatis crimen non posse. *leg. 2. C. de his qui ad Ecclesias* quanquam cautionem Judicio sisti Confuga præstare cogitur: alioquin contra eum procedetur Missione in bonorum possessionem *d. l. præsenti 6. §. cum autẽ C. eod.* Aut verò ob delictum aliquod gravius confuga sibi consultum voluit: & placuit, Eum qui spe ad ædem sacram confugiendi deliquerit, jure Asyli non adjuvari: eo quod patratura facinus prævisо commodo indignum Reum reddit. *c. ult Ex de immunitat. Eccl* Alciat *de Singulari certam cap. 6. num. 7* cum tralatitium sit, Malitiis hominum indulgendum non esse, *leg in fundo de rei vendic.* sed expectare debere facinorosum, quod fecit. *l. 3. C. de Episc. audiẽt.* Graviter profecto Justinianus: Neque homicidis, *inquit*, neque adulteris, neque virginum raptoribus delinquentibus terminorum custodies cautelam: sed etiam inde extrahes, & supplicium eis inferes. Non enim talia delinquentibus parcere competit, sed hæc patientibus. Et templorũ cautela non nocentibus; sed læsis datur à lege: nec erit possibile, utrumque tueri cautela locorum, & lædentem & læsum. *Novella 17. de Mandat. princ. §. neque autem 7.*

Liberis.

Asylum ex proposito delinquentis nullum.

Quod ipsum cum divina quoque Lege congruit. Si quis per industriam (ait summus Legislator) hoc est, ex proposito facinoris consilio occiderit proximum suum, & per insidias: ab altari meo avelles eum, ut moriatur. *Exod. 21. vers. 14. & c. 1. Ex. de homicid.* Nec enim dubitandum est, quin gratum sit Domino sacrificium, cum Magistratus gladio, quem ab eo accepit, virum sanguineum & dolosum mactat: ut non minùs pia, quàm vera est Johannis Corasij sententia *lib. 5. Miscellan. cap. 23.* Viderint ergò Pontificii, quo jure defendi possit illa Canonistarum sententia, qua Liberum hominem, quantumcunq; gravia maleficia perpetravit; violenter ab Ecclesia extrahendum esse negant, *cap. inter alia Ex de Immun. Eccl.* cum tamẽ ab iisdem alibi pronunciatum sit, Frustà legis auxilium implorari ab eo, qui in legem committit: nec debere immunitatis privilegio gaudere eum, qui se eo indignum fecit. *c. ult d. tit.* sed hoc diligenter & doctè examinat Didacus Covart. *lib. 2. Variar Resol. cap. 20* quem vide. Et adde Francisc. Hotoman. *in §. 3. verb ad ædem sacram Instit. de his qui sunt sui vel al. jur.* Henr. Stephan. in fontib & rivis juris civilis *tit. homicidarum asylus seu profug.*

Contra Canonistas.

Fecit autem divinorum honorum aviditas sive affectatio, ut Principes Romani non minorem suis imaginibus & statuis tribuerint majestatẽ. Eas certè in militaribus

Principum statuis & imaginibus, quanta auctoritas.

ribus signis, ut præsentia Numina; Arasq; in castris poni eis solitas ex Tacito *lib. 4. Annal.* constat. In Urbe verò tantæ religioni ac venerationi habitas æquè constat, ut ne conflare quidem eas ac vendere sine capitis periculo, & circa Majestatis crimē liceret *l. qui statuas ff ad au L. Iul. Majestatis.* Hoc ita: nisi vel consecrata nondū imago fuisset: vel non quidē specialiter & per se; sed unà cum domo, horto aut prædio, cui accederet, statua vel imago venisset. Neutrum enim contra Majestatem fieri placuit *l. non contrah. in fi. ff. d. l. in modicis. de contrah. emt.* Barn. Brissonius *lib. 4. selectar. Antiquit cap.* 11. Planè imperante Tiberio in judicium quendam adductum, Majestatisq; accusatum Suetonius *in vita ejusdem cap. 58.* scribit, qui statuæ Augusti caput demserat, ut alterius imponeret. Damnato Reo, paulatim hoc genus calumniæ eò processisse, ut hæc quoque capitalia essent, circa Augusti simulachra servum cecidisse: vestimēta mutasse; nummo vel anulo effigiem impressam latrinæ aut lupanari intulisse. Unde & Senator quidam, ut est apud Senecam *l. 3 de Beneficiis.* Majestatis postulatus, ob id veniam petiit à Tiberio, quod matellam contingere putarat prius, quam annulum, qui expressam Tiberii imaginē præ se ferebat, digito detraxisset. Johan. Bondin. *lib. 1. de Rep. c.* 5. Hoc amplius, etiam adorationis cultum statuis & imaginibus principum fuisse exhibitum, ex Plinio *10. epist. 97.* non obscurè colligitur. Sic enim ad Trajanum scribit: Propositus est libellus sine authore, multorum nomina continens, qui negarēt, se esse Christianos, aut fuisse: quum, præeunte me, Deos appellarent, & Imagini tuæ, quam propter hoc jusseram cum simulachris Numinum efferri, thure ac vino supplicarent: præterea maledicerēt Christo; quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera Christiani. *Et mox* Omnes & imaginem tuam, Deorumque simulachra venerati sunt. Cui nō absimile est illud Horat.

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Iurandasq; tuum per nomē ponimus aras.

Expressit idem perspicuè satis Gregorius Nazianzen. *in Iulian. orat. 1. pag. 290.* Est hoc in regio more positum *ait*, haud quidem scio an apud alios quoque homines, qui imperio subsunt, cæterum apud Romanos studiosissimè observatum, ut publicis statuis Imperatores ornentur. Nec enim coronæ ac diademata, aut purpuræ nitor, & numerosæ leges, & tributa, & subditorum multitudo, ad cōstruendum ipsis imperium sufficiunt: verùm adjurationem quoque accedere oportet, per quam augustiores appareant. Parumque habent ipsi adorarit, nisi idem suis quoq; imaginibus picturisq. præstētur, quo cumulatior ipsis perfectiorq; veneratio reddatur. Qua de re videri poterunt Friderici Lindenbrogii observationes *in Ammianum Marcellin. lib.* 12. 22. Non mirum itaque, etiam Asyli jus statuis fuisse attributum: quæ perinde atque Ecclesiæ, suam confugis immunitatem præberent *l. 2. ff. de his qui sui vel al. iur. l. 1. §. 1. de Offic. praef. Vrbi. l. quid sit fugitiv. 17. §. apud Labeonem. 12 de adil. edict* Certè C. Caligula, hominum quos unquā Sol vidit, flagitiosissimus; & præ quo Tiberius mediocriter malus credi possit; non contentus maximo terrarum imperio, etiam cœlites pulsare & excludere tentavit, dum Hierosolymitanum templum jure Asyli in se transcribere non erubuit, titulo, Novi Iovis Illustris Caii. ut mirum nihil omnino sit, cum etiam Jovi fulguranti ausum fuisse obstrepere, Homericum illud usurpantem: ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σέ, id est, Aut tu me aufer, aut ego te. Philo Judæus *lib. de Legatiōe ad Cajū, &* Zonar. *l. 2. Annal.*

Verùm enim verò cum improbi passim homi-

Tam bello. Quàm pace.

Principis imago an vendi licet.

Imaginibus, etiam adorationis cultum.

Quemadmodum & asyli jus.

Caligula insolentia.

Imaginum abusus.

homines Imperatorum imaginibus, fine caussa prælatis, statuisq; apprehensis, invidiam adversariis concitarent; Senatusconsulto prohibitum fuit, ne quis in alterius injuriam ad statuas Principum confugeret, imaginesve eorum portaret. qui secus faceret, in vincula publica mitteretur. *l. Senatus cõsulto. 38. de injur. l. capitalium 28. §. ad statuas ff. de pœn.* C. Cestius igitur, cum diu multumq; in Senatu contenderet, ut ea vis & auctoritas imaginum aboleretur; Principes quidẽ instar Deorum esse, dixit: sed neque à Diis nisi justas supplicum preces audiri: neq; quenquam in Capitolium, aliave Urbis templa perfugere, ut eo subsidio ad flagitia utatur. Abolitas leges, & funditus versas, ubi in foro, in limine Curiæ ab Anna Rufilla, quam fraudis sub indice damnavisset, probra sibi & minæ intendantur; neque ipse audeat jure experiri, ob effigiem Imperatoris oppositam. Ea oratio effecit, ut Rufilla accita convictaq;, publica custodia attineretur; ut est apud Tacitum *lib. 3. Annal.* Multo magis igitur ipsum quoq; adorationis fastigium Statuis & Imaginibus fuit adimendum, *ut l. 2. C. de stat. & imagin.* cum solerent olim, ut Ambrosius ait, sola ære fusa Principum capita, & ducti vultus de marmore vel ære adorari Digna mehercule notatu est Tiberii sententia: qui auctore Suetonio, Statuas & imagines inter ornamenta demorum; non inter simulachra Deorum poni voluit. Et quidem ipsemet quoque Caligula (cujus ego Naturam parentem puduisse suspicor, ob scelerum & flagitiorum fœditatem) à Chærea & Sabino, connivente familia, sublatus tantem se mortalem agnovit, & falsum Dei imitatorẽ: ad quem referendum viva imagine, non Phidia statuario, non Polycleto opus est, nec fragore fulminis; sed justitia & mansuetudine erga mortales: ut gravis est Stephani Forcatuli sententia *lib. 3. de Gallor. Imper.*

Senatusconsulto inhibitus.

C. Cestius contra Imagines.

Tiberius.

Caligula.

DE PYROPO. TIT. XXXIII.

Posteaquam de Ædificiis & statuis diximus: progrediamur nunc ad alias artes. Et primùm quidem de Pyropo dicamus. Pyropus *ad hac usque tempora ex lapidum preciosorum genere, quos* Rubinos *sive* Carbunculos *vocant, vulgò fuit habitus. Sed falsò Erat enim, ut Plinius* lib. 34. cap. 8. *scribit, as quoddam Cyprium: cujus in uncias seni addebantur scrupuli auri; atque ita in prætenuem id tractum bracteam, Pyramidum pilis, aut turrium summitati adaptabatur. Quod cum solaribus radiis tangeretur, non secus atque ignis micabat. Ideoque Pyropum fuit nuncupatum, quod ignis fulgorem repræsentaret. Verùm ars ista penitus est exstincta. Idem &* Electro *evenit: quod quidem ex auro est, sed quinta tamen argenti parte addita. Vnde & ab auro id erat splendidius: & ut plurimum hoc tabulata veteres exornabant, sicuti Homerus prodidit.*

Pyropus. 1.

2.

Electrum.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Pyropus.

Pyropus vulgò gemma esse putatur, è Carbunculorum genere. Sed Plinius Pyropum æris ductilis & coronarii speciem esse scribit. *34. cap. 8. in extremo,* cum ait: Coronarium tenuatur in laminas, taurorumque felle tinctum, speciem auri in coronis histrionum præbet. Idemque in Uncias additis auriscrupulis senis,

Æs coronarium.

prætenui

prætenui Pyropi bractea ignescit. Eadem Isidorus tradit *lib. 16. cap. 19.* ex Plinio sublecta his verbis: Coronarium ex ductili ære tenuatur in laminas, taurorumq; felle tinctum speciem auri coronis histrionum præbet: unde & appellatum. Pyropum igneus color vocavit. Namque in singulas uncias æris, additis auri scrupulis senis prætenui bracteâ ignescit, flammasque imitatur. Unde & Pyropum dicitur. Hinc illud Ovidii:

—flammas imitante Pyropo.

Propertius interpretatus. Eidemque sententiæ & Propertius videtur accedere, cum *lib. 4.* ita canit:

Picta nec inducto fulgebat parma Pyropo.

Nam quod dicit, *inducto*, laminam non obscurè innuit: ex eo, quod *Induco* obtegendi & operiendi notionem habet. Parietes inducuntur tectorio: scuta pellibus: rebus inaurandis bracteæ. Quod autem Lexicorũ thesauri Isidoro tribuunt, quasi scripserit, Pyropum esse metalli genus ex dimidia parte auri, ex dupla argenti: id ex hoc quidem loco nõ apparet. Porrò quod uterq; dixit, Taurorum felle tinctum speciem auri præbere id Aristoteles Elenchis Sophisticis videtur sua lingua reddere Χολοβάφινον. Ita enim locum huc in privata collatione nostra, ut fit, *Iohan. Ladislaus* interpretabatur, Vir mehercule utriusque literaturæ scientissimus, & politiorum sive humaniorum, quas vocant, artium oppido quam gnarus.

Iohan. Ladislaus.

Electrum. *Idem & electro evenit*) Electrum Isidorus *lib. 16. cap. 23.* dictum purat, quòd ad radium solis clarius auro argentoq; reluceat. Sol enim plurimis poetis vocitatus est Elector, ut Plin. asserit *lib. 37. c. 2.* Hujus tria sunt genera.

Et ejus species. 1. Unũ quod defluente medulla ex arborib. pinei generis, quasi gummi ex cerasis, nascitur: densaturq; rigore, vel tepore, aut mari: & cum intumescẽs æstus ex insulis rapuit, in litora expellitur, ita volubile, ut pendere videatur, & per vadũ deferri. Veteres id succinum appellarunt, quòd ex arboris succu destillãte congelasceret. In qua sententia ipse etiam fuit Aristoteles, succinum lachrymã esse dicens, licet non definiat, cujus sit arboris. Dioscorides, è populis lachrymam juxta Padum flumen effusam concrescere, & inde genus electri fieri scribit *lib. 1. c. 114.* Virgulti lachrumã Ambrosius nominat. Sic enim Hexamer. *lib. 2. c. 15.* scribit: Quid autem tibi referam, quod Electrũ lachruma virgulti sit, & in tantæ materiæ soliditatem lachruma durescat? Nec levibus id asseritur testimoniis, quando folia & minutissimæ surculorum portiones, aut exigua quædam animantium genera, in Electro sæpè reperiantur, quæ videtur gutta, cum adhuc esset mollior, recepisse, & solidata tenuisse. Quam in rem de Ape electro inclusa exstat elegãs Martialis Epigramma, quod est 32. lib. 4.

Animalcula electro inclusa.

Et latet, & lucet Phaetõtide condita gutta,
Vt videatur Apis nectare clausa suo.
Dignum tantorum pretiũ tulit illa laborũ,
Credibile est ipsam sic voluisse mori.

Quo haud scio an minus venustum sit illud de Vipera epigr. 59 eod. libro;

Flentibus Heliadũ ramis dũ Vipera serpit,
Fluxit in obstantẽ succina gemma ferã.
Quæ dum miratur pingui se rore teneri,
Concreto riguit vincta repentè gelu.
Ne tibi regali placeas, Cleopatra, sepulchro
Vipera si tumulo nobiliore iacet.

Phaëtontis fabula. Quorum utroque ad illam Poëtarum fabulam alludit, qua Phaëtonta Solis filium patris currũ regere, quàm ipsius consilio regi maluisse fingunt: dumq; incautè aurigaretur, è curru fulmine deturbatum in Padum sive Eridanum fluvium: atque eo ita præcipitato, Heliades sorores continuas fudisse lachrumas, quoad in Populos arbores mutarentur: ex quibus Electrum in Padum proximum destillaret.

Vnde fluũt lachrymæ styllataq; sole rigescũt

de ramis electra novis.

Et quæ sequuntur *apud Ovidium 2. metamorph. 4.* Quo alludit Avienus:

Hic prius Eridãi propter nemerosa flucta
Fleverũt liquida lapsum Phaetõta sorores,
Mutataq; manus planxerũt pectora rãis.

Et Priscianus in *periclogesi*, iis versibus:

Hic electra legunt alius stillantia Celta
Succina quæ memorãt mellis viniq; colore,
Quæ paleas rapiẽt tractu, frõdesq; caducas

Quæ etsi ut fabulosa ridet Plin. *lib. 37. c. 2.* Sicuti & Sidõ. Apollinaris Electarũ illud *commentitias arbores metalli lachrumas* vocat *lib. 1. ep. 5.* dictum Phaëtontis in Eridanum præcipitati fabulâ à calore solis, fluvii inundationes exsiccantis ut Natalis Comes interpretatur *lib. 6. Mytholog.* 1. & Cœl. Rhodig *lib. 24 lectio antiq. cap* 11. non tamen negat frequens fuisse Padi accolis succinum: quandoquidem agrestes mulieres Padum circumcolentes, monilia de succino, aurifacti æmulatione, ornatu eximio gerere solerent. Sicuti hodie in Prutenorum litore, maris Balthici accolæ uberem ex succini piscatione quæstum faciunt quotannis, æstivo potissimũ tempore, spirante Aquilone, & cum mari luctante. Idque in Insulis septentrionalibus Oceani fluctibus advectum, gigni; indeque ad alias regiones transmitti, post Plinium testatur Joh. Gryphiander *in tr. de Insulis cap. 22. n. 164.* Alterum Electri genus est Metallum, quod naturaliter in scrobibus inveniri, & in precio haberi Isidorus quem Servianæ Commentationis furem indigitat Gualtherius in comment. *ad Horat. Od. 3. l. 2. carm.* tradit, ex Plinio fortassis *lib. 33. cap. 4.* Tertium est, quod cura sit, quinta argenti parte auro addita. Quod si quintam portionem excesserit, incudibus non resistit: ut Plinius ibidem tradidit, quanquam Electrum quoque ex auro fieri, Suidas refert, cum vitrea quadam & lapidea confusione. Idque illustri nitore splendere ait: ut est apud Balduinũ *in §. si duor. Inst. de acquir. rer. dom.* Magna porrò fuit Electro auctoritas, Homero teste: qui Menelai regiam auro, electro, argento, ebore fulgere tradit. Minervæ templũ habuit Lindos insula Rhodiorum: in quo Helena sacravit calicẽ ex Electro, mamæ suæ mensura. Trebellius Polli & Pompon. Sabin. Inde & Electrina vasa *in l. pediculis. 32. §. Nerat. de auro & argent. leg.* & ex electro olim non tantum nummos; sed & annulos cusos fuisse electrinos, monet Savaro *in Notis ad Apollin. carm. 24.* Electri natura est, ad lucernarum lumina clarius splendere. Venena etiam, quod est nativum; deprehendit gemina ratione. Nam & discurrunt in calicibus arcus cœlestibus similes, & igneum stridorẽ edunt: sicuti Plinius præallegato loco testatur. Quia igitur Electrum, ut diximus, ex auro & argento mixtum est, & tertiam quandam speciem constituit: rectè ab Ulpiano responsum est, Auri appellatione Electrum non contineri *l 4. ff. de legat. 1.* Quia enim ab auri & argenti habitu recessit: ideò nec auri potest, nec argenti nomine comprehẽdi. Id quod optimè declarat Tertullianus adversus Hermogenẽ. Nam testam, inquit, licet ex argilla confectam, jam non argillam vocabo, sed testam: & Electrum, licet ex auro & argento fœderatum, nec argentum tamen, nec aurum appellabo: sed Electrum, à cujus habitu quod divertit, pariter & à vocatu ejus recedit appellatione, sicut & conditionis proprietate. Sed utrum argentum Electro, an Electrum argento cedat; id ex adspectu vasorum facilius intelligi posse, Paulus ex Proculi & Neratii sentẽtia respondit, quod si in obscuro sit, inspiciendum esse, in utro numero ea vasa is, qui testamentum facit, habuerit. *l. pediculus, 32 §. Neratius 5. ff. de auro & argent. legato.*

Margin notes: 2. — *Isidorus.* — 3. — *Electri auctoritas.* — *Electrina vasa.* — *Natura.* — *Electrum tertia inter aurum & argentum species.* — *Argentum utrum Electro cedat, an contra.*

DE

DE CORINTHIO ÆRE TIT. XXXIV.

Æs Corinthium.

Anno DCVIII. ab Vrbe condita Mumius capta Corinthio, nobili Civitate, in Isthmo Græciæ sita, Vrbem incendit. Eaque flagrante, casu factum est ut aurum, argentum, & æs liquefacta miscerentur. Ac cum pulchra videretur mixtura ista post incendium inventa: fusa inde fuerunt vasa & candelabra affabrè sculpta. Eaque Corinthia dicebantur vasa, eò quòd mixtura ista Corinthi primùm esset adinventa: Eius tria erant genera. Candidum, cui plus inerat argenti. Alterum, in quo auri materia prævalebat: Tertium, in quo æqualis omnium temperies fuit, ut Plinius recitat. Metallum hoc planè extinctum est, ut & usus portarum æncarum, quæ templis adponebantur. Et auctor est idem Plinius* Sp. Carvilium Quæstorem, inter crimina obiecisse Camillo, quod ærata ostia haberet in domo. Et addit: Solita etiam ærata fieri triclinia, abacosque & monopodia: ut & capitula columnarum; quemadmodum Romæ videre est in columnis Panthei, quod est* à la retonda. *Habebant quoque in templis lucernas æneas, instar arboris poma proferentis factas & ut tandem finiam, innumerabiles statuæ ex hac materia fuerunt constita.*

Eius genera.
*L. 34. c. 2.
*L. 34. ca. 3.
Portæ æreæ.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Corinthia vasa.

COrinthia vasa (quæ & Ephyreja dicuntur Virgilio, eò quod Corinthus olim Ephyra nuncupabatur (quanto in precio fuerint, Perotus ex variis historicorum monumentis collegit. Horum pretia in immensum exarsisse, Suetonius in Tiberio *cap.* 31. scribit: notatumque ait Augustum, ut pretiosæ supellectilis Corinthiorumque præcupidum. Nam & proscriptionis tempore ad statuam ejus adscriptum esse:

Pater argentarius, ego Corinthiarius: cum existimaretur, quosdam propter vasa Corinthia inter proscriptos curasse referendos ut est *in vita Augusti cap.* 70. Sed an auro legato, etiam æs Corinthium veniat, dubites? cum ex auro & ære mixtum sit Et idem quod de Electro, respondendum putârim: eò quod Corinthium istud æs, non auri, sed æris nomen obtineat *arg. leg.* 4. *de legat.* 1. & *l. hæres.* 200. § *pen. de legat* 3. Æs etenim eam auro semel mixtum deduci, hoc est, separari olim non poterat: ideoq; communicabatur *l. item Pompon.* §. *sed si plumbum, ff. de rei vindic.* Hodiè autẽ, cum Aurifices, Chrisulcæ aquæ vi(de qua lib. 2. cap. de Alchumia dicetur) æs ab auro, & quodvis metallum ab altero separare possint, ut Alciatus tradit *l.* 6. *parerg. c.* 11. non communicaretur illud: sed deduceretur, & suum cuique redderetur: non secus ad plumbum cum argento mixtum *d.* § *sed si plumbum*, quem superioribus refragari Accursius putavit, non animadvertens, separari olim id potuisse: ut & æs mixtum argento *l. lacus.* 12 §. *si are meo ff. de acquir. rer. dom.* Steph. Forcatul in Necyomant. *dial.* 38. cui addendum est, quod de confusione istiusmodi Hugo Donellus scriptum reliquit in comment. juris civil. *lib.* 4. *cap.* 31. Et ad eum locum doctissimè commentatus est

Oswald. Hilliger

lit. C.

Ære Corinthio an etiã auri contineatur.
Æs auro.
mixtum olim deduci non poterat.
Secus si argento esset mixtum.

Oleum incombustibile.
Sepulchrum Tulliæ Ciceronis F.

DE OLEO INCOMBUSTIBILI TIT. XXXV.

Præparabant etiam veteres Oleum incombustibile, quod nunquam consumebatur. Id nostra quoque ætate, sedente Paulo III. visum fuit, invento scilicet sepulchro Tulliæ filiæ Ciceronis: in quo lucerna fuit etiam tum ardens; sed admisso aëre, exstincta. Arserat autem annos plus minus 1550.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Oleum vivum.

INcombustibile hoc Oleum rectius videtur appellari posse Vivum. Statius:
Vulcano condicta domus, quã subter eunti:
Stagna sedent venis oleoq; madentia vivo.

Lucerna subterranea perpetua.

Sed & Hermolaus Barbarus *l. Corollar.* 5. & Franciscus Maturantius in epistola ad Alphenum amicum, jam dudum testati sunt, Inveniri alicubi in subterraneis Italiæ monumentis lucernas perpetuo fulgore lucentes, qualis fuerit illa *Maximi Olybii* in agro Patavino, juxta oppidum Atheste eruta: quam arsisse supra mille & quingentos annos tradit *lib. 1. Antiquit. Patavin. in fine.* Bernardinus Scardeo: quem laudat Melchior Guilandinus in communtario de Papyro. *membro 6.* Olei autem sive Ignis istius perpetui dilucida extat descriptio apud Hyeronymum Ruscelli, in egregio ipsius opere, cui titulus est *Le impresse illustri*: quem locũ aliquãdo ex Italico Latinè reddidimus. Nec multũ absimilis fortassis naturæ fuerit Naphtha: quam circa Babyloniam, bituminis liquidi modo profluere, ait Plinius *libr. 2. c. 105.* Cum quo Xiphilinus apud Dionem *l. 35.* consentit. Est autẽ Naphtha, inquit, ex genere bituminis, usq; adeò ardens, ut omnia, quibus adhærescit, prorsus exurat, nec ulla re humida facilè exstinguatur. Huic, ait Plinius magna cognatio igniũ, transiliuntque protinus in eam undecunque visam. Ita ferunt à Medea pellicẽ crematam, postquam sacrificatura ad Aras accesserat, corona igne rapta. Jason enim captus amore *Glauca* (quæ fuit Creontis Regis Corinthiorum filia) Medeam deseruit: & hæc, ut ulcisceretur Glaucã, velum & coronam ipsius imbuit liquore Naphthæ, quò celeriùs incenderetur illa; ut est *in vita Alexandri Magni* apud Plutarchum. Quò allusit Horatius. *Epod. 3.*

Naphtha.

Medea pellicem Naphtha ulciscitur.

Hoc delibutis ulta donis pellicem
Serpente fugit alite.

quanquam ibi coronam illam non Naphthã; sed allio, quod exsecrabatur, imbutam fuisse jocatur: ut Adrian. Turnebus notat *lib. 6. Adversar. cap. 9.* Consimilem fabulam de veste Nessi Centauri sanguine infecta: quam à Deianira missam cum induisset Hercules, incensus igne sacro periit, Erasmus recitat *Chiliad. 2. centur. 10. adag. 98.* quem vide. Cæteroquin isti Medeæ pharmaca, quod sulphure atque asphalto humectiore constabat; eatenus ignita vis fuit, ut cuicunque admoveretur, id perureret, nec ab humectis restingueretur facile. De quo videatur Martin. Del-Rio *libr. 3. Disquisit. Magicar. part. 1. quæst. 4. sect. 10.* scribit tamen Diodorus, radicis cujusdam potestate, quam edocuisset Circe pellicem illam Jasonis à Medea concrematam, referente Cœlio Rhodigino *libr. 15. lectio. antiq. cap. 13.* Ex ea autem quod Medea hominibus juventutem restituisse, & in robustiorem eos ætatem retraxisse fingitur, non rectè quis concluserit, eam *veneficam* fuisse: sed ut Diogenes interpretatur, fœminam potius prudentẽ, quæ exercitiis gymnasticis molles & effœminatos ocioque corruptos ad integram sanitatem traduxerit, & laboribus in locis calidis firmaverit

Naphtha quam avis.

Medea quomodo juventutem repararit.

maverit. Eam enim ob causam fabulæ occasio data, quasi homines coquendo in juventutem restituerit. videatur Natalis Comes *lib. 6. Mytholog. c. 7.*

DE VITRO DUCTILI TIT. XXXVI.

Vitrum ductile.

Fertur, Tiberio principe, excogitatum vitri temperamentum, ut ductile seu flexibile id, instar chartæ fieret: atque inventorem hujus morti propterea deditum, quòd cum magnificentissimum Romæ erexisset palatium, quod ruinam minabatur; & Tiberius, precio exulto mandasset, suum ad obtutum posthac ne perveniret; ille posteà flectendi vitri ratione inventa, Tiberio hinc monstratum venisset, præmium inde exspectans scilicet, ut Dio scribit. At Plinius * *refert, Totam Officinam artificis ejus fuisse abolitam; ne æris, argenti, auri metallis pretia detraherentur. Sunt, qui velint, malignitate id factum esse Tiberii, qui viros ingeniosos & virtute præstantes odio habuerit.*

* *Lib. 36. cap. 26.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

QUod de Artifice isto Auctor noster commemorat id Dio *lib 57. Histor.* ita recenset. Eodem tempore, inquit, cũ porticus maxima Romæ in alterum latus inclinasset, mirum in modum erecta est. Architectus quidam (cujus ne nomẽ quidem notum est, quod invidens miri artificii Tiberius in libros id referri prohibuit) firmatis undiquaque fundamentis ejus ne moveri possent, reliqua omnia velleribus & centonibus circumdedit, ac porticum laqueis ab omni parte alligatã, multorum hominum ac machinarum impulsu in pristinum positum restituit. Hoc & miratus est Tiberius: & invidit: ideoq; pecunia hominem donatum Urbe ejecit. At qui is rursum ad Principẽ accedens, supplexque factus vitreum poculum consultò abjecit, fractumque manibus rursum refecit, sperans, eo se veniam impetraturum. Verum necari ob id jussus est. Atque ea quidem res, quoniam miraculo affinis digna æstimata fuit Petronio, ut convivialibus Trimalcionis sui festivitatibus interponeret. Eam denique præter Dionem etiam Plinii & aliorum auctoritatibus ita corroborat Janus Duza, *in suis ad Petronium præcidaneis, c. 9.* ut in posterum de rei veritate nequaquam sit dubitandum. Præstat autem ipsiusmet Petronii verba hic adscribere. Fabrũ fuisse inquit, qui vitrea vasa fecerit tantæ tenacitatis, ut non magis quam aurea vel argentea frangerentur. Quia ergo phialam hujusmodi de vitro purissimo & solo, ut putabat, dignam Cæsare *(Tiberiũ intelligit)* fabricasset, cum munere suo Cæsarem adiens, admissus est. Laudata est species muneris: cõmendata manus artificis: accepta devotio donantis. Faber, ut admirationem intuentium verteret in stuporem, & sibi plenius gratiam conciliaret Imperatoris, positam de manu Cæsaris phialam recepit, eamque validus projecit in pavimentum tanto impetu, ut nec solidissima & constantissima æris materia maneret illæsa. Cæsar autem ad hoc non magis stupuit, quàm expavit. At ille de terra sustulit phialam: quæ quidem non fracta erat, sed collisa, ac si æris substantia vitri speciem induisset. Deinde Martiolum de sinu proferens, vitrum correxit aptissime, & tanquã collisum vas æneum crebris icti. reparavit. Quo facto se cœlũ

Vitrum refectum.

Jovis

num Ptolemaus Philopator fabricatus est, ducentorum octoginta cubitorum longitudine; altitudine autem ab imo usque ad transtra duodequinquaginta. Nautis extra remiges quadringentis instructam, Remigum quatuor millibus. Adhac milites armatos capiebat in foris & tabulato paulò minus tria millia ut Plutarchus refert in vita Demetrii. *Videbatur quasi Vrbs quadam per Mare incedere;* † *praterea etiam hortis erat instructa. Similem hodie fieri non crediderim: cum ne quadriremes quidem, nedum quinqueremes fabricari possint, ut agiles sint ad movendum, & multum nobis inserviant. Idcoque iis non utimur. At veteres & rectè eas componebant, & ingenti hostium cum damno usurpabant. Sed & eiusmodi faciebant. Naves, qua & remis & velis propellebantur, quantumvis alta essent: ut à multis proditum est Auctoribus, inprimis verò Virgilio* 1. 3. & 5. Æneid. *Nostra velificatione duntaxat propelluntur: at cum maris est tranquillitas, moveri nequeunt. Vidi etiam effigiem Navium quarundam, quas Liburnas dicunt: qua ab utroque latere extrinsecus tres habebant rotas, aquam attingentes: quarum qualibet octo constabat radiis, manus palmo e rota prominentibus: intrinsecus verò sex boves machinam quandam circumagendo, rotas illas incitabant: & radii aquam retrorsum pellentes, Liburnam tanto impetu ad cursum propellabant, ut nulla triremis ei posset resistere. Nominat & Vitruvius Carri quoddam genus, quo singulis horis monstrabatur, quot miliaria essent confecta. Agebatur autem (quemadmodum hodiè Horologia) rotis quibusdam, qua exacta hora lapidem in pelvim dejiciendo mittebant. Caterum Horologiorum usus inventionem istam reddidit superfluam; quemadmodum & muralia manuaria tormenta celeberrimas veterum machinas & instrumenta bellica obscurarunt. De quibus, tanquam non necessariis, & quorum nullus hodiè usus est, nihil hîc attinet dicere.*

1. *Liburna.*

Carri, pro Horologiis.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Triremium notatio.

TRiremes vulgò *Galera* vocantur, à corbita in summo mâlo galeri instar in navigiis prominente: vel, quòd Sagæ populi, apud quos Janus navigio salvus evasisset, ratem Galerim dicerent: ut est in libro, qui Xenophontis fertur de Æquivocis. De Triremi autem accipiamus oportet illos Virgilii versus:

—triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt, terno cōsurgunt ordine remi.

cum tamen constet, nullam belli Trojani tempore triremem fuisse: sed ex historia notum sit, Aminoclem Corinthium multis post seculis Triremes primùm ædificasse, sed Poëtæ non perinde Historiæ fidem exsequi solent: & apud eos crebri sunt ἀναχρονισμοί, ut Arianus Turnebus notat *lib.4. Adversar.cap.*4. Cæterum de immensæ molis ac vastissimæ amplitudinis navibus, plurimis remorū ordinibus instructis, cum Ptolemæi Philadelphi & Philopatoris, tum etiam Hieronis multa & incredibilia, pene prodit Athenæus *lib.5 Dipnosoph.c.5.6* 7. quibus adde, quæ ex Herodoto, Plinio, Plutarcho & aliis, more suo doctè & eleganter recenset Budæus

Navigium Cleopatra. dæus de Asse & ejus partibus *lib. 5*. Inprimis verò etiam nobile prædicatur Navigium illud, quo M. Antonius cum Cleopatra ad Actium Equiri opidum, deinde Nicopolim pervenerat. Id enim velo purpureo & tabulato inaurato insigne fulsisse fertur: adeò ut post naufragium factum, aurum & purpura in litus removerentur, & Arabibus ac Sabæis prædæ essent; & Regina spectaretur Dux fugæ, cũ puppi aurea mox capta. Plinius *lib. 19. c. 1.* Florus 4. *Epitom. c.* 1. *Cleopatra comessatio. Amor in Antonium.* De Cleopatræ porrò & M. Antonii sponsione, uter alterum luxu in comessatione posset vincere, supra diximus. Impensissimè verò hunc à Cleopatra fuisse adamatum, vel inde quoque liquet. Nam cum moris esset, compotationibus indulgentes lilio, rosa, myrto, & lauro, non sine violis coronari; Cleopatra in summa hilaritate, extremis coronæ foliis veneno illic is invitavit Antonium, ut coronas biberent. Annuente illo, detractam capiti coronam in scyphum conjecit, & haurire incipiẽti opposuit manum, testata occasionem non deesse occidendi, si absque illo potuisset vivere: Steph. Forc. *lib. 4. de Gallor. Imper.* proinde etiã post mortẽ ipsius non leve amoris sui indicium fecit. *Interitus.* Cum enim triumvir in Ægypto per Octavium superatus esset & mortuus, regaliter ei parentavit. Ac quoniam, quod res erat, suspicabatur se Ægyptiæ Reginam in triumphũ ductã iri; generosa mulier aureo in lecto jacẽs, brachio sinistro Aspidem admovit, cujus morsu dulciter periret. Serpens, enim ille ictu oculis caliginem inducens, cum nonnulla voluptate perimere dicitur, & absque labore. Dioscorid. *lib. 6. c. 38* *Psylli.* Re comperta Octavus Augustus Psyllos, quorum ad sugenda venena ingens vis exsistere putatur, sedulò accersivit, jubens venenum exsugere: sed irrito conatu, cum illa jam amore proprio & dolore non minùs quàm Aspidis veneno expirâsset. Nihilominus Augustus imaginem ejus in triumphum tulit, aspide mordicus affixa, qua de re etiam Dio videri poterit. psyllorum autem (ut hoc obiter moneã) etiam Plutarchus meminit, *in Catone Uticensi fol. 295.* *Psyllorum descriptio.* Psyllos homines reperiri scribens, qui morsibus serpentum medeantur, ore trahentes venenum, & ipsos serpentes cantibus mitigantes. Id verò Psyllis etiam cum Marsis commune esse Plinius scribit, utrosque conjungens *lib 23. c. 3.* Ubi Psylli Marsiq; & qui Ophigenes vocantur, in insula Cypro ponuntur in genere eorum, qui sunt terrori serpentibus, & tactu ipso levant perculsos, & suctu modico. Idem *lib. 21. c.* 13. Illa domina rerum omnium hanc dedit repugnãtiam opibus, sicut contra serpentes psyllos Marsosque inter homines. De iisdem Lucilius apud Nonium *in colubra*:

Iam disrumpetur medius; jam ut Marsu' colubres
Disrumpit cantu, venas cum extenderit omnes.

Psylli & Marsi unde. Populos verò illos Italiæ esse ferunt finitimos Picentibus & Samnitibus, & è Marso Circes filio profectos, ideoque peritos incantandi, & venenis resistendi, ac vi eorum nocendi. Quod ex Herodoto etiam Gellius retulit *lib 16. noct. Attic. c. 11.* & Simon Majolus *tomo 1. dier. canicul. colloq. 4. fol. 108.*

Caligula naves Liburnica. 1. *Præterea etiam hortis erat instructa)* Sic Caligula autore Suetonio in ipsius vita, *cap. 37.* de cedris Liburnicas fabricavit, gemmatisque puppibus, versicoloribus velis, magna thermarum & porticum, & tricliniorum laxitate, magnaq; etiam vitium & pomiferarum arborum varietate: quibus discumbens de die inter choros ac Symphonias, litora Cãpaniæ peragraret. *Suetonius emendatus Deceres.* quanquam Adrianus Turnebus eo in loco nõ *de cedris*, sed *deceres* Liburnicas legendum

gendum censet; vel si Græcè malis δικήρεις, id est, deciremes: quibus ingentis magnitudinis Naves intelligi ait *lib. 22. c. 31.* Liburnæ autem sive Liburnicæ Naves, à Liburnia regione, inter Illyrium & Dalmatiam sita, nomen sunt sortitæ: quas Suidas non ad formam triremium constructas fuisse ait; sed ad prædandum æreo rostro armatas, & validas, & tectas munitasque; atque incredibilem ipsarum fuisse celeritatem. Liburnas Prudentius etiam turritas appellat:

Liburnica.

Fluctibus Actiacis signū Symphonia belli
Ægypto dederat: clangebat buccina contrà
Institerāt tenues cymbæ fragilesq; phaseli,
Inter turritas, Memphitica rostra, Liburnas.

Id verò genus turrium Servius ait Agrippam primum invenisse, ut de tabulatis subitò erigerentur, simul ac ventum esset in prælium, turres hostibus improvisæ. Sic enim illud Virgilii accipiendum putat.

Tanta mole viri turritis puppibus instant.

Liburnum vehiculum.

Ad Liburnæ navis similitudinem vehiculum quoque Liburnum fuit constructū, quo Principes Romani vehi solebant. Hinc Juvenalis *Satyra* 3.

—turba cedente vehetur
Dives, & ingēti curret super ora Liburno.

Navis quibusdam currus.

Hinc est quod navis etiam currus quibusdam dicatur. Sic enim navim vel Concham, qua Neptunus vehebatur *currum* Apollonius appellat *lib. 4.*

—quam mobilis Amphitrite
Neptuni celerē currū apto tempore solvet.

Et Orpheus in Hymno Neptuni:

Quadriiugum impellens currum.

Tractum scilicet à quatuor equis, aut vitulis marinis, aut balænis, ut poëtæ fingunt Mythographi. De illo ab equis tracto eleganter Virgil. *lib. 5. Æneid.*

—Iungit equos genitor spumantiaq; addit
Frena feris, manibusque omnes effundit habenas.

Cæterum preciosas illas naves, quarum modò meminimus, Seneca lusorias, & regum ludibria appellat. Sic enim *libr. 7. de Benefic. c. 20.* scribit: Cui triremes & ceratas non mitterem; lusorias & cubiculatas, & alia ludibria Regū in mari lascivientiū mittam? Ex quo Senecæ loco Turnebus notat, *lusorias* dici naves, quod ludicræ triremibus & æratis comparatæ viderentur, & tanquam ad lusum haberentur. Quanquam eo nomine interpretari quoque possumus Naves quas in Danubio adversus Barbaros Romani in excubiis habebant. Nam *ludere navis* dicitur, quæ huc & illuc velut lascivia quadā currit. Inde Seneca eo ipso, quem dixi, loco: *ubi naves luserunt, hauriuntur.* Turneb *lib. 24. advers. c. 25. circ. fin.* Monet etiam, Navis bonitatem non in pretio; sed in firmitate cōsistere: Navis (ait) bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum aut aureum rostrum, nec cujus tutela ebore cælata est, nec quæ fiscis ac opibus regiis pressa est: sed stabilis & firma, juncturis aquam claudentibus spissa, ad ferendū incursum maris solida, gubernaculo parens, velox & consentiēs vento. *lib. 10. epist. 77.* Sed & Navigiorum originem exprimit, & exemplum à piscibus natantibus petitū docet *lib. 14. epist. 91.* Hominis (inquit) non sapientis invēta sunt Navigia, quibus amnes, quibusq; maria transimus, aptatis ad excipiendum ventorum impetum velis, & additis à tergo gubernaculis, quæ huc atque illuc cursum Navigii torqueāt: & exemplum à piscibus tractum est, qui cauda reguntur, & levi ejus in utrumq; momento velocitatem suam flectunt. De Navigationis porrò incommodis nihil hîc attinet dicere: Satius est, eos qui Equo ligneo (ut Plauti verbis utar) per cæruleas vias vehuntur, experiri scilicet, quàm periculosum sit, salutem fluctibus committere, & vocare in

Navis bonitas.

Navigii origo.

Navigationis periculum.

sese fata cessantia: ac si ad mortem terra parùm latè pateat: siquidem, ut Aratus *in Phænomenis* dicebat, modicum lignum mortem prohibeat. Non injuria igitur in Navigantes invehitur Socrates, miseros eos appellans, quibus neque Dæmon, neque Deorum aliquis unquam divitiarum dignã tribuerit gratiam. Quandoquidem hi levibus freti ventis, lõgas navigationes magno cum periculo semper adeant, homines perditi: propter quas aut lucrentur, aut pereant. Quanto rectius, felicem prædicat Euripides eũ, qui bona fortuna fruens domi manet, & merces in terra habet, nec denuò navigat? Imò ter felix ille, & inter paucos valdè beatus habetur Callimacho quicunq; remotus à Navigatione vivit: siquidẽ ex Antiphanis sententia, præstet in terra pauperem esse, quam divitem navigare. Ad periculũ verò illud declinãdum veteres tutelare quoddam numen in navibus habere solebant. Sic enim apud Virgilium *lib. 10. Æneid. vers. 172.*

—aurato fulgebat Apolline puppis.

Et navi illi Alexãdrinæ, qua D. Paulus Romam devehebatur, insigne erat Castor & Pollux *Act. 28. v. 12.* Nec infrequens erat è naufragio servatis, ut vestes suas una cũ tabula suspenderẽt ex voto. Horat. *Od. 5.*

—me tabula sacer
Votiva paries indicat humida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Eædemque tabulæ ante fana in oleastris plerunque affixæ suspendebantur. illius enim arboris vivacitas tanta putatur, ut si multis configatur clavis, nihil tamẽ lædatur. Adrian. Turneb *l. 8. adver. c. 16.* Porrò, qui primus navium usus, & quæ prima earũ forma à priscis probata fuerit; quæ item earum nomina, & quis gubernandi adminicula primus invenerit: id expositum habes apud Robert. Valturium *lib. 11. de re militar. cap. 5.*

Et detestatio.

Navium insignia.

Naufragiũ tabula.

DE MVSICA TIT. XXXIX.

Musica veterum.

Expositis artibus Mechanicis, ad Liberales deveniam, quarum nullum hodiè exstat vestigium. Vna ex his est Musica, veram antiquitus scientiam & practicam continens: Incredibili enim delectatione auscultantes adficiebat, ut ex scriptoribus deprehenditur: siquidem unà cum Melodiâ integra percipiebantur verba. Quæ cum si recens hac nostra conferatur, barbara omninò meritò erit habenda: siquidem in hac non nisi voces & clamores absque verbis audiuntur. Vnde aures tantummodò parumper pascit, absque aliqua intellectus delectatione. Recentiores autem Musicæ Notulæ, quas vocant, originem trahunt ex hymno Divo Iohanni sacro: quem Monachus quidam in Officiolo suo ad hunc modum habebant consignatum.

Nova.

Notularum origo.

VT queant laxis
REsonare fibris
MIra gestorum
FAmuli tuorum
SOLve polluti
Labii reatum,
Sancte Joannes.

Ex hoc hymno Religiosus iste, prima cuiuslibet versus syllabas, quæ sunt:

VT, RE, MI, FA, SOL, LA, pro primus Notis cantus posuit: & Cantu isto in manus collocato, cantare incepit, ac Voces cum Notis, quas in Lineas posuerat, in concordiam redigere. Atque ita ex hac praxi, & vocum harmonia sive concentu, theoria quadam postea fuit hausta: quæ tamen neque scientia est, neque vetus illa Mathematica, quæ septem constabat vocibus, ut ex illo Virgilii versu deprehenditur:

Obloquitur numeris septem discrimine vocum.

Cardinalis Ferrariensis circa hanc indagandam satis multum sudavit: sed frustra. Ars itaque ista planè est exstincta. Nam qui libros de vera hac Musica conscriptos legunt, ad praxin & usum convertere nesciunt.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Musica origo cœlestis.

INfinitus sim, si singulas Musicæ laudes, quibus bonorũ auctorum libri referti sunt, recẽsere velim. Possit pro multis vel unicum hoc satisfacere, si originem ipsius cœlestem esse dicamus. Nam & gravissimi rerum æstimatores, totius mundi fabricã Musica proportione cõsistere putarũt, & motu, atq; impulsu orbium impariũ, acuta cum gravibus temperante cœlestẽ illũ concentũ & sonum dulcissimum elici. Nec enim cum silẽtio cœli stelliferi cursus, vel reliquorum globorum distinctã intervallis conversionẽ fieri posse: quã docti homines nervis imitati septẽ, ac cãtibus suavitate plenis, ad cœlũ sibi reditũ aperuerint. Animam quippe nostram harmoniã esse, & proinde sese erigere atq; vim suam recognoscere, quoties Musicam tanquam naturam sui similem persenserit. Ipsum quoq; Apollinem, cum boves Admeti custodiret, ocii pertæsum fabulãtur Musicã invenisse, ad mortales derivasse. Ovidius;

Musica lac animæ & laborum lenimentũ.

—per me concordant carmina nervis.

Data scilicet est Musica hominibus tanquam lac animæ & gratissimum solicitudinis lenimentũ & laborum solatiũ, atq; remediũ ad inducendam humanarũ calamitatũ oblivionẽ, quibus vita hæc nostra undiq; septa deprehenditur. Nam & Plato *l. 2. de LL.* refert, Deos laboriosam hominũ vitam miseratos, remissiones laborũ constituisse: Musas quoq;, & Apollinẽ Musarum Ducem, & Bacchũ concelebratores adhibuisse, qui cum voluptate tripudia & saltationes nobis ducãt. Quo circa Salomon: Vinũ & Musica, inquit, lætificãt cor: & super utraq; dilectio sapientiæ. *Eccl. 40.* Hoc amplius, ab alienatos quoq; sensus Musica revocat, & malos Genios, qui furiosos sæpissimè cruciant, divina harmonia fugat. Sic enim Saule furentem malus Genius pulsatâ lyrâ deseruisse dicitur. Et Elisæus corã Judææ ac Samariæ Regibus oraculum editurus, cytharistam acciri jussit: simul enim cum suavitate concentus Numen hausit. Ac cum Saul à Samuele iniciatus esset, non priùs Prophetarum chorus ei cum cithara occurrit, quàm Numine afflari ac vaticinari cœpit. Bodin. *de Republ. lib. 5. c. 1.* In tantũ enim honoris culmen apud Ethnicos quoq; Musica processit, ut non in conviviis duntaxat, & Magistratuum epulis; sed & in sacris & Deorum pulvinaribus ea adhiberetur, ut Athenæus Dipnosoph. *lib. 14. c. 11.* & Macrobius *lib. 2. in somniũ Scipion.* testantur. & rationem ejus adsignat Natalis Comes *lib. 9. Mytholog. c. 7.* non solum, quia compositos animos sacrificantium, & ad Aras Deorum accedentium esse oportere signifi-

Dæmones pellit.

Numine afflat.

Sacris adhibita.

Et quare?

gnificabant: cum metro compositæ preces domo essent ad altaria afferendæ: Sed etiam, quia cum Deos corpora cœlestia esse arbitrarentur, è numeris & harmonicis proportionibus Deos ipsos constare putarent. Sic igitur per hymnorum & instrumentorum, & saltationum rythmum Deorum naturam imitabantur, atq; oblectabantur sacrificantes; & dies festos agentes, conviviis ac Genio indulgentes; Deorumq; ipsorum felicitatẽ aliquo pacto imitantes, pro viribus proximè ad Deorum immortalium naturam accedebant. Non mirum igitur, moris apud Græcos fuisse, ut post cœnam lyra circumferretur: quam cum recusasset Themistocles, indoctior est habitus; Cimonq; & Epaminundas, quod fidibus scirent, antelati fuerunt: teste Tullio *in Thusculan.* & Alexandro ab Alexand. *lib. 2. Genial. dier. cap. 25. circa fin.* Nam ut Aristophanes auctor est, per citharæ callentem, Veteribus homo sapiens, & Gratiis omnibus ornatus fuit indicatus: cum è contrà, qui nullum Musices sensum aut gustũ haberet; eundem vel insensatum esse, vel spiritus discordes & invicẽ repugnantes habere judicarent. Rectè igitur Clemens Alexandrinus Musicam à Musis nomen habere dicit. Quis enim nescit, à veteribus dictos ἀμούσους, quod non modo à Musicæ, verum ab omni Musarum commercio alieni qui essent, hoc nomine tanquam probro notarentur? Quem locum cum aliis Juretus adducit in *Notis ad Symmach. Ep. 74. lib. 3.* Hinc facile collectu est, quanta fuerit Antæi Scytharũ regis stupiditas: qui jure jurando affirmavit, se aliquando suavius Equum hinnientem audisse, quàm Ismeniam tibicinem, ad cujus concentum cæteri plaudebant. adeò habebat ille aures à Musis abhorrentes, & animam in præsepiis Equi, imò asinis audiendis aptiorem! Steph. Forcat. *lib. 6. de Gallor. Imper.* Musicã certè suavem morũ concinnitatem gignere, dubium non est. Nam & ipsum etiam Socratem, cum in summa severitate consenesceret, lyræ ediscendæ navasse operam Athenæus scribit *lib. 14. cap. 11.* & moximam semper fuisse harmoniæ in Republica vim ac potestatem post Platonẽ Aristoteles censuit *lib. 7. & 8. politic.* Etenim cum mirum omnibus visum esset, quamobrem ex omnibus Arcadibus soli Cynethenses tam feroces ac barbari essent: primus omnium Polybius, propter desertum Musicæ studium id illis accidisse animadvertit: cum sanctissimis Majorum legibus accuratè caveretur, ut omnes cives ad annum usq; trigesimum in ea studia diligenter incumberent, qua quidem ratione primi Legumlatores sapienter Arcadiæ populos feroces ac barbaros, ut qui montes accolunt, ad humaniorem & mitiorem vitæ cultum pertraxerunt. Bodinus *lib. 4. de Repub. cap. 2.* Hinc Orpheo & Amphioni id attributum legimus à Poëtis, quod suavisonæ testudinis concentu, hoc est, placidis & aptè compositis verbis fera hominum corda mitigârint, agrestes mores expoliverint, & dispersos vagosq; mortales in cœtum unum congregârint. De Orpheo enim (quem Virgilius *lib. 4. Georgicon,* deprædicat

Mulcentem Tigres, & agentem carmine quercus) Horatius ita canit:

—Vocalem temerè insequuta
Orphea sylvæ.
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresq; ventos;
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

Et *epist. 3.* ad Pisones, sive de Arte:

Sylvestres hõines sacer interpresq; Deorũ
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus.
Dict⁹ ob hoc lenire Tigres, rabidosq; leones.

Mox de Amphione addit

Dictus & Amphiõ Thebanæ conditor arcis
Saxa

Etiam convivium.

Musicus pro sapiente.

ἄμουσοι

Musica à Musis.

Antæus Scytharum Rex.

Musica emollit mores.

Socrates.

Cynethenses Arcadiæ.

Orpheus & Amphion conferuntur sylvas; & saxa attraxisse finguntur.

Saxa movere sono testudinis, & prece blanda Ducere quo vellet.
non quòd vel hic vel ille flumina cantu stiterit, animalia ratione carentia, sylvas, vel ipsa etiã saxa lyrâ attraxerit: nec quòd ex Deucalionis & Pyrrhæ jactu lapidum, post orbitatem diluvio inductam, lapideũ emollitum ferit hominum genus, cujus labes vix omnibus undis cœlo proximis potuit aboleri, ut est apud Ovidiũ 1. *Metamor.* sed quod affatus suavitate homines rupium incolas, & incultis moribus rudes & gentes vel sine rationis cultu barbaras, vel saxi instar immobiles ad sensum voluptatis canendo traxerint, & ad obsequii civilis pellexerint disciplinã: nec vago concubitu polluerentur, sed in eadem mœnia coacti, cœlestis se originis esse cognoscerent, potius quàm ferarum more in unam conjecti caveam, invicem discerperẽtur, quemadmodum Solinus Polyhistor. *c.* 13. Macrobius *praallegato loco.* & Steph. Forcat. *de Gallor. Imp. lib* 1. rectè interpretantur: ut non inconvenienter hoc loco ad Musices vim & potestatem accommodari possit, quod de humaniorum artium disciplina Ovidius tanquam ex sacro tripode edidit. *Emollit mores, nec sinit esse feros.*

Diogenis dicterium in Musicos.

Hinc est, quòd Diogẽes Cynicus carpere solebat Musicos: qui cum Lyræ chordas congruenter temperarent, animi mores inconcinnos haberent. Similiq; mordacitate Isidorus Cynicus Neronem transeuntem in publico clara voce corripuit, quod Nauplii mala benè cantitaret; sua bona malè disponeret: neq; ullum, in vitæ tenorem, temperamentum adhiberet.

Isidori in Neronem.

Nero citharœdus.

Fuit enim Nero fidibus oblectatus, ad insaniam usque; & in theatris Musica decertavit, non sine Majestatis Imperatoriæ dedecore atque ignominia. Unde & Numos Lyræ notâ percussit, & statuas sibi citharœdico habitu posuit. Johan. Pierius *lib.* 47. *Hieroglyph.* Suetonius quoque *c.* 21. Neronem scribit nomen suum in albo Cytharœdorum profitentium adscripsisse, sortitulaque cum cæteris demissa in urnã, intrasse ordine suo. Rectè; *ordine suo.* Certis enim ordinibus ludi, itemque spectacula edebantur, quod fiebat sortium beneficio; prætore, qui ludis præerat, ex urna Quadrigarum & Agitatorum nomina sorte educente, Mortis ejusmodi meminit Sidon. Apoll. *Carm.* 23. *v.* 15.

Et jam te urna petit, cietq; rauca
Acclamatio sibi lata corona.

Ubi Savaro in doctissimis notis hanc in sententiam & Symmachum adducit *libr.* 10. *ep.* 22. & Tertullianum *de spectaculis c.* 16 & Gellium *lib.* 5. *Noct. Attic. c.* 9. quæ addi poterunt iis, quæ de sortitione diximus hoc eodem libro *tit. de fibula.* verb. cum illa sit sortitio. Nec minus scitè adscriptum columnis fuit, *Neronem cantãdo Gallos excitasse*, postquam Galli atrocem ipsius mollitiem fastidientes, defecissent, ut quos puderet citharœdo, & quidem malo, obedire, nactos jam nimirum publicæ libertatis assertorem Julium Vindicem, præsagio Romæ habito, paulò ante Nerone in Capitolio JOVI VINDICI pugionem dicante, quo se petitum comminiscebatur, ut est apud Tacitum *lib.* 15. *in fin.* Usq; adeò verò omnis habitus animæ harmonico concentu gubernatur, ut & ad bellum progressui, & item receptui canatur, cantu & excitante, & rursus sedante virtutem. Et quod mirere magis, Lacedæmonii etiam ad Lyram cytharæq; sonum acies instruebant, ad eamque modulationem pugnam solebant inire, quo ipso significatum fuit, eos sedatiore animo prælium aggredi consuevisse. Nam & Homerus strepitum & tumultum in congressu primo Barbaris dedit: cum Græcos sensim & tacituros progredi dixerit. Achillem certè inter arma pulsasse lyrã ferunt manibus Hectorem occisuris, atque

Musica usus etiam in bellis.

Achilles.

Alexander. inter classicas horrētia. Et Alexander Magnus, Artigenide tibicine modulante, usque adeò velut lymphatico impetu incitatus exarsisse dicitur, ut concussis armis proripiens è mediis epulis, manus in astātes intenderet, illectus sono bellico, & verum esse ostendens illud Laconicū: *Vrget enim ferrum scitè fidibus canere*: Nec ita multò post, molliori sono & mitiori cithararū ictu ab armis ad epulas fuerit revocatus. Plutarch. *lib. 2. de Fortuna Alex.* *Pythagoras.* Sed & Pythagoram animi perturbationes lyra composuisse Seneca scribit *l. 3. de Ira c. 9.* ad sedandos quoq; & consopiendos spiritus nimia vigilia perturbatos, singularem vim habere harmonia. *Harmoniæ vis.* *Mecœnatis Terentiam deperiit Augustus.* Mecœnas enim uxoris suæ *Terentiæ*, quā Augustus deperibat, illicitum Amorem nimis molestè ferens, & divortium ejus deflens, cum nec mero, nec aquarū fragoribus somnū sibi conciliare posset, sed toto ferè triennio noctes insomnes duxisset, tandem per symphoniarū cantum ex longinquo lene sonantium sopitus est, referente Seneca & ex eo Joseph. Quercetano *in diætet. poly-hist. sect. 2. c. 19. f. 199.* Sanè laborum quoddam solatium, ut initio, diximus, & lenimentum esse Musicam ecquis est, qui inficias ire possit? Nam &, ut ad minora accedamus, ipsi etiam agricolæ rudes & callosi; æstivo Sole intolerabiles alioquin labores, sylvestri Musa & cantu attenuant: & rustica anus, quæ vel antelucanis horis nere aut lanam ducere nunquā cessat, cantando omnia leviora facit. Ipsa etiam Musica post imbres & turbulentissimus tempestates fluctuantibus Nautis portus; peregrinantibus & fessis meta ac requies, vinctis ac carcere conclusis, pro libertate est. Sed & ipsis etiam infantibus Musices usum à natura insitum videas, cum horum vagitum ad Nutricis cantum sedari certum sit. quem quidē cantum Lucret. *lib. 5.* Nutricis blandam & infractam loquelam vocat iis versibus. *Nutricis cantus.*

(adhibenda est
Nec crepitacula eis opu' sunt, nec cuiquam
Alma nutricis blāda atq; infracta loquela.

Ex quo loco & illud discimus, præter cantum etiam crepitacula fuisse adhibita; & quidem nō ad fletum modo compescendum ut ex illo Arnobii *l. 3.* patet: ut fletum poneret ineptissimè tractum, crepitaculis obticuit auditis; sed & somnum conciliandum. Tunc crepitacula (ait Mart. Capella *lib. 1 pag. 4.* tinnitusque, quis infanti somnium duceret, adhibebat. De Musicæ vero utilitate, excellentia & laudibus plura videri poterunt apud Athenæum & Macrobium locis allegatis, & Chassanæum in Catalogo gloriæ Mundi *Parte 10. consid. 51.* Philipp. Camerarium *Opera succisiv. c. 18.* & Baldass. Castilionium in suo Aulico *lib. 1.* quibus omninò adde, quæ de Musica, in quo ejus cum re Militari sit commercium, Robertus Valturius tradidit *lib. 2. de re militari. c. 4.*

DE MUSICA MUTA; ET HYDRAULICA TIT. XL.

Musica muta. *Erat & alia Musicæ species, quam* Mutam *nominabant: quod absque sono, solis manuum, vultus, pedum gestibus exercebatur: iidemque & intelligebantur, & mirabiliter populum oblectabant, actibus in scena intermediis. Qui verò hanc exercebant, Mimi & Pantomimi dicebantur: ut ex multis Auctoribus, singulariter verò Cassiodoro deprehenditur, qui* lib. 1. Variar. *ad Albinum scribens, in fine ait. Istam Musicæ partem veteres nominarunt Mutam: quæ quibusdam gestibus facit intelligi, quod lingua aut scriptura melius exprimi haud*

haud possit. Hæc quoque Ars ivit in fumum: & nec ullum eius exstat vestigiũ. Id quod magni faciendum non est: siquidem nullum alium fructum, præter quã delectationem adferebat quæ sanè homini Christiano non magnopere curãda: †Ctesibius Barbarus, *tempore Ptolomæi, qui cognomento Evergetes usurpatur, in Alexandria Ægypti reperit Organum ex aqua commotione sonum edens. Erat aræ rotundæ simile, & canales sive fistulas in aqua tenebat: quæ per puerũ motâ, illæ anima seu spiritu replebantur, nervulorum quorundã seu lingulerum inclusarum medio; atq; ita suavissimum edebant sonum, ut tradit Athenæus,* de eo etiam Plinius disserit,* & Vitruvius.* Tertullianus lib. de anima cap. 5. ait: Inventorem hujus fuisse* Archimedem *Syracusanum, summum Mathematicum: & addidit, Organum id multas habuisse tibiarũ acies, & per earum unam Spiritum recepisse, ad instar Organorum nostratium. Instrumentum hoc appellabatur Hydraulicum quod à Græco descendit. Græcis enim ὕδωρ aqua est, & αὐλέω sono. Qui hoc utebantur.* Hydraulæ *nominabantur, ut in l. hydraulæ. 4. C. de excus. mun. lib. 10. ubi Græci Hydraulas interpretantur Musicos, qui cantabant organis, à folliculis quidem inflatis, sed ab aqua tamen artificiosè mota. Tiburti, quod prope Romam est, itidem fons conspicitur, simili cum arte sonum movens. Sed haud crebo, eum ita suavem esse, ut de veteri illo Hydraulico instrumento memoriæ est proditum.*

*1. Ctesibius Hydraulici inventor. Hydraulici organi descriptio. *Lib. 4. c. 24. *Lib. 7. c. 37. *Lib. 10. c. 13. Archimedes. Hydraulici notatio. Hydraulæ.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Musica muta.

VErba Cassiodori, quem Auctor noster adducit, *l. 1. Parva* sunt hæc: Hanc partem Musicæ disciplinæ Mutam nominavere Majores: scilicet quæ ore clauso manibus loquitur, & quibusdam gesticulationibus facit intelligi, quod vix narrãte lingua aut scripturæ textura possit agnosci. Qui verò hanc artem callerent, eos Pantomimos appellari ait *lib. 4 variar. Epist. ult* Nos in tit *de Amphitheatr.* Chironomos eos & propriè & distinctè magis appellatos fuisse docuimus. Sic autem scribit *lib. 4.* Pantomimo igitur, cui à multifaria imitatione nomẽ est, cum primam in scenam plausibus invitatus advenerit, adsistunt consoni chori diversis organis erudiri: tunc illa sensuum manus oculis canorum carmen exponit, & per signa composita quasi quibusdam literis edocet intuentis adspectum: in illaque leguntur apices rerum, & non scribendo facit, quod scriptura declaravit. Neronis quoq; tempore, Demetrius Cynicus cum Mimum spectaret, adulterium Martis & Veneris saltantem, ita exclamasse fertur, " permultum admiratus: Audio, inquit, ô " homo, quæ facis, nec modò video: sed & " mihi videris manibus ipsis loqui. &, quod mirere magis, vel ab unoquoque Chironomo saltatione illa plures sæpe repræsentabantur personæ. Sic enim Lucianus *lib. de saltatro.* introducit quendã admirãtem; qui, cũ quinq; Personas ad saltationẽ cõparatas videret, & eas omnes ab unico sustineri, ita eum allocutus: celaveras, vir optime, te quidem constare uno corpore isto, sed multis animis præditũ esse. Legimus etiam alicubi Regem Ponti petiisse à Nerone, ut sibi Mimũ daret, quo uteretur apud exteros interprete. Mimus is ita gestibus omnia exprimebat, eaq; dexteritate se movebat, ut facilè & citò ab omnibus intelligi

Pantomimi. Chironomi. Demetrius. Chironomus vel unus plures repræsentabat.

intelligi posset: quemadmodum Claudius Minos refert *ad Audomari Talæ præcepta Rhetor.* Cæterùm Mutæ hujus Musicæ mentionem quoq; facit Lucas de Penna *in l. si qua in public. 4. C. de spectacul. l. 11.*

Ctesibius Hydraulica inventor.

1. *Ctesibius*) Hic passim laudatur ab historicis, pneumatica ratione & hydraulicis organis repertis: quorum accuratissima descriptio exstat apud Vitruvium & Athenæum *locis supra allegatis*, & Adriã. Turneb. *lib. 2. Adversar. c. 27.* quibus ex locis Hydraulus valde similis fuisse colligitur ei, quod nunc communi omnium instrumentorum genere, *Organũ* appellamus: nisi quòd in nostro nullus est aquæ usus. Hydrauli sono præcipuè moveri Delphinum, homines amicum animal, Plinius *lib. 5. c. 8.* scribit. Hinc Organarii, qui hydraulos sive hydraulica ista instrumenta tractabãt, *Hydraula* fuerunt dicti *l. hydraula. 4. C. de excusat. muner. lib. 10.* quos, ut alios Musicos civilium munerum immunitatem non habere, ex textu illo satis probatur: & Cujacius rectè annotavit in *l. 6. §. 1. ff. de excus. tutor.* alio planè sensu, quàm Accursius: qui per hydraulas eos ridiculè intelligit, qui aquam in aulam principis deferãt, aut Imperialis aquæ ductus custodiam habeãt: quos Hydrophylacas Zeno appellat *in l. decernimus. 10. C. de Aquæduct l. 11.* Organa porro illa Hydraulica Suetonius *in Nerone c. 41.* novi & ignoti generis appellat. de quibus Tertullianus *lib. 1. de anima*: Portentissimam Archimedis munificentiam, organum Hydraulicum dico, tot membra, tot partes, tot compagines, tot itinera vocũ, tot compendia sonora, tot commercia modorum, tot acies tibiarum, & una moles erant omnia: ubi quidem Tertullianus *Archimedi* inventionẽ hujus organi tribuit. Sed prævaluit, eam Ctesibio accepto ferendum esse. idque autoritate Athenæi, Vitruvii, Plinii: quos Pancirollus noster laudat. Ejus elegans descriptio extat apud Claudianum *in fine Panegyrici Theodori.*

Hydraulo Delphini moventur.

Hydraula.

Accursius.

Et qui magna levi detrudens murmura tactu,
Innumeras voces segetis moderatur ahẽæ.
Intonat erranti digito, penitusq; trabali
Veste laborãtes in carmina concitat undas.

Non negaverim sanè, Hydraulas quoque nominari, qui orgãis & machinis quibusdã, quarum descriptio similiter à Vitruvio expressa est *l. 19. c. 4.* aquas deducunt Forcat. *in penu juris c. 14.* Sed Græci omnes, quos & Auctor noster, & Cujac. sequitur, *dictam l. 4.* de Musicis accipiunt. quæ sententia haud dubiè vera est. Illud præterea universim de organis illis Musicis sciendum, quod vetus quidã poëta venustè ea vocaverit *arma pruriginis*; Seneca *somnũ non virilem*: Justinus *instrumẽta luxuria.* Unde illa Musicæ tã vocalis quàm instrumentalis insectatio apud Amianũ Marcellinum, *de Constantii temporib. l. 14.* Paucæ domus studiorũ seriis cultibus antea celebratæ, nunc ludibriis ignavia torrentes exundant, perflabili sono, vocali tinnitu fidium resultantes. Deniq; pro Philosopho Cantor, & in locum oratoris Doctor artium Ludicrarum accitur, & Bibliothecis sepulchrorum ritu in perpetuum clausis, organa fabricantur hydraulica, & lyræ ad spatium carpentorum ingentes, tibiæq; & histronici gestus instrumenta non levia. Quem locum adduxit Michael Piccartus *Decad. 4. observat Historicopolit. cap. 5.*

Organorum Musicorum cepitheta.

DE ACTIONE TIT. XLI.

Actio sive pronunciatio.

Alia quoque Ars insignis, & fundamentum ac basis omnis gratia in exilium ire jussi, atque ita proscripta est, ut nemo eam hodiè teneat, aut etiam tenere investiget.

investiget. Atque haud scio, an hæc postea usquam magis viguerit. Eaque est Actio, sive commotio vultus & manuum. Omnes quidem cum loquimur, manus elevamus, & caput ac digitos movemus dicendi vehementia impulsi sed absque ratione. Veteres addiscendæ hujus gratia scholam consultò & data opera accedebant: quemadmodum Ciceronem præceptoribus hac in parte usum fuisse legimus † Roscio & aliis: qui gestus verbis adaptantes, bis terve dicebant, usque dum verba Actioni consociata imprimerentur. Recitata itaque ab Æschine Oratore tum cum Athenis exsularet, oratione aliqua Demosthenis adversarii sui; eaque ab omnibus collaudata: Quid exclamavit Æschines, dicturi essetis si ipsummet audivissetis dicentem? Quæ ipso inferre voluit, Orationem legere nihil aliud esse, quam eam mortuam videre: at vivam hanc veluti exstituram, si dum recitatur, pulchra & idonea actio fuerit adhibita. Hujus tanta vis est & efficacia, ut inter omnia primas teneat. Demosthenes igitur interrogatus; Quænam potissima & prima Oratoris pars esset? Pronunciatio, Respondit. Quæ secunda? itidem Pronunciatio. Quæ tertia? similiter Pronunciatio, dixit: inferre inde volens, Omne Oratoris munus, in dicendi gratia consistere. Equidem hac in parte sudavit nonnihil: & reperisse me actiones aliquas credo, quæ cum verbis suavissimè conjungantur. Singulas verò ut invenirem, factu mihi impossibile videbatur, habenti præsertim aliud, quod agam. In hac Actione Oratores omne suum studium, in scena inprimis ponebant; & ab Auditoribus diligenter observabantur. Unde Quintilianus infert, quòd cum scenicus quidam, O cœlum! dicens, oculos in terram dejecisset: postea verò exclamans, O terra! cœlum fuisset intuitus; universus populus satis eum derisum, & ut fatuum de scena non absque sannis deturbârit. Ars ista est deperdita: Nec enim literarum monumentis potuit comprehendi, ut nec ipsa pronunciatio. Ac tot numero annis à tanta barbarorum multitudine vexato Italia, adsequi eam non potuit, & nec etiamnum adsequitur. Ideoque quasi emarcuit, & ut dixi, amissa est. Debebat hæc à Concionatoribus potissimum excoli, qui & ocio abundant, & satis se movent, quamquam multum quandoque intempestive: siquidem motio ista non in brachii aut digiti, prout appetitus fert, sublatione consistit: sed gestus illos verbis convenienter adaptare oportet: non secus atque is, qui choreas agit, sono sese accommodat, quod qui non observat, ineptus est. Atque hæc quidem de Actione sufficiant. Nunc ad Ritus, habitus & mores progrediamur, à Literis initum facientes.

Cicero. 1.

Æschines.

Demosthenes.

Scenicus irrisus.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Actio, quæ Chironomia Quintiliano l. 11. c. 3. dicitur, & ab heroicis usq; temporibus

Actio: Chironomia.

poribus repetita, ab ipso enim Socrate probata, & à Platone quoque in parte civilium posita virtutum perhibetur; efficaciæ multò majoris est, quàm ulla vox esse possit. In iis enim omnibus, quæ sunt actionis, inest quædam vis à natura data, quare etiam hac imperiti, hac vulgus, hac denique barbari maximè commoventur. Verba enim neminem movent, nisi eum, qui ejusdem linguæ societate conjunctus est: sententiæ sæpè acutæ, non acutorum hominum sensus prætervolant. At Actio, quæ per se motum animi fert, omnes movet, iisdem enim omnium animi motibus concitantur, & eos iisdem notis & in aliis agnoscunt, & in se ipsi judicant. Non abs re igitur Cicero *Oratorio tertio*: Actio inquit, in dicendo una dominatur, sine hac summus orator esse in numero nullo potest: mediocris hac instructus, summos sæpè superavit. Hujus partes singulas accuratè exsequutus est Audomarus Talæus *in præceptis Rhetoricis*. quibus adde, quæ de deceti hac gestus conformatione scripsit Christophorus Milæus *l. 4. univers. hist.*

Actionis præstantia.

1. *Roscio & aliis*) Cicero non minus quàm Demosthenes in agendo elaboravit. Itaque dedit operam Roscio Comœdo, & Æsopo Tragœdo histrionibus: quibus tam familiariter usus est, ut res rationesque eorum sua solertia tueretur. Nam & in Oratione quadam, populum Roma. objurgavit, quod Roscio gestum agente tumultuaverit. Et satis constat, contendere eum cum ipso histrione solitum, utrũ ille sæpius eandem sententiam variis gestibus efficeret; an ipse per eloquētiæ copiam sermone diverso pronunciaret. Macrobius *lib. 3. Saturn. c. 14.* Qua exercitatione tantum gratiæ est adeptus, ut ipsum facundiæ, Latiarumque literarum parentem Dictator Cæsar appellârit, referente Plin. *lib. 7. c. 30.* Illo enim eloquii sui flore Rempublicam ab indagine & plagis Catilenæ extricavit: M. Antoniũ Triumvirum proscripsit: Octavium Cæsarem adolescentulum ad diuturni Imperii fastigium evexit, primus in toga triumphum linguæq; lauream meritus omnium maximam, quantò plus est ingenii Romani terminos promovisse, quam Imperii: & post mortem ab hoste teterrimo Antonio illatam, præciso gutture ac sanguine atro fluente, ex quo nitidus fluxerat eloquentiæ rivus, adhuc incolumi fama vivere scriptis intelligitur, utique nunquam morituris. Stephan. Forcatul. *lib. 6. de Gallor. Imperio.* Nec minor fuit Demosthenis in hoc exercitii genere diligentia. Is enim speculum grande intuens, componebat actionem & gestum corporis: & quamvis fulgor ille sinistras imagines redderet: suis tamen oculis, quod efficeret, credidit. Quin etiam Satyrum histrionem ad eas artes magistrum adhibuit; à quo ut Plutarchus scribit, de oratoria facultate penè desperãs, utpote qui minimè placere posset ob vitiosam in dicendo actionem, nõ parum fuit confirmatus; recitatis aliquot versibus Euripidis aut Sophoclis, tanta dignitate vocis, ut alij planè ipsi Demostheni viderentur. Itaq; jam inde putavit, nihil esse in Oratione laudis, nihilque gratiæ; nisi ea commoda pronunciatione cõformaretur. Verum quemadmodum in omnibus artibus nimis magnum studium ipsas exornandi obest: Ita hoc inprimis Oratoribus quibusdam usuvenire Cicero *lib. 3. de Oratore* ostendit: qui cum intelligant gestus corporis magnoperè adjuvare motus animi, ac debere eos, qui persuadere volunt & efficere quod student, exprimere affectus omnes, tanta cura incumbunt in eam rem, ut meritò posteà reprehendantur, & pro Oratoribus, histriones fiant: videaturque in scena versari, non in foro, amisso omni decore ac personæ suæ dignitate, qua de re videatur F. Victor:

Ciceronis exercitium.

Macrobius.

Demosthenis exercitatio.

Nimietas reprehensa.

Victor *lib.31. Variar. lect. c.13.* His probe congruit, quod Quintilian. Afer venustè Manlium Suram multum in agendo discurrentem, salientem, manus jactantem, togam dejicientem & reponentem, non agere dixit, sed satagere. Quod genus oratorum rectè cum Seneca *Satageos* vocaveris *Ep.99.* Sic enim illum Senecæ locum intelligit Alciatus *lib.8. parerg. c.25.* & eò alludit Cœlius Rhodig. *lib.19. lect. antiq. cap.17.* Cæterum ut discurrentes sive *satagei* illi meritò reprehenduntur: ita & eos damnat Fabius, qui nunquam commoventur inter agendum, semperq; *manum*, quod ajunt, *habent sub pallio.* Quapropter, inquit, mihi falli multum videntur, qui solos esse Atticos credunt tenues, & lucidos, & significantes: sed quadam eloquentiæ frugalitate contentos, ac semper manum intra pallium continentes. De quo apud Erasmum *Chiliad.2. centur.10. Adag.31.*

Oratores Satagei.

DE CHARACTERIBUS LITERARUM TIT. XLII.

Veteres scribendo majusculis duntaxat utebantur Characteribus, ut videre est in Marmoribus & Numis: in quibus minusculè literæ reperiuntur nunquam. Sed hæ tamen posteà, celerius scribendi gratia fuerunt adinventa. † Idem & de Numeris judicandum est. quos illi quidem notis grandioribus signabant: verbi caussa I. V. X. L. C. posteà numeri & characteres novi sunt reperti veluti 1. 5. 10. 50. 100. *quos Arabum lingua, à quibus eos originem ducere opinor, Algorismos appellant. Scribebant etiam veteres non quidem foliis dissectis, & in quaterniones, quos dicimus, consertis: sed in altera tantum paginarum facie, perpetuo ad extremum usque folium ductu: in quo, firmitudinis ergò † bacillum ex cedro, ebore, aut ebeno adglutinabant: cujus capita argento & auro, quandoque etiam gemmis, ornatus caussa, præmuniebant, posteà paginas instar spiræ convolutus complicabant: indeque volumen dicebant à volvendo, ut probat Iohan. Pierius lib. 34. tit. de Vmbilico. Notat etiam Suetonius, Iulium Cæsarem, non quidem ut † Consules aut Duces Romanos, transversa Charta scriptas ad Senatum misisse epistolas, de quo modo jam diximus, sed paginam ad instar nostratis cujusdam libelli, quo utimur, complicasse: seu, ut ipse loquitur, epistolas ad paginas & formam memorialis libelli convertisse. Qui tenuioris erant conditionis folia scribendo invertebant. Variè enim affectum se ait Cicero Tyronis sui literis, valdè priore pagina perturbatum, paulum altera recreatum. Solebant etiam Inscriptionem & titulum operis † Minio illustrare, & chartam cedreo oleo subtiliter facere: ut à carie immunem, & odoriferam eam redderent: teste Vitruvio* de Architectura. Quo tamen in loco succum illum non quidem ex* Cedro *arbore, quam Latini* Citrum *dicunt, & ex qua Citrea nascuntur mala; sed ex* Cedro *quæ in monte Libano nascitur, & Iunipero similis est, extractum intelligit. Hujus multi mentionem faciunt, & inter alios quoque Ovidius* 1. Trist. *ita canit:*

Literæ majusculæ. Minusculæ. 1. Numeri. Verus scribendi mos. 2. Volumen. Cæsar. 3. Titulus miniatus. 4. Charta Cedreo Oleo illita. * Lib. 2. cap. 9. Il Cedro in Italica lingua & Cedrum & Citrum notat.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur,

Ac cum quis doctè scripsisset, dicebatur

†—cedro digna locutus:

quasi ea protulisset, quæ digna essent ut ad æternam diuturnitatem permanerent: siquidem res cedreo oleo perunctæ à tineis & carie soleant æternum adservari. Estque hic advertendum, Veteres ut plurimum in altero tantum Chartæ latere scripsisse: rarò autem in utroque. Nam & Plinius Nepos * *ad Macrum scribit, Avunculum suum, inter alia opera, Electorum commentarios centum sexaginta reliquisse* † *Opistographos, hoc est, utroque latere inscriptos & à tergo scriptos. Id quod dictu fuisset superfluum, si quilibet hunc scribendi morem observasset. Et Juvenalis Tragœdiæ cujusdam longæ mentionem facit, quæ ab utraque parte esset scripta: Ipseque adeo Martialis de libro suo disserens, Chartam utroque latere scriptam ait. Quod ideò dicit, quia communis usus erat in contrarium. Nec verò ratione carebat scriptura illa. Eo enim, quod diximus, modo scribentes, folia voluminis instar torquebant. Posset hoc aliisquoque rationibus comprobari: sed brevitatis caussa omitto. Diversa etiam à nostra erat Literarum inscriptio. In illa enim nomen ponebatur & ejus qui scribebat, & ad quem scribebatur. Noster modus plus securitatis habet, eius tantum nomine, ad quem scribitur, expresso. Poterat & de aliis quibusdam minutiis dici. Sed hæ non admodum magni momenti sunt.*

Nec præteribo silentio, Poetis in more positum fuisse, poemata sua recitare invitatis ad audiendum amicis ut Plinius * *innuit, dum Toto mense Aprili nullum ferè diem fuisse ait, quo non recitaret aliquis poetarum.* † *Recitavit & Virgilius aliquos suos libros, tanta cum gratia, ut quidam ex Auditoribus exclamaret, Optare se illi os surripere. Quum recitasset* Sextum, *& ad illum devenisset versum,*

—si qua fata aspera rumpas,

Tu Marcellus eris.

tanto cum adfectu dixit, ut Octavia mater Marcelli defecerit quodammodo, & animi deliquium passa fuerit: pôstea denis sestertiis pro singulis versibus cũ donarit. Superiori ætate Bojardus poema suum Ferrariæ recitavit & quia distinctum erat in Cantus, qui recitando cantabantur, ideo Cantuum nomine fuit insignitum. Fertur Asinius Pollio primus hunc morem introduxisse: qui hodie cessat.

Incipiebant etiam, vindemiis iam finitis, † *media de nocte ad studia accedere: ut ex illo Iuvenalis colligitur.*

Post finem Autumni media de nocte supinum
Clamosus iuvenem pater excitat: Accipe ceras,
Surge puer, vigila.

Plinius

5. * Lib. 3. epist. 1. 6. Opistographi. Epistola inscriptio. Recitationes poetarum. * Libr. 1. epist. 19. 7. Virgilii. Bojardi. Asinius Pollio. Studendi tempus. 8.

Plinius à Vulcanibus, quæ 13. Augusti erat lucubrare incipiebat, sicutì Nepos ipsius in Epistola ad Macrum * *scriptum reliquit. Nunc ad veterum habitus & vestes non conferamus.*

* *Libr. 3. Epist. 5.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Literarum inventores Phœnices.

DE Literarum inventoribus satis controversum est à scriptoribus. Communiter creditum est, à Phœnicibus primùm has fuisse inventas, ut Antonius Thylesius Consentinus refert *lib. de Coloribus cap. 13.* Idq; non obscurè innuere videtur Lucanus *lib. 5.* ubi ita canit.

Phœnices primi famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris:

Plinius quoq; Syriphœnicibus quinque hæc eximia videtur accepta ferre: nempe Literas, Siderum cognitionem, Navigandi industriam, Militiæ disciplinam, & frequentem Urbium exstructionem. *libr. 5. cap. 11. & 19.* Nec verò negari potest viros ex Syria vel Phœnicia, non secus atque ex equo Trojano prodisse undiquaque præstantissimos. Nam ut Janum, eruditissimum & justissimum Heroëm taceam, Syrus quoque fuit Pherecydes Pythagoræ magister. Fuit & Zeno ille, Stoicæ Philosophiæ princeps & fundator eximius, quem ærea imagine, aurea corona insigni decorârunt Athenienses, auctore Laërtio & Plinio *libr. 34. cap. 8. in fine.* Cujus auditor Zenodotus aliquando: Si patria, dixerat, est Phœnix, quid tum? nam & Cadmus ejusdem fuit originis, cui Græcia libros accepto refert. Phœnicius quoque fuit Alexander Sever. Imper.

Janus Pherecydes. Zeno.

Alexander Sever.

Quem Syrum suæ detulit propago,

ut quidam poëta de illo scripsit: qui Jureconsultos à Consiliis habuit Pomponium, Julium Paulum, Alphenum, Callistratum, legum peritissimos, splendidissimi Papiniani auditores: Sed præ omnibus Jurisprudentibus honorificè dilexit Domitium Ulpianum Phœnicæ Syriæ Urbe natum, ut ipsemet de se scribit *in l. 1. ff. de censib.* Hunc Alexander pro tutore habuit, primù repugnante matre, deinde gratias agente, quem sæpè à militum ira, objectu purpuræ suæ defendit, ut Lampridius tradidit. Itaque non tantùm eum jam tum sacrorum scriniorum Magistrum, & Papiniani præfecti prætorii assessorem ad præfecturam prætorii evexit; sed & amici *l. 4. C. de contrahẽ. stipula.* imò parentis nomine fuit dignatus. *l. 4 C. de locato.* Eundemq; & Diocletianus prudentissimum *l. Divo Marco. C. de quæstion.* Justinianus disertissimum *l. ultim. C. de instit. & substit.* & summi ingenii virum *l. un. §. ne autem. C. de cad. toll.* Modestinus præstantissimum, & cum Paulo ac Scævola Jureconsultorum Coryphæũ ac principem appellat. *l. scire oportet 15. §. Sed etsi. ff. de. excusat. tutor.* Xiphilinus auctor est, non modò præfecturam prætorianorum ei ab Alexandro datam, sed & cætera, quæ ad Imperii administrationem pertinerent simul fuisse permissa. Cum autem Ulpianus, quæ non rectè à Sardanapalo facta erant, emendasset; ipsum non multò post à Prætorianis, qui de nocte eum invaserant, interfectum esset; quanquam in palatium ad Imperatorem, ejusque matrem confugisset, dissertissimus edicti prætorii interpres, ac verè Phœnix, scripturæ æternitate reviviscens ac perpetuò victura. Atque ita malè periit vir ille dignus meliore animo atque exitu. Nam cum 10. lib. de officio proconsulis scriberet, impia jura contra pietatem sinceram

Dom. Ulpianus.

Ulpiani interitus.

Impietas.

ceram collegit & libris septem rescripta principum nefaria contraxit, non quidem ad historiæ cognitionem, sed ad suppliciorum acerbitatem: ut doceret nimirum, quibus pœnis affici oporteret eos, qui se Christi cultores profiterentur. Lactantius *lib. 5. cap. 11.* Steph. Forcat *lib. 1. de Imper. Gallor.* Bodin. *in Method. histor. c. 4.* quorum sanctissimam fidem non erubuit Judaicam superstitionem quandoque nominare, *l. generaliter. §. fin. ff de decurion.* Sed ut eò, unde digressi sumus, revertamur, communiter placuit, Phœnices, ut optimarum artium & disciplinarum quarumcunque; ita etiam Literarum inventores esse. Scribit tamen Alexander ab Alexandro, Phœnices animalium figuras literarum loco insculpsisse lapidibus: per easdemque & Ægyptios mentis suæ sensus effinxisse primum; & antiquissima monumenta mandasse literis. Quò etiam allusisse videtur Lucan. *lib. 3.* illis versibus

Ægyptii.

Nondũ flamineas Mẽphis cõtexere biblos
Noverat, & saxis tantũ volucresq; feraq;,
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.

Alij Assyrios: nonnulli Jones: alij alios earum auctores faciunt, ut videre est apud Alexand. *lib. 2. Genial. dierum c. 30.* Nec indigni relatu videntur illi de literarum inventoribus versus antiqui, quos ex vetusto codice *Bibliotheca Septimiãa* publicavit Pet. Crinitus *lib. 17 de honesta discip. cap. 1.*

Moyses primũ Hebraicas exaravit literas:
Mẽte Phœnices sagaci cõdiderunt Atticas.
Quas Latini scriptitãus edidit Nicostrata:
Abrahã Syras, & idẽ repperit Chaldaicas
Isis arte non minore protulit Ægyptias.
Gulfila promsit Getarum quas videmus ultimas.

Quorum versuum ultimo sciendum est, *Gulfilam* illum, quem Jornandes *de rebus Geticis* Ulphilam nominat, Gothorũ fuisse Episcopum, & quidem Arrianum: qui literas Gothicas primũ adinvenit, & scripturas sacras in eandem linguam convertit ut est apud Isidor. *in Chronico Gothico.*

Gulfila. Vlphila.

Et de Ægyptiis quidem vel ideò dubitandum est minus, cum & hominum eos sapientissimos dicat Herodotus, & qui multarum rerum cognitione ceteris antecellant *lib. 2. c. 121. & 160.* Unde Aristoteles Astrologiæ inventum Ægyptiis acceptũ ferre videtur: qui teste Herodoto primi annum excogitarunt & in menses duodecim distribuerunt *d. lib. 2. cap. 4.* iidemq; hos amplius excogitarũt, quis mẽsis diesvè cujus Deorũ sit, & quo quis die genitus, qualia sortiretur, & quam mortẽ obibit, & qualis existet *d. lib. 2. cap. 82.* vel, ut cum Manilio loquar *lib. 1. Astron.*

Astrologia inventum.

Nascendi quacunq; dies, qua vita fuisset,
In quas fortuna leges quaq; hora valeret.

Quare autem Ægyptii (qui superstitiosorũ omniũ semper mortalium superstitiosissimi habiti fuere sub sole, testibus historiis, quã sacris quã profanis, ut ait Georg. Remus *ad Themistii orat. 2. pag. 28.* plurimum illis disciplinis valuerint, Ptolemæus & ipse homo Ægyptius causam adfert: A qua non abludit Manilius, qui Mercuriũ Astronomiæ scientiam mortales, docuisse palã profitetur. Et Ægyptios hanc didicisse docente Mercurio, omnes libri loquũtur: Cui propterea Ægypti divinos honores habuerunt, & primum mẽsem *Thet* cognominẽ Mercurio fecerunt. Nam *Thet* seu *Tat*, est Mercurius. Adjuvat hanc sententiam & Firmicus his verbis: Mundi itaq; genituram hanc esse voluerunt, sicuti Æsculapium & Anubium, quibus potentissimum Mercurii numen istius scientiæ secreta comisit. Prout locum istum adducit Joseph. Scalig. *ad lib. 1. Manil.* Cujus elegãtissimi hi sũt versus:

Tu Princeps auctorq; sacri Cyllenie, tanti,
Per te iam cœlũ in terris, jam sidera nota.

Et

Astronomia elogia. Et quæ sequuntur. Divinæ istius scientiæ contemplatores ipse etiam Ovidius *Felices* appellat *animas*, Manilius *Regales animos*, Plinius *viros ingentes, supraq; mortalium naturam*, tantorũ Numinum lege deprehẽsa. Et paulò post. *Cœli interpretes rerumq; naturæ capaces*, argumẽti repertores, quo homines Deosq; vicerunt. Ab *Eudoxus.* Ægyptiis porrò *Eudoxus* astronomiam primus in populares suos Græcos deduxit. *Berosius* autẽ à popularibus suis Chaldæis Genethliologiam in Græcos; cui ob divinas prædictiones statuã inaurata lingua ab Atheniensibus publicè dedicatam Plinius scribit, referente idipsum eodem Scaligero *ad lib. 1. Manil. pag. 2. vers. 14.* *Literati Ægyptiis curæ.* Illud sanè cõstat apud Ægyptios antequã mores ipsorum pollutionum cõtage contaminarentur, & à pristina caderent disciplina, primariam nobilitatem dignationemq; eorum fuisse, qui literas callerent: cum Literis non nisi locupletes operam *Etiam Atheniensibus.* darent. Quem morem & Athenienses ab Ægyptiis acceptum aliquãdiu servavere, ut is primas in Repub. partes obtineret, qui & eruditione & sapientia maximè præstaret. Hinc artes honestiores omnes, & quæ literarum opera comparãtur, Ro*Artes cur Liberales.* mani Liberales appellaverunt: quòd earum doctrina ad Ingenuos spectaret. Johan. Pierius *lib. 38. Hierogly.* At hodiè eò *Literæ Nobilibus quoddammodo exosæ.* deventum est, ut Nobilium natio indecoram esse Literarum cognitionem claris penatibus ortis existimet: dum res consentãeæ & mutua ope nexæ, Generis claritas & Literarum peritia collidi inter se & dissidere putantur. quo errore factum, ut disciplinæ olim ingẽuæ appellatæ, ad plebem jam diu transierint, non tantùm à Nobilibus, sed etiam (ô mores perditos!) à sacricolis repudiatæ: ne non satis generosus esse ordo Antistitum & præsulum putaretur: ut Budæus conqueritur *lib. 1. de Asse & ejus partib. mihi fol. 14* Indeq; est, quòd artes hoc tempore penè damnosas esse autumat; olim non modò Romæ, sed etiam in Asia quæstuosas vel locupletatrices: quod multis docet auctoritatibus *lib. 2. mihi fol. 45.* Tantum verò abesse, ut Equestrem dignitatem dedeceat Literarũ cognitio, ut hac etiam exornetur illa magis & stabiliatur, Guazzus noster eleganter ostendit *lib. de civili conservatione.*

1. *Idem & de Numeris, &c.*) De Notis *Notulæ.* numerorum videatur Gulielmus Budæus *lib. 3. de Asse & ejus partib. mihi fol. 56.* ubi Notularum hanc scribendi rationem, à veteribus exarandi cõpendia sectantibus excogitatam, valdè lubricam fuisse multis conjecturis probat. Ab his longè diversæ fuerunt Notæ illæ; per quas dubium non est, multos maximosq; Interpretes, vitio Librariorum per eas scribentium, corruptis Codicibus, infœdissimos errores prolapsos, ut Alciatus conqueritur, *in proœm. lib. 3. dispunction.* Ac nisi ita esset, haudquaquam opus fuisset Justiniani lege prohibente, ne jus civile per Notas traderetur: qua de re *in lib. 2. tit. de Notis* commodiùs dicemus.

2. *Bacillum adglutinabant* ad latitudinis modum scilicet, quo membrana præ*Umbilicus libri.* cisa erat. Eundemque appellabant Umbilicum: cujus quidem capita volmine complicato hinc & inde prostarent. Solebantque ea ex argento, vel auro, vel etiamnum gemmis ad ornatum præmuniri. Atq; ea sunt, quæ Cornua nonnulli vocitarunt. *Cornua.* Sic enim Ovidius *in Tristibus, elegia 1.* librum alloquitur:

Candida nec nigra cornua fronte geras:

hoc est, neque ebore, neque argento, aut nitida ulla gemma. Umbilici capita præmuniantur, cujus facies atrata luctum præ se ferat. Martialis *lib. 11.*

Explicitũ nobis usq; ad sua cornua librũ;

quo sensu alibi ad Umbilicum se pervenisse ait: *lib. 3.*

Ohe

Ohe jam satis est, ohe libelle.
Iam pervenimus usque ad Vmbilicum.
Horatius carmen ad Umbilicum deductum appellat. *Epod.* 14.
Deus Deus nam me vetat
Inceptos, olim promissum carmē, iābos
Ad umbilicum ducere.
quibus in locis Umbilicus pro fine ponitur: quia principium libri est, ubi à titulo incipit explicari finis, ubi totâ revolutâ paginâ perventum est ad Umbilicum: quemadmodum Pierius rectè interpretatur *lib.34. Hieroglyphicon.* Cui consentanea planè scripsit Paulus Manutius *in comment. ad ep. 7. lib. 3. Famil. f. 329. & seq.* & Matth. Raderus *in comment. ad Martial. lib. 2. Epig. 7. & lib. 3. ep. 2.*

Litera laureata.

3. *Duces Romanos*) Solebant etiam Imperatores Romani, re benè gesta, literas lauro revinctas mittere, victoriarum & lætitiæ nuncias: quas Marcellinus Laureatas vocat.

Sensit id Plinius, cum dixit: Lauros Romanis præcipuè lætitiæ victoriarumque nuncia, additur literis, militum lanceis pilisque. Idque ideò ut ipso adspectu earum bonum omen portenderetur. Luzius *lib. 2. de Rep. Rom. cap. 4. & in præfat.* Quo & Ovidius respexit, cum ita cecinit:
Nō ego victrices Lauro redimere tabellas,
Nec Veneris media ponere in æde morer.

Rubrica titulorum.

4. *Minio illustrare*) Hinc, Rubricæ nomen apud Nostros, pro epigraphe sive tituli inscriptione. quo verbo & Paulus JCtus utitur *in l. 2. §. pen. ff. de interdict.* Veteres enim titulorum inscriptiones, vel capita Legum minio, vel alio colore rubro (quem Phœniceum nominat Antonius Thylesius *lib. de Color. cap. 13.*) distinctiōis facilioris caussa, qua memoria commodè juvatur, & inveniendi, quæ annotavimus probetur facultas, consignare solebant. De Rubrica Persius *Satyr. 3.*

Hujus usus.

Excepto si quid Masur rubrica vetavit.
Et in Legibus notandis, id quod diximus, observatum fuisse, Juven. innuit *Satyr. 14.*
—perlege rubras Majorum Leges.
Tradit idipsum Petrus Georgius Tholosanus in præludiis optimi Jureconsulti *lib. 2. cap. 23. n. 11.* & Rainald. Corsus *lib. 3. Indagation. Iuris cap. 2.* quanquam etiam videri possunt Veteres propterea Legum rubricis usi, ut Majestas Legibus accresceret, capitibus earum sinopide aut cinabari notatis & insignitis; & sanguineum quiddam ac cruentum fortasse etiam minantibus. Itaque à Prudentio contra Symmachum *lib. 2.* ita scriptum est:
——dicant, cur candida sit Lex (*tur.*
Bis sex in tabulis? aut cur Rubrica mine-
Quæ prohibet peccare Reos? quod ferrea fata Cogunt ad facinus
Qua de re videatur Adrianus Turnebus *lib. 4. Adversar. cap. 2.*

Cedro digna.

5. *Cedro digna locutus*) Proverbialis hæc est locutio, de eo usurpata, cujus oratio propter verborum nitorem, ac gravitatem sententiarum promeretur immortalitatem; ac ejusmodi judicatur, ut ad posteritatem debeat transmitti. Quò haud dubiè Horatius allusit, *de Arte*, cum ita canit: *Animos ærugo & cura peculi*
Cū semel imbuerit, speremus carmina fingi
Posse linenda cedro, & levi servanda cupresso?
Negat poeta, posse animos avaritia imbutos adfingenda digna carmina se convertere. Digna autē ea censeri, quæ conscribenda sunt chartis illinendis oleo cedrino, & contegendis utraque cupressi tabella, ut diutius serventur, quemadmodum Joh. Baptista Pignea rectè interpretatur. Hinc Numæ libri tot infossi duraverunt annis, quòd & cedri succo obducti, & cedrinis candelis essent obvoluti, ut ex Plinio colligitur: ne vel à tineis blattisve attingerentur; vel ab aere ambiente læderentur, corrumperenturve. Curaverat scilicet

Numæ libri diu incorrupti servati.

licet

licet Numa, antequam ex hac vita migraret, libros, qui ſecum humandi infodiendique erant, duplici munimento, cedri nempe ſucco, quod Cedrium eſt; & candelis ex eadem materia confectis circumdari. Cedrio quidem: quo comodum & utile corruptioni interius genitæ remedium pararet. Candelis autem; quibus exterius advenienti obviam iret. Cedrium

Cedrii vis.

enim cum ob inſignem ſui amaritudinẽ, tum ob excellentem quam habet ſiccandi facultatem, non ſolum valet cauſſam corruptricem interiorem ad breve tempus compeſcere: verùm etiam rem ſemel ſibi creditam in immenſum tueri ac conſervare. Teſtâtur id medicata in Ægypto cadavera ante annos propè ter mille, Platoni jam olim in Phædone celebrata, quæ ad hunc uſque diem non ſine magno inſpicientium ſtupore incorrupta perdurant:

Mumia.

vulgus Mumias appellat. de quibus videri poterit Philipp. Camerar. *cent. 2. operar. ſucciſivar. c. 70.* Verùm ea funera conſueſſe farciri ſeu medicari cedri ſucco, Melchior Guilandin. in egregio ſuo tractatu De papyro *membro* 24. ex Dioſcoride & Galeno probat: qui cedrium à quibusdam vocari tradunt cuſtodiam mortuorum corporum, ſive particularum emortuarum. Idipſum & Plinius cõfirmat *lib. 16. cap.* 11. ubi Cedrii tantam vim eſſe ſcribit, ut in Ægypto corpora hominum defunctorum eo perfuſa ſervẽtur. Et *lib. 24. c. 5.* ait: Cedri ſuccus defuncta corpora incorrupta ævis ſervat, viventia corrumpit: mira differentia, cum vitam auferat ſpirantibus, defunctis pro vita ſit. Numa itaque libros, ut diximus, Cedri ſucco illevit, quò humiditati interius putreſcẽti, & in nativum calorem graſſanti, eundemq; ſenſum exſtinguẽti utile remediũ pararet, & chartas à tineis blattisque vindicaret, atque tutas redderet. Cæterum candelis Cedrinis ideò obduxit, ne aeri, qui adventitia, & exterior corruptionis cauſſa cenſetur, facilis ad interiora via pateret: ſed ipſa quodammodò candelarum undique arctè circumjacentium pinguitudo obſtaculum eſſet, quo minus ſubſtantia chartarum ab ambiente contingeretur, atque ejus injuriæ obnoxia fieret. Quod pluribus & evidentibus argumentis exſequitur doctiſſimus Guilandinus loco jam allegato.

Opiſtographum. Accurſius notatur.

6. *Opiſtographos*) Opiſtographi quoq; mentionẽ facit Ulpian. *in l. charta 4 ff. de bonor. poſſ. ſec. tab.* quod Accurſius ligneã interpretatur tabulam, in qua ſcripta erãt debita: ab opibus & grapha, quaſi ſcripturam opum tuarum dicas, ſi appellatum: Notatione planè inepta & ridicula: cum potius is in Opiſtographo teſtatus Ulpiano dicatur, qui tam à facie, quàm à tergo ſcripta exaravit, quemadmodum & Opiſthographa charta ea intelligenda, quæ utrinque, atque ita etiam in tergo fuiſſet ſcripta ab ὄπισθεν, hoc eſt, poſt ſive retrò, & γραφὴ ſcriptura. Veteres ſanè in adverſa

Veterum communis ſcribendi mos.

tantum chartæ facie ſcripſiſſe legimus: vel propter chartæ vitium. Tradit enim Plinius *lib. 13. c.* 12. de charta auguſta, nimiam ejus tenuitatem non ſuffeciſſe calamis, ad hoc tranſmittentem literas, lituræ metum attuliſſe adverſis, id eſt, iis quæ in adverſa parte eſſent exarata: quo ſenſu Apollinaris *lib. 2. ep. 9.* erubeſcere ſe ait Epiſtolæ tergũ madidis ſordidare calamis: Vel ut è regione adjicere, quæ opus forent, liceret. Adverſa enim pagina folii prioris, & adverſa ſequentis contra ſe poſitæ facilẽ & unum quaſi intuitum exhibent eorum, quæ utrobique ſcripta ſunt. Cum igitur, quod fiebat contra conſuetudinem, in averſa quoque chartæ pagina ſcriberetur, hoc genus librorũ, Græco nomine, Opiſthographos appellarunt, quaſi dicas, in tergo ſcriptos. Quæ ratio ſcriptiõis, quia de uſu communi deflectebat, poëtis anſam

Iuvenalis explicatus.

sam præbuit, Opisthographa, ceu scripta odiosa verbositate prolixa exagitādi. Sic Juvenalis suæ tempestatis poetas notans, Eos ait longitudine poematum & Opisthographis suis tæditum & molestiam auscultatoribus attulisse. *Satyr.* I. in prim.

—summi plena iam margine libri
Scriptus & in tergo, nec dũ finitus Orestes.

Quibus verbis Tragici cujuspiam fabulam prolixam & verbosam carpit, quippe cui nec Chartarum margo, nec terga, hoc est, paginæ aversæ, quibus Opisthographum notat, fuerint satis. Et Martialis *lib.* 8. Picentem quendam festivè irridet, quasi & ipsum epigrammata in Opisthographis, puta longa aut multa, eaque malè nata pangentem:

Martialis.

Scribit in aversa Picens epigrammata (charta,
Et dolet, averso quod facit illa Deo.

Hinc igitur Veterũ libros in adversa duntaxat & interiore chartæ pagellæ scribi solitos intelligimus. Unde & volumina dicta, quod sic convolverentur, ut scripturam interiorem pars vacua & exterior inclusam contegeret. In aversa autem parte si quid nonnunquam exaratum esset, id præter morem factum, & in usu sæpè viliore habebatur, ut involucrorum & cucullorum. Itaque Horatius casus libro suo imminentes quasi præsagiens canit. Eum, cum vilescere cœperit, aut in exilium missum iri, aut Opisthographum, hoc est, integumentum literarum, quæ peregrè mitterentur, futurum. Literæ enim, ut annotat doctissimus Interpres chartâ alia plerunque interius scripta, foris & in tergo vacuā operire, inque ea parte titulum exarare ostendentem quò pertinerent; deinde lino vinctas obsignare consueverant, atque ita charta, qua literæ operiebantur, fiebat Opisthographum. Sic igitur ille librum suum alloquitur:

Opisthographa plerunque viliora.

Pro literarum integumento.

Cõtrectatus ubi manibus sordescere vulgi
Cœperis, aut tineas pasces taciturnus inertes,
Aut fugies Uticam, aut vinctus mitteris Ilerdam.

Idem propemodum suo ominatur libro Martialis *lib.* 4. nisi docto Apollinaris judicio probetur:

Nec ronchos metues malignos,
Nec scombris tunicas dabis molestas.
Si damnaverit, ad salariorum
Curras scrinia protinus licebit.
Inversa pueris arande chartâ.

Plinius tamē junior, tacita quadam commendatione Opisthographos nominat *lib.* 2. *Epist. ad Macr.* Ubi scribit ab avunculo sibi relictos Electorum commentarios centum sexaginta, & eos quidē Opisthographos literis minutissimis exaratos, &c. Quam scribendi rationē videtur secutus vir ille πολυγραφώτατος, necessitate quadam adductus, ut nimis excrescentem alioqui numerum Voluminum Opisthographis contraheret. Diaria tamen & rationes excepti & expensi à tergo scribebantur, sic enim illud Juvenalis *Satyr.* 6.

Ea tamen Plinius commendat.

—longi relegit transversa diurni.

Vetus interpres de *Ratiocinio* diurno accipit in transversa parte scripto, ut notat Savaro *ad Sidon. Apoll. d. Ep.* 9. *l.* 2. His addantur, si placet, quæ ab hoc loco non aliena scripta reliquerunt, Alexander ab Alex *lib.* 2. *Genialium dierum. c.* 30. & Johan. Corasius *lib.* 1. *Miscellaneor. c.* 18.

7. *Recitavit & Virgilius*) Servius Grammaticus auctor est, Virgiliū poetam tres libros Æneidis suæ Augusto recitasse; secundum, quartum & sextum. Sed sextum maximè ob Octaviam Augusti sororem, Marcelli matrem: quē Marcellum Augustus sibi adoptaverat, qui periit año decimo octavo, valetudine correptus. Hæc igitur Octavia cū recitationi interesset, & Virgilius ad carmina illa venisset, circa finem sexti libri, quæ Marcelli luctum describunt; defecisse illa dicitur, cum ad illud ventum est:

Virgilius.

Heu

Heu miserande puer, si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris.

Octavia donatus.

Ægrè autem refocillata Octavia, silentium Virgilio imperasse fertur, & dena sestertia pro singulis versibus dari jussisse: qui numero sunt unus & viginti. Quod si est verum, Virgilius paucis versibus supra quinque millia aureorum meruit: ex supputatione Budæi *l.3 de Asse & eius partib.* Cæterũ de hoc recitandi sive declamandi studio, habes apud Quinctilianũ *in Inst. Orator.* inprimis verò apud L. Annæum Senecã *in Controversiarum & Declamationem libris.* Quibus non incomodè adjungi poterit, quod de Agone Capitolino scriptum reliquit eruditissimus ille, & ad Policleti normam planè efformatus Josephus Scalig. *lib.1. Auson. lection. c.10.* Argonem enim istum Capitolinum institutum ait à Domitiano, ut die duodecimo ejus & Sergii Cornelii Dolabellæ cõsulatu cum poëtæ, tum histriones, scenici, & omne genus artifices in eo, ludorũ Olympicorum exemplo certarent. In quo qui vicissent quercu coronabantur: quam Juvenalis Capitolinam vocat.

Agon Capitolinus.

Victores querna corona donati.

An Capitolinam speraret Pollio quercum?

Martialis Tarpejam, eodem planè sensu:

O cui Tarpeias licuit contingere quercus!

Auſonius Olympiam vocat, quòd ut dixi ludorum Olympicorum exemplo Agon iste esset institutus: In eo quoniam Atticus Tyro Delphidius vixdum pubes quernam sive Capitolinam hanc coronam meruerat, hoc est, poëta coronatus fuerat, ita eum compellat:

Quæ & Olympia.

Sertum coronæ præferens Olympia
Puer celebrasti Jovem.

Statium quoque poëtam idem Scaliger scribit in eo agone post incredibilem totius Urbis exspectationem, tandem Thebaidem suam recitasse: Sed ut Juvenalis utamur verbis, *fregisse subsellia versu*, hoc est, recitantem non stetisse, sed & excidisse: hoc est, non placuisse, atq; alios contra ipsum fuisse coronatos. Recitationes autem originem & genus scripti, itemq; locum modum, tempus, tum auditores, finem & fructum ex optimis quibusq; auctoribus diligenter collegit Matth. Raderus *in comment. ad Mart l.10. Ep.71.* Atq; ea consuetudo, inquit, utinam hodiè vigeat inter doctos! emendatiores sæpe doctioresq; libros evolveremus. Ex Capitolino porrò agone isto, in quo poëtæ, Rhetores, aliarumque professionum homines coronabantur ab ipso Imperatore, promanasse putat idem Scaliger laureatorum poëtarũ morem, de cujus concessionis liberalitate, ne facilitate dicam, forsan non injustè Justus Lipsius jã olim conquestus fuit in Satyra Menippea.

Statius.

Recitationes.

Laurea poëtarum.

8. Media de nocte ad studia accedebant) Pertinet enim ad diligentiam, somnũ discutere. Quod si in ulla alia certè in Legali disciplina quàm maximè requiritur: cum proditum sit, Vigilantibus & non dormientibus jura subvenire *l. pupillus ff. quæ in fran. l. creditor.* quæ vel ideò maximis cũ vigiliis addiscere par est, cũ non nisi multis cum vigiliis facta sint & constituta. *§. quorũ utramq; in proœm. Instit. l. si quando. C. de inoff. testã.* Testatur enim Justinianus, se fuligines lucubrationum ebibisse, & pro dei luce intempestam noctem sæpissimè usurpasse, ut juxta id, quod maximè societati nominum & justitiæ expediret, jura promulgaret, & sibi quodammodò vitam produceret § *1. Authen Ut iudic. sine quoquo suffrag.* quoniã prudentissimi vigiliam, vitam dixere; & somnum, mortis fratrem; imò mortis imaginem, ut est apud Ovidium.

Vigilantia.

Iustiniani vigilia.

Somni descriptio.

Stulte, quid est Somnus, gelidæ nisi Mortis imago?

cum nihil sit, quod propius ad similitudinem

intellig' posset: quemadmodum Claudius Minos refert *ad Audomari Talæi præcepta Rhetor.* Cæterùm Mutæ hujus Musicæ mentionem quoq; facit Lucas de Penna *in l. si qua in public. 4. C. de spectacul. l. 11.*

Ctesibius Hydraulica inventor.

1. *Ctesibius*) Hic passim laudatur ab historicis, pneumatica ratione & hydraulicis organis repertis: quorum accuratissima descriptio exstat apud Vitruvium & Athenæum *locis supra allegatis*, & Adriã. Turneb. *lib. 2. Adversar. c. 22.* quibus ex locis Hydraulus valde similis fuisse colligitur ei, quod nunc communi omnium instrumentorum genere, *Organũ* appellamus: nisi quòd in nostro nullus est aquæ usus.

Hydraulo Delphini moventur.

Hydrauli sono præcipuè moveri Delphinum, homines amicum animal, Plinius *lib. 5. c. 8.* scribit. Hinc Organarii,

Hydraulæ.

qui hydraulos sive hydraulica ista instrumenta tractabãt, *Hydraulæ* fuerunt dicti *l. hydraulæ. 4. C. de excusat. muner. lib. 10.* quos, ut alios Musicos civilium munerum immunitatem non habere, ex textu illo satis probatur: & Cujacius rectè annotavit in *l. 6. §. 1. ff. de excus. tutor.* alio planè

Accursius.

sensu, quàm Accursius: qui per hydraulas eos ridiculè intelligit, qui aquam in aulam principis deferãt, aut Imperialis aquæ ductus custodiam habeãt: quos Hydrophylacas Zeno appellat *in l. decernimus. 10. C. de Aquæduct. l. 11.* Organa porro illa Hydraulica Suetonius *in Nerone c. 41.* novi & ignoti generis appellat. de quibus Tertullianus *lib. 1. de anima*: Portentissimam Archimedis munificentiam, organum Hydraulicum dico, tot membra, tot partes, tot compagines, tot itinera vocũ, tot compendia sonora, tot commercia modorum, tot acies tibiarum, & una moles erant omnia: ubi quidem Tertullianus *Archimedi* inventionẽ hujus organi tribuit. Sed prævaluit, eam Ctesibio accepto ferendum esse. idque autoritate Athenæi, Vitruvii, Plinii: quos Pancirollus noster laudat. Ejus elegans descriptio extat apud Claudianum *in fine Panegyrici Theodori.*

Et qui magna levi detrudens murmura tactu,
Innumeras voces segetis moderatur ahẽa.
Intonat erranti digito, penitusq; trabali
Vecte laborãtes in carmina concitat undas.

Non negaverim sanè, Hydraulas quoque nominari, qui orgãis & machinis quibusdã, quarum descriptio similiter à Vitruvio expressa est *l. 19. c. 4.* aquas deducunt Forcat. *in penu juris c. 14.* Sed Græci omnes, quos & Auctor noster, & Cujac. sequitur, *dictam l. 4.* de Musicis accipiunt. quæ sententia haud dubiè vera est. Illud præterea

Organorum Musicorum cepitheta.

universim de organis illis Musicis sciendum, quod vetus quidã poëta venustè ea vocaverit *arma pruriginis*; Seneca *somnũ non virilem*: Justinus *instrumẽta luxuriæ.* Unde illa Musicæ tã vocalis quàm instrumentalis insectatio apud Ammianũ Marcellinum, *de Constantii tempor. lib. l. 14.* Paucæ domus studiorũ seriis cultibus antea celebratæ, nunc ludibriis ignavia torrentes exundant, perflabili sono, vocali tinnitu fidium resultantes. Deniq; pro Philosopho Cantor, & in locum oratoris Doctor artium Ludicrarum accitur, & Bibliothecis sepulchrorum ritu in perpetuum clausis, organa fabricantur hydraulica, & lyræ ad spatium carpentorum ingentes, tibiæq; & histronici gestus instrumenta non levia. Quem locum adduxit Michael Piccartus *Decad. 4. observat Historicopolit. cap. 5.*

DE ACTIONE TIT. XLI.

Actio sive pronunciatio.

Alia quoque Ars insignis, & fundamentum ac basis omnis gratiæ in exilium ire jussa, atque ita proscripta est, ut nemo eam hodiè teneat, aut etiam tenere investiget.

investiget. Atque haud scio, an hac postea usquiam magis viguerit. Eaque est Actio *, sive commotio vultus & manuum. Omnes quidem cum loquimur, manus elevamus, & caput ac digitos movemus dicendi vehementia impulsi sed absque ratione. Veteres addiscenda hujus gratia scholam consultò & data opera accedebant: quemadmodum Ciceronem praeceptoribus hac in parte usum fuisse legimus † Roscio & aliis: qui gestus verbis adaptantes, bis terve dicebant, usque dum verba Actioni consociata imprimerentur. Recitata itaque ab Æschine Oratore tum cum Athenis exsularet, oratione aliqua Demosthenis adversarii sui, eaque ab omnibus collaudata: Quid exclamavit Æschines, dicturi essetis si ipsummet audivissetis dicentem? Qua ipso inferre voluit, Orationem legere nihil aliud esse, quam eam mortuam videre: at vivam hanc veluti exstituram, si dum recitatur, pulchra & idonea actio fuerit adhibita. Hujus tanta vis est & efficacia, ut inter omnia primas teneat. Demosthenes igitur interrogatus: Quanam potissima & prima Oratoris pars esset? Pronunciatio, Respondit. Qua secunda? itidem Pronunciatio. Quae tertia? similiter Pronunciatio, dixit: inferre inde volens, Omne Oratoris munus, in dicendi gratia consistere. Equidem hac in parte sudavit nonnihil: & reperisse me actiones aliquas credo, qua cum verbis suavissimè conjungantur. Singulas verò ut invenirem, factu mihi impossibile videbatur, habenti praesertim aliud, quod agam. In hac Actione Oratores omne suum studium, in scena inprimis ponebant; & ab Auditoribus diligenter observabantur. Vnde Quintilianus infert, quòd cum scenicus quidam,* O cœlum! *dicens, oculos in terram dejecisset: postea verò exclamans,* O terra! *cœlum fuisset intuitus; universus populus satis eum derisum, & ut fatuum de scena non absque sannis deturbârit. Ars ista est deperdita: Nec enim literarum monumentis potuit comprehendi, ut nec ipsa pronunciatio. Ac tot numero annis à tanta barbarorum multitudine vexato Italia, adsequi eam non potuit, & nec etiamnum adsequitur. Ideoque quasi emarcuit, & ut dixi, amissa est. Debebat hac à Concionatoribus potissimum excoli, qui & ocio abundant, & satis se movent, quamquam multum quandoque intempestive: siquidem motio ista non in brachii aut digiti, prout appetitus fert, sublatione consistit: sed gestus illos verbis convenienter adaptare oportet: non secus atque is, qui choreas agit, sono sese accommodat, quod qui non observat, ineptus est. Atque hac quidem de Actione sufficiant. Nunc ad Ritus, habitus & mores progrediamur, à Literis initum facientes.*

Cicero. 1.

Æschines.

Demosthenes.

Scenicus irrisus.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

ACtio, quæ Chironomia Quintiliano *l. 11. c. 3.* dicitur, & ab heroicis usq; temporibus

Actio: Chironomia.

S

poribus repetita, ab ipso enim Socrate probata, & à Platone quoque in parte civilium posita virtutum perhibetur; efficaciæ multò majoris est, quàm ulla vox esse possit. In iis enim omnibus, quæ sunt actionis, inest quædam vis à natura data, quare etiam hac imperiti, hac vulgus, hac denique barbari maximè commoventur. Verba enim neminem movent, nisi eum, qui ejusdem linguæ societate conjunctus est: sententiæ sæpè acutæ, non acutorum hominum sensus prætervolant. At Actio, quæ per se motum animi fert, omnes movet, iisdem enim omnium animi motibus concitantur, & eos iisdem notis & in aliis agnoscunt, & in se ipsi judicant. Non abs re igitur Cicero *Oratorio tertio*: Actio inquit, in dicendo una dominatur, sine hac summus orator esse in numero nullo potest: mediocris hac instructus, summos sæpè superavit. Hujus partes singulas accuratè exsequutus est Audomarus Talæus *in preceptis Rhetoricis*. quibus adde, quæ de decēti hac gestus conformatione scripsit Christophorus Milæus *l.* 4. *univers. hist.*

Actionis præstantia.

1. *Roscio & aliis*) Cicero non minus quàm Demosthenes in agendo elaboravit. Itaque dedit operam Roscio Comœdo, & Æsopo Tragœdo histrionibus: quibus tam familiariter usus est, ut res rationesque eorum sua solertia tueretur. Nam & in Oratione quadam, populum Roma. objurgavit, quod Roscio gestum agente tumultuaverit. Et satis constat, contendere eum cum ipso histrione solitum, utrū ille sæpius eandem sententiam variis gestibus efficeret; an ipse per eloquētiæ copiam sermone diverso pronunciaret. Macrobius *lib.* 3. *Saturn. c.* 14. Qua exercitatione tantum gratiæ est adeptus, ut ipsum facundiæ, Latiarumque literarum parentem Dictator Cæsar appellârit, referente Plin. *lib.* 7. *c.* 30. Illo enim eloquii sui flore Rempublicam ab indagine & plagis Catilenæ extricavit: M. Antoniū Triumvirum proscripsit: Octavium Cæsarem adolescentulum ad diuturni Imperii fastigium evexit, primus in toga triumphum linguæq; lauream meritus omnium maximam, quantò plus est ingenii Romani terminos promovisse, quam Imperii: & post mortem ab hoste teterrimo Antonio illatam, præciso gutture ac sanguine atro fluente, ex quo nitidus fluxerat eloquentiæ rivus, adhuc incolumi fama vivere scriptis intelligitur, utique nunquam morituris. Stephan. Forcatul. *lib.* 6. *de Gallor. Imperio.* Nec minor fuit Demosthenis in hoc exercitii genere diligentia. Is enim speculum grande intuens, componebat actionem & gestum corporis: & quamvis fulgor ille sinistras imagines redderet: suis tamen oculis, quod efficeret, credidit. Quin etiam Satyrum histrionem ad eas artes magistrum adhibuit; à quo ut Plutarchus scribit, de oratoria facultate penè desperās, utpote qui minimè placere posset ob vitiosam in dicendo actionem, nō parum fuit confirmatus; recitatis aliquot versibus Euripidis aut Sophoclis, tanta dignitate vocis, ut alij planè ipsi Demostheni viderentur. Itaq; jam inde putavit, nihil esse in Oratione laudis, nihilque gratiæ; nisi ea commoda pronunciatione cōformaretur. Verum quemadmodum in omnibus artibus nimis magnum studium ipsas exornandi obest: Ita hoc inprimis Oratoribus quibusdam usuvenire Cicero *lib.* 3. *de Oratore* ostendit: qui cum intelligant gestus corporis magnoperè adjuvare motus animi, ac debere eos, qui persuadere volunt & efficere quod student, exprimere affectus omnes, tanta cura incumbunt in eam rem, ut meritò posteà reprehendantur, & pro Oratoribus, histriones fiant: videaturque in scena versari, non in foro, amisso omni decore ac personæ suæ dignitate, qua de re videatur F.

Ciceronis exercitium.

Macrobius.

Demosthenis exercitatio.

Nimietas reprehensa.

Victor.

Victor *lib. 31. Variar. lect. c. 13.* His probe congruit, quod Quintilian. Afer venustè Manlium Suram multum in agendo discurrentem, salientem, manus jactantem, togam dejicientem & reponentem, non agere dixit, sed satagere. Quod genus oratorum rectè cum Seneca *Satageos* vocaveris *Ep. 99.* Sic enim illum Senecæ locum intelligit Alciatus *lib. 8. parerg. c. 25.* & cò alludit Cœlius Rhodig. *lib. 19. lect. antiq. cap. 17.* Cæterum ut discurrentes sive *satagei* illi meritò reprehenduntur: ita & eos damnat Fabius, qui nunquam commoventur inter agendum, semperq; *manum*, quod ajunt, *habent sub pallio*. Quapropter, inquit, mihi falli multum videntur, qui solos esse Atticos credunt tenues, & lucidos, & significantes: sed quadam eloquentiæ frugalitate contentos, ac semper manum intra pallium continentes. De quo apud Erasmum *Chiliad. 2. centur. 10. Adag. 31.*

Oratores Satagei.

DE CHARACTERIBUS LITERARUM TIT. XLII.

Veteres scribendo majusculis duntaxat utebantur Characteribus, ut videre est in Marmoribus & Numis: in quibus minusculè literæ reperiuntur nunquam. Sed hæ tamen posteà, celerius scribendi gratia fuerunt adinventæ. † Idem & de Numeris judicandum est. quos illi quidem notis grandioribus signabant; verbi caussa I. V. X. L. C. posteà numeri & characteres novi sunt reperti veluti 1. 5. 10. 50. 100. *quos Arabum linguæ, à quibus eos originem ducere opinor, Algorismos appellant. Scribebant etiam veteres non quidem foliis dissectis, & in quaterniones, quos dicimus, consertis; sed in altera tantum paginarum facie, perpetuo ad extremum usque folium ductu: in quo, firmitudinis ergò † bacillum ex cedro, ebore, aut ebeno adglutinabant: cujus capita argento & auro, quandoque etiam gemmis, ornatus caussa, præmuniebant, posteà paginas instar spiræ convolutas complicabant: indeque volumen dicebant à volvendo, ut probat Iohan. Pierius lib. 34. tit. de Vmbilico. Notat etiam Suetonius, Iulium Cæsarem, non quidem ut † Consules aut Duces Romanos, transversa Charta scriptas ad Senatum misisse epistolas, de quo modo jam diximus, sed paginam ad instar nostratis cujusdam libelli, quo utimur, complicasse: seu, ut ipse loquitur, epistolas ad paginas & formam memorialis libelli convertisse. Qui tenuioris erant conditionis folia scribendo invertebant. Variè enim affectum se ait Cicero Tyronis sui literis, valdè priore pagina perturbatum, paulum altera recreatum. Solebant etiam Inscriptionem & titulum operis † Minio illustrare, & chartam cedreo oleo subtiliter facere: ut à carie immunem, & odoriferam eam redderent: teste Vitruvio* de Architectura. Quo tamen in loco succum illum non quidem ex* Cedro *arbore, quam Latini* Citrum *dicunt, & ex qua Citrea nascuntur mala; sed ex* Cedro *quæ in monte Libano nascitur, & Iunipero similis est, extractum intelligit. Hujus multi mentionem faciunt, & inter alios quoque* Ovidius 1. Trist. *ita canit:*

Litera majuscula.
Minuscula.
1. *Numeri.*
Verus scribendi mos.
2. *Volumen.*
Cæsar.
3. *Titulus miniatus.*
4. *Charta Cedreo Oleo illita.*
* *Lib. 2. cap. 9.*
Il Cedro in Italica lingua & Cedrum & Citrum notat.

Plinius à Vulcanibus, quæ 13. Augusti erat lucubrare incipiebat, sicuti Nepos ipsius in Epistola ad Macrum scriptum reliquit. Nunc ad veterum habitus & vestes non conferamus.*

*Libr. 3 Epist. 5.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Literarum inventores Phœnices.

DE Literarum inventoribus satis controversum est à scriptoribus. Communiter creditum est, à Phœnicibus primùm has fuisse inventas, ut Antonius Thylesius Consentinus refert *lib. de Coloribus cap. 13.* Idq; non obscurè innuere videtur Lucanus *lib. 5.* ubi ita canit.

Phœnices primi famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris:

Plinius quoq; Syriphœnicibus quinque hæc eximia videtur accepta ferre: nempe Literas, Siderum cognitionem, Navigandi industriam, Militiæ disciplinam, & frequentem Urbium exstructionem. *libr. 5. cap. 11. & 19.* Nec verò negari potest viros ex Syria vel Phœnicia, non secus atque ex equo Trojano prodisse undiquaque præstantissimos. Nam ut Janum, eruditissimum & justissimum Heroëm taceam, Syrus quoque fuit Pherecydes Pythagoræ magister. Fuit & Zeno ille, Stoicæ Philosophiæ princeps & fundator eximius, quem ærea imagine, aurea corona insigni decorârunt Athenienses, auctore Laërtio & Plinio *libr. 34. cap. 8. in fine.* Cujus auditor Zenodotus aliquando: Si patria, dixerat, est Phœnix, quid tum? nam & Cadmus ejusdem fuit originis, cui Græcia libros accepto refert. Phœnicius quoque fuit Alexander Sever. Imper.

Janus Pherecydes. Zeno.

Alexander Sever.

Quem Syrum suæ detulit propago,

ut quidam poeta de illo scripsit: qui Jureconsultos à Consiliis habuit Pomponium, Julium Paulum, Alphenum, Callistratum, legum peritissimos, splendidissimi Papiniani auditores: Sed præ omnibus Jurisprudentibus honorificè dilexit Domitium Ulpianum Phœnicæ Syriæ Urbe natum, ut ipsemet de se scribit *in l. 1. ff. de censib.* Hunc Alexander pro tutore habuit, primù repugnante matre, deinde gratias agente, quem sæpè à militum ira, objectu purpuræ suæ defendit, ut Lampridius tradidit. Itaque non tantùm eum jam tum sacrorum scriniorum Magistrum, & Papiniani præfecti prætorii assessorem ad præfecturam prætorii evexit; sed & amici *l. 4. C. de contrahē. stipula.* imò parentis nomine fuit dignatus. *l. 4 C. de locato.* Eundemq; & Diocletianus prudentissimum *l. Divo Marco. C. de quæstion.* Justinianus disertissimum *l. ultim. C. de instit. & subst.* & summi ingenii virum *l. un. §. ne autem. C. de cad. toll.* Modestinus præstantissimum, & cum Paulo ac Scævola Jureconsultorum Coryphæū ac principem appellat. *l. scire oportet 15. § Sed etsi. ff. de. excusat. tutor.* Xiphilinus auctor est, non modò præfecturam prætorianorum ei ab Alexandro datam, sed & cætera, quæ ad Imperii administrationem pertinerent simul fuisse permissa. Cum autem Ulpianus, quæ non rectè à Sardanapalo facta erant, emendasset; ipsum non multò post à Prætorianis, qui de nocte eum invaserant, interfectum esset; quanquam in palatium ad Imperatorem, ejusque matrem confugisset, dissertissimus edicti prætorii interpres, ac verè Phœnix, scripturæ æternitate reviviscens ac perpetuò victura. Atque ita malè periit vir ille dignus meliore animo atque exitu. Nam cum 10. lib. de officio proconsulis scriberet, impia jura contra pietatem sincceram

Dom. Ulpianus.

Ulpiani interitus.

Impietas.

ceram collegit & libris septem rescripta principum nefaria contraxit, non quidem ad historiæ cognitionem, sed ad suppliciorum acerbitatem: ut doceret nimirum, quibus pœnis affici oporteret eos, qui se Christi cultores profiterentur. Lactantius *lib. 5. cap. 11.* Steph. Forcat *lib. 1. de Imper. Gallor.* Bodin. *in Method. histor. c. 4.* quorum sanctissimam fidem non erubuit Judaicam superstitionem quandoque nominare. *l. generaliter. §. fin. ff de decurion.* Sed ut eo, unde digressi sumus, revertamur, communiter placuit, Phœnices, ut optimarum artium & disciplinarum quarumcunque; ita etiam Literarum inventores esse. Scribit tamen Alexander ab Alexandro, Phœnices animalium figuras literarum loco insculpsisse lapidibus: per easdemque & Ægyptios mentis suæ sensus effinxisse primum; & antiquissima monumenta mandasse literis. Quò etiam allusisse videtur Lucan. *lib. 3.* illis versibus

Ægyptii.

Nondũ flamineas Mẽphis cõtexere biblos
Noverat, & saxis tantũ volucresq; feraq;,
Sculptaque servabant magicas animalia
linguas.

Alij Assyrios: nonnulli Jones: alij alios earum auctores faciunt, ut videre est apud Alexand. *lib. 2. Genial. dierum c. 30.* Nec indigni relatu videntur illi de literarum inventoribus versus antiqui, quos ex vetusto codice *Bibliotheca Septimiãæ* publicavit Pet. Crinitus *lib. 17 de honesta discip. cap. 1.*

Moyses primũ Hebraicas exaravit literas:
Mẽte Phœnices sagaci cõdiderunt Atticas.
Quas Latini scriptitãus edidit Nicostrata:
Abrahã Syras, & idẽ repperit Chaldaicas
Isis arte non minore protulit Ægyptias.
Gulfila promsit Getarum quas videmus
ultimas.

Quorum versuum ultimo sciendum est, *Gulfilam* illum, quem Jornandes *de rebus Geticis* Ulphilam nominat, Gothorũ fuisse Episcopum, & quidem Arrianum: qui literas Gothicas primũ adinvenit, & scripturas sacras in eandem linguam convertit ut est apud Isidor. *in Chronico Gothico.*

Gulfila. Vlphila.

Et de Ægyptiis quidem vel ideò dubitandum est minus, cum & hominum eos sapientissimos dicat Herodotus, & qui multarum rerum cognitione ceteris antecellant *lib. 2. c. 121. & 160.* Unde Aristoteles Astrologiæ inventum Ægyptiis acceptũ ferre videtur: qui teste Herodoto primi annum excogitarunt & in menses duodecim distribuerunt *d. lib. 2. cap. 4.* iidemq; hos amplius excogitarũt, quis mẽsis dierũve cujus Deorũ sit, & quo quis die genitus, qualia sortiretur, & quam mortẽ obibit, & qualis existet *d. lib. 2. cap. 82.* vel, ut cum Manilio loquar *lib. 1. Astron.*

Astrologia inventum.

Nascendi quæcunq; dies, quæ vita fuisset,
In quas fortunæ leges quæq; hora valeret.

Quare autem Ægyptii (qui superstitiosorũ omniũ semper mortalium superstitiosissimi habiti fuere sub sole, testibus historiis, quâ sacris quâ profanis, ut ait Georg. Remus *ad Themistii orat. 2. pag. 28.* plurimum illis disciplinis valuerint, Ptolemæus & ipse homo Ægyptius causam adfert: A qua non abludit Manilius, qui Mercuriũ Astronomiæ scientiam mortales, docuisse palã profitetur. Et Ægyptios hanc didicisse docente Mercurio, omnes libri loquũtur: Cui propterea Ægypti divinos honores habuerunt, & primum mẽsem *Thet* cognominẽ Mercurio fecerunt. Nam *Thet* seu *Tat*, est Mercurius. Adjuvat hanc sententiam & Firmicus his verbis: Mundi itaq; genituram hanc esse voluerunt, sicuti Æsculapium & Anubium: quibus potentissimum Mercurii numen istius scientiæ secreta cōmisit. Prout locum istum adducit Joseph. Scalig. *ad lib. 1. Manil.* Cujus elegãtissimi hi sũt versus:

Tu Princeps auctorq; sacri Cyllenie, tanti,
Per te iam cœlũ in terris, jam sidera nota.

Et

Astronomiæ elogia. Et quæ sequuntur. Divinæ istius scientiæ contemplatores ipse etiam Ovidius *Felices* appellat *animas*, Manilius *Regales animos*, Plinius *viros ingentes, supraq; mortalium naturam*; tantorũ Numinum lege deprehẽsa. Et paulò post. *Cæli interpretes rerumq; naturæ capaces*, argumẽti repertores, quo homines Deosq; vicerunt. Ab Ægyptiis porrò *Eudoxus* astronomiam primus in populares suos Græcos deduxit. *Berosius* autẽ à popularibus suis Chaldæis Genethliologiam in Græcos; cui ob divinas prædictiones statuã inaurata lingua ab Atheniensibus publicè dedicatam Plinius scribit, referente idipsum eodem Scaligero *ad lib. 1. Manil. pag. 2. vers. 24.* *Eudoxus.* *Literati Ægyptiis cura.* Illud sanè cõstat apud Ægyptios antequã mores ipsorum pollutionum cõtage contaminarentur, & à pristina caderent disciplina, primariam nobilitatem dignationemq; eorum fuisse, qui literas callerent: cum Literis non nisi locupletes operam darent. Quem morem & Athenienses ab Ægyptiis acceptum aliquãdiu servavere, ut is primas in Repub. partes obtineret, qui & eruditione & sapientia maximè præstaret. *Etiam Atheniensibus.* Hinc artes honestiores omnes, & quæ literarum opera comparãtur, Romani Liberales appellaverunt: quòd earum doctrina ad Ingenuos spectaret Johan. Pierius *lib. 38. Hierogly.* *Artes cur Liberales.* At hodiè eò deventum est, ut Nobilium natio indecoram esse Literarum cognitionem claris penatibus ortis existimet: dum res consentãeæ & mutua ope nexæ, Generis claritas & Literarum peritia collidi inter se & dissidere putantur: quo errore factum, ut disciplinæ olim ingẽuæ appellatæ, ad plebem jam diu transierint, non tantùm à Nobilibus, sed etiam (ô mores perditos!) à sacricolis repudiatæ: ne non satis generosus esse ordo Antistitum & præsulum putaretur: ut Budæus conqueritur *lib. 1. de Asse & eius partib. mihi fol. 14* Indeq; est, *Literæ Nobilibus quoddammodo exosæ.* quòd artes hoc tempore penè damnosas esse autumat; olim non modò Romæ, sed etiam in Asia quæstuosas vel locupletatrices: quod multis docet auctoritatibus *lib. 2. mihi fol. 45.* Tantum verò abesse, ut Equestrem dignitatem dedeceat Literarũ cognitio, ut hac etiam exornetur illa magis & stabiliatur, Guazzus noster eleganter ostendit *lib. de civili conservatione.*

1. *Idem & de Numeris, &c.*) De Notis numerorum videatur Gulielmus Budæus *lib. 3. de Asse & ejus partib. mihi fol. 56.* ubi Notularum hanc scribendi rationem, à veteribus exarandi cõpendia sectantibus excogitatam, valdè lubricam fuisse multis conjecturis probat. *Notula.* Ab his longè diversæ fuerunt Notæ illæ; per quas dubium non est, multos maximosq; Interpretes, vitio Librariorum per eas scribentium, corruptis Codicibus, infœdissimos errores prolapsos, ut Alciatus conqueritur, *in proœm. lib. 3. disfunction.* Ac nisi ita esset, haudquaquam opus fuisset Justiniani lege prohibente, ne jus civile per Notas traderetur: qua de re *in lib. 2. tit. de Notis* commodiùs dicemus.

2. *Bacillum adglutinabant* ad latitudinis modum scilicet, quo membrana præcisa erat. Eundemque appellabant Umbilicum: cujus quidem capita volmine complicato hinc & inde prostarent. *Umbilicus libri.* Solebantque ea ex argento, vel auro, vel etiamnum gemmis ad ornatum præmuniri. Atq; ea sunt, quæ Cornua nonnulli vocitarunt. *Cornua.* Sic enim Ovidius *in Tristibus, elegia 1.* librum alloquitur:

Candida nec nigra cornua fronte geras;

hoc est, neque ebore, neque argento, aut nitida ulla gemma. Umbilici capita præmuniantur, cujus facies atrata luctum præ se ferat. Martialis *lib. 11.*

Explicitũ nobis usq; ad sua cornua librũ;

quo sensu alibi ad Umbilicum se pervenisse ait: *lib. 3.*

Obse

Ohe jam satis est, ohe libelle.
Iam pervenimus usque ad Vmbilicum.
Horatius carmen ad Umbilicum deductum appellat. *Epod.* 14.
Deus Deus nam me vetat
Inceptos, olim promissum carmẽ, iãbos
Ad umbilicum ducere.
quibus in locis Umbilicus pro fine ponitur: quia principium libri est, ubi à titulo incipit explicari finis, ubi totâ revolutâ paginâ perventum est ad Umbilicum: quemadmodum Pierius rectè interpretatur *lib.34. Hieroglyphicon.* Cui consentanea planè scripsit Paulus Manutius *in comment. ad ep. 7. lib. 3. Famil. f.329. & seq.* & Matth. Raderus *in comment. ad Martial. lib. 2. Epig.7. & lib.3.ep.2.*

Litera laureata.

3. *Duces Romanos*) Solebant etiam Imperatores Romani, re benè gesta, literas lauro revinctas mittere, victoriarum & lætitiæ nuncias: quas Marcellinus Laureatas vocat.

Sensit id Plinius, cum dixit: Lauros Romanis præcipuè lætitiæ victoriarumque nuncia, additur literis, militum lanceis pilisque. Idque ideò ut ipso adspectu earum bonum omen portenderetur. Luzius *lib. 2. de Rep. Rom. cap.4. & in præfat.* Quo & Ovidius respexit, cum ita cecinit:
Nõ ego victrices Lauro redimere tabellas,
Nec Veneris media ponere in æde morer.

Rubrica titulorum.

4. *Minio illustrare*) Hinc, Rubricæ nomen apud Nostros, pro epigraphe sive tituli inscriptione. quo verbo & Paulus JCtus utitur *in l. 2. §. pen. ff. de interdict.* Veteres enim titulorum inscriptiones, vel capita Legum minio, vel alio colore rubro (quem Phœniceum nominat Antonius Thylesius *lib. de Color. cap. 13.*) distinctiõis facilioris caussa, qua memoria commodè juvatur, & inveniendi, quæ annotavimus probetur facultas, consignare solebant. De Rubrica Persius *Satyr. 3.*

Hujus usus.

Excepto si quid Masur rubrica vetavit.
Et in Legibus notandis, id quod diximus, observatum fuisse, Juven. innuit *Satyr. 14.*
—perlege rubras Majorum Leges.
Tradit idipsum Petrus Georgius Tholosanus in præludiis optimi Jureconsulti *lib.2.cap.23.n.11.* & Rainald. Corsus *lib.3. Indagation. Iuris cap.2.* quanquam etiam videri possunt Veteres propterea Legum rubricis usi, ut Majestas Legibus accresceret, capitibus earum sinopide aut cinabari notatis & insignitis; & sanguineum quiddam ac cruentum fortasse etiam minantibus. Itaque à Prudentio contra Symmachum *lib. 2.* ita scriptum est:
——dicant, cur candida sit Lex (tur.
Bis sex in tabulis? aut cur Rubrica mine-
Quæ prohibet peccare Reos? quod ferrea fata Cogunt ad facinus
Qua de re videatur Adrianus Turnebus *lib.4. Adversar. cap.2.*

Cedro digna.

5. *Cedro digna locutus*) Proverbialis hæc est locutio, de eo usurpata, cujus oratio propter verborum nitorem, ac gravitatem sententiarum promeretur immortalitatem; ac ejusmodi judicatur, ut ad posteritatem debeat transmitti. Quò haud dubiè Horatius allusit, *de Arte*, cum ita canit: *Animos ærugo & cura peculi*
Cũ semel imbuerit, speremus carmina fingi
Posse linenda cedro, & levi servanda cupresso?
Negat poëta, posse animos avaritia inbutos adfingenda digna carmina se convertere. Digna autẽ ea censeri, quæ conscribenda sunt chartis illinendis oleo cedrino, & contegendis utraque cupressi tabella, ut diutius serventur, quemadmodum Joh. Baptista Pignea rectè interpretatur. Hinc Numæ libri tot infossi duraverunt annis, quòd & cedri succo obducti, & cedrinis candelis essent obvoluti, ut ex Plinio colligitur: ne vel à tineis blattisve attingerentur; vel ab aere ambiente læderentur, corrumperenturve. Curaverat scilicet

Numæ libri diu incorrupti servati.

licet Numa, antequam ex hac vita migraret, libros, qui secum humandi infodiendique erant, duplici munimento, cedri nempe succo, quod Cedrium est; & candelis ex eadem materia confectis circumdari. Cedrio quidem: quo comodum & utile corruptioni interius genitæ remedium pararet. Candelis autem; quibus exterius advenienti obviam iret. Cedrium enim cum ob insignem sui amaritudinẽ, tum ob excellentem quam habet siccandi facultatem, non solum valet caussam corruptricem interiorem ad breve tempus compescere: verùm etiam rem semel sibi creditam in immensum tueri ac conservare. Testatur id medicata in Ægypto cadavera ante annos propè ter mille, Platoni jam olim in Phædone celebrata, quæ ad hunc usque diem non sine magno inspicientium stupore incorrupta perdurant: vulgus Mumias appellat. de quibus videri poterit Philipp. Camerar. *cent. 2. operar. succisivar. c. 78.* Verùm ea funera consuesse farciri seu medicari cedri succo, Melchior Guilandin. in egregio suo tractatu De papyro *membro* 24. ex Dioscoride & Galeno probat: qui cedrium à quibusdam vocari tradunt custodiam mortuorum corporum, sive particularum emortuarum. Idipsum & Plinius cõfirmat *lib. 16. cap.* 11. ubi Cedrii tantam vim esse scribit, ut in Ægypto corpora hominum defunctorum eo perfusa servẽtur. Et *lib. 24. c. 5.* ait: Cedri succus defuncta corpora incorrupta ævis servat, viventia corrumpit: mira differentia, cum vitam auferat spirantibus, defunctis pro vita sit. Numa itaque libros, ut diximus, Cedri succo illevit, quò humiditati interius putrescẽti, & in nativum calorem grassanti, eundemq; sensum exstinguẽti utile remediũ pararet, & chartas à tineis blattisque vindicaret, atque tutas redderet. Cæterum candelis Cedrinis ideò obduxit, ne aeri,

Cedrii vis.

Mumia.

qui adventitia, & exterior corruptionis caussa censetur, facilis ad interiora via pateret: sed ipsa quodammodò candelarum undique arctè circumjacentium pinguitudo obstaculum esset, quo minus substantia chartarum ab ambiente contingeretur, atque ejus injuriæ obnoxia fieret. Quod pluribus & evidentibus argumentis exsequitur doctissimus Guilandinus loco jam allegato.

6. Opisthographos) Opistographi quoq; mentionẽ facit Ulpian. *in l. charta 4 ff. de bonor. poss. sec tab.* quod Accursius ligneã interpretatur tabulam, in qua scripta erãt debita: ab opibus & grapha, quasi scripturam opum tuarum dicas, si appellatum: Notatione planè inepta & ridicula: cum potius is in Opistographo testatus Ulpiano dicatur, qui tam à facie, quàm à tergo scripta exaravit, quemadmodum & Opisthographa charta ea intelligenda, quæ utrinque, atque ita etiam in tergo fuisset scripta ab ὄπισθεν, hoc est, post sive retrò, & γραφὴ scriptura. Veteres sanè in adversa tantum chartæ facie scripsisse legimus: vel propter chartæ vitium. Tradit enim Plinius *lib. 13. c.* 12. de charta augusta, nimiam ejus tenuitatem non suffecisse calamis, ad hoc transmittentem literas, lituræ metum attulisse adversis, id est, iis quæ in adversa parte essent exarata: quo sensu Apollinaris *lib. 2. ep. 9.* erubescere se ait Epistolæ tergũ madidis sordidare calamis: Vel ut è regione adjicere, quæ opus forent, liceret. Adversa enim pagina folii prioris, & adversa sequentis contra se positæ facilẽ & unum quasi intuitum exhibent eorum, quæ utrobique scripta sunt. Cum igitur, quod fiebat contra consuetudinem, in aversa quoque chartæ pagina scriberetur, hoc genus librorũ, Græco nomine, Opisthographos appellarunt, quasi dicas, in tergo scriptos. Quæ ratio scriptiõis, quia de usu communi deflectebat, poëtis ansam

Opistographum. Accursius notatus.

Veterum communis scribendi mos.

Iuvenalis explicatus.

sam præbuit, Opisthographa, ceu scripta odiosa verbositate prolixa exagitādi. Sic Juvenalis suæ tempestatis poetas notans, Eos ait longitudine poematum & Opisthographis suis tæditum & molestiam auscultatoribus attulisse. *Satyr.* I. in prim.

—summi plena iam margine libri
Scriptus & in tergo, nec dū finitus Orestes.

Quibus verbis Tragici cujuspiam fabulam prolixam & verbosam carpit, quippe cui nec Chartarum margo, nec terga, hoc est, paginæ aversæ, quibus Opisthographum notat, fuerint satis. Et Martialis *lib. 8.* Picentem quendam festivè irridet, quasi & ipsum epigrammata in Opisthographis, puta longa aut multa, eaque malè nata pangentem:

Martialis.

Scribit in aversa Picens epigrammata (charta,
Et dolet, averso quod facit illa Deo.

Hinc igitur Veterū libros in adversa duntaxat & interiore chartæ pagellæ scribi solitos intelligimus. Unde & volumina dicta, quod sic convolverentur, ut scripturam interiorem pars vacua & exterior inclusam contegeret. In aversa autem parte si quid nonnunquam exaratum esset, id præter morem factum, & in usu sæpè viliore habebatur, ut involucrorum & cucullorum. Itaque Horatius casus libro suo imminentes quasi præsagiens canit. Eum, cum vilescere cœperit, aut in exilium missum iri, aut Opisthographum, hoc est, integumentum literarum, quæ peregrè mitterentur, futurum. Literat enim, ut annotat doctissimus Interpres chartâ aliâ plerunque interius scripta, foris & in tergo vacuā operire, inque ea parte titulum exarare ostendentem quò pertinerent; deinde lino vinctas obsignare consueverant, atque ita charta, qua literæ operiebantur, fiebat Opisthographum. Sic igitur ille librum suum alloquitur:

Opisthographa plerunque viliora.

Pro literarum integumento.

Cōtrectatus ubi manibus sordescere vulgi
Cœperis, aut tineas pasces taciturnus inertes,
Aut fugies Vticam, aut vinctus mitteris Ilerdam.

Idem propemodum suo ominatur libro Martialis *lib. 4.* nisi docto Apollinaris judicio probetur:

Nec ronchos metues malignos,
Nec scombris tunicas dabis molestas.
Si damnaverit, ad salariorum
Curras scrinia protinus licebit.
Inversa pueris arande chartâ.

Ea tamen Plinius commendat.

Plinius tamē junior, tacita quadam commendatione Opisthographos nominat *lib. 2. Epist. ad Macr.* Ubi scribit ab avunculo sibi relictos Electorum commentarios centum sexaginta, & eos quidē Opisthographos literis minutissimis exaratos, &c. Quam scribendi rationē videtur secutus vir ille πολυγράφώτατος, necessitate quadam adductus, ut nimis excrescentem alioqui numerum Voluminum Opisthographis contraheret. Diaria tamen & rationes excepti & expensi à tergo scribebantur, sic enim illud Juvenalis *Satyr. 6.*

—longi relegit transversa diurni

Vetus interpres de *Ratiocinio* diurno accipit in transversa parte scripto, ut notat Savaro *ad Sidon. Apoll. d. Ep 9. l. 2.* His addantur, si placet, quæ ab hoc loco non aliena scripta reliquerunt, Alexander ab Alex *lib. 2. Genialium dierum. c. 30.* & Johan. Corasius *lib. 1. Miscellaneor. c. 18.*

Virgilius.

7. Recitavit & Virgilius) Servius Grammaticus auctor est, Virgiliū poëtam tres libros Æneidis suæ Augusto recitasse; secundum, quartum & sextum. Sed sextum maximè ob Octaviam Augusti sororem, Marcelli matrem: quē Marcellum Augustus sibi adoptaverat, qui periit año decimo octavo, valetudine correptus. Hæc igitur Octavia cū recitationi interesset, & Virgilius ad carmina illa venisset, circa finem sexti libri, quæ Marcelli luctum describunt; defecisse illa dicitur, cum ad illud ventum est:

Hem

Heu miserande puer, si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris.

Octavia donatus.

Ægrè autem refocillata Octavia, silentium Virgilio imperasse fertur, & dena sestertia pro singulis versibus dari jussisse: qui numero sunt unus & viginti. Quod si est verum, Virgilius paucis versibus supra quinque millia aureorum meruit: ex supputatione Budæi *l.3 de Asse & ejus partib.* Cæterũ de hoc recitandi sive declamandi studio, habes apud Quinctilianũ *in Inst. Orator.* inprimis verò apud L. Annæum Senecã *in Controversiarum & Declamationem libris* Quibus non incom̃odè adjungi poterit, quod de Agone Capitolino scriptum reliquit eruditissimus ille, & ad Policleti normam planè efformatus Josephus Scalig. *lib.1. Auson. lection. c.10.* Argonem enim istum Capitolinum institutum ait à Domitiano, ut die duodecimo ejus & Sergii Cornelii Dolabellæ cõsulatu cum poëtæ, tum histriones, scenici, & omne genus artifices in eo, ludorũ Olympicorum exemplo certarent. In quo qui vicissent quercu coronabantur: quam Juvenalis Capitolinam vocat.

Agon Capitolinus.

Victores querna corona donati.

An Capitolinam speraret Pollio quercum?

Martialis Tarpejam, eodem planè sensu:

O cui Tarpeias licuit contingere quercus!

Qua & Olympia.

Ausonius Olympiam vocat, quòd ut dixi ludorum Olympicorum exemplo Agon iste esset institutus: In eo quoniam Atticus Tyro Delphidius vixdum pubes quernam sive Capitolinam hanc coronam meruerat, hoc est, poëta coronatus fuerat, ita eum compellat:

Sertum coronæ præferens Olympiæ
Puer celebrasti Jovem.

Statius.

Statium quoque poëtam idem Scaliger scribit in eo agone post incredibilem totius Urbis exspectationem, tandem Thebaidem suam recitasse: Sed ut Juvenalis utamur verbis, *fregisse subsellia versu*, hoc est, recitantem non stetisse, sed & excidisse: hoc est, non placuisse, atq; alios contra ipsum fuisse coronatos. Recitationes autem originem & genus scripti, itemq; locum modum, tempus, tum auditores, finem & fructum ex optimis quibusq; auctoribus diligenter collegit Matth. Raderus *in comment. ad Mart l.10. Ep.71.* Atq; ea consuetudo, inquit, utinam hodiè vigeat inter doctos! emendatiores sæpe doctioresq; libros evolveremus. Ex Capitolino porrò agone isto, in quo poëtæ, Rhetores, aliarumque professionum homines coronabantur ab ipso Imperatore, promanasse putat idem Scaliger laureatorum poëtarũ morem, de cujus concessionis liberalitate, ne facilitate dicam, forsan non injustè Justus Lipsius jã olim conquestus fuit in Satyra Menippea.

Recitationes.

Laurea poëtarum.

8. Media de nocte ad studia accedebant) Pertinet enim ad diligentiam, somnũ discutere Quod si in ulla alia certè in Legali disciplina quàm maximè requiritur: cum proditum sit, Vigilantibus & non dormientibus jura subvenire *l. pupillus ff. quæ in fraud. l. creditor.* quæ vel ideò maximis cũ vigiliis addiscere par est, cũ non nisi multis cum vigiliis facta sint & constituta. *§. quorũ utramq; in proœm. Instit. l. si quando. C. de inoff. testã.* Testatur enim Justinianus, se fuligines lucubrationum ebibisse, & pro dei luce intempestam noctem sæpissimè usurpasse, ut juxta id, quod maximè societati nominum & justitiæ expediret, jura promulgaret, & sibi quodammodò vitam produceret *§ 1. Authen Vt iudic. sine quoquo suffrag.* quoniã prudentissimi vigiliam, vitam dixere; & somnum, mortis fratrem; imò mortis imaginem, ut est apud Ovidium.

Vigilantia.

Iustiniani vigilia.

Somni descriptio.

Stulte, quid est Somnus, gelida nisi Mortis imago?

cum nihil sit, quod propius ad similitudinem

nem mortis accedat, quodq; illam magis repræsentet, quā *somnus*, cujus lectus sepulcrum est. Inde idem Ovidius arcem sive Palatium somni definiens, in hæc verba erumpit *Muta quies habitat, saxo tamen exit ab imo*

Rivus aquæ lethes.

Et paulò pòst addit.

Ante fores antri fœcunda papavera florēt

Eò quod omnia oblivioni tradantur tam in somno, quā in morte. Papaver namq; inducit somnum & stupefacit. Josephus Quercetanus *in diætet. polyhist. sect. 2. c. 10. fol. 202.* Atq; his suis vigiliis id se effecisse idem Justinianus meritò gloriatur, quod superfluis antiquorū sanctionibus & præceptionibus explosis, preciosissima & optima quæque segregarit, elegerit, vulgarit, & talem prorsus fecerit permutationem, qualem apud Homerum omnis virtutis parentem sapiens Diomedes, aurea arma pro æreis à Glauco Trojano accipiens, fecit. §. *ult. in procem. ff.* Ipsum etiam Aristotelem ferunt, cum se ad quietem componeret, æream sphæram manu tenuisse eo consilio, ut cum diducta dextera dormientis excuteretur, in subjectā pelvim caderet, & sono ip⸗ū excitaret. Diog. Laërtius *lib. 5. de vita philos.* Aristotelem præceptorem egregiè in hoc imitatus fuit *Alexand. Magnus*, qui cum dormitaret brachio extra cubile protenso, pilam tenuit argenteam, supposita pelvi: ut cum nervorum rigorem sopore laxasset, pilæ elapsæ tinnitus somnum abrumperet. *Ammian. Marcellin. l. 16.* Vigilavit itaq; uterque tam pro literis quam armis; dispari quidem fine, eodem tamen imitaturis exemplo quod & à *Iuliano* diligenter factum fuisse, Joseph. Quercet. docet *in diæt. polyhist. sect. 2. fol. 206.* Ideo Raphaël Fulgosius in Scholares invehitur, qui ad scholas mittebant libros per famulos, ipsi autem in lecto jacerēt. *in l. qui sub prætextu. C. de SS. Eccl.* quos etiam Johañes Antheæ & Odofredus detestantur *in c. 1. de summa Trinit.* & Guilhel. Benedic. *in cap. Raynut. verbo Adiecta impub. n. 39. de Testam* atque hos rectius facturos si parentes inanibus sumtibus non vexarent, Hostiēsis putavit *in c. 1. de Offic. test primicer.* Sed & Romani, præclarissimo alioquin viro Scipioni somnulentiam exprobabant, ut est apud Plutarchum *in problem.* cum non oporteat consultorem vel principem dormire totam noctem, ut Homerus prodidit: qui sæpè Agamemnonē vigilantem & insomnem inducit, noctuque cum Principibus consultantem. Sic Euripides in *Iphigenia*, inducit senem cū Rege noctu consultantem, propter silentium & solitudinem, eò tempore ad considerandum & consultandum de rebus gravibus idoneo. Et apud Plutarchum *in Symphoniacis*, Olim nocturnus conventus gravissimorum virorum solēnis fuisse dicitur. Ipse etiā Aristophanes fingit, Lysistratam noctu mulierum conventū convocasse Athenis, ut deliberarent de pace cum Lacedæmoniis componenda. Hinc Noctem poëtæ *Euphronem*, id est, sapientē nominarunt: quia in ea multū sapimus, ex Epicharmi sentētia. Si quid docti inquiris, ait, fac noctu ejus investigationi vaces. Omnia præclara noctu, quam die melius reperiuntur. qua de re videatur elegans Piccarti dissertatio *decad. 7. observat. Historicop. c. 9.* Hinc Scopelianus celebris philosophus & Sophista, ille inter mortales omnes somni parcissimus, uti à Philostrato appellatur, singulis noctibus studiorum, quibus invigilabat, absoluto penso inter ambulandum subinde repetere solebat. *ô nox! tu quidem sapientiæ divinæ obtines plurimū.* Narratur hîc sæpe à vespera in diluculum lucubrationē protulisse. Quod nomine scitissimum inde promi adagium possit, ut *Scopeliano more* dica-

Aristotelis vigilantia.

Et Alexander.

Scholares somnolenti.

Scipioni somnulentia objecta.

Consultatio nocturna.

Scopelianus somni parcissimus.

dicamus eos libris invigilare, qui summè lucernarum fuligines hauriunt & inexplebiliter ac minus justo valetudinem cum somno computant. Ut Ludov. Cœlius Rhod. scriptum reliquit *lib. 20. lect. antiq. c.11.* Hinc *lucernā olere* usurpamus de re meditata, multoque studio elucubrata: eò quod studiosi ad lucernam vigilantes, soleant elaborare, si quid accuratius velint excutere. Inde *Aristophanis & Cleanthis* lucerna propter insignē studii diligentiam ivit in proverbium: ut is ad Aristophanis aut Cleanthis lucernam dicatur lucubrare librum, qui summo studio exquisitaque cura, singula pensitat. Neq; fama caruit Epicteti lucernula, quæ post illius mortem magno ære redemta est, ut Erasm. Roder. tradidit *Chil. 1. cent. 7. a. l. 72.* Et verò falsè ac festivè Samosatenus ridet eum, qui lucerna *Epicteti* Stoici fictili, ter mille drachmis h. e trecentis coronatis emtâ, sperabat sibi noctu ad eam legenti, per quietem obviam iri sapientiam; futurumque, ut similis admirabili illi seni evaderet. Simon Stenius *in orat. de Philip. Rege Macedoniæ.*

Olere lucernam. *Lucerna Aristoph. & Cleanthis.* *Epicteti.*

E contra *Epimenideum somnum* dormire, de somno nimium deditis usurpare solemus, ab Epimenide Cretensi, qui legitur perpetuo somno dormiisse, quadraginta septem annos; aut, si Laërtio credimus, quinquaginta septem, neque paucos postea supervixisse. Eum D. Paulus *Prophetam* appellat: quod non de futuris quidem, quæ sciri non possent, sed de præteritis, verum occultis vaticinari solebat. Quod ipsum divinandi quoddam genus esse, Erasm. Roder. existimat. *adag. Chiliad. 4. cent. 8. proverb. 50. & cent. 2. prov. 76.* Ad redarguēdam verò somnolentiam scitum est, quod de dormiente profertur judice, qui cum à præside excitaretur ut sententiam diceret; semisomnis dixit: *decolletur.* At, igitur de prato; respōdit præses. Ergò *defalcetur*, dixit judex Ventura de Valētiis *in Parthenio litigioso lib. 1 c. 11. n. 24.* Sed utra noctis pars ad vigilandum sit commodior; matutina an vespertina, dubitari possit. Et manè potiùs surgendum, quàm noctu vigilandum, Marsilius Ficinus quinq; rationibus concludit *lib. de Vita San. c. 7.* quibus & hæc addatur; quòd cum spiritus fatigatione diuturna, maximè subtilissimi quinq; resolvantur, nocte pauci crassiq; supersint, studiis ineptissimi. Somno contra recreati spiritus, & membra corroborata, cerebro serviant Petr. Greg. *de Iuris arte c. 44.* Sanè Gallum ideò attributum Mercurio legimus, quod literati & negotiantes vigilare habeant necesse.

Somnus Epimenideus. *Epimenides Propheta.* *Iudicis somnolenti judicium.* *Surgendum mane.* *Gallus cur Mercurio sacer.*

Nec totam fas sit somno consumere noctē. ut est apud Lilium Gregorium Gyraldū *Syntagm. 19. histor. Deor.* frequens tamen fuit antiquis, ut *meridiarent*, hoc est, medio die dormirent, & hoc levi somno & horario diem diffinderent, levandi animi caussa, qui matutinis operis & operibus defatigatus erat. Hinc Varro: *si non insititio somno diem diffinderē, non viverē.* Et Seneca: brevissimo somno utor, & quasi interjungo *l. 12. ep. 84.* ibi enim pro *intervigilo*, legendum esse *interjūgo* monet Savaro, varia meridiantium exempla recensens *in Not. ad Sidon. Apollin Epist. 2. lib. 1. & Ep. 9. lib. 2.* Eaq; in stratis fiebat meridiatio, qualis erat *Grabbat⁹*, per quē Scævola lectulum intelligit meridiando idoneum *l. Seja 2. §. Instrument legatis ff. de instruct. & instrum legat.* Quiescebant meridiè & operarii, ut hodiè Rustici, qui agris colendis exercentur. Inde *merenda* Isidoro dicitur, quod pueri operarii meridient. *lib. 20. c 3.* idque jumentis & equis familiare est: quod veteres eleganti verbo *Interjungere* dicebant; quod est pausam interpōere, interquiescere; à curru ductā metaphorā, in cujus rotis bacillus interjicitur.

Meridiare. *Interjungere.* *Grabbatus.* *Merenda.*

citur, ne circumvolvantur. Martial. *lib. 3. Ep. 66.*

Exarsitq; dies, & hora lassos
Interjunxit equos meridiana.

Sed & qui operas locarunt, invito conductore interjungere h. e. meridianis horis adquiescere, & meridiari posse notat Gothofred. *ad l. Medicis, 26. ff. de oper. liber.* illis verbis: ut adquiescere eos meridiano tempore, & valetudinis & honestatis suæ rationem habere sineret. In omnibus enim operis præcipuè observandum est, ut temporis spacia, quæ ad curam corporis necessaria sunt, liberto relinquantur; ait Cajus in *l. cum Patronus 22. §. fin. d. t.* & in omnibus tempora ad curam corporis necessariam relinquenda monet Neratius in *l. pen. in fi. ff. eod.* Illud quoq; hic monendum putavi, fuisse olim ante scholæ auditorium, locũ *Proscholii* nomine ab auditorio ipso, velo tanquã intergerino pariete disseptũ. Ibi pueros cõvenisse ejus loci præfectum, quem *Proscholum* vocabant (Ausonius *Subdoctorem* reddit) à quo admonerẽtur officii, ut omni gestu, incessu & vestitu se componerent, antequam ad Magistrũ reducto velo accederent. vide Joseph. Scaliger. *lect. Ausonia. lib. 1 c. 15.*

Proscholiũ.

Proscholus.

DE HABITIBUS ET VESTIMENTIS VETERUM TIT. XLIII.

† *Infantes in collo gestabant localia quædam aurea & argentea, quæ* Crepundia *dicebant à Crepando hoc est, tinniendo sic nominata. Ejusmodi in Crepitaculis infantes maximè gaudent, & exhilarantur. Hæc pro cuiuslibet inventione & arbitrio variè effigiabatur. Plautus in Rudente, infantulæ cujusdam crepundia describens, Ensiculum aureum fuisse ait, securiculam item auream: in quibus patris & matris nomen fuerit insculptum, ut deperdita olim filia parentes suos scire posset. Item duas connexas maniculas, & seculam argenteam. Pueri usq; ad decimum tertium annum pallium gerebant quod* † Aliculam Chlamydem *vocabant, ut ex Vlpiano colligitur,* * *Exacta ætate hac,* prætextam *sumebant: quæ togæ genus erat, cujus ora & circuitus purpurâ prætexebatur, & quæ supra humerum dextrum fibula adstringebatur, totumq; latus sinistrum obtegebat, ut postea de virili toga dicemus. Vt plurimum etiam auream & argenteam de collo ad pectus* † *propendentem* Bullam, *& cordis formam repræsentantem gerebant, ut scilicet cor se habere meminissent, sicuti Macrobius testatur lib. 1. Saturn. c. 6. Fuit hoc institutum Tarquinii Prisci, Quinti Romanor. Regis: qui cum de Rabinis egisset triumphum, filium suum annos quatuordecim natum, quod eo bello hostem manu percusserat, & pro concione laudavit, & prætexta ac bulla aurea donavit, quem habitum omnes postea adolescentuli induerunt. Postea cum ad annum decimum sextum pervenissent deposita prætexta* † *virilem sumebant* togam *à tegendo sic dictam: quæ, ut diximus, totum tegebat corpus, & in dextro humero fibula connectebatur aurea aut argentea, prout cuiusque facultates ferebant. Atque hanc quidem magna cum pompa & solennitate sumebant in- v tatis ad eum actum Concilio civitatis, amicis & cognatis: ac quilibet unum aut*

1. *Localia sive crepundia.*

2. *Chlamys.* * *l. vestis 23. §. 1 de aur. & arg. legat. Prætexta.*

3. *Bulla.*

4. *Toga virilis.*

aut duos largiebatur denarios: quod tanquam regium quoddam habebatur munus, ut Plinius Nepos narrat in epistola quadam ad Traianum scripta. Sed & Oratio ipsorum gratia habebatur, & dies ille Tyrocinii dicebatur, eò quod Tyro novitium designet militem, ut Seneca in Declamationibus censet. Idcoque Augustus duodecimum & decimum tertium Consulatum ultrò petiit, ut C. & Lucium filios, amplissimo praeditos magistratu, suo quenque tyrocinio deduceret in forum. Eo die Equites parmâ & hastâ aurea eos donarunt. quae postea ipsis mortuis in curia fuerunt suspensa, referente Dione lib. 55. Ideoque in Numismatis togati conspiciuntur, cum duobus scutis, & lanceis, atque hac inscriptione C.L. PRINCIPVM IVVENTVTIS TYROCINIVM. Idem & alio quodam Domitiani Numo significatur, in quo toga duabus hastis sustentata conspicitur, hoc titulo: PRINCEPS IVVENTVTIS. Ipse quoque Nero virilem sumens togam, deductus in forum Tyro, populo congiarium, militi donativum proposuit: indictaque decursione praetorianis, scutum suae manu praetulit; exinde patri gratias in Senatu egit. Togam communiter portabant caeruleam, aut alterius coloris: nunquam verò atram vel pullam, nisi in funeribus: Albam autem tum inprimis, cum ad spectacula accederent. quo colore & Senatores utebantur. Vnde & Ordo candidatus dicitur: & Gellius ait, P. Scipionem judicio postulatum veste candida, quae senatoria erat, usi non desiisse. Nunc de fibula dicemus; qua Toga adstringebatur.*

Tyrocinium.

Toga cujus coloris.

*Lib 1 C. Theodos de habit quo intr. Vrb. uti oport.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

1 Crepundia.

INfantes in collo gestabant) Crepundia pueros in collo gestasse, vel Plauti docet *Cario*: qui Militi illi glorioso eam corporis partem, qua Viri dicimur; abscissurus; Jamdudũ, ait, gestio mœcho hoc abdomen adimere, ut faciam quasi puero in collo pendeant crepundia. Hæc & Crepitacula dicta fuerũt, à crepãdo sc. quod ob frequentem crepitũ in deliciis puerorum essent, & ad fletum sedandum plurimũ facerent. Mart. garrula sistra appellat, *l. 14.*

Si quis plorator, collo tibi vernula pendet,
Hæc quatiat tenera garrula sistra manu.

Variè effigiata.

Variè autem effigiabantur Crepundia: & in his parentum quoque nomina inscribebantur, ut amissis forsan liberis cognosci possent. Plautus *Rudente*:

PA. *Sunt crepũdia.* DAE. *Ecca video.* GR. *perii in primo prælio.*
D. *Mane, ne ostenderis. quæ facie sunt? responde ex ordine.*
P. *Ensiculus est aureolus primùm literatus.*
D. *dice dum*
In eo ensiculo literarum quid est? P. mei nomen patris.
Post altrinsecus est, securicula ancipes, item aurea, (est.
Literata. ibi matris nomen in securicula
Et mox: *Post in sicilicula argenteola, & duæ connexæ maniculæ.*
Et sucula. GR *quin tu i directa cum sucula & cum porculis.*

2 *Aliculam Chlamydem)* Ait Ulpianus: Puerilia vestimenta sunt, quæ ad nullum alium usum pertinent, nisi puerilem: veluti togæ prætextæ, aliculæ chlamides, pallia, quæ filiis nostris comparamus. *l. vestis 23. § puerilia. ff de aur. & arg. leg.* Prætexta:

pensam censet: ut admonerentur illius, quod dici solet: HOMO BULLA. Nec ulla fieri potuit verior comparatio ad vitæ humanæ fragilitatem ostendendam. Etsi autem Auctor noster Tarquinij Prisci Filium, primum omnium ea ætatula Bulla donatum fuisse ait: proditum tamen est, etiam Hersiliæ filium adhuc infantulum, ab ipso etiam Romulo, gestamine eo fuisse decoratum. Spoponderat scilicet Romulus, cùm Sabinas raptas consolatũ venisset, se eius infanti, quæ prima sibi civẽ Romanum esset enixa, illustre munus daturum, ut est apud Macrobium Nec dissimulandum hoc loco est, quod Scaliger ad illa Varronis verba: *Quod pueris turpicula quædam res in collo suspenditur*, notet: Fascinus vel Fascinum dicitur Veretrum. Horat. *Epod. 8.*

Hæc primum quis donatus.

Fascinum.

Minuve langues fascinum.

Ita dictum quod depelleret fascinationes: itaq; pro amuleto è collo pueris suspendebatur. Cujus rei rationem ex historia eliciendam censet Cœlius Rhodig. *lib. 4. lect. antiq. c. 6.* & meminit Gualtherius in comment. *ad d. Epod. 8. Horat.* Minus obscænum autẽ & honestius multo est amuletum illud, quod inter alia Joan. Langius Medicus eruditissimus recenset & prærogativam habere scribit *lib. 2. epist. Medic. 36.* Corallium scilicet rubrũ collo infantium vel puerorum appensum, aut armillis insertum in brachioque gestatũ. *Alyssum* quoque herbam domi ad lacunaria suspensam, salutare refert Dioscorides esse contra fascinationes, hominum quadrupedumq; generi: Sed & *bacharem* herbam bene olentem Virgilii poetæ freti testimonio, contra fascinum pollere ajunt singulari vi cum *in Bucolicis* ita canit.

Cur pueris appensum.

Amuletum Langii.

—Bachare frontem
Cingite ne vati noceat mala lingua futuro.

At illud quod Aristoteles de Rosa tradit, quam comestam fascini ait obtundere vives ob rationem quam reddit, plus fidei meretur *sect. 20. problem. 34.* sed ut ad Bullas, puerorum revertar, solebant illi virilem sumentes togam, Penatibus & Laribus bullam consecrare: sicuti gladiatores gladios; pugiles cestus; servi catenas; nautæ naufraga navigia; equites lanceas & equites cataphractos. Virgines nupturæ puppas suas dicabant Veneri. Et qui erepti fuerant ex aliquo ingenti periculo, vel labore, vel metu defuncti, indumenta sua tanquam anathemata & donaria Servatori Deo in ipsius templo vel alibi consecrabãt, ut ex illis Virgilii versib. *Æneid. 12.* colligitur:

Bulla Laribus consecrata.

Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti Divo & notas suspendere vestes.

quos versus ad hoc inducit Gualtherius ad Horatii *Oden. 5. lib. 1. carm.*

4. *Virilem sumebant togam)* Deposita puerili prætexta sic dicta, quod purpura prætexebatur, virilis induebatur Toga: quam puberes jam effecti ut plurimum accipiebant, & in forum, indeque in Capitolium à patre proximisque duceban tur. Unde Seneca: " Tenes utique memo- " tia, quantum senseris gaudii, cum Prætex- " tâ posita sumsisti virilem togam, & inforum deductus es. Prætexta enim ingenuorum puerorum erat, antequam puram togam induerent, quo tempore si quid peccassent, non pecuniam solvebant, sed anguillarum tergoribus molle mulctabantur. Cœl. Calcagn. *Ep. 1. lib. 3.* Atque ii, qui in forum ita deducebantur, Tyrones, quemadmodũ & dies, quo deductio fiebat, Tyrocinium dicebatur. Adrian. Turnebus *lib. 12. Adversar. cap. 6.* Nullum autem certum sumendæ ejus tẽpus erat constitutum: dumodò post pubertatẽ id fieret, quippe Octavius Augu-

Toga virilis.

Tyrones.

Quo tempore sumta toga.

ſtus annorum ſedecim; & Cajus Cæſar in undevigeſimo; Nero autem vix pubeſcens togam virilem ſumpſit, quo maturior Imperio videretur Divus quoq; Antoninus Philoſophus, & ex Cæſaribus complures in quintodecimo virilē ſumſere togam, tunc cum præceps & lubrica Juvenum ætas videbatur, ut eſt apud Suetonium, Dionem & alios; itemq; Alexandrum ab Alexand. *lib. 5. Genial. dier. c. 18.* Sed & Tarquinius Victor de Sabinis filiū annorum quatuordecim, qui hoſtem percuſſerat, prætexta & bulla aurea donavit: ut idem docet Cœlius Calcagnin *Ep. 1. lib. 3.* Alioquin Servium Tullium Regem populi Rom. juvenes annorum ſeptendecim, quod inde ab eo tempore idoneos jam eſſe Reip. arbitraretur, milites ſcripſiſſe, teſtatur Gellius *lib 18. Noct. Attic. c. 28.* & hoc Servii inſtitutum *Grachiana lege* confirmatum eſſe Liv. teſtatur *lib. 25.* & Plutarch. *in Gracho.* At conſtitutio *legis prima C. Theodoſ. de Tyromb.* decimum nonum annum in eligendo Tyrone requirit. Singulariter verò notandum eſt, non infrequens eſſe, ut Heroum & principum liberi etiamnum adoleſcentuli ardua & conſulta negotia feliciter explevisſe legantur. Sunt quippe occulta quædam virtutum ſemina Regibus ingenita: quæ, ſi adoleſcere ſinantur, repente fructum ferunt induſtriæ & gloriæ, ſupra aliorum mortalium facultatem, & ante tempus Naturæ legibus præſtitutum, quaſi præcoci fruge. Sic enim Achilles vix dum ſex annos natus, feroces leones ſagitta trucidavit & apros: adeò ut Dianæ & Minervæ mirabilis eſſet, feras ſine retibus & canibus, pedum velocitate, & manuum robore conficiens, & ſe Peleo Rege dignum exhibens, ſi Pindaro credimus *in Nemeis Ode 3.* Alexandrum quoque cui poſteà ex rebus geſtis Magno cognomentum fuit, juvenili adhuc ætate Macedoniæ regno

Heroum liberi præcocis ſunt frugis.

Achilles.

Alexander.

ſucceſſiſſe, facilè ex eo conſtiterit, quòd cum magnas eluctatus itineris difficultates ad delubrum Ægyptii Ammonis perveniſſet, Sacerdos eum puerum ſeu filiolum ſalutavit tam humanè, quam audacter Demoſthenes appellare ſolebat adoleſcentulum: Contrà Alexander; pro Athenienſium muris (reſpondit) me virum præbebo. Joh. Monach. *in vita Alexan.* Sed Ethnica iſta mittamus, & ad ſacram nos convertamus paginam. At non Salomon parvulus tum puer Sapientiam prudenter petit à Deo, ut juſtè imperare poſſet? & immolatis mille hoſtiis ſenſit ſe litaſſe, & feliciter exoraſſe. Hunc Ignatius Martyr ſcribit *lib. Epiſt cap. 3.* vix duodecimo ætatis anno regno potitum, terribile illud, & dijudicatu difficile de duabus mulieribus pro filio diſſidentibus judicium determinaſſe, & ſententia non minus arguta, quàm æqua Controverſiam valdè ambiguam diremiſſe. *lib. 3. Regum c. 5. c. afferte mihi gladiū. Ex. de præſum.* Joſias certè octennis regnare cœpit, neq; pedem à Juſtitiæ & veræ Religionis via receſſit: Deorum vaniſſimos ritus & Sacerdotes exterminavit: altaria & Equos Soli conſecratos ſubvertit, & lucos ſuccidit, in quibus verus cultus impia ſuperſtitione profanabatur, ut populus Deū verum, cœli & ſolis, & mundi totius auctorem cognoſceret ac coleret. *4. Reg. 22. & 23.* Sed & Romanorum quoq; Imperium in Octavium Auguſtum, ſatis adhuc juvenē, translatum fuiſſe, ex M. Tullii, qui conatibus ipſius valdè faverat, epiſtola quadam, qua facti ſe pœnitere teſtatur, non obſcurè cōſtat. Ego, inquit, Rempu. "ſefelli: Ego ipſe Senatum ſibi manus af- "ferre coegi, cum te Junonium puerum, & "matris tuæ partum aureum eſſe dixi. At te "fata patriæ Paridem futurum prædica- "bant, qui vaſtares Urbem incendio, Ita- "liam bello: qui caſtra in templis Deorum "immorta-

Salomon.

Joſias.

Auguſtus.

» immortalium; Senatum in castris habitu-
» rus esses; ut ex Vell. Paterculo *lib. 2. Histo-*
» *riar.* retulit Stephan. Forcatulus *lib. 1. de Gallor. Imper. & Philosoph.* Augustum autem Cicero Junoniū puerum dixit, tanquam Junone procreatum, quemadmodum & Plautus Militem suum gloriosum (ridiculè quanquam & jlocaliter) *Venereum nepotulum* indigitavit. Nam & doctissimus M. Varro utile regnis & civitatibus dixit, ut proceres, viri fortissimi, animi & corporis viribus præcellentes, se Diis genitos suaderent & crederent; ut ita humana mēs cœlestis stirpis fiducia res magnas moliretur, & ardentius conficeret. Quo respexisse videtur Plato, dum in Cratylo censet Heroas omnes ex Deorum amorem erga Mulieres, vel virorum erga Deas fuisse genitos, & nomen accepisse ἀπὸ τοῦ ἔρωτος, ab Amore. Hinc Æneas ille Trojanus Veneris filius lepido commento habetur: Romulus, Martis & Rheæ Sylviæ Vestalis proles. Et filii Dei, Mose attestante, connubia mortalium mulierum elegerunt, quæ perpulchræ erant. Unde geniti fuerunt viri potentes & famosi *Genes. 6.* Sed eò tamen excrevit Alexandri Macedonis insolentia & ambitio, ut non satis esse putans, se & virum esse, & Regē, & Magni nomen obtinere; nihil non egerit, ut Ammonis Jovis filius haberetur. De quo ut est apud Gellium *lib. 13. Noct. Attic. c. 4.* questa est sæpiusculè Olympia mater, quia se Junonis pellicem insimulari doleret à filio, victoriis ingentib. & assentatorum blandimentis supra fidem elato, qua Alexandrū partu edente Dianæ Ephesiæ templum conflagrasse fingitur, quòd scilicet Diana cum in partu adesse voluisset Olympiæ, abfuisset domo, referente Tullio *lib. 2. de Natur. Deor.* Verum divinitatem hanc ipsius Philosophus quidam ridens, cum Medicum videre ægrotanti ipsi jusculum quoddam præparare;

Junonius puer.

Heroum origo cur ad Deos relata.

Alexander Iovis filius.

Olympia.

Deus noster, inquit, salutis suæ spem in jusculo habet repositā, q; eleganter recenset *Guazzus noster*, in egregio suo tractatu, *De conversatione civili, lib. 1.* quē ex Italico Latinū fecimus, quanquā non desunt, qui insimulatā hanc divinitatis affectationem non improbabiliter excusent: Nam quod illi toties exprobatur, q; Deus videri voluerit; id apertè respōso ejus verissimo leniri dicunt: ut qui in Ægypto Jovis filius ab Ammonis sacerdote appellatus; Nihil mirandum, responderit: Jovem enim omnium naturâ patrem esse, & optimum quemque sibi adoptare. Plutarch. *in Apophthegm. Alexandri.* A qua sententia non abhorruisse videtur Apostolus, Aratum vatem de Jove loquentem imitatus: Ipsius enim, inquit, genus sumus. *Acto. 17. v. 28.* Sed & cum assentator quidem divinitatem illi tribuisset valdè tunc saucio; Rex protinus digito ostendens: Hoc (inquit) sanguis est, non autem

Ille cruor Divis qualis solet esse beatis.

quanquam id Anaxarcho quidam adscribunt, ut est apud Laërtium *in Anaxar. ho.* Sic Antigonus ex gravissima ægritudine sanitati restitutus, Hodie, *inquit*, didici ex morbo meo me esse mortalem, Joseph. Quercet. *in Diatetico polyhist. sect. 1. c. 8. fol. 75.* Et Cambyses, cum Apim confoderet, moriique cerneret, Deū esse ideo negavit, quia vulneribus & corruptioni obnoxius esset. quod *idololatris* etiam atque etiam inculcandum censeo, ut cogitent; Deum omni labe superiorē esse: qui aciei ferri, vel etiam arrosioni murium non subjaceat. Sed impudentior tamen multò, & nequaquam ferenda fuit illius Monstri hominum C. Caligulæ affectatio, qui præterquam quod ægerrimè tulit, quod *Iuvenis Augustus* acclamaretur; non fortunas suas laudari inquiens, quòd Juvenis id Imperiū obtineret sed reprehendi se, qui ea ætate tantum principatum gereret:

Alexander excusatus.

C. Caligula.

non tantum Deũ se vocari passus est, sed & cum Luna se coire, & à Victoria coronatum esse videre voluit: mox Jovem se fingebat, sæpè Juno, Diana, Venusq; fiebat, mutato cum nomine etiam omni habitu, deniq; compositione vestitus & ornatu imposito sibi ac circumjecto mirificè variabatur, quidvis potiùs quàm homo videri cupiens, ut est apud Dionẽ *lib. 59. hist. Rom.* A quo & hoc relatũ video, quod adstante aliquando Vitellio, cum jactitaret Caligula, se cum Luna coire, & amplexibus ejus frui, interrogaretq; Vitellium, an Deam secum coeuntem videret? Ille non minus adulatoriè, quàm festivè respondit; Minimè Domine: *tantummodò enim vobis Diis licet inter vos videre.* Ridiculæ quoque istiusmodi stultitiæ exemplum præbuit famosissimus ille Persarum Rex, dum, Plutarcho teste, non tantum mari stigmata & verbera ingessit, sed & ad montem Atho ejusmodi misit Epistolam: Atho, divine, cœlum tangens vertice, noli meis operibus lapides facere magnos & intractabiles: alioquin te excisum in mare deturbabo. Id genus vecordiæ atque dementiæ plura congesta videri poterunt apud Michael Piccartum *decad. 2. Observat. Historicopol. cap. 1.*

Porrò quoniam virilem Togam à puberibus potissimum sumi diximus: non alienum forsan à proposito nostro videri debebit, si de pubertate quædam hic loci disseruero. Hanc non uno eodemque modo æstimatam fuisse à veteribus; Ulpianus in fragmentis docet *Instit. tit. 11. §. ult.* Aliam enim Cassianorum hac de re fuisse sententiam: aliam Proculejorum: aliam item Prisci. Puberem, ait Ulpianus, *Cassiani* eum esse dicunt, qui habitu corporis pubes apparet, hoc est, qui generare potest. *Proculeji* autem eum dicebant esse puberem, qui quatuordecim annos expleverat. Verum *Priscus*, in quem

Jurisconsultorum circa pubertatem diversa sententia.

utrumque concurrit, & habitus corporis, & annorum numerum puberem definivit. Ac licet Ulpianus non exprimat, quænam ex his obtinuerit sententia: prævaluisse tamen Proculejos, non obscurè innuit Tertull. *lib. de virgin. veland.* Tempus, *inquit*, etiam Ethnici observant, ut ex lege « naturæ jura sua ætatibus reddant. Nam « fœminas quidem à duodecim annis, ma- « sculos verò à duobus amplius, ad negotia « mittunt: pubertatem annis, non sponsa- « libus aut nuptiis decernentes: hoc est, ex « annorum numero, non habitu corporis « puberem judicantes. Idipsum & Macro- « bius confirmat *lib. 7. Saturnal. c. 7.* Nam & secundum jura publica, inquit, duodecimus annus in fœmina, & quartus decimus in puero definivit pubertatis ætatem. Ubi & rationem addit, cur tempus fœmellis, duobus annis minus, quàm masculis sit constitutum: vel ut ipsemet loquitur *lib. 1. in Somnio Scipionis*, fœmellæ maturius biennio liberentur: ob votorum scilicet festinationem, vel grande desiderium, ac prævenientem naturæ vim. Celerius namque fœminas augeri atque pubescere, quam mares, quod naturâ humidiore solutioreque sint, etiam Theophrastus tradidit *lib. 1. de causis plãtarum.* Nam quòd citò admoventur generationi fœminæ, non nimii caloris, sed naturæ infirmioris est: sicuti exilia poma celerius maturescunt, robusta serius, ut post Aristotelem *lib. 4. de generat. animalium c. 6.* idem Macrobius prodidit *dict. cap. 7.* quibus adde Didacum Covarruviam *de sponsalib. part. 2. c. 5.* Antonium Guibertum Costanum *tractatu de Sponsalib. & Matrimoniis, titulo de his qui nuptias contrahere poss. num. 16.* Sed quod ad Corporis habitum attinet, quem Cassius solum; Priscus unà cum annorum numero spectandum putavit: id Accursius de obscœna & impudica ipsius pubis, & earum

Fœminæ citius pubescant.

Corporis habitum an pubis inspectionẽ ICtis significet.

rum partium; quæ deformem habent adspectum indagatione interpretatur. Quæ sententia planè juvatur Justiniani auctoritate, qui non tantùm castitate temporum suorum indignum existimavit, quod in feminis etiam antiquis impudicum visum est, hoc est, inspectione habitudinis corporis, etiam ad masculos extendere. *§.1. Instit. quib. mod. tutel. finiat.* Sed & indecoram hanc observationem in examinanda marium pubertate rescecandem censuit *in l. ul. C. quãdo tutor vel curat. esse desin.* Præterea, si minor Majorem se esse dixerit, ex adspectu id probandum esse Diocletianus & Maximinianus voluere *in l.3. C. si Minor se Major.* & quidẽ necessariæ partis, ut Cujacius interpretatur: ut scilicet sciri inde possit, Utrum vigoris emerserint vestigia: quemadmodum iidem Impp. loquuntur in *l. si frater 4. C. qui testam. fac. poss.* Ipsemet etiam Plato *l. 11. de LL.* jubet ætatẽ ad Nuptias idoneam inspectione nudi corporis æstimari. Quo sensu ille apud Quintilianum, nudari filium, atque in conspectu Judicis constitui cogit *declamat. 279.* Eaq; sententia etiam Pontificibus placuit: quorum decretali epistola receptum est, Puberẽ (à pube scilicet, hoc est, pudẽtia corporis ita nuncupatum) eum esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostẽdat, & generare jam possit. *c. puberes 3. Ex. de despons. impu.* qua de re pluribus disputat Antonius Hotomanus *in Dialogo de Barba.* Quod etsi ita se habeat: tamen Jacobus Rævardus nullis rationibus persuaderi sibi posse putavit, tãtam improbitatem Romanos unquam vel conniventibus oculis in sua Republica tolerasse *lib. 4. Varior. c. 10.* Ideoq; Justinianum cum suo Triboniano tanquam omnino bordos & stupidos in reprehensionem vocat; atq; ita rem interpretatur, ut per habitum Corporis non inhonestã & inverecundam illam corporis indagationem aut inspectionem; sed potius universi corporis dispositionem, formam & figuram, sive aliquam ipsius ad liberorum procreationem naturã prorsus idoneam commoditatem intelligat. Quæ interpretatio & pia est, & non parùm juvatur eo, quod Tullius *lib. 1. Officior.* prodidit: Omnes qui sana mente sunt, ea, quæ natura occultavit, removere ab oculis, & quàm occultissimè dare operam ipsi necessitati. Quinimò prisca Romanorum verecũdia non est passa, ut puberes filii cum parẽtibus irent in balneum. Et ubi secretior aliqua necessitas cogit pudendas corporis partes detegi; Leges Romanæ jubẽt, ut id quã honestissimè fiat: nec nisi à matronis probatæ fidei & honestatis inspiciãtur verenda mulierum. Unde cum quidam Rutilius Severus postulasset, custodes apponi Uxori, quæ ab eo diverterat, & negabat se prægnantẽ: Divi fratres rescripserunt, Cõmodissimũ esse eligi honestissimæ fœminæ domum, in quam Rutilii Uxor Domitia vẽiat: & ibi tres obstetrices probatæ & artis & fidei eã inspiciãt *l. 1. ff. de ventre inspic.* Ut taceã, humani corporis structuram, fabricam esse & opificium summæ Trinitatis: ipsã etiam divina scriptura disertè pronunciante, Corpora fidelium esse membra Christi; & templa Spiritus sancti, qui in eis habitet. Non ergò scurriliter, sed graviter, ut juris & justitiæ sacerdotes decet, de his philosophandum: ut gravis est celeberrimi JCti Johã. Dauth. præceptoris quondam mei sententia, in luculento illo tractatu, *De Testam. tit. Qui testãm. fac. poss. n. 146.* Planè masculos ãno 14. etiamsi generare nõ possent, ipso tamẽ facto puberes olim fuisse declaratos; vel ex eo constat, quod his ad 14 usq; annum comæ quidem nutritæ; at pubertatis tempore, hoc est, statim elapso decimo quarto anno fuerint præcisæ. Sic enim Acron illud Horatii *lib. 4. Od. 10.* interpretatur:

Ræuardi sententia pia magis & æquior.

Romanorum verecundia.

Impuberibus coma nutrita.

Insperata tua cum veniet pluma superbia,
Et quæ nunc humeris involitant, deciderint Comæ.

Unde capillati dicti. Impuberes igitur Martialis *Capillatos* vocat:

Et pædagogo non jubente, lascivi
Parere gaudent villico Capillati.

Persius indetonsam Juventutem:

—quisquis indetonsa Juventus
Invigilat siliquis, & grandi pasta polenta.

Persarum mos circa pubescentes. Refert autem Plato in Alcibiad. 1. Persarum regibus pubescentibus, quatuor sapientissimos viros, Regios pædagogos datos: quorum primus Magicam Zoroastris doceret, Deorum cultus & instituta regia: Secūdus, ut omni in vita Rex verax esset: Tertius, ne ulla cupiditate superaretur, atq; ita liber viveret: Quartus, ut impavidus & securus viveret. *Hercules pubescens.* Herculem quoq; pubescentem (quod tempus à natura ad deligendum quam quisque vivendi viam sit ingressurus, datum est) Cicero in solitudines exisse scribit, atque ibi sedentem diu secum multumq; dubitasse, cum duas cerneret vias, unam voluptatis, alteram virtutis; Utram ingredi melius esset. *In bivio sedens.* Is igitur in bivio ita cōstitutus, amœnam primò ac flosculis confestim perituris, voluptatis viam neglexit; & alteram clivosam atque asperam prima fronte elegit, quia ad mirificas delicias & perennes perduceret. Quod etsi Cicero de Herculo illo intelligit, quem Jupiter per adulterium ex Alcumena sustulisse fingitur: Id ipsum tamen de Ægyptio sive Gallico Hercule, Osiride parente sato accipiendum esse, conjecturâ probabile facit Stephan. Forcatulus *lib. 1. de Gallor. Imp. & Philosoph.*

Pubertati proximus. Cæterùm quis pubertati proximus dicatur, id variè definitum videas à Juris nostri Interpretibus. Aliter enim atque item aliter hac de re disputavit Menochius *lib. 2. de arbitrar. judic. quæst. casu 57.* Johan. Corasius *lib. 6. Miscellan. cap. 23.* Anton. Gomezius *lib. 3. Variar. resolut. cap. 1. n. 5.* Viglius Zuichæmius *in §. testes autē Inst. de Testament. n. 11.* Didacus Covarruvias *in Clement. si furiosus in init. 3. part. n. 5. de Homicid. & l. 4. Decretal. part. 2. c. 5. n. 5.* Mihi ut simplicior, ita & verior videtur eorum opinio, qui rem omnem determinantes, Impuberum seu pupillaris ætatis tres esse partes dicunt: Infantiam; & eam, quæ Infantiæ proxima est; & eā, quæ proxima est pubertati. *Pupillaris ætatis tres partes.* Infantiam definiunt septennio. Reliquum tempus, quod Infantiam sequitur usque ad Pubertatem, rursum in duas æquales partes distinguūt: ut qui intra priorem cōsistat, hic Infantiæ sit proximus: qui hanc egressus consistat intra posteriorem, is incipiat verè dici proximus pubertati; quia revera huic sit propior quàm Infantiæ. Itaque pupillum Infantiæ proximum dicemus, qui septem annis major consistat adhuc intra annum decimum & dimidium: pubertati proximum, qui id tempus excessit. Similiter Pupillam Infantiæ proximam definiemus, quæ Infantiam egressa consistat intra annum nonum & dimidium: pubertati proximam, quæ excessit. Idque Accursio placuit *in §. pupillos Instit. de inutil. stipul.* & Bartolus probat *in l. 1 ff. de Novatiō.* quos Hugo Donellus laudat *in l si pupillus 127. de verb. oblig. n. 10.* Sed ut ad Togam revertamur; *Toga antiquissimus usus.* Usum ejus antiquissimum esse constat: cum ipsemet etiam Romulus ea usus fuerit, ut Plutarchus scribit. *Species.* Ejus variæ fuerunt species. Nam & *Prætexta* toga puerilis erat, & Toga *virilis* qua de utraque hactenus diximus: Erat & *pura*, quā à Tyronibus sumi, & albentem amictum Papinio nominari ostendimus:

—albentiq; humeros introduxit amictu,

Toga civilis Rō propria. postremò & Toga *picta* erat summorum Magistratuum. Usque adeò verò Toga Romanorum fuit propria (quemadmodum

dum Græcorum pallium) ut qui jure civitatis Romanæ donarétur, Togati esse inciperent. Per togam siquidē civis Romanus indicabatur. Quò pertinet illud Marciani, quo eos, qui ut cives Romani agere volebant *usum togæ* accepisse scribit *l. 32. ff. de iure fisc.* Unde Virgilius,

Romanos rerū dominos, gentemq; togatā; appellat. Deportatis contrà, & quibus Aqua & Igni interdictum erat, Togam fuisse ademtam ex Plinio colligitur. Is enim *lib. 4. Epistol.* scribens ad Cornelium Minutianum, refert: Valerium Luciniū, qui inter summos caussarum actores habitus fuerit; ob incesti crimen exsulem, cum in Sicilia literas profiteretur, Græco pallio amictum fuisse. Carent enim, inquit, togæ jure, quibus aquâ & igni interdictum est. hos rectè extogatos dixeris cum Plauto in *Curcul.* cui *extogatus est*, qui causarū patronus amplius non est. Sicuti *Togatos* pro *Advocatis* idem ibi accipit. quo modo & *Forenses togæ honorem* causidicis rectè tribuit Symmachus *Ep. 39. lib. 5.* quia Advocati à toga dicuntur Togati *in l. 3. 5. 9. & l. 11. §. filios. C. de advocat. divers. judicior.* & Fori toga eodem sensu usurpatur *in l. 7. & 8. C. eodem tit.* Sic Cyprianus *Ep. ad Donatum.* Sævit, ait, invicē discordantium rabies & inter togas; pace rupta, forum litibus mugit insanum. Atque idē Symmachus *lib. 9. E. 28.* ait, Carterium togæ amicum esse, togæ nomine *advocatos* intelligens. Cujus advocationis usum è contrà tollit *togæ interdictio.* Nam idem Symmachus eadem ad Carterium Epistola scribit, Epictetum, de quo ibi agitur, foro caruisse, & inconsultæ linguæ precium tulisse. Ideoque rogatur ut Epicteto munus orandi postliminio restituatur. Advocationis autem interdictio, pœna erat solennis qua silentium irrogabatur Advocatis qui quid deliquissent *lib. 1. circ. fin. ff. de offic. præsid. l. 1. C. de postul. & l. moris. 9. ff. de pœn.* Francisc. Juretus ad Symmach *ep. 39. lib. 3.* & Johan. Savaro *ad Sidon. Apoll epist. 13. lib. 2. & ep. 4. lib. 6.*

Togati pro causidicis.

Togæ vel advocationis interdictio.

Illud quoque memorabile est, Veteres olim Christianos pallio magis, quod erat simplex & frugale, quam togâ uti solitos. Tertullianus igitur; cum notaretur: quòd indumenta Romana fastidiret, pallioque potius Virtātus uteretur; homo minimè ambitiosus causam tuetur suam, Evitareque se eo habitu & impensam & incommodum respondet: cùm toga, vestis sit admodum onerosa. Ait enim: Conscientiam denique tuam perrogabo, quid tè priùs in toga sentias indutum, anne onustum? habere vestem, an bajulare? Sed & qui anteà togati erant, cum Religioni Christi nomen darent, togâ relictâ, pallium induebant. Inde natum illud dicterium: *A toga ad palliū.* de quo vide Tertullianum *lib. de Pallio.* Pallium autem Græcorum fuit, quibus nunc *Cassiacam* vestem tribuimus, quam à monte Cassio dictam putat Hermolaus referente Cœlio Calcagnino *lib. 4. Ep. 1. fol. 83.*

DE FIBULA TIT. XLIV.

Et notatu & consideratione digna est Fibula, qua Veteres togam subnectebant & quandoque etiam cingulum. Fibula enim superius annexa in sinum fundebat togam, instar veli vento inflati. Inferius & in extrema parte grandiorem habebat acum: cum æreo aut aureo filo: quo efficiebatur, ut illa absque ulla difficultate quasi fluctuans vagaretur, ipsius præsertim acus cuspide in canalicula, quæ in altera Fibulæ parte erat impressa. Facta erat potissimum in cum-

Fibula. Eius descriptio & usus.

in eum finem, ut togam supra dextrum humerum connecteret: in quo duæ illius partes subjectam acum in dicta canalicula stringebant. Nec enim adsuta panno erat Fibula, sed duas togæ partes adstringendo, non verò transfigendo subnectebat. Quapropter supra Fibulam nodus quidam conspiciebatur ex toga, qua cum venustate & elegantia dilatabatur. Eodem modo & Chlamydem connodabat, vestem militarem. Dimicaturi enim, ad pectus eam cum Fibula adstrictam subnectebant, ut Plutarchus scribit in vita Coriolani. Quod ipsum & Virgilius intelligit, cum ita canit:

Aurea purpuream subnectit fibula vestem

Non ait, Transfigit: *quia connectebat tantum & stringebat. Quandoq; etiam Cingulum aut Baltheum connodabant: inprimis verò cum pharetram sagittis plenam alligarent. Quod Virgilius significat in 5. ubi ita ait:*

--- lato quam circumplectitur auro
Baltheus & tereti subnectit fibula gemma

quo ipso innuit, Cincturam illam qua pharetra erat ligata, amiculum, habuisse, lato vel multo auro ornatum: idque connexum fuisse fibulâ, ex tereti sive rotunda gemma; Subnectere enim propriè aggroppare *est. Et Ovid. lib. 8. Metamorph. dixit:*

Rasilis huic summam mordebat fibula vestem.

quia nimirum vestem mordere videbatur.

Varia ex materia.

Fibulam Nobiles & divites ex auro conficiebant, ut ex versibus modò allegatis apparet. Mediocres ex argento Infimi, ex ære aut ferro. Milites argentea utebantur. Aurelianus tamen primùm illis auream concessit, teste Vopisco. Imperatores acum, & interdum etiam fibulam ipsam, gemmeam usurpabant; cujusmodi illa fuit à Virgilio modò descripta, quæ Augusti fuisse creditur cum sæpe numero Regios ipsius habitus describere ille soleat. Multo verò melius ex Leonis imperatoris Lege quadam id colligitur: Ubi Militibus earum quidem fibularum usus conceditur, quæ solo auro & arte pretiosæ, non verò etiam quæ gemmis sint exornatæ, quandoquidem hæ ad solius Imperatoris cultum & ornamentum pertineant. Atque inibi contravenienti quinquaginta librarum auri mulcta imponitur: quæ summa, quinquies mille & quingentos aureos nostrates conficit. Solebant quoque Duces Militibus, qui generoso & virili animo pugnassent, inter alia præmia, & auream fibulam donare, ut Livius crebro meminit. In veteri quodam sepulchro aurea reperta fuit fibula togam quarundam subnectens: sed Toga illa in cinerem fuit redacta auro, quod incorruptibile est, integro manente. Ad ejus exemplum & similitudinem hæc fuit effigiata, quam Serenissimæ Celsitudini Tuæ offero, Eandemque, ut solita hanc benignitate, non tam muneris exiguitatem, quàm animum ad gratificandum ipsi & inserviendum promptissimum spe-

L. un. C. nulli licere in fren. & equest. sell.

ctans,

ctans, dignetur suscipere, submisse rogo, & manibus humilissima cum subjectione & reverentia exosculatis Ei me commendo.

Sub Toga omnes gestabant tunicam breviorem, cuiusmodi Diaconi & Subdiaconi utuntur: & olim à Græcis quoque & Hebræis usurpabatur. Eamq; cingebant omnes † exceptis Senatoribus, qui purpuream gerebant tunicam, Latum-clavum dictam. Eius enim latera globulis aureis connectebantur, quos Latini latos clavos dicunt. Ideoque non cingebant tunicam. Atque hoc vestimenti genus insigne erat Senatorium. Sub tunica habebant Indusium ex lana textum, quod † Subucula dicebatur. Unde Horatius:

1. Latus clavus.

2. Subucula.

--- rides, si fortè Subucula pexæ
Trita subest tunicæ.

† Amiciebantur etiam Capitio: ut plurimum verò Indusiis laneis, si frigus instaret: ac subtus quoque fasciis ligabantur, quas Subligacula aut Perizomata dicebant.

3. Capitium. Subligaculum. Lacerna.

Sub Togis urgente præsertim frigore, induebantur Lacerna: quod pallij genus erat fimbriati, quo Equites utebantur, ut Isidorus tradit: & Martialis lib. 14.

Amphitheatrales nos commendamur ad usus,
Cum tegit algentes nostra Lacerna togas.

† Pluvio tempore, pro Pallio Penulam supra tunicam sumebant, ex corio ac pellibus consutam, ut Martialis eodem in loco denotat. Ingrediebantur absq; Tibialibus, ut in statuis videre est. Ideoque, cum pulvere inquinati essent, cotidiè lavabant. Idem & Quintilianus asserit. Plutarchus scribit, Ciceronem propterea toga usum fuisse oblonga, ut varicosos pedes tegeret. Sed & Pompejus tuberculum in crure exsistentem fascia occultavit: ut periocum quidam dixerit, Eum diadema illud in pede gerere, quod reges gestarent in capite. Exstat etiam in Codice Theodosiano Lex quædam prohibens, Ne quis Romæ brachas portaret. Cum infirmarentur valetudine, Tibialibus induebantur lineis: quæ in ima quoque parte perforata erant, & fasciis constricta, quemadmodum in marmoreis quibusdam statuis vidi. † Eaque fasciæ, Crurules *dicebantur: eò quòd crura tegebant. l. argumento 25. § fasciæ crurules, de auro & argent. legato. Pedites tibialibus utebantur, quæ Latinis* † Caligæ *dicuntur. Unde & Milites* caligati *dicti.* Iidem & Sagum gerebant, & Chlamydem, quam sub mento subnectebant quidem; ad dimicaturi in utrunq; humerum conijciebant, & ut ad pugnam expeditiores essent, cingebant, quemadmodum Plutarchus recitat, & in antiquis monumentis cernitur. Quo igitur nos utimur habitu, quasi cum peditũ Romanorũ caligis, Sago & pallio sive chlamyde communis est. Nobiles & Equites* peronibus *induebantur coreacis, ad genua usque adsurgentibus. Inde ferro armabantur.*

4. Penula. Veteres absque tibialibus.

5. Fasciæ crurules.

6. Caligæ. *L. à caligato. C. de Nuptiis. Sagum. Perones.

 † Calceis

7. Calcei.

† Calceis *utebantur ferè ad exemplum fratrum, qui Capuccini dicuntur: nisi quod hi calceos resti ligant: illi verò laneo cum funiculo adstringebant, ut in multis statuis marmoreis conspicitur. Senatores Lunæ imaginem è purpura calceis adsuebant, quos* Mulleos *appellabant. Caussam hujus rei Plutarchus in problematis hanc fuisse tradit, ut admonerentur varietatis Fortunæ: quæ nunc quidem clara esset, mox obscura: jam media, modo plena. Alii ideo hoc usurpatum dicunt, quo dimidiata Luna centenarium numerum repræsentet. Centum autem Senatores initiò fuisse creati. Dio refert, Senatores olim discalceatos fuisse præterquam si publicè convenissent. Multò magis igitur & alii absq; calceis incesserunt. De quo vel propterea dubitandum minus, quod ipsum etiam † Salvatorem Nostrum maximam vitæ suæ partem discalceatum fuisse constat. Indeq; est, quod ingresso ipsi Simonis leprosi ædes Magdalena pedes cum lachrumis lavit, & capillis siccavit siquidem Simon † lotionem istam omiserat, quæ tamen administrari solebat hospitibus: qui, quoniam absq; calceis ingrediebantur, lotione ea quàm maximè indigebant. Græci pallio utebantur, quod quasi Chlamys quædam erat, collari tamen carens. Vtebantur pallio & Hebræi, sed quod in summitate erat quadratum, ut apud Esaiam, & in aliis Scripturæ locis legitur. Lactantius Firmianus scribit, Salvatoris Nostri vestem, quam milites inter se partiti sunt, pallium fuisse. Tunicam autem inconsutilem, quæ adhuc* Francofurti adservatur, *integram remansisse ei, cui sorte obtigerat. Sorte, inquam, non verò talorum aut aleæ jactu ut vulgus opinatur: † cum alia sit Sortitio, alius talorum vel aleæ lusus.*

Mullei sub Lunæ figura. 1. 2. Veteres utrum calceati nec ne. 8. 9. Pallium Græcorum. Hebræorum. Tunica Christi. 10.

11. Veteres utrum capite tecti, nec ne.

† *Hic magna nascitur dubitatio, Vtrum veteres capitis tegmine, nec ne usi fuerint: quandoquidem neq; in æreis Numis, neque etiam in Statuis illud cernitur. Certe pileo, qui dimidium ovi corticem repræsentabat, non utebantur, ut in æneis videre est Numis. Dabatur enim hisce iis, qui à Servitute erant manumissi, ut alibi à me dictum est. Præterea Suetonius refert, Iulium Cæsarem calvitiei deformitatem Obtrectatorum iocis obnoxiam expertum, deficientem capillum revocare à vertice adsuevisse. Sed cum neque hoc modo tegere calvitiem satis posset, ius laureæ coronæ perpetuò gestandæ usurpasse. Quæ cura supervacanea fuisset, si capitis tegmen fuisset in usu. E diverso idem Suetonius auctor est. Augustum ne hyberni quidem solis patientem, domi quoque non nisi petasatum sub dio spaciari solitum. Scribit etiam Plutarchus quòd cum † Draco rigidissimas suas Leges recitaret, quibus etiam eum, qui vel olera tantùm surripuisset, capite plecti voluerat; populus iratus, petasis & tunicis in ipsum conjectis aufugerit. Hic dici poterit, populo adversus Solem, petasorum usum fuisse. Idem quoque Plutarchus scriptum reliquit, Syllam nemini ad ventanti adsurrexisse, neque etiam caput denudasse, nisi cum Pompeius venisset. Adde, quod & Varro asserit, more Maiorum institutum fuisse, ut ve-*

I. Cæsar calvus. Augustus petasatus. 12. Draco.

ut veniente Magistratu quilibet caput aperiret. Idq; magis sanitatis quàm honoris caussa. Equidem controversiam istam nunc quidem non determino: sed aliis campum hunc, in quo se exerceant, relinquo. Illud constat, quòd anno 1170. & ulterius Bireti *usus fuerit: quod tegminis genus nigrum erat & acutum, ad instar, Pyramidis. Nicetas enim in vita Alexii Comneni, circa finem scribit: quod cum Imperator creatus esset Andronicus Comnenus, pileolo, quem habuerat pullum & acutum ad formam pyramidis, detracto, ejus in locum purpurea sive rubra capiti ipsius mitra fuerit imposita: Postea verò Imperio deturbatus, pristinum illud tegmen receperit, quod ille Barbaricum appellat. Idem Nicetas refert, Balduinum & Richardum exercitus Latini Duces, captos, & ad Isaacum Angelum Constantinopolitanum Imperatorum ductos, detractis biretis, quæ pilei dicebantur honorem Imperatori habuisse Imperatores quoque ipsi, ut diximus, capitis tegmine utebantur.*

Bireti usus

† *Romani omnes radebantur, & capillos gerebant altos digitos duos, & variis annulis intortos. Idq; ad Adriani usque tempora, qui primus barbam aluit, ut sub mento posset recolligi. quod & alii postea sunt imitati, ut Dio refert. Ideoque omnes Imperatores ad Adrianum usque rasi; Reliqui verò barbati conspiciuntur. Anni plus minus quinquaginta sunt: cum barba alicœpta. Antea enim omnes radebantur & cæsariem seu comam nutriebant, ut me vidisse memini. Cum in luctu versarentur barbam & capillos dimittebant, ut ex Ulpiano colligitur.* * *Et Livius decad. 1. lib. 6. ait. Conjecto in carcerem Mantio Capitolino, magnam partem plebis vestem mutasse, & capillũ ac barbam promisisse. Gellius quoq; scribit Scipionem Africanum, aliquando accusatum, capillum & barbam non promisisse, nec etiam candidam exsuisse togam, Quod & D. Hieron: ad septimum Ieremiæ caput adfirmavit.*

Romani an rasi. 13.

Barbam Adrianus primus aluit.

Idque & alii imitati.

In luctu præsertim.

* L. item apud Labeonem §. generaliter 27. ff. de Injur.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Fibula.

MAgnus & frequens fuit Fibulæ, rei putà quàm maximè necessariæ usus. Unde & magnus quoque ipso usu luxus. Vetusto tamen more in Romanis legionibus, solis Tribunis aureas habere fibulas; gregario verò aut manipulari baltheos aut phaleras argento decoratas ferre permittitur. At moribus luxuriâ corruptis, Julius Cæsar, post magnam victoriam, milites tam cultos habere, ut etiam auro & argento politis armis ornarit: atque omnem insuper lasciviendi licentiam passim eis permiserit, jactare solitus, Milites suos etiam unguentatos bene pugnare posse. *Tranquill. in vita Iulii Cæsaris.* Aurelianus certè gregariis militibus, ut per omne tempus militiæ fibulas haberet aureas, privilegium dedit. Idemque Leo Imperator militibus generatim concessit, ut in Chlamydibus uterentur fibulis, quæ tamen solo auro & arte prætiosæ essent. *l. un. C. Nulli licere in fre lib* 11 Hoc amplius de Antiocho proditum est. Eum tã prodigæ luxuriæ Exercitum duxisse, ut præter frena & monilia, phaleras & armillas, atq; ephippia, galeas & arma (quæ militum membra Cicero nominabat 1. *Tusculan.*) etiam clavos

Cæsaris milites.

Aureliani.

Leonis.

Antiochi.

aureos, crepidis subjectos, & argẽtea vasa ad spurcissimos usus; reliquamque supellectilem ex argento auroque intertextã, militibus ferre permiserit. Longè aliter Spartacus ille, qui cum contra Romanos moliretur arma, omnem auri argentique usum militibus interdixit. Et Fabricius Censor summos quoque Duces plusquam pateram & Salinum ex argento in castris habere, edicto inhibuit. Pescennius verò Niger, omni etiam argento summoto, in vasis ligneis milites vesci jussit: simul etiam vetuit, ne Zonam ad bellum, item aureos vel argenteos numos portarent, ne ad hostem aliquid prædæ perveniret: sed Uxoribus & liberis servari volebat, ut est apud Spartianũ *in vita Pescenni*. Ut proinde mirum non sit, Brutum in Philippis fibulas aureas Tribunis ut probrũ objecisse, referente Alexandro ab Alexãd. *lib. 2. genial. dier. cap. 29.* Nec enim Militum ornamenta in auro & pictura atque lapidibus pretiosis consistunt: sed in scuto divulso, fracta galea, gladio hebete, facie vulnerata, & hujusmodi, ut est apud Vegetium, & rectè quidem *facie vulnerata*, quoniam vulnera adverso corpore excepta (quæ Ulysses *ipso pulchra loco* docet apud Ovidium) laudem potius quam dedecus afferre solent, teste Saxone Grammatico *lib. 7. Hist. Danic. f. 122.* Quocirca commendatur gregarii illius militis continentia, qui cùm Maximiani Cæsaris ætate, post Persarum bellum sacculum Parthicum margaritis gemmisque plenum reperisset, abjecisse eum fertur, ac solo pellis nitore contentus abisse. Nec verò turpe sibi putabat Polystratus ille Macedo è Centurionibus Alexandri, ut cum Darium persequeretur, è fonte siti penè exstinctus aquam hauriret, ac biberet in galea. Q. Curtius *lib. 5.* Atqui Juliani Imperatoris tempestate Militũ mores iĩmutatos fuisse Ammianus Marcellinus conquæritur *lib. 22.* Armato, inquit, saxũ non erat cubile, sed pluma, & flexibiles lecti, & graviora gladiis pocula: Testâ enim bibere pudebat, tunc domos ac ædes marmoreas requirebant: cum tamen scriptum sit in Antiquitatibus; Spartanum militem acriter reprehensum, quod procinctus aliquando ausus sit videri sub tecto. Nec tamen ab omni honesti cultus cura Militibus propterea abstinendum putârim: cũ Alexandri Severi institutum laudari videam apud Spartianum in ipsius vita, quòd in Parthica expeditione milites ipsius honestè fuerint vestiti, calceati ad decorẽ, armati nobiliter, equis instructi, & ephippiis, ac frenis decentibus prorsus ut Romanã Rempub. intelligerent, quicunque Alexandri viderent exercitum. Hinc Cajum Grachum legimus primum Romæ legem tulisse, de vestibus publicè militibus dandis, sine stipendiorum diminutione, ut Plutarchus asserit *in vita Grachorum*. Indeq; multò pòst tempore Imperatores Arcadius & Honorius singulis militibus pro chlamydibus suis singulos solidos dari præceperunt; *l. fortissimis. 3. C. de militari veste lib. 12.* ubi per chlamydẽ, non puerilis illa vestis, ut apud Ulpian. *in l. vestis ff. de auro & argen. leg.* sed militaris intelligitur, *ut in cã. si quis. 51. distin.* Exigebatur autem antiquitus pro militaribus vestimentis publicum salariũ, hoc scilicet modo. In Thracia per tricena hominum capita vestis una militaris solvebatur; Idem in Scythia & Mysia In Ægypto & Oriente per tricena tria: Idem in Asia & Ponto. Provinciæ autem orientales anno, quo aurum comparativum conferebant, cogi non poterant ad vestem militarem: exceptis Osdroëna & Isauria, quæ aurum non debebãt. *l. 2. C. d. t. de militari veste.* Militares autem vestes illæ ut ex publico solvebantur; ita & ex publico confici eas & sarciri solitas ex eo conjicimus,

Spartaci disciplina militaris.

Fabricii.

Pescenni.

Bruti.

Vera militum ornamenta.

Polystratus.

Iuliani licentia.

Alexandri Severi exercitus.

Militibus vestes ex publico collata.

Militum vestes ex publico.

mus, quòd Honorius & Theosius voluerunt, quinque partes ejus, quòd collatum esset, militibus erogati: sextam verò partem pro confectione ac textura Gynæciariis, absque ulla vel ipsorum vel publica incommoditate præberi *l. ult. C. eod. tit.* ubi per *Gynaciarios* Claudius Coteræus rectè intelligit eos, qui pannos curabant, vel rudes adhuc tergebant, vel forfice incidebant: opus quidem, quod ferè à Mulieribus fieri solebat. Unde & Gynæceum appellatus fuit locus, in quo opus illud fiebat. Claudius Coteræus *lib.* 1. *de Iure Militari cap.* 33.

Gynaciarii.

Sed ut ad Fibulam revertamur; constat eam etiam Cāpestria sive perizomata significare; quibus Juvenes, qui nudi exercebantur in campo, uti consueverunt, pudendis cooperiendis. Atqui hoc cinctu ita tegebantur, *Cinctuti* videtur appellati fuisse. *Luperci* certe, qui nudi Lupercalibus per Urbem currebant, subligaculis subcincti quòd essent, nomine hoc insigniti fuerunt ab Ovidio *lib.* 5. *Fastor.*

Campestria.

Cinctuti.

Sēcaper coleris cinctutis, Faūe, Lupercis.

Quos verò Ovidius *Cinctutos*; eos Papinius *Succinctos* nominat:

Succincti.

Verbera succinctis formidavere Luperci.

quanquam non tam ad pudenda velanda, quàm ad Venereum coitum reprimendū Fibula adponebatur: ne qui ad Musicam educabantur Citharœdi, itemq; Comœdi & histriones, Veneri operam dantes raucedinem contraherent. Quam in rem exstat Martialis Epigramma, *lib.* 14.

Dic mihi simpliciter, Comœdis & Citharœdis

Fibula, quid præstat? Charius ut futuāt.

Mulieres enim in rem negatam pronæ, magno preio coitum ab histrione conducebant.

Senatores.

1. *Exceptis Senatoribus.*) Senatores Ulpiano speciosæ & clarissimæ personæ dicuntur *in l. speciosas.* 100. *ff. de verborū significat.* ubi quæ Senatoria ornamenta vocat; alibi Magistratus insignis appellat. *l.* 1. §. *casum ff. de postulan.* negās cœcum utrisque luminibus orbatum postulare posse, eò quòd insignia Magistratus videre & revereri non possit. Insignia hæc breviter à Prudentio collecta sunt his versibus:

Horum insignia.

—nonne cursim transeunt
Fasces, secures, sella, prætexta, toga,
Lictor, tribunal, & trecenta insignia
Quibus tumetis?

Sub Toga (de aliis enim alibi, prout occasio feret, dicemus) tunicam habebant Senatores, quæ Latus clavus nominabatur. Nam & Augusto sumenti virilem togam, cum tunica Lati-clavi resuta ex utraque parte ad pedes decidisset, ominis loco quosdam interpretatos Suetonius tradit, futurum, ut is Ordo, cujus id insigne esset, ei quandoque subjiceretur. Habebat autem Clavus Senatorius latiorem purpuram: & eo Senatores ab equestri ordine, cui Angustus-clavus conveniebat, distinguebantur: ut Plin. scriptum reliquit *lib.* 33. *cap.* 1. *& lib.* 9. *c* 36. Discrimen hoc manifestè nobis ostēdit Cajus *in l. nuper ff. de dona. int. vir. & uxor.* Valere dicens eam donationē, quæ honoris caussa fiat: verbi caussa, si uxor marito Laticlavii petendi gratia, vel ut equestris ordinis fiat, donat. Etsi enim inter Virum & Uxorem prohibita erat donatio; ne mutuo & tam honesto amore invicē se spoliarent. Conjuges, donationibus non temperātes; sed profusa erga se facillitate abutētes. *l.* 1 *d. t.* quippe cum Majores conjugalem amorem solis animis æstimârint, & famæ etiam conjunctorum consuluerint, ne concordia precio, quemadmodum meretricii amores, conciliari videretur; neve melior in paupertatem incideret, & deterior ditior fieret. *l.* 3. *ff. eodem*; siquidem gratuitum & spontaneum ut esset totum hoc amare & redamare, non autem mercenarium.

Latus-clavus.

Angustus-clavus.

Senatores ab Equitibus Lato clavo distincti Donatio inter Conjuges cur prohibita.

rium, veteres voluerunt: quibus etiam absurdum visum est, propter individuam Societatem quidquam inter Conjuges reperiri, quod commune non esset, ut est apud Plutarchum *in Problematis*: Etsi, inquam, ob hanc caussam Conjugalis prohibita erat donatio: Tamen, ut Cajus ait, Nuper ex indulgentia Principis Antonini recepta est alia caussa donationis, quā dicimus honoris caussa: ut ecce si Uxor Viro *Laticlavii petendi* gratia donet, vel ut Equestris ordinis fiat. Idipsum, ante Cajum etiam Ulpianus tradidit *tit. 7. Institution.* ubi principalibus constitutionibus concessum esse ait Mulieri in hoc donare Viro suo, ut is ab Imperatore Latoclavo, vel Equo publico honoretur. Quibus in locis Senatorius ordo ab Equestri per Latum-clavum manifestò distinguitur. Unde etiam Laticlavii Senatores Suetonio dicuntur *in vita August. cap. 38.* & Alexandro Imperatori in *l. si Rufinus 4 C. de testam. milit.* Sed & Martialis per Latum clavum intelligit Senatorium ordinem, cum Gelliam, quæ nobilitatem suā jactans Equitem contemnebat, & non nisi Senatori nubere se posse gloriabatur, ita irridet:

Quandoq. tamen permissa.

Laticlavii

Dum proavos atavosque refers, & nomina magna.
Dū tibi noster Eques sordida cōditio est:
Dū te posse negas nisi Lato, Gallia, clavo
Nubere; nupsisti, Gellia cistifero.

Nupsisti cistifero, hoc est, contemtissimo & despicatissimo homini, ut Turnebus interpretatur *lib. 3. Advers. c. 21. & l. 15 c. 4.* Senatores autem inprimis, ut etiam viros illustres sive Magistratus præcipuè vestitus decet elegantia. Sic enim Plinius *Ep. 32. libr. 6.* Cui ratio civilium officiorum necessitatem quandam nitoris imponit: debet secundum conditionem mariti veste, comitatu augeri. Quibus quidem nō augetur dignitas; ornatur tamen & instruitur. Et vestiri in foro honestè, mos erat, domi, quod satis erat, inquit Cato apud Gellium *lib. 11. c. 2.* debet verò munificentiam quanto potest opere comitari magnificentia, quod illud Symmachi nobis suggerit: Scis enim pro tua sapientia, magnæ urbis magistratibus angustos animos non convenire. Hoc etiam Tullius tuus præcepit, luxum in privatis negotiis arguens, in publicis magnificentiam probans *lib. 4. ep 60.*

Vestitus elegantia

2. *Subucula*) Ita vestis appellabatur interior; quæ plerunque solet esse vilior tunicâ superimpositâ: quam preciosiorem esse constat. Unde Horatius Subuculam Tunicæ opponit, hanc *pexam* nominans; illam verò *tritam*. Quomodo & Martialis ait *lib. 2.*

Subucula.

Pexatus pulchrè rides mea, Zoile, trita.

Videtur tamen Hieronymus pexam tunicam accipere pro lacerata & vili, cùm adversus Jovinianum ita scribit: Tunc pexa tunica & nigra subula vestiebaris, sordidatus & pallidus. Sed hunc ipsius errorem rectè notavit Philipp. Beroaldus ad Apulejum *lib. 2. Milesiac.*

3. *Amiciebantur etiam Capitio*) Capitium Nonius pro capitis tegmine accipit: cum id pectori tegendo sit Varroni, ab eo scilicet dictum, quòd capiat pectus, id est, ut antiqui dicebant, indutu comprehendat. *lib. 4. ling. Latin.* Idque ex eodem Varrone *lib. 4. de vita Pop. Roman.* probatur his verbis: Neque id ab orbita Matrumfamilias instituti: quod eæ pectore ac lacertis erant apertis, nec Capitia habebant. Usæ quippe fuerunt ad vinciendum pectus Strophiis & fasciis. His non virginalis solummodò tumor papillarum cohibebatur, ut est apud Martialem:

Capitium.

Strophiū, & fascia pectoralis.

Fascia crescentes Domina cōpesce papillas;
& apud Turpilium: Me miseram, quid agā? inter vias epistola excidit mihi: Infe-

lix

„ lis inter tuniculam ac strophium collocâram, & apud Catullum:

Nō tereti strophio lactētes vincta papillas.

Unde in mammosam quandam Mammillare illud indumentum pelliceam apud Martialem:

Taurino poteras pectus constringere tergo:

Nam pellis mammas nō capit ista tuas.

Sed humerorum quoque iis castigabatur superfluus & quasi luxuriās habitus. Quo sensu etiam accipiendum est illud Terentii, de puellis, quas Matres student esse,

Demissis humeris, vincto pectore, ut graciles fient.

Si qua est habitior paulò, pugilem esse ajunt, deducunt cibum.

Fasciis enim illis, ut dixi, ἰμαντίοις & æquos humeros reddebant: cùm contrà in pugilibus sunt torosi, quas Ovidius propterea Ameletides, vel ut doctissimus legit Scaliger ad Varronē, Omeletides vocat:

Omeletides.

Conveniūt hūeris tenues Omeletides altis.

quanquam *Vincto pectore* esse is quoque dici potest, qui pectore est gracili & castigato. Unde & Festus Pompejus *lib. 19.* ait: Vinciæ dicebantur continentes: credo, quod tales gracilioris & tenuioris sunt abdominis, quam incontinentes, quibus propendet aqualiculus. Turneb. *lib.* 12. *Adversar. c.*11.

4. *Pluvio tempòre penulam sumebant*) Hinc Martialis: *Ingrediare viam cælo licet usq; sereno,*

Ad subitas nusquam scortea desit aquas.

Penula. Scortea. Scortum.

Penulam eam recte appellat Scorteam, quasi ex corio ac pellibus factam. *Pellem* enim antiqui *Scortum* dicebant. Inde in aliquot sacris ac sacellis scriptum haberi „ Varro testatur *lib.* 6. *de Ling. Latin.* Ne „ quid scorteum adhibeatur, ne morticinum quid adsit. Quò respiciens Ovidius „ ita canit:

Scortea non ulli fas est inferre sacello,

Ne violent puros exanimata Deos.

Meretrices cur scorta dicta.

A Scorteis istis pestibus Meretrices quoque Scorta fuerunt appellatæ, & pelles. Nam & in Atellanis licet animadvertere, Rusticos dicere, se adduxisse pro scorto pellucidam, teste Varrone, *loco jam allegato.* Et illud *Levit.* 15. Vestem & pellem, „ quam habuerit, lavabit aquâ; Hesychius „ Hierosolymitanus de Meretricibus interpretatur: vel, quòd pellibus scorteis 1. pro lecto utebantur. Pierius *lib.* 34. *Hieroglyphicon, de pelle:* vel, quòd ut pelliculæ subigantur, ut est apud Festum. Un- 2. de Scortum scorteum Apulejo *lib.* 1. *Milesiacar.* pro meretrice annosa, & instar pelliculæ ac corii rugosa, quæ propterea & *Strictipella* nominari poterat, quòd cutem stringat, & rugas in facie extendat, Tentipellio ad hoc usa. Sic enim Titinnius:

Scortum Scorteum.

Strictipella meretrix.

—tentipellium

Inducis: ruga in ore extenduntur tua:

Scranctia. Stractia. Scrapta.

Id genus Meretrices *Scranctia*, sive *Scractia* dicuntur; vel, ut apud Festum & Nonium legitur, *Scrapta*, hoc est, nugatoriæ ac despiciendæ mulieres: ducta ab iis Metaphorâ, quæ quis exscreare solet, quatenus id faciendo se purgaret. Titinnius in Prilla:

Rectius mecastor Piculeta Postuma

Lectum hodie stratum vidi, Scrapta mulieri

quanquam *Scrantiam* mulierem Scaliger *ad Varronem*, siccam intelligit, quæ tussiendo & exscreando exhausta sit. Nam cum siccæ sunt & arentes fauces, magno & difficili strepitu & roncho velut trocleâ screatum trahimus. Turnebus *lib.* 23. *Advers. c.* 18. quam ariditatem in mulierum corporibus etiā Plautus notat *in Curcul.*

Tibi qui screanti sicca, semisomna adferat potionem.

Et in Epigrammate ita habetur:

Quæ succo caret, ut putrisque pumex:

Nemo viderit hanc ut exscreantem,

Eædem

Eædem ob ariditatem & duritiem membrorũ, etiam *Scrupedæ* dicuntur Plauto, apud Varronem, quasi quæ duris & ligneis essent pedibus: ex doctissimi Scaligeri interpretatione. Et quis singula ad despicatum harum excogitata nomina commemoret? Plautus certè vilissimas illas meretriculas & prostantes, contemtim appellat Prostibula: *in Sticho*:

Scrupeda.

Prostibuli est, stantem stanti suaviũ dare.

Prostibula.

quæ quoniam vilissima mercede, duobus putà obolis conducebantur, eidem dicuntur. *in Pœnulo*:

Servulorũ sordidulorũ scorta diobolaria.

Diobolares Meretricula,

quo verbo & Pacuvius usus fuerat apud Placiadem:

—non ego ita fui,

Vti nunc sunt Meretrices diobolares, suã

Quæ nummi caussa parvipendunt gratiam.

Rectè, *Numi caussa*, dixit, quia meretricia basia nihil aliud, quam numo poscunt. Unde Apulejus decenti & eleganti phrasi Meretricum illa in lupanari jactata basiola, *Poscinummia* vocat *lib. 10.* ut non immeritò, suavis illa suaviatio inter Deos Amatori damnosissimos enumeretur à Plauto *in Bachidibus*: quando quidem eodem teste, istarum

Basia poscinummia.

Qui in amore præcipitat, pejus perit, quàm si saxo saliat.

Hinc propudiossimam illam ancillam cui se torum juvenis quidam consuetudine obscœna addixerat, Sydonius Apollinaris *domesticã Charybdim*; nomine satis apto & convenienti indigitat *lib. 9. ep. 6* & quod bona illius juvenis omni, Charybdis instar abligurierat & absorpserat, more & ingenio meretricum quæ pudicitiæ prodactæ prodigunt omnia. Quâ mẽte Archilochus Numos sæpe vel minutiis hinc inde corrasis, nec sine sudore comparatos, frequenter in prostiturarum interanea delabi dicebat, referente Ludov. Cœlio Rhodigin. *lib. 19. antiq. lect. c. 27.* *in fin.* Unde *Lupæ* veteribus dictæ, à rapacitate; & igni quandoque assimilatæ. Sic enim illud Terentii; *accede ignem hunc*, Donatus de meretrice interpretatur, quia avida & avara sit ut ignis alimentorum. Quandoq; *Gallinæ* apud Plaut. *in Pseudulo*: quoniam, ut Gallinæ spargant & perdant omnia; interdum & *limaces* nuncupare, ut apud Plaut. in *Nuvolo*. Quippe, ut ejusdem Plauti verbis utar *in Bachidib. act. 3. sce. 1.* Quæ hominum sorbẽt sanguinem. Sicut enim Limax folia plantarũ & olera arrodit: ita meretrices miseros amantes καλαφαγῶσι. Quandoque etiam *Sirenum nomine* commemoratæ, quo in Mytheologicis Meretrices intelliguntur, quæ in Acta Siculi maris merebant, cellis earum in Acta literis collocatis. Unde expositis Romani Imperii auctoribus in Tiberino litore, meretrix ubera admovit, quæ *Lupa* dicta est. A qua & *lupanaria* quæ in litore erant posita. Lactant. *libr. 1. c. 20.* etiam Neronis adhuc tempore. De quo Suetonins *in ipsius vita c. 27.* Quoties Hostiam Tyberi defluerat, aut Bajanum sinum præternavigaret, dispositæ per littora & ripas diversoriæ tabernæ parabantur, & insignes ganeæ matronarum institorias operas imitantium atque hinc inde orantium, ut appelleret. Hinc *Ambubajæ* dicebantur mulieres impudicæ, quæ circa amœnissimam Bajarum regionem & calida lavacra versabantur. Inde Scortorum totius urbis Ambubajarumq; ministeria dicuntur eidem Suetonio *in Nerone cap. 27.* Adversus quæ meretricii blandimenta naufragii, (ut rursum Apollinaris verba usurpem, & quibus blandimentis Plautus etiam oramenta cætera meretricia adjungit *Truculent. act. 2. scen. 2 in fin.* quæ ab exorando *Exorabula* nominaverat) rectè Ammianus Marcellin. *lib. 29.* monet; Navigantibus aures esse Ulyssæis occludendas ceris, quasi scopulos Sirenios

Varia Meretricum appellationes Charybdes.

Lupa.

Gallina.

Limaces.

Sirenes.

Ambubaja.

Oramenta.

Aures obturanda.

renios transgressuris. Sanè, si ex Plauti sententia hominem servum suos

Domitos habere oportet oculos & manus Orationemque. Milit. Glor. act. 2. Scen. 6.

Cur non & aures simul? Quas ad flagitiosa & obscæna verba obturandas vir quisq; bonus verè existimabit. *Virginibus* certe moris olim fuisse aures obturare, obcerare vel obserare, ut obscœnis verbis occluderet aditum & auditum, Joh. Savaro notat *ad Apollin. d. Ep. 6. lib. 9.* Diobolaria autem sive vulgaria illa scorta etiã *Bustuaria macha* Martiali dicuntur *lib. 3. Epig. 51.*

Virginibus inprimis.

Bustuaria Macha.

Admittat inter bustuarias mœchas.

Eo enim versa non quidem *præficas* illas mulieres ad funus deplorandum conductas, sed scortilla potius inter busta atque monimenta pene in propatulo prostantia intelligi, Hadr. Turneb. arbitratur *lib. 13. advers. c. 19.* modus ejusdem poëtæ versu *lib. 2. Epig. 91. abscondam spurcas & monumẽta Lupas.* Quo sensu *Semitarij mœchi* Catullo pro scortatoribus vilissimis in agrorum semitis sub dio scortilla subigẽtibus dicuntur Quæ ob id etiam Chamælypeia, quòd humi decumbentia inscendantur, cum Ludov. Cœlio Rhodigin. eleganter vocaveris *lib. 28. lect. antiq. c. 24.* Contrà *Devium scortum*, non prostitutum in propatulo omnium libidini; sed honestius minusque vulgare ab Horatio *Od. 11. lib. 2.* appellari creditur. Quemadmodum generatim etiam Meretrices, quantumvis & ipsæ quæstuariæ, honestioris tamen loci erant, quàm prostibula: cum illa tantum nocte (hinc noctes passim pro concubitu & furto venereo) sui copiam facerent: hæc vero se etiam die publicè & ubivis prostituebant, uti ex Colero retulit Taubmannus ad *Plauti Stichum act. 5. scen. 6. verbo prostibuli.* Ita quidem dicta Nonio, quod ante stabulũ stent, quæstus diurni ac nocturni gratia. *Stabulum* enim & meritorium est, quod inibi consistant, ut & *statio à stare*, rectè de Lupis. Inde Horatius

Chamælypeia.

Prostibula.

—Nullam nisi olenti in fornice stantem.

Et Seneca: Meretrix es: in communi loco stetisti. Stetisti puella in lupanari. Eleganter verò Tertullianus *Lupanar* nominat consistorium libidinum publicarum *lib. 3 ad uxorem.* Nec enim perpetuo stabant meretrices; interdum etiam Sellis insidebant. Inde *Sellariæ* dictæ, & *sessibile merum* apud Plaut. *Pænul. act. 1. scen. 7.* Juvenal. Satyr. 3.

Lupanar.

Sellaria.

Et dubitas alta Chionen deducere sella?

Sed ut à Scortis ad Scorteam penulam revertamur, docuit Martialis adversus pluvias eam usurpari solitam. quem usum & *Patavinæ tunicæ* ob crassitiem præstitisse videntur: quæ multa lana, & quidem triplici licio contextæ in tantam complebantur crassitudinem, ut perinde ac tabulæ secari posse viderentur. Sic enim illud Martialis intelligo:

Patavina tunica.

Vellera cũ sumãt Patavinæ multa trilices,
Et pingues tunicas serra secare potest.

Patavij quoque, ex regionis illius Lanis, Penulæ texebantur *Gausapinæ*: quæ etsi villosæ essent; & hyberno tempori destinatæ: tamen & æstate oblectare poterãt. Martialis:

Gausapina.

Mense vel Augusto sumere gausapinas.

Et alibi:

Is mihi candor inest, villorum gratia tãta,
Vt me vel media sumere messe velis.

Et hoc villorum genere etiam tapeta sive cubicularia Stragula texebantur, ut idem testatur Martialis:

Stragula purpureis lucent villosa tapetis.
Quid prodest, si te congelat Vxor anus?

quasi dicat, Gausapina illa stragula, licet villosa sint; nihil tamen tibi proderunt ad calorem, adversus vetulæ & frigidæ Uxoris tuæ gelu.

5. Eaq; fasciæ crurales) Fasciis in calceatu usos fuisse priscos, monet Plinius *lib. 8.* scri-

Fascia Cruralis.

scribens, Mures arrosisse Carboni Imperatori fascias, quibus in calceatu utebatur: Idq; dirum fuisse ostentum. Tales fascias eleganti vocabulo Crurules Pedulesq; vocat Ulpian. *arg. l.25 § fascia ff. de auro & argent. legat.* à cruribus scilicet & pedibus vestiendis sic dictas. Eodemq; in loco & Odonum sive Udonum fit mētio: quos usum calceamentorum præstitisse idem Ulpianus ait. Per *Vdones* autem non tam laneos, quam pelliceos calceos intelligi, ex hirquinis puta pellibus confectos, Adrianus Turneb *lib 1. Adversf. cap. 13* ex illo Martialis probat *lib. 14.*

Pedules.

Vdones.

Nō hos lana dedit, sed olētis barba mariti:

quæ interpretatio ipsi etiam Cujacio *lib. 10. Observat. cap. 17* non displicet, adducenti ejusdem Poëtæ, in Phœbum calvum epigramma:

Hædina tibi pelle contegenti
Nuda tempora, verticemq; calva,
Festivè tibi, Phœbe, dixit ille,
Quæ dixit caput esse calceatum.

Stephanus quoque Fortatulus memoriæ prodidit, Edovardum III. Anglorum Regem, sex & viginti Equitum præstantissimorum perpetuū instituisse Collegium, ita ut in unius defuncti locum alius sufficeretur, existente Rege Principe Collegii cœruleo colore palliati. Caput verò illius fuisse, ut singuli Equites ligaculo aureo, gemmis fulgent, crus sinistrum infra poplitem fibulâ vincirent: sub hac inscriptione: IGNOMINA DIGNUM QUICUNQUE MALE COGITET. Latere enim in nexu cruris honestissimam cohortationem, ne fugiendo prodigerent decus in constantia & magnanimitate situm. Tralaticium quoq; esse, equitatum hunc cingulo regi insignem, originem suā debere fasciolæ Heroidis Salberinæ, casu illi è tibia decidentis, atque protinus à Rege peramante collectæ. Sed & exigui hujus cinguli usum fuisse veteribus principibus compertum se habere dicit, & quidem usque ad luxum auri & serici. Idque in Carolo Magno observatum fuisse, & in altero Magno, sed Romano Pompejo. Cui dum Gn. Lentulus Marcellinus Cos. pro concione nimiam potentiam oblectaret assensu populi: invidiosæ quærelæ præstò fuit Favonius, animadvertens eximij Ducis crus candida fascia alligatum: Non refert, inquit, qua in parte corporis sit diadema. Atque ea cavillatione regias vires ei exprobavit. Valer. Maxim. *lib. 6. cap. 2.* Stephan. Forcatul. *lib. 7. de Gallor. Imper.*

Cruris ligaculum.

Pompejo fascia crurulu objecta.

6. *Latini Caligas vocant*) Caligæ istæ, quæ multiplicibus clavis munitæ erant, vulgare fuit vel infimi ordinis militum calceamentum. Inter hos infimæ notę milites, quia enutritus, & adsiduè versatus erat C. Cæsar, qui Tiberio successit in Imperio, ab eo calceamenti genere, quoad concilianda vulgi studia utebatur, *Caligula* nomen accepit; Vitellium scilicet imitatus: quem ob hoc laudatum ab Antiquis video, quòd tota vita caligatum quemq; militem obvium exoscularetur, infimi ordinis militibus familiarem se præbens, ac benevolum, ut Tacitus, Dio, & Suetonius prodiderunt. Ab hoc porrò calceamenti genere, ut Caligata militia *in l. 10. de excusat. tutor.* Ita & Caligati milites, pro manipularibus, gregariis & vilioribus militibus fuerunt dicti. Nam Theodosius & Valentinus, Basso Præfecto prætorio scribentes, dum omnibus militibus liberam cum ingenuis mulieribus contrahendi conjugij permitterent facultatem, dixēre; à caligato milite usque ad Protectoris personam id concedi: quasi dicerent, ab infimis militibus ad Majores usq; *l. à caligat. C. de secund. nupt.* Ubi tamen pro *Protectoris*, legendum esse, *præfecti cohortis*, Pratejus putat, per context. *l. 2. ff. de his qui not infā.* Ideq; & ex *l. de milit. 9 ff. de custod. reor. & l. omne.*

Caliga militares.

C. Cæsar cur Caligula dictus. Vitellius.

Caligati milites.

& l omne 6 §. Sed & caligatus ff de re milit. haud obscurè colligitur. Justinianus certè incunctanter id asserit *in auth. quib. mod. natur. effic. legit. c. illud quoq; melius 4. in fi.* Ubi Caligatos milites interpretatur viliores & obscuriores. quanquã postea commne omniũ qui in castris versabãtur, id calceamentum esse cœperit. Unde à Dione στρατιωτικὸν ὑπόδημα; à Tertulliano speculatoria caliga appellatur, *de Corona Militis.* Et Julianum Centurionem caligas creberrimis atque acutis clavis, cæterorum militum more, fixas gestantem, dum strato saxeis crustis solo curreret, lapsum Josippus refert *libr. 7. de Bello Iudaico c. 3.* Milites sanè discinctos, veluti Ignavos, & militiæ minimè aptos; præcinctos verò, fortes & strenuas judicatos fuisse, Alexander ab Alexandro indicat *lib. 1. Genial. dierum cap. 20.* Unde *Caligatum* Juvenalis pro audace usurpat.

Caligæ omnibus postea militibus communes.

Præcincti.

Adjutor gelidos veniã Caligatus in agros.

id est, velut audax miles, adjutor Satyrarum veniam nisi illas mei pudet auxilii, ut Turnebus interpretatur *lib. 10. Adversf. cap. 27.* Sanè qui inter Milites recipiebãtur, hos cingi consuevisse satis colligitur *ex l filius familias. 43. ff. de testã. milit.* ubi scriptũ est, Militia exornatos confestim cingi debere. Qui mos ex eo fluxit, quòd qui militabant, omnes cingebantur. Erat quippe cingulum, primum armorum insigne, ac militiæ ornamentum: quo quamprimum cinctus quis fuerat, jure militari testabatur: nondum cinctus, eo jure testari nõ poterat. *l Tit⁹. 25. l. quod dicitur, 38. §. miles. ff. eod. tit.* Iniquũ scil. putabatur, Militum privilegiis eum gaudere, qui nõ omnibus, nedum primo militiæ signo, ac monimento esset ornatus. Cingulum igitur istud militi non tantùm id tribuebat, ut militari jure testaretur: unde in procinctu facta testamenta, quæ, Festo interprete, milites pugnaturi; vel, ut Plutarchus explicat præsentibus cõmilitonibus nuncupabãt; qua de re exstat. *tit. ff. C. de testã. milit.*) Sed præter id, fori quoq; afferebat præscriptionem, si coram non suo judice in jus vocaretur. *l. si quis. C de pact.* Eundem tamen, si quid illicitè impetrasset, quamvis cingulo militiæ, quavis etiã dignitate esset ornat⁹; impetratis carere debere placuit. *l. si quis C de Offic. Rector. prov.* Cumq; Militi Cingulum unũ satis esse Imperator perspexisset, scitè admodũ prohibuit, ne quis duas pluresve miltias affectet, neve quis dignitatem aliquam cingulo alterius militiæ conjungat, nisi cõjunctæ sint, ac sociali nexæ consortio; *l. his quidem. C. qui milit. non posse lib. 12.* Claud. Coteræus *de Iure Milit. lib. 1. c. 4.*

Cingulum militiæ ornamentum & insigne.

Cinguli privilegia.

Usque adeò verò Cinctos oportebat esse milites, ut nemo quisquam in castris discinctus sine nota, versaretur. quin imò militaris ignominiæ genus erat, discinctum vel stare, vel opus facere militem. Qua ignominia plerumq; Milites suos adfecisse Augustũ, Suetonius narrat. Sed & qui exauctorabantur, discingi solebãt, ut est apud Herodia. *lib. 2.* Idq; pluribus ostendit Barrab. Brisson. *lib. 2. Select. interpret c. 7.* Dices: si omnes passim cincti, vel etiam caligati fuerunt Milites; quæ igitur gregariorũ & clariorum differentia? Scito, ex caligarũ ornatu hanc facilè potuisse elucere. Clavis enim caligæ figebantur: iisq; vel ferreis, vel argenteis, vel aureis, ut quisq; luxu atq; opibus diffluebat. Id quod Historicor. probatissimorũ auctoritate probat idem Brissonius *lib. 2. select. interpr. c. 5.* Planè cùm Caligæ illæ Militum clavulis, ut dixi, essent confixæ; evenit inde, ut publicus cursus militibus concessus, *Clavularis* vocaretur. Ita enim Turneb. illud Marcellini interpretatur: "Cum familiis eos ad Orientem proficisci " præcepit, Clavularis cursus facultate per- " missa *lib. 26. Adversartor. cap.*

Discincti ignominiosi.

Ut & exauctorati Caligarũ distinctio.

Cursus clavularis.

7. Calceis utebantur) Calceis usos fuisse Romanos, vel ex Tertulliano liquet: qui Togæ termentum proprium Calceos fuisse contẽdit, *lib. 6. de Pallio*, his verbis: Calceos nihil dico, proprium togæ termentum, immundissimam pedum tutelam. Quo in loco pro *Tormento*, quod ineptè omnibus passim obrepserat exemplaribus, legendum esse *Termentum*, ubi scilicet Toga terminatur, vir doctissimus Joh. Ladislaus me monuit. Sed calceis ii utebantur vel puris, vel mulleolis: utrisque tamen ad medium usque crus vel tibiam adsurgentibus. Sic enim Titinius:

Tertulliani locus emendatus.

Calcei vel puri vel mullei.

—jam cum mulleis
Te ostendisti, quos tibiatim calceas.

Tibiatim, hoc est, ad mediam usq; tibiã. De utroq; verò calceamento ita Tertullianus: Impuro, inquit, cruri purum aut mulleolum inducit calceum. Ubi per Mulleolum, haud dubiè lunulatum intelligit calceum: per purũ verò, Eum qui ex puro corio sine lunula erat factus, quod posterius calceamenti genus Perones appellabant. Mulleis verò, quos Festus à Mullando, id est, Suendo; Turnebus à rubro mulli colore dictos putat *lib. 9. cap. 24.* Reges Albanorum primi, deinde Patricii usi sunt. Unde patricii calcei minantur in ea inscriptione: ÆDEM. HONORI. ET. VIRTUTI. FECIT. VESTE. TRIUMPHALI. CALCEIS. PATRICIIS. ut & patricia Luna apud Papinium:

Puri qui & perones. Mullej. Patricii dicti.

—Patriciâ clausit vestigia Lunâ.

quia scilicet Lunæ figura his erat adsuta. Juvenalis:

Lunam habebant adsutam.

Appositã nigra Lunam subtexit aluta:

vel fibula eburnea corniculans, instar Lunæ, ut Alexander ab Alexandro *lib. 5. Genial. dierum cap 18.* interpretatur: sive ad commonendam Fortunæ varietatem & incõstantiam, quemadmodũ Auctor noster prodidit: sive ad indicandam ordinis Romanorũ vetustatem ab Evandro & Arcadibus, qui stolidè se venditabant προσελήνους, id est, Lunâ antiquiores sicut Eustatius putavit: quam in rem est illud Senecæ Tragicici dicterium, in Hippolyto.

Et quare? 1.

2.

Sidus post veteres Arcades editum,
Currus non poterit flectere candidos.

Vel, quod probabilius est, ad centenarii numeri notam, hoc est, C literam hujus numeri primariam significandam; quòd initio patricii Senatores centum fuerunt, ex Romuli institutione Isidor. *lib. 19. c 34.* Brisson *lib. 3. select. interpret. c. 17.* Quod igitur Ulpianus ait, calceatum debere præfectum vigilum coerrare. *l. nam salutẽ 3. §. sciendum de Offic. præfect. vigil.* id cũ Tertulliano ad puros calceos sive perones; non autem ad Mulleolos trahendum videtur, ex vera interpretatione Jacobi Rævardi *lib. 1. Variar. c. 8.* tum quòd præfectus ille Magistratus curulis non sit, qui solus inter reliquos Magistratus mulleis uti solebat, ut ex hisce Catonis verbis à Festo relatis probatur: Qui magistratum curulem cœpisset, calceos mulleos aluticinatos (*hoc est ex aluta factos;*) cæteri perones (*supple, gerebant*) tum quòd etiam intempesta nocte per nives, per glaciem & imbres præfectus coerraret. Mulleoli autem ex alutis, hoc est, molioribus pellibus facti, lunulatique, nulla ratione couvenirent. Vigilum præfecto,

3.

Intell. L. 3. §. sciendum de Offic. præf. vigil.

—quem non pudeat alto
Per glaciem perone tegi.

ut illud Juvenalis *Satyr. 14* hîc usurpem. Quòd si quæsieris, quid inter Magistratuum & civium privatorum perones fuerit discriminis? dixerim cum Rævardo, Magistratuum perones fortasse lapillis quibusdam, gemmisque pretiosis fuisse exornatos. Cui rei haud dubiam fidem facit Tertullianus, de habitu Virginis: Latẽt, inquit, in cingulis Smaragdi, & cylindros vaginæ suæ solus gladius sub sinu novit & in peronibus uniones emergere de luto.

Magistratuum & privatorum discrimen in peronibus.

luto cupiunt. Putarim etiã Magistratuum calceos cæteris fuisse altiores: quos & Talares vocat Isidorus *lib.9. cap.ult.* quia talos contingebant & contegebant medio crure tenus Horat. *lib.1. Satyr.6.*

—nigris medium impedijt crus pellibus.—

Ex quo divinus Scaliger illũ Tybimii locum apud Festum *lib.16.* ita restituit: jam cum mulleis te ostendisti, *quos tibiatim calceos*, hoc est, ut supra quoque monui, ad medium usque tibiam; ad suram usque suratim, monente Savarone in Notis *ad Sidon. Apoll. Ep.20.l.4.* Id calceamenti genus valde idoneum fuit præfectis vigiliũ, sive nocturnis Magistratibus, qui de effractoribus, furibus, raptoribus & receptatoribus cognoscebant; ab eo quod per noctem vigilarent, à Græcis Nyctoparchi hoc est, præfecti nobis dicti. *Novell. 13.* & Nyctostrategi *in l. ut* § 1. *de muner. & honore* & nocturni advocati Petronio *in Satyr.* Quo (scilicet magistratu) securus summis vigilanti capiebatur, quique in pace positus sumebat de nocturno fure supplicium. eleganter ait Cassiodorus *lib.7.c.8.* Recte *nocturno fure*: quem glossæ veteres *dormitatorē* appellant; qui Sidonio dormitat verius quam dormit. Noctem enim appetunt, tenebras quærunt fures. Hinc illa Adriani Aug. Et Epicteti altercatio: Quid est nox? Laboranti requies, grassanti lucrũ. Per obscuras enim noctes atque atras facilius furantur. Hi *premiatores* sunt Nævio, *vesperi suo vivunt* Plauto, *Nocturni grassatores* Petronio & Gell. *l.2. Noct. Attic. c.1.* & lege XII. tabb. gravius puniuntur quã fures *interdiarii*: quia noctu major delinquendi facultas & facilitas. Ideo & pœna indici debet severior: Jacob. Cujacius *lib.6. observ. c.8.* & Savaro in Notis *ad Apoll. ep. 8. l.1.*

Vigilum præfecti.

Fures nocturni.

Nec verò prætereunda silentio sunt duo illa calceamenti gẽera; *Cothurnus, & Soccus.* Cothurno Tragœdi utebātur, alto scilicet, ut ejus accessione Heroũ, quas mira fuisse proceritate Philostratus asserit, magnitudinem æquatam proderent. Soccus humilior erat, & Comœdis in usu primum; posteà & Viris & mulieribus communis passim fieri cœptus. De Viris manifestum exemplum habes apud Terentium, ubi Menedemus ex rure sibi redeunti soccos à servis detrahi accuratè dixit. Sed & fidem huic rei facit Seneca *lib.2. de Benefic. c.12.* C. Cæsar, inquit, vitam dedit Pompejo Pœno: agenti gratias osculādum porrexit sinistrum pedem. Qui excusant eum, negant id insolentiæ caussa factum. Ajunt, socculum auratum, imo aureum destinatis margaritis ostendere voluisse. Parum fœdè ait furioseq; insolēs fuerat, qui de capite Consularis Viri soccatus audiebat, nisi in os Senatoris impegisset pigros suos, (hoc est, *lēres pedes*, vel ut alii legunt, *pictos soccos.*) Mulieres verò soccos quoque usurpasse, testis est Suetonius in Vitellio: petiit, inquit, à Messalina, ut sibi pedes præberet excalceandos, detractumque socculum dextrum inter togam tunicamque gestavit. Vidi etiam Italas, & inprimis Venetas mulieres altissimis soccis usas: quamvis eos diminutiva & sua voce *Zocculi*, sive socculos dicant. Qua de re Jul. Cæsar Scaliger perfacetum patris sui dictum refert *lib.1. poetices c.3.* Ejusmodi nempe Uxorũ dimidio tantùm in lectis frui maritos, altero dimidio cum Soccis deposito. Quas ideò & Juvenal. irridere videtur Satyr.14 v.504.

Cothurnus.

Soccus.

Tam à viris usurpatus.

Quàm Mulieribus.

Zoccoli.

Scaligeri patris jocus.

——breviorq; videtur
Virgine Pygmæa nullis adjūcta cothurnis.

Parvam enim puellæ statuam exprimit, dum eam Cothurnis adjunctam ait: sicut Cicero de genere suo: Quis meum generum alligavit gladio? ut eruditissimus Juvenis Gasper Schoppius rectè explicat *lib.4. Verisimilium cap.10.*

Apostoli cur discalceati.

8. *Salvatorem nostrum discalceatũ fuisse.*) Idemq; & Apostolis præcepit Christus, ne calceamentum pedibus inducerent, quod ita interpretatur Adamantius, ut ipsorum pedes, qui ad annunciandam felicissimæ vitæ perpetuitatem properabant, omni carerent mortalitatis indicio. Nam & Moses cũ exiret Ægypto, calceamenta ex mortuis pellibus induxerat: quibus veluti quadam mortalitate constrictus erat. Cùm verò cœpit per virtutem proficere, & ad montem Dei conscendere, ibiq; immortalibus ministrare mysteriis: tunc ei præcipitur, ut lora calceamenti solvat: quia locus, in quo consisteret, Sãctus esset: hoc est, ut indicia mortalitatis, quæ in pelliceis calceis designatur, abjiceret. Johan. Pierius *lib. 15. Hieroglyph.*

9. *Lotionem omisit, quæ præstari solebat hospitibus.*) Admonendi hîc sumus, quòd cum aquam pedibus vel manibus poscerent hospites aut convivæ; simpliciter, & nullo adjecto verbo discere solerent: *Aquam pedibus, quam manibus.* Quod loquendi genus imprimis cõmendat Turnebus *lib. 1. Adversf. cap. 14.* quandoquidem vetustatis quodam aucupio & lenocinio illiciat, capiatque eos, qui orationis nitidæ & elegantis studiosi sunt.

Aquam manibus.

Sors Sortitio.

10. *Cum alia sit Sortitio.* Sortis & Sortitionis cum hîc fiat mẽtio, operæ pretiũ me facturũ arbitror, si quæ à Nostris variè & cõfusè de Sortitione fuerunt prodita; quasi in fasciculum quendam breviter, prout instituti nostri ratio exposcit, collegero; celebrem hanc & diversimodè agitatam quæstionẽ explicaturus scilicet, An & quãdo ad judicium Sortis liceat recurrere? Qua in re sciendum est, communi Dd. calculo receptum esse, Non cuivis hoc integrum esse passim, & indistinctè licere; sed tum demũ cùm dubium de jure vertitur; factum autem certum est. Accurs. *in l. 1. verb. prohibebit. C. Uti possidet.* Jason *in l. si duobus 3. C. com. de legat.* Nam si de ipso quoq; facto dubitaretur, ad Sortis arbitrium ideò deveniendum negant, quòd facta legitimè plenè per eũ probari debeant, qui intentionem suam in his habet fundatam. *l. et qui. ff. de probat. l. actor. C. eodẽ tit.* Jason. *in l. hujusmodi 68. §. si is cui. de legat. 1. n. 17.* Ang. Aret. *in § Optionis Instit. de Legat. n. 2.* quod Zasius diligenter & pulchrè explicat *in l. 2. §. ex his. ff. de verb. oblig. n. 12.* Sed & de præjudicio tertii nõ agatur oportet, si Sorti locus esse debeat, ut Ang. Aretinus concludit *in §. sed si ex testamento Inst. de Satisdat. tutor. n. 4* quem Sylvester Aldobrandinus ibidẽ sequitur. *nu. 24.* Casus quoq; istos, in quibus Sortem adhibere velis, à jure expressos esse oportere, Baldus affirmat *in l. meminimus. C. quando & quibus quarta pars. lib. 10.* cui Alciatus *in leg. Gallus 29 ff. de lib. & posth. n. 65.* & Aldobrandin. *d. §. sed si ex testament. num. 28.* subscribunt. Sorte igitur res dirimetur, si plures, quibus optio legata est, discordes sint in eligendo. *d. §. optionis Institut. de legatis l. si duobus. 3. in pr. C. comm. de legat.* idem erit, si de deponendis apud aliquem instrumentis agatur. *l. si quæ 5 in fi. ff. famil. hercisc.* aut dubitetur, quinam prior caussam dicere debeat. *l. sed cũ ambo 14. ff. de jud.* Item, si de servis manumittendis quæstio sit. *leg. generaliter 24 § quid ergò 17. ff. de fidei commiss. libert.* aut de liberis dividendis. *Novell. 162. c. 3.* aut de divisione bonorum inter cohæredes facienda controvertatur. *leg. 2. C. quando & quib. quarta par. deb. lib. 10.* Quòd si itaq; Sortis judicium adhibitum fuerit: standum ei omninò erit, nec ulla inde dabitur provocatio: cum, ut Baldus dicebat *in d. l. meminimus.* Fortuna vel Sors superiorem in hoc mundo non habeat. Anton Gomezius *ad l. 38. Tauri. n. 7.* Rainald Corsus *lib. 3. Indagatiõ juris c. 11.* in tantũ, ut etsi per Scortitionem hãc etiam

Sorte quando nei liceat.

A Sortis judicio cur non appellatur.

Ne quidem à læso ultra dimidium.

etiam ultra dimidium precij læsus quis fuerit: læsio tamen illa reformari, aut ad æqualitatem reduci nequeat. Johannes Sichardus *l. majoribus 3. C. Comm. utriusq; judicij*. licet Baldus ibi & Alciatus *in l. si centum 117 de verbor. obligat. n. 5* & Cagnolus *in l. 2. C. de rescind vend. num. 60.* contrà senserint, quibus haud scio, an nõ hoc reponi possit, quod ubi par conventio, & par fortuna est, nemo lædi intelligatur. *arg. l. de fideicommisso. 11. C. de trāsact.* Potuit autem ob eventus incertitudinem adversarius tuus, Sorte ita ferente, æquè ac tu lædi. At Eventus damni restitutionem non indulget, ut ab Ulpiano graviter responsum extat *in l. verum 11. §. sciendũ ff. de Minorib.* Id tamen hoc temperamentum recipit, si utraque pars consenserit, ut Sortis judicio controversia dirimatur. Alterutrâ enim dissentiente, nihil agi; Tiraquellus probat *de Iure primigen. q. 17. Op. prima n. 94.* & Jac. Menoch. *de arbit. jud. c. q. l. 2. cent. 5. casu 442 n. 11.*

In Ecclesiasticis sortiri non licet.

Planè in Ecclesiasticis beneficiis Sortis usus perpetuò est prohibitus. *cap. ultim. Ex. de Sortileg in fi.* Sortitione igitur eligi non poterit Episcopus *l. sacris 47. C. de Episcop. & cleric.* Multò minùs igitur Papa. Quia enim in his eligẽdis certa à jure præscripta est forma. *c. quia propter 42. Ex. de elect.* nemini integrum erit ab ea recedere, ut Jason cõcludit *in d. l. hujusmodi. 86 § si is cui. de legat. 1. n. 15.* de quo tamẽ pluribus disputatum est à Goffredo & Hostiense in summa Decretal. *tit. de Sortilegiis.* Nec mirum est, Sortẽ ex causis quibusdã prohiberi: præsertim si ad occulta quasi miraculose detegenda & revelanda usurpetur. Quod enim Deus sibi reservavit, id homini absq; sacrilegij impietate scrutari non licet. quemadmodum ex Thoma de Aquino Fernandus Vasquius refert *lib. 1. Illust. Controversiar. c. 49. n. 19.* Etsi enim, finiente Augustino: Sors (in sui natura, & per

Sors per se non mala.

se considerata) aliquid mali non est; sed in humana dubietate divinam indicans voluntatem. *can. Sors. 26. q. 2.* Tamẽ quia ob assiduum & frequentem ipsius usum, homines in Idololatriam facilè labuntur: Goffred. *in d. Summa.* factum inde est, ut variæ & graves pœnæ in Sortilegos sint constitutæ: de quibus *26. q. 2. 3. 4. 5 & tot. t. Ex. de Sortilegis.* & apud Lucã de Penna *in l. meminim. C quan. & quib. quart. pars. lib. 10.* De forma verò Sortitionis nihil hic attinet dicere. Memorabile tamen inprimis videtur illud Sortitionis genus, quo Athlethæ olim ad pugnandum ducebantur. Nam calculis in urnam conjectis, binæ compares literæ inscribebantur: quique eductis sortibus pares sortiti erant, invicem committebantur. Veneti hodiè, si quid agendum est, ita sortitionem efficiunt. Veluti si fingamus in Senatu de ratione belli agendum esse, neque inter Senatores convenire, ad cujus Urbis expugnationem primùm debeat deduci exercitus (quod accidit temporibus Michaelis Trigesimi quinti Venetorum Ducis Hadrian. Barlan. *de Ducib. Venet.*) ad divinas Sortes recurrendum censet. Nomina quidem expugnandarũ Urbium in urnulam coniiciuntur: ea rudis quispiam puerulus manu miscet: inde unam è chartulis, quæ singulæ singularum Urbium nomina continent; ad Principes defert; ab eaq; oppugnanda bellum inchoari debet: ut scriptum reliquit Claudius Coteræus, *de Iure Militum lib. 3. c. 8.* quibus adde, quę de sortitionibus itidem fermè ex Cusano *de concord. Cathol. Ep. 38.* eleganter tradidit Ventura de Valentiis *in Parthenio Litigioso lib. 2. c. 5. n. 10. & 11.*

Sortitio Athletharum.

Venetorum.

11. *Hic magna nascitur dubitatio*) Anceps est quæstio, An veteres vulgari hoc capitis tegmine, quod Biretum seu pileũ vocamus, fuerint usi? Semel dicã, Eos hoc non usos: sed vel nũdo capite fuisse, vel

Bireto seu pileo an veteres usi fuerint?

Negatur. vel caput veste velasse. Itaque nulli in veteribus Romanorũ statuis; nulli in æneis quoq; numis pilei visuntur. Nulla quoq; pilei vel causiæ, ne apud Homerum quidem mentio: ut ita nudi capitis consuetudo à prisca Græcia, cui capitis operimenta usitata non fuêre, ducta videatur Turnebo *lib. 8. Adversar. c. 4.* Idque Eustatius Homeri interpres disertè scribit. Sed missis Græcis, ad Romanos nos convertamus. Tranquillus certè de Julio Cæsare prodidit, Eum, calvitii deformitatem iniquissimè tulisse: ideoque deficientem capillum revocare à vertice assuevisse, & ex omnibus decretis sibi à Senatu populoq; honoribus non aliud aut recepisse, aut usurpasse libentius, quàm jus Laureæ coronæ perpetuò gestandæ. Idq; ad calvitiũ celandũ. At verò minimè hanc tantoperè expetiisset, si Biretum aut pileus in usu fuisset; longè scilicet aptior & fidelior ad dissimulandum calvitium, quàm corona. Qua in re tamen inter Tempora & Homines distinguendum, quibus jus & usus capitis tegendi. Temporibus Lipsius adnumerat Sacra, Ludos, Saturnalia, Peregrinationem, & Militiam. Sacrificia velato capite peracta fuisse, prisco quodam & obvio ritu, omnibus notum est. Unde & Flamen Dialis, qui inter reliquos Flamines maximæ dignationis erat, nomen videtur sortitus: quòd in Latio capite velato erat, & caput filo lanæ præcinctũ habeat: à quo Flamines, quasi *filamines* appellabãtur. Diales verò; sive à *Diove*, quod est juvans Deus, ut ex Varrone *lib. 2. Rer divinar.* Andreas Dominicus Floccus interpretatur *lib. 1. de potestatib. Roman. cap.* 5. Sive *à Dio*, à quo vita dari putabatur hominibus. Robert. Valturius *de Re militari lib. 8. fol. 158.* Sive quòd sub dio absque apice his esse non liceret. Gell. *lib. 10. Noctium Atticar. cap. 15.* Quibus mirabiliter convenit textus *in can. Cleros. §. Sacerdos 21. dist.* Sacerdotes gentilium (inquit Canon) in capite habebant pileum, in quo erat brevis virga desuper habens lanæ aliquid, quod cum propter æstum ferre non possent, filo tantum capita religare cœperunt. Flamines igitur dicti, vel à gestatione pileorum, quasi *pileamines*, vel à filo illo, quasi *filamines*; vel ab *infulis*, quas flammas appellabant; vel à *flammeis*, notissimo velaminis genere. Illud autem gestaminis genus etiam Apex dicebatur, Sic enim Juvenalis:

Dist inctio tamen. — *Ejus enim usus.* — *1. In Sacris.* — 1. — 2. — 3. — *Apex.*

Et tollens Apicem generoso verticis Flamẽ.

Et Valerius Maximus Sulpitio inter sacrificandum Apicem prolapsum scribit. de quo videatur Lilius Gregorius Gyrald. *Histor. Deor. Syntagm. 27.* quanquam Numa Pompilius de Pontificalibus scribens; *Tutulum* fuisse ait pallium, quo Sacerdotes caput tectabant, cum ad sacrificium accessissent: de quo Virgilius:

Tutulus.

Et caput ante aras Phrygio velatus amictu.

quod & à Roberto Valturio relatum est *lib. 8. de re militari. fol. 159.* Planè festis diebus Sacerdotes filo deposito, pileum imponebant, pro sacerdotii eminentia, ut disertè asserit textus *in d. Can. Cleros 21. dist.* aut ut Varro scriptum reliquit, album gerebant galerum: vel ideò, quòd Jovi immolari alba hostia opus esset, ut idem Valturius explicat. Cui adde, quod Petrus Crinitus scriptum reliquit *libr. 25 de honesta discipl. cap. 5.*

2. In Ludis.

In Ludis quoque, Saturnalibus præsertim, hoc est liberrimæ vitæ diebus Pileus admittebatur, signum scilicet Libertatis. quo sensu Martialis Romam pileatam appellat:

Permittis, puto pileata Roma.

Saturnalia.

Eam verò Saturnalium festivitatem festivè describit L. Accius, antiquissimus poëta, cujus lepidissimos versus ex Annalibus ipsius hic adscribo;

Maxima

Maxima pars Graium Saturno, & maximè Athenæ,
Conficiunt sacra, quæ Chronica esse iterãtur ab illis,
Cumque diem celebrant per agros, Vrbesque ferè omnes
Exercent epulis læti, famulosq; procurant
Quisq; suos, nostri itidem: & mos traditus illinc,
Iste, ut cum dominis famuli tum epulentur ibidem.

quibus adde, quæ in hanc rem copiosè scripta sunt à Macrobio & Lipsio *in Saturnalibus*.

3 In peregrinatione. Petasus. Sed & PEREGRINATIO capitis tegmē sibi vendicabat. quod erat Petasus, qui ad umbram faciendam marginatus erat, & adversus pluvias, æstus, ac ventos inprimis idoneus. Plautus certè peregrè euntibus aut veniētibus petasum ubiq; aptat. Sic enim iturientem describit Militem: Opus est Chlamyde, & Machærâ & Petaso. Et Cicero: Tabellarios petasatos venire ait, & comiter exspectare ad portam. Et Augustus. Sic enim hyberni quidem patiens, *domi quoq;* nonnisi petasatus sub dio spaciabatur, teste Suetonio *in vita August.* Ubi verba illa, *Domi quoq;* singularē habent Emphasin: quasi novum & insolens fuerit, ut alibi, quam per vim petasatus quis incederet. Petasus autē Mercurio à poëtis & aliis semper fuit adsignatus, & quidem pinnulis utrinque adfixis. *Cur Mercurio attributus.* Plautus sub Mercurij persona: Ergo has habebo usq; in petaso pinnulas. Et Apulejus *in Apologia* Mercurium describens: En vide, ut in capite crispatus capillus sub pilei umbraculo appareat, quā lepidè super tempora pares pinnulæ emineant: quàm autem festivè circa humeros vestis substricta sit, &c. Nec verò in petaso tantùm sive galero; sed & in talaribus pinnas habebat Mercurius, *Item pinna.* quia scilicet sermo, cujus ille putabatur Deus, & quē per aera ferre credebatur, velocissimus esse soleat. Ideoque & Nuncius dictus: quoniam per sermonē omnia cogitata enunciantur, ut Augustin. *7. de Civit. Dei* prodidit, & Lilius Gregor. Gyraldus *Syntagm. 9. Hist. Deor.* Deniq; in MILITIA quoque pileorum usum fuisse, suadet Vegetius: *4. In Militia.* Usq; ad præsentem, inquit, ætatem consuetudo permansit, ut omnes Milites pileis, quos Pannonicos vocant, ex pellibus uterentur. Hinc pilea Castori & Polluci ātiquos dedisse Festus credit, *Pileus cur Castori & Polluci.* quia Lacones fuerunt: quib. pileatis pugnare, in more positum: quò indomitum animum adversus barbaros Reges & tyrannos significatione libertatis ostentarent: ut Pierius interpretatur *lib. 40. Hieroglyphic.* Auctor tamen est Suetonius, *Iul. Cæsar.* Julium Cæsarem armorum & equitandi peritissimum, & laboris ultra fidem patientem, in agmine nonnunquam equo, sæpius pedibus anteisse, Capite detecto, seu sol, seu imber esset. Atque hæc Temporibus, quæ à communi more excipi diximus. Excipiuntur & Homines certi: & ex his Liberti novi. *Pileum gerebant 1 Liberti novi.* Moris enim erat Servis, simulatq; manumissi essent, capillos radere, & capiti calvo pileum imponere: ut eo quasi symbolo tempestatem servitutis viderentur effugisse; ut naufragio liberati solent. De Naufragis ita Juvenalis:

—gaudent ibi vertice raso
Garrula securi narrare pericula Nautæ.

At manumissus ille apud Plautum ita ait: *Ego hodie raso capite calvus accipiā pileū.* *Ad pileum vocati.* Hinc ad pileum vocati servi dicuntur Livio passim, & Senecæ *lib. 6. epistol. 47.* quibus promissa concessave libertas est. *Pilei impositio.* Eodemq; sensu etiā pilei impositione libertos constitui legimus *in l. directis. 10. C. de testamentar. manū.* Ubi haud dubiè intelliguntur Servi, *Pileati.* qui pileati funus defuncti ducebant; vel, ut habetur *in l. un. §. sed & qui. 5. C. de Lat. libert. toll.* qui Dñi funus pilea-

pileati antecedebant, vel in ipso lectulo stantes cadaver ventilare videbantur. Hos enim libertatem consequutos fuisse, & ex locis jam allegatis patet; & ipsemet etiam Dionysius Halycarnasseus testatur, se Romæ complures de istis importunis & intempestivis liberalitatibus querimonias audisse. Scio equidem, inquit, nonnullos libertatē universæ familiæ suæ post mortem suam legasse, ut mortui liberalitatis & humanitatis laudem adipiscerentur, & lectos, in quibus mortui deferrentur, magna pileatorum turba sequeretur. quibus in funerum pompis nonnulli erant (id quod ab iis, qui explorabant, audire licebat,) qui paucis ante diebus carcere emissi fuerant, scelerati sexcentas mortes commeriti. Istiusmodi nefarios pileos cum in civitate permulti aspiciunt; discruciantur, atque istam consuetudinem vehementer damnant: quasi civitate rerum domina, terrarumque Imperium sibi vendicante, indignum sit istiusmodi cives facere. Ob crebram hanc sceleratorum quoque servorum, per pilei impositionem, concessam manumissionem factum opinor, ut qui insigniter improbus venderetur Servus, ab imposito pileo, Pileatus diceretur.

2. Servi nequam dum vendebantur.

Eo ipso enim, quòd imposito pileo venū iret, non tantum improbus esse & nequā, servus iste innuebatur; sed & vēditor Dominus testatum faciebat, Nihil de sup co polliceri velle quod posteà ad p̄standum cogi posse: atque ita omni se vinculo exsolvebat, quo alioqui ad Redhibitionem trahi poterat: de quo videatur Gellius *lib. 7. Noct. Attic. c. 4.* Fuisse autem pileum libertatis insigne, non Persius tantum docet illo versu:

Pileus Libertatis insigne.

Hæc mera Libertas: hæc nobis pilea donāt.

sed & veteres Numi. Nam in numo Tib. Claudii Cæsaris videre est sigillum, quod dextra pileum tenet; Lævam, quàm latè potest, discalpedinatam exporrigit, cum inscriptione: LIBERTAS COS. IV. ut est apud Pieriū in Hieroglyph. *lib. 35. & 40.* Brutos quoq; Libertatis indicem monetam cudisse legimus, cum pileo duobus pugionibus imposito Lilius Greg. Cyral. *Historia Deor. Syntag. 1.* quanquā idipsum à Cæsaris interfectionib. antea quoq; hoc signo indicatū fuit: dum protulerūt hastâ per mediam urbem pileum, quasi morte tyranni restituta libertate, ut refert Appianus *lib. 1. belli civilis.* Idem *in bello Mithridat.* scribit, Perseo Macedonum Rege capto, Prusiam Bithyniæ Regē venisse Romam toga & calceis indutum, cæterum capite raso & pileato professum, se populi Romani libertū, à quo Persei dominio esset liberatus: quod & Livius ex Polybio refert *in fin. lib 5. decad 5* Is enim erat habitus libertorum recentium, quod statim quidem omnia liberi hominis ornamenta usurparent, excepto, quod pilus nondum renatus ostendebat adhuc indicia servitutis. Francisc. Connanus *lib. 2. Comment. juris civil. cap. 6. n. 6.*

Libertorum habitus.

A communi porrò more capitis apertè gerendi excipiuntur etiam Ægri: quibus capitis firmandi gratiâ pileo ut licuit. Sic enim Ovidius amantem suum de morbo & pallore fingendo instruens, pileolum ei inter signa tribuit:

3. Ægri.

Arguat & macies animum, nec turpe putâris

Pileolum nitidis imposuisse comis.

Idē & Senibus licuisse, Nicephorus Gregoras ostendit *lib. 10.* Ubi morem eum cum Rom. Imperio Byzantium etiam translatum docens; De capitis tegmine, ait, moris apud superiores fuisse, ut ætate provectiores Aulici pileis turbinatis uterentur; serico textis: Juniores autem omnes prorsus nudis essent capitibus.

4. Senes.

Denique convivas quoque pileolos usurpasse, ex Athenæo, quanquam fluctuans noñihil probat Lipsius *lib. de Amphitheatro,*

5. Convivæ.

theatro cap. 19. Extra memoratas ergò has personas, omnes nudo & aperto erant capite. Nec me movet Plinii, Plutarchi, Sallustii, Senecæ & aliorum auctoritas: qui viris dignitate præditis & honore dignis, si quo casu occurrerent, obvios caput aperire consuevisse, prodiderunt. Aut enim de iis intelligi hoc potest, qui operto capite aliqua ex caussa incederent, ut Milites casside, Sacerdotes flamine, Servi pileo, & omnes pluvio tempore galero; aut sub Sole; petaso & umbella, quemadmodum Alciatus respondet *lib. 8. parerg. c. 10.* Aut verò capitis illa tectio & apertio, non tam de pileo, quàm de Togæ lacinia erit accipienda. Laciniam enim illam in caput sæpè rejiciebant, contra ventum, aut æstum: eamque detrahebant, in honorati alicujus occursu, quod ex Plutarcho satis docuit Lipsius *de Amphith. cap. 20.*

Objectionis propilei usu dissolutio. 1. 2.

Quanquam neq; hoc dissimulandum est, capite palliolato incedere, hominum fuisse delicatorum & mollium. Sic enim Plautus Græcorum mollitiem taxat *in Curculione, Scena,* Date viam.

Capite palliolato esse, pro mollitie habebatur.

Tum isti Græci palliati, capite operto qui ambulant.

Sic Seneca de Mœcenate scribens; Hunc esse ait, qui in tribunali, in Rostris, in omni publico cœtu sic apparuerit, ut pallio velaret caput, exclusis utrinq; auribus, non aliter quàm in Mimo divite fugitivi solent. *lib 20. Epist. 115.* Illud planè singulare est, quòd pilei umbellâ Hippocratis imaginem tegi solitam tradunt, ut inde admonerentur homines, eam partem maximè curandam custodiendamque, in quo tanquam certa sede animus conquiesceret, & mentis Pontificium esset repositum: ut idem Alciatus interpretatur. Sic & μηνίσκοι, quos umbellas lunatas Latinè dixeris, statuis olim impositi, ne ab avibus conspurcarentur. Quò spectat illa Horatiani Priapi imprecatio:

Hippocratis caput cur pilei umbra tectum.

—merdisq; coinquiner albis Corvorum.

Hi μηνίσκοι adhuc hodieque in templis Christianorum imponuntur capitibus statuarum. Cujus tamen rei causam ignorantes pictores, dum putant, honoris causa imponi debere non solum non omnibus statuis imponunt: sed & imaginibus quoque pictis adhibuerunt: quæ tamen illis opus non habent, ut statuæ: prout Joseph. Scaliger notat *in suis ad Catalecta Virgilii commentariis fol. 475.* Huc etiam pertinet, quòd Agathius Francos expolivisse crinem, ungentisque variis perfudisse ait, non odoris modò boni causâ; sed quoniam mentis sedes in capite sit, quæ suavi fragrantiâ rapitur, & altissima quæque cerebro odoribus delibuto reducit. Quocircâ nec Christus cùm esset Bethaniæ, repulit comminuto alabastro nardum puram effundi sibi in caput à muliere, & ita totam domum odore impleri, perfusâ cœlestis Regis comâ decorâ, & Solis radiis pretiosiore. *Marc. 14.* Steph. Forcat. *de Gallos. Imper. & Philos. lib. 5.*

Christus nardo perfusus.

Antiquam portò pilei formam Lucianus in Dipsade, fuisse ait dimidium corticis alicujus ovi. Nam apud Garamãtas ex Struthiorum ovis singulis in æquas partes dissectis, bini fiunt pilei. Tãta ibi est ejus ovi magnitudo: eoque capitis tegumento populi illi sibi plurimum applaudunt: si verum est, quod Joh. Pierius prodidit *lib. 4. Hieroglyphicōn.* In hoc igitur à petaso distinctus pileus: quod ille ad umbram faciendam marginatus; hic absq; margine fuerit, quales dormitorii aut nautici pilei.

Pilei forma.

12. *Draco rigidissimas suas leges*) Tam asper enim in puniendo fuit Draco legislator Atheniensiũ: ut atroces ipsius Leges, sanguine magis, quã atramento scriptas, Demades; Herodicus vero non hominis, sed Draconis esse dicere solitus fuerit, ut Aristoteles *in Rhetoricis* meminit. Illis tã se verè quondam in fures fuit animadver-

Draconis Leges.

sum, ut qui olera, aut etiã bubulum stercus, caussâ stercorandi surripuisset, capitis pœnæ subjaceret. Cujusmodi quoque pœna in eum erat constituta, qui tantulam ex alieno ficum sustulisset. Unde *Sycophantæ* appellati, qui fures istiusmodi observarent, aut deferrent & natum inde proverbiale convicium *Sycophanta*, in calumniatores, & de quacunq; vel minima causa litem moventes. Joh. Coralius *lib.* 1. *de arte iuris. c.* 3. Qua severitate Dracó tantum contraxit invidiæ, ut in theatro apud Æginam, populari tumultu omnium conspiratione, injectu multæ vestis præfocaretur: & ejus leges, quæ videbantur impendio acerbiores, nõ decreto jussoq; sed tacito illiteratoq; consensu Atheniẽsium obliteratæ sint. Gellius *lib.* 11. *Noct. Attic. c.* 18. Nec quidem injuriâ: cum in legibus ferendis, ipsius etiam possibilis, & facultatis ratione habere deceat. Oportet enim, inquit Plutarch. *in vita Solonis*, ea quæ jubentur, fieri posse facilè. Quo præcepto Salvator noster Pharisæorũ traditiones & dogmata improbavit. Alligant, inquit, onera gravia & importabilia humeris hominum: Ipsi autem digito movere nolunt *Matt.* 23. Et cũ ageretur de circumcisione inter Apostolos, in Synodo prima; qui præerat, Nolite, dicebat, imponere jugum super vos, quod nec patres nostri portare potuerunt. *Act.* 15. Quocirca ut in omnibus puta contractibus, pactis, & judiciis; ita etiam quidem maximè in jure, respondendo nimirum, constituendo & reddendo æquitatem, sectandam esse Paul. voluit. *l. in omnib.* 90. & ibi nobilis J Ctus Hippolytus à Collibus. *ff. de reg. iur.* quo in loco jus æquitati Paul. opponit, ut & Cic. *pro Cæcinna & in Bruto*; hoc est, rigorem juris, æquitati; jús summum & strictum humanitati; subtilitatem benignitati, ut *in l.* 2. § *quãquã ff. de Aqua & aq. pluv. arcẽd.* Hoc æquitas, ait, suggerit, licet jure deficiamur. Spectanda igitur erit æquitas, non ut hujus specie jus tollatur; sed ut, dum jus manebit, hinc interpretationem & modum accipiat: ne jus propter verba, etiã in quibus caussis iniquum est, præfractè retineatur. Ideo Celsus leges benignius interpretãdas ait, quò earum voluntas conservetur. *l. benignius.* 18. *de LL.* Benignitate adhibitâ Leges nó tollendas esse dicit; sed interpretandas; hoc est, æquitate naturalis juris; quod sẽper æquum & bonum est, moderandas & temperandas. *l. non sine. C. de bon. quæ lib.* ubi hæc idem valẽt, Æquitas & moderamen naturalis juris: benignè tẽperare, & æquitate seu naturalis juris moderamine temperare. Hinc placuit in omnibus rebus præcipuam (hoc est potiorem, ut Anton. Augustinus interpretatur *lib.* 4. *Emendation. c.* 8.) esse justitiæ æquitatisq; quam stricti juris rationem. *l. placuit.* 8. *C. de iudic.* Id hanc habet sententiã, ut si jus generalibus verbis scriptũ, in quibusdam caussis æquum non sit, ut servetur; utpote quod à justitia & æquitate dissideat: sequamur potius, quod justũ & equũ, quàm quod strictum est: quia strictũ jus, quod nihil habet Auctoris, præter verba, efficit, ut sit maximè contra ejus sententiam & voluntatem. At verò sententia non verbis adstringẽda est: sed verba potius sententiæ atq; aliò æquitati servire debent, quam servari est ex mẽte legis Hugo Donellus *libr. Commentar. Iuris civil. cap.* 13. Verbi causa: Lex est, ut si quis muros transcenderit, capite puniatur, cujus Legis primus violatur Remus à Romulo fratre interẽptus est. *l. ultima. ff. de rer. divis.* Finge igitur, Hostes civitatem cũ oppugnarent & murum ascendissent: Civẽ muros transcendentem, strenuè eos depulisse. Si ex præscripto legis petatur ad supplicium, nonne ex bono & æquo defendetur? cùm servandæ patriæ aut civitatis

Sycophanta.

Leges debent esse possibiles.

Et aqua.

Æquitas stricto iur quomodo preferenda.

Statutum Bononiense.

tatis caussa muros transcendere vetitum intelligi non debeat. Sic quamvis lege Bononiensi cautum sit, ut qui sanguinem in palatio fuderit, vita mulctetur: non tamẽ hac comprehendetur Chirurgus, qui cucurbitula, vel secta vena ægrum in palatio juvit. Quis enim existimet, medicam manum, quæ potius præmio invitanda erat, ulla penitu pœna afficiendam? & eam legem non interpretur ex subjecta materia, ut de ea sanguinis fusione, intelligatur, quæ in speciem delicti cadat? Andr. Alciatus *lib. 1. de verb signif. num. 14.* sequuntur Salycetum & Alexand. *in l. omnes populi de just. & iure.* Boni igitur & æqui viri erit, legis mentem, non verba sequi Bald. *in l. si defunctus C. de suis & legit.* Etsi enim verborum in omni controversia & caussæ examine prima habetur ratio, quando ea clara sunt & perspicua: *l. Labeo. 7. §. id Tubero. ff. de supellect. legat.* ut in universum Paulus responderit, Non admittendam esse voluntatis quæstionẽ, cum in verbis nulla est ambiguitas. *ille aut ille. 25. de legat. 3.* Nec aliter ex Marcelli sententia à verborum significatione recedi oporteat, quàm cum manifestum est aliud voluisse loquentem. *l. non aliter. 69. d. t.* quia tamen jura nõ vocabulis, sed vocabula iuri subjiciuntur explicanda. *l. omne verbum. 2. in fr. C. com. de lega.* quibus constat hominũ vel loquentium vel scribentium injuriam nõ infrequẽter abuti: discreti erit JCti dilĩgẽter perpensis omnibus circumstantiis non minorem, imò majorem quandoque voluntatis, quàm verborum rationem habere. Etsi maximè; ait Modestinus, verba legis hunc habent intellectum: tamen mẽs Legislatoris aliud vult. *l. scire oportet. 13. vers. aliud. ff. de excusat. tutor.* Justum autem esse, voluntatem magis, quam conceptionem verborum inspicere, Justinianus monuit. *l. ult. C. quares pign. dar. poss.* quod latius prosequutus sum in explicatione *L. 2. part. 1. C. de in ius vocan.* Nã ut eleganter Cicero *pro Cecinna* ait: scriptũ sequi; calumniatoris est: boni autem judicis, voluntatem scriptoris, auctoritatemque defendere. Id verò non in civilibus duntaxat caussis: sed etiam in delictis & quidem quàm maximè erit observãdum, ut scilicet humaniorem sentẽtiam sequamur. In pœnalibus certè caussis, ut Paulus ait, benignius erit interpretandum. *l. factum, 155. §. ult. de Reg. jur.* Et interpretatione legum pœnæ molliendæ potius, quam asperandæ; sicuti Hermogenianus respondit. *l. penult. ff. de pœn.* Quod non ita accipiendum est, ut cùm de delicto cõstat, benignius habeantur malefactores: cum Reip. intersit, ut suppliciorum acerbitate & exemplo minuatur facinorum frequentia. *l. aut facta, de pœn. l. ita vulneratus. 15. §. 2. vers. quod si quis ad l. Aquil. l. 3. C. de Episc. aud.* Sed ita, ut si vel de crimine, vel criminis specie, non satis aperta sit probatio, jam tum potiùs vel nullũ delictũ, vel quod inter plura minus infame sit, comissum interpretemur. *l. hæ quidẽ de susp. tut.* Quo sensu exaudio id quod Trajanus Assiduo Severo scripsit: Satius esse impunitũ relinqui facinus nocẽtis, quàm innocentẽ damnare. *l. absentẽ 5. ff. de pœn.* nõ quod nulla adversus facinorosos pœna constituta sit exsequenda: cùm & malũ è medio tollere æternus Legislator suadeat; & Reip. inter sit provinciam malis hominib purgari, adeò ut etiã contaminari animadversum sit gaudia lætitiamq; communẽ, si focinorosi impunes dimittantur *l. 3. C. de Episc. aud.* siquidẽ facilitas veniæ incẽtivũ tribuat delinquẽdi. *cã. est iniusta 23. q. 4.* Sed quod in dubio, & cum liquidò de delicto nõ cõstat, vel ut est in ãtiqua formula, NON PARET; proniores esse debeamus ad absolvendũ, quã condemnandũ. Quò pertinet, quod ex notabili Abbatis decisione *in c. Estote; Ex. de reg. iur.* Udal. Zas. retu-

Legis mens, non verba sequenda.

Humanior sententia.

In pœnalibus præsertim.

Intellectus L. 5. ff. de pœn.

retulit *cens. 16. in fi.* quòd cũ facta referri ad delictũ, & non delictum possint; debeant in eam trahi partẽ, quæ delicto caret: cum & quilibet præsumatur bonus, donec contrarium probetur. *c. dudũ de præsumt.* & generaliter alioquin ab Ulpiano responsum sit: In ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi nos oportere. *l. si fuerit. 10. §. 1. de reb. dub.* Cum quo planè convenit, quod idem Ulp. alibi prodidit semper in obscuris, quod minimũ est sequimur. *l. semper. 9. de R. I.* & Caj⁹: semper in dubiis benigniora præferẽda sunt. *l. 56. d. t.* vel ut Paulus loquitur, id agendum est, ut quàm tutissimo loco res sit. *l. ubi est. 21. ff. de reb. dub.* Hinc Æquitatem Cyprian. justitiam definit illam quidem; sed dulcore misericordiæ temperatam: ut ex Archidiacõo *in can. ius generale. 1. distin.* refert. Lucas de Penna *l. in sacris duodecima. C. de prox. sacror. scrin.* qua de re plura à me dicta sunt *in l. semper 9. ff. de Reg. Iur.* quibus adde, quæ de Clementia eleganter & copiosè scripta reliquit Lucas de Penna in *l. placet. 8. C. de excusat. muner. lib. 10. l. duos. 13. C. de suscept. præpos. & arcar. eod. lib. in l. his quidẽ. 5. C. qui militar. poss. vel non. lib. 12.* Viderint igitur Draconistæ illi (sic enim rigidos judices, qui propemodũ expertes omnis humanitatis, nimisq; indulgentes affectibus nil nisi sanguinem, cædes, gladios, & ignem spirare videntur, Henric. Steph. appellat in præfatione libelli, cui titulum fecit: *Iuris civilis fontes & rivi*) ne, dũ ad consilia adhibẽtur, affectione malâ vel assentatione Cæci, insontes pro nocentibus damnet magis quàm absolvãt, quandoquidẽ in eam pleruınq; propensiores esse soleant sententiam in quam Principis animum vident esse proclivem. Meminerint potius, tutius esse propter misericordiam reddere rationem, quam propter crudelitatem: atque insuper sibi quoque dictum putent à Regio propheta; Viri sanguinarii & dolosi, ne dimidium quidem tempus ætatis suæ vivendo complebunt: cujus rei varia exempla recent Philipp. Camerarius, divini humaniq; juris, ac historiarum callentissimus, *c. xli Operar. Succisivar.* Quid multa? Rem paucis sic habe. Judex neque rigorosior, neque legibus ipsis benignior esto. Vera namque justitia inter se veritatem & lenitatem consistit. Docet hoc Marcianus, dum perspiciendum esse ait: judicanti, ne quid aut durius, aut remissius statuatur, quàm caussa deposcit. Nec enim aut severitatis aut clementiæ gloria affectanda est; sed perpenso judicio, prout quæq; res expostulat statuendũ *l. 11. ff. de pœnis.* docet, id ipsum Callistratus *in l. observandũ 10. §.* sed & in congnoscendo usque excandescere adversus eos, quos malos putat, neque precibus calamitosorum illachrymari oportet. Id enim nõ est constãti & rectè judicis, cujus animi motum veluti detegit. *ff. de offic. præsid.* Cogitet Magistratus bonus, se subditis tanquam liberis præesse ut patrem, cui pro peccato magno parum supplicii satis est, ut ait Terent. *in Heautont.* Cogitet item princeps bonus, quomodo amorẽ apud populares & timorem apud hostes sibi conciliet: quod Tacit. monuit *lib. 11. Annal.* Etenim non præmiorum tantum exportatione, sed & pœnarũ metu Boni, in Repub boni cives efficiendi sunt, suadẽte Cicerone *pro Milone.* Neque judices statim piaculares & nefarii vocandi, qui supplicia irrogãt: quandoquidem *testante D. Hieronymo*, non crudelis est, qui crudeles jugulat; sed ideò crudelis habetur judex, quod patientibus crudelis vocatur. Quippe cum sanctissima & justissima sit severitas, per quã Reipub. consulitur *l. 1. §. 1. ff. de incẽd. ruin. naufrag.* & ut iterum dicam, mediam sibi viam judex sequendam censeat, inter severitatem & lenitatem

Draconistæ.

Philippus Camerarius.

Iudicis vera descriptio.

Iudices piaculares.

Severitas sancta.

tem, semper respiciēdo ad *d.l.11. ff. de pœnis*, quam uti sapientissimam & æquissimam post alios commendat Ventura de Valentiis *in Parthento litigoso lib. 2. cap. 12. num. 14.*

Leges olim non literis mandatæ. Istud quoque ob legum auctoritatem dissimulandum non est, quod Cæsar *lib. 6. de bello Gallico* prodidit, Druidas Leges & disciplinas serias literis mandare, nefas putasse: Idq; duabus de caussis; quod neque in vulgus disciplinam efferri voluerint, neque eos, qui discunt, literis confisos, minùs memoriæ studere, quod ferè videmus plerisque accidere, ut præsidio literarum freti, diligentiā in perdiscendo, memoriamque remittant. *Lacedæmonij.* Cui non absimile forsan fuit Lacedæmoniorum institutum, ut Leges sine scripto hominum memoriæ deponerēt. *§. ex non scripto. Instit. de Iur. nat. gent. & civ.* *Romani.* Sed nec Romani Leges permiserunt passim vagari teriq;: sed apud Pontificum Collegium eas, earumq; actiones, quæ circa fori solennia versarentur, esse decreverunt, tam scientiā, quàm interpretatione: nec nisi certas & solennes, imò anxiè graves edi palam passim sunt: ne populus, ut ait Pōponius, prout vellet, institueret. *l. 2. ff. de orig. jur.* *Legum auctoritas.* Populo enim Legem terrori & miraculo penè esse, utilissimum est habitum: cum Lex omnis sit inventum ac munus Dei, decretum prudentum hominum, &c. *l. 2. ff. de legib* & ut Pindarus dicebat, *Regina omnium & domina*: cui omnes mortales obsequi par est perinde ac Deo. Impossibile namq; est, ut *Plato* sapientissimè scribit, illam Rempub. bene gubernari posse, in qua Lex non imperat. Hinc apud Livium adolescentuli more Regio & solutiore vivere assueti, queruntur, Leges rē surdam & inexorabilem esse; salubriorem melioremque inopi quam potenti: nihil laxamenti nec veniæ habere, si modum excesseris. Unde si quis per potendam sive Ambitum, vel metu adversarij, non invenire se advocatum dicit, oportebit pro consulem dare advocatū. Opprimi enim aliquem per adversarij sui potētiam non oportet. Ut Ulpian. ait in *l. nec quicquā 9. §. advocatus ff. de offic. procōs. & l. 1. § ait prætor. 4. ff. de postul.* Omnibus enim tam infimis, quam summatibus par libertas esse debet, & æquum jus. *Leges telis aranearum similes.* At profectò, ut olim dixit sapiens ille Philosophus, leges interdū similes sunt *telis aranearum atq; cassibus*; quibus infirmæ bestiolæ implicantur, validiores transmittuntur. Leges capiunt & mulctant imbecilles ac miseros, quas opulenti perrumpunt, eisque suspendium mandant, cum illo apud Apulej *lib. 9. mihi fol. 440.* Cui nihil addimus, præter illud Senec. *Ep. 94.* Legem brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, velut divinitus emissa vox sit. Rectè ait: *divinitus emissa.* Nam quò magis humanis mentibus Leges figerentur, & plus dignitatis ac venerationis haberent; Reges prudētissimi, & alij primæ notæ Legumlatores, ad Deum aliquem eas retulerunt. *Divina origo.* *Minos.* Sic enim Minos Cretensium Rex colloquio Jovis frui se asserebat, & Leges ex illius respōso dare. *Lycurgus.* quas Lycurgus, postquam in Creta didicisset, domum reversus, ab Apolline acceptas finxit. *Moses.* Moses certè Tabulas duas Legum sacrarum à Deo Opt. Maxim. sibi in monte Sinai traditas testatur. Cujus facies, ex divino colloquio, cornuta (radiatā dixeris verius) apparuisse putatur, emissis radiis magno terrore spectantium, ità ut velamine injecto populum alloqueretur. *Exod. 3.* *Cornu, quid in sacris.* Conu enim auctoritatis & excellentiæ notam esse, liquidò constat. Imò pro Rege ipso id in divinis literis positū inveniri, Pierius asserit *lib. 14. Hieroglyph.* Sic enim David à Saulis & aliorum inimicorum manu liberatus, pæana canit Deo, eumque vocat clypeum & asylum suum, & cor-

& cornu salutis. 2. *Reg.* 22. Et alibi ait: Cornu ejus exaltabitur in gloria *Psal.* 112. Unde cũ in capite Genitij Cippi Prætoris subitò veluti cornua emersissent, respõsum fuit à vatibus Romanis, Eum Regem fore, si in Urbem revertisset. Valer. Max. *lib.* 5. *c.* 6. Quocirca & Bacchus corniger, & taurina facie ab Antiquis effingebatur, ob victorias & ingeniorum incitabulum vino adscriptum: eò quòd potatores taurinum quiddam assequantur, animos nimirum, ferociam, & pugnacitatem; & neq; dicto, neque facto parcant ulli: sed ut animalia, quæ cornibus prædita sunt, ad ferendum sese paratiores ostẽdant: ut rectè dixerit Horatius: ebrietatem ad prælia vel inermem trudere. Ob eandem hanc animi impotentiam & ferocitatem, M. Crassus *fœnũ in cornu habere* vulgò dictus est. Nam cùm Sicinius quidam, effusissima dicacitate omnes carpsisset quidem; uni autem M. Crasso pepercisset; ac, cur uni huic parceret, fuisset interrogatus; Fœnum eum in cornu habere, respondit: arguens nimirum insolentiam ejus, quæ ex nimia pabuli ubertate & opibus resultaret; atque dignum eum significans indicio fœni, quod boum cornibus solebat alligari. Mos enim fuit Romanis, Cornupetarum boum cornua fœno circum ligare: ut obviam prodeuntes cavendum sibi admonerentur. Plutarch. *in eius vita. mihi fol.* 225. quò respexit Horatius, cùm ita cecinit:

Bachus cur corniger.

M. Crassus.

Fœnum in cornu.

Fœnum habet in cornu: longum fuge.

Longè alia fuit Andronici Constantinopolitani Imperatoris, luxu & libidine perditi intentio, qui cornua cervorum, quos venatus erat, insignia, & rari aliquid habentia in porticibus fori suspendebat, specie quidem ostentandæ magnitudinis ferarum, quas cepisset: cum revera Civitatis mores, & Vxorem, quas ipse corrumpebat, lasciviem notaret: Sicuti Nicetas prodidit *lib.* 2. *de Imperio Andronici Comnem.* Atq; hinc in multas gentes promanavit, opinor, ut qui malitia degenere, vel injuria suas Conjuges adulterari sinerent, probroso sanè convitio *Cornua ferre*: & *Cornuti* dicantur. Saxo eos *Hanreyer* vocat, ut videre est in *Speculo Saxonico.* Et extant in Cornigerum illud genus sive populum versus numero sanè multi apud Joh. Nevizanum *lib.* 4. *sylv. nupt. n.* 92. Atqui eum qui alterius domui cornua apponit vel affigit, perinde puniri, ac si libellum famosum composuisset, post Tiber. Decian. *in pract. crimin. lib.* 3. *c.* 25. *n.* 53. & alios tradit Prosp. Farinacius *part.* 3. *operum crimina. q.* 105. *num.* 468. quanquam Cypri incolas olim cornutos fuisse Joh. Gryphiander scribit in *tract. de Insulis c.* 32. *n.* 106. Juxta illud Ovidij *Metam.* 7.

Cornuti.

Cypri incolæ cornuti.

—gemino quibus aspera cornu
Frõs erat: unde etiã nomẽ traxere Cerastæ.

Quod autem maritis, quantumvis immeritis cornua imponantur, ejus rationem festivam reddit Joh. Oevuenus Britannus *Epigr.* 163. *lib.* 1.

Si quãdo sacra iura thori violaverit uxor,
Cur gerit immeritus cornua vir? caput est.

Verùm hisce valere jussis (nolo enim generi illi hominum, quos unquam Sol vidit, miserrimo esse acerbior: ne jam antè satis adflictis istis Bonis-hominib. commẽtatione hac mea adflictionem addere videar) rursum ad Leges nos conferamus: quarum & cœlestem originem, & mysticum atq; occultum, nec cuilibet obvium sensum esse diximus: ut hinc appareat, frustra conqueri Polydorum, quod Edovardi leges idiomate Northmanico vix Anglis Gallisve intelligibili essent perscriptæ: nesciens fortassis, Principũ placita, & Legislatorum sanctiones esse digna singulari & inusitato sermone, quo magis vulgò sint admirationi. Gaudent enim sanctæ

Leges cur inusitato sermone plerunque conscriptæ.

sanctæ res abstrudi, & à communi intelligentia semoveri. Hinc Decemvirales tabulæ dicendi genus exoletum & auctoritate venerandum usurparunt, ut ex Cicerone *lib.3 de LL.* refert Steph. Forcatul. *lib.7. de Gallorum Imper. & Philosoph.* ut properam omninò faciat, qui, ut est in proverbio, Eleusina sacra in vulgus proferunt; sive, ut Christi verbis utar, margaritas ante porcos abjiciunt. Prometheus certè ob id in Causaco monte prægelidis rupibus alligatus pœnas pendere fingitur, quòd cœlestem ignem Diis immortalibus furto surreptum cum mortalibus comunicârit. Quare illi redivivũ pectus.

Prometheus.

Tristi advolatu, aduncis lacerans unguibus Iovis satelles, pastu dilaniat fero.

ut Cicero *lib 3. Tuscul.* ex Æschilo reddidit. Planè in divina quoque lege quædam occulta esse voluisse æternum Legislatorem, non dubitavit Gregor. Nazianzenus affirmare *lib.1. Theologia.* Vult, inquit, Legem tabulis solidis lapideisque utrinque inscribi, propter manifestum ejus atque occultum: hoc quidem multis, & humi repentibus hominibus; illud verò paucis, & in sublime evadentibus. Id ipsum non auctor modò quarti libri Esdræ *c. 14.* sed & Hilarius *super Psal.2.* & Origenes *homilia 4. in Nu.* non obscurè testantur, dũ Mosem dicunt non legem solùm, sed secretiorem legis enarrationem in monte divinitus accepisse. Præceptum autem ei à Deo, ut Legem quidẽ populo scriberet; Legis autem occulta mysteria ipse ministro suo Josuæ: hic deinceps succedentibus Sacerdotum primoribus magna silentii religione revelaret. Enarravi ei, inquit Esdra, mirabilia multa, & ostendi ei tempora secreta, & finem: & præcepi ei dicẽs: Hæc in palàm facies verba: & hæc abscõdes. Et *paulò pòst*: Ea ubi perfecta fuerint aliam palàm facies, alia clam trades sapiẽtibus, de quo videri poterit Melchior

Etiam in divina Lege quædam occulta.

Guilandinus *in tract. de papyro. membro 3.* Post Petrum Crinitum *lib. 25. de honesta discip. cap. 3.*

13 *Romani omnes barbam radebant, & capillos gerebant.)* De Barba & Capillitio videantur, quæ ex variis historicorũ hortulis decerpsit, & veluti in penum quandam reposuit Philip. Camerarius *Operar. succisivar. cap.36.* Fuit autem civium Romanorum ac Principum consuetudo, ut mentum raderent. Qui mos ad Adriani usque tempora (qui primus barbam nutrivit, teste Xiphilino Dionis Epitomatore, in Trajano) invaluit, solo *luctus* vel *reatus* tempore excepto: quo barbam solebant demittere, & capillum submittere. De luctu fidem facit Seneca: quia Cajum principem barbam & capillum submisisse refert, audita Sororis morte *in Epistola ad Polybium.* Et de eodem Suetonius loquens; Rediit, inquit, barba capilloque promisso. Ulpian. certè inter luctus censet indicia, si quis veste utatur lugubri aut squalida: si barbam demittat: vel capillos summittat: *l. item apud Labeonem. 15. §. generaliter. 27. ff. de injur.* Stephan. Forcat. *Necyomant. dial. 58. num. 3.* Idem erat, si quis in Reatu esset, hoc est, inter Reos relatus: quod tũ fiebat, quando Judex rejectis exceptionibus dilatoriis declinatoriisque pronunciabat, ad ulteriora procedendum. Post hujusmodi enim interlocutionem, quæ vim cujusdam litis contestationis habebat: qui accusatus erat, incipiebat in Reatu esse, hoc est, statu & conditione, in qua Rei sunt, antequam vel absolvantur, vel condemnentur. Reorum autem olim certum statum fuisse, vel Plinius *in Epistola ad Suram* testatur: ubi Mores ait Reis fuisse, submittere capillũ, quem non antè fas fuit rescindere, quam omnium sententiis absolverentur. Erant igitur Rei squalore & illuvie confecti, promissa barba, habitu sordido, pannoso,

Romani mentum radebant.

Nisi cum in luctu essent.

Aut Reatu.

Reorum status.

 &ut

Cultus fortunæ accipiendus.

& ut Budæus inquit, misericordiæ aucupatore. Neque id sine ratione: cum par omnino sit, ut ad fortunæ suæ statum, quilibet habitum & orationem attemperet. Hinc apud Plautum meretricula Sileniũ, cùm à Gymnasio monita esset, ut temperaret affectui, & se mundaret; alienum id esse à fortunæ suæ statu, regerit.

—immũdas fortuna aequũ squalerẽ sequi.

Et Horatius, qui fabulas vitæ humanæ characteres & imitamenta esse probè noverat, præcipit *in arte*:

—Tristia mæstum
Vultum verba decent: & mox:
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitũ, juvat aut impellit ad iram,
Aut ad hũ mærore gravi deducit & ãgit.

Hinc Mithridatẽ, Regem quondam potissimum Tacitus laudat, quod cum victũ se bello, superatumq; armis Romanis videret, cultum vultumq; quàm maximè ad fortunam præsentem comparasset. Sic apud *Guntherum in Ligurino* in obsidione Terdonæ unus è Clero, qui urbe exierat Cæsari supplicatum.

—pallenti squalidus ore,
Voce satis mæsta, fortunæ verba coaptans
Facundo sermone tamen.

Id exequitur *lib.3. vers.29.* Contra, qui in calamitate prioris fortunæ retinens esse vult, illi ut plurimum res malè cedẽt. Præclarè in hanc rem Symmachus: Quid fortunam meam deceat, agnosco: Cum qua nimis contumaciter agit, qui accepto vulnere, statim miser esse dissimulat. Quod pluribus adductis pulchrè exornat Michael Piccartus, Philosophus eximius *Observat. historicopol. decat. 15. cap. 7.* Status autem ille Reatus dicebatur, quæ vox Ciceroni & aliis Antiquis inusitata, primumque à M. Messala conficta est, ut Quintilian. *lib. Orator. Instit.* prodidit. ea tamen & Martialis usus est:

Si det iniqua tibi tristem fortuna Reatum,
Squalidus harebo pallidiorq; Reo.

Intellect. l. si diutino. 26 ff de pæn.

& Modestinus *in l. si diutino. 26 ff. de pœn.* Si diutino, inquit, tẽpore aliquis in Reatu fuerit, aliquatenus pœna ejus sublevanda erit. quod ita Nostrates interpretantur, ut qui in commisso delicto diu impunè egit; vel, qui post longum tempus, puta decem vel viginti annos alicujus facinoris accusatus est; mitiùs puniri debeat, quàm qui recens crimen patravit. Quam quidem sententiam, tametsi non omnino improbandam putet Alciat. in *C. cũ non ab homine. Ex. de iudiciis. n. 38.* & Rochus Curtius *in c. ult. de consuetu. in 1 notab.* Rolandus à Valle *cons. 63. n. 1. volum. 3* & Ant. Gom. *ad l. 76. Tauri num. 6.* sive quod lex divinæ patientiæ æmula abstineat à puniendo eum, quem Deus per tot tempora benignè tulit: sive quod tempus ipsum pars pœnæ fuerit, aut certè oblivionẽ aliquam induxerit ejus criminis, quod in exemplum vindicandum erat, ad alios ab eo pœnæ cognitæ metu deterrendos: siquidem oblivione illa ita inducta nihil sit, cur Lex aut Magistratus admodũ laboret in deterrendo homines à simili delicto, cujus jam amplius non meminerunt; ut Reinald Corsus argumentatur *lib. 1. Indagation. Iuris c. 9.* Eam tamen, quam dixi sententiam, ex illo jure consulti responso perperam deduci ait Didac. Covarruv. *lib. 2. variar. Resolut. cap 9. post num. 2. vers. primũ poss.* Imò eam ratione carere idem Alciatus existimat. Cum satis Reo esse debeat, tanto tempore impunè egisse; & ideò tarditas vindictæ, supplicii gravitate compensanda sit, ut ex Val. Maximo Alciatus respondet *lib. 2. Parerg. c. 10.* Nec enim per Reatum Modestinus crimen ipsum intelligit: sed statum & habitum illum Reorum, de quo modò diximus: ut sit sensus, Pœnam ejus temperandam nonnihil, qui diu fui in Reatu, hoc est.

est, in cultu solito Reorum, in conspicua & miseranda illa calamitate, in qua Rei olim erant, capillo videlicet submisso, promissa barba, habitu pannoso, sordibus & illuvie confecti (Unde & *Sordidati* nuncupati) donec vel absolverentur, vel condemnarentur; Veteribus enim, nec injuria, visum est, conspicuam hanc & diuturnam calamitatem debere criminis pœnā minuere. Joh. Corasius *lib. 2. Miscell. c. 20. & lib. 4. de arte juris c. 28.* Quæ sententia juvatur quoq; Ulpiani respōso *in l. 3. §. quod pater. ff. de mun. & hon.* Ubi reatus à crimine discretè distinguitur. Quòd pater (inquit Ulpian.) in reatu criminis alicujus est, filiis impedimento ad honores esse nō debet: quemadmodum nec crimē ipsum, sive patris delictum; iñocenti filio pœna est *l. 2. § nullū ff. de decurio.* Sed & qui in reatu decedit, integri status decedit. *l. ult. ff. ad l. Jul. maie.* & ideò nec sibi, nec hæredib. præjudicat, nisi mortē, nulla præcedēte caussa, sibi consciverit. *l. fin. §. ult. ff. de bo. eor. qui ante sent.* Sed nec Reos ipsos duntaxat; verum etiam affines eorum & cognatos, libertos & familiares omnes vestē mutare, capillumq; submittere cōsuevisse. Manlii Capitolini exēplo, quod Auctor noster ex Livio adducit, satis probatur. Eum tamen morem postea coarctatū nonnihil fuisse, Vernulejus indicat: *l. vestē 39. ff de iniur.* Vestem sordidā, ait, Rei nomine in publico habere, capillumve submittere nulli licet: nisi ita conjunctus sit affinitate, ut invitus in Reum testimonium dicere cogi non possit. Non obscurè enim innuit, cuivis non esse permittēdum, Rei nomine sordidam vestem (quā Valerius *lib. 6. c. 4.* obsoletam; Ulpianus squalidam appellat *in l. 13 § 27. de iniur.*) in publico habere, capillūve submittere, nisi cognatis tantùm & affinib. iisq proximiorib: cùm id anteà libertis, & cuivis ex populo sine fraude liceret; quēadmodum ex Liv. & Plinio probat Jacob. Revardus *lib. 3. Variar. c. 6.* Solum tamen P. Scipionē Africanum legimus, cùm Reus esset, eiq; à Claudio Asello Tribuno plebis dies dicta esset, ad populum neq; barbam radere, neq; candidā veste uti desiisse; minimeq: fuisse cultu solito Reorum: ut est apud Gellium *lib. 3. Noct. Attic. c. 4.*

Sordidati.

Etiam Reorū cognati. Sordidatam usurpabant vestem.

Id tamen postea limitatum.

Scipio.

Fertur quoque Rullius, quo truculentior esset, capillatior & barba majore fuisse. Ad terrorem certè hostib. incutiendū, Indi & Arabes in prælia ituri, ex proprio capillo cornua & cincinnos sibi nectere dicūtur; formidabiliores scilicet inde appariturі. Sed & philosophos barbam prolixiorem & capillis longiorem gestare solitos, sapientiæ argumentū & insigne, plus quàm manifestum est. Inde enim Horat. Barbam sapientem appellat *lib. 2. Satyr. 3.*

Rullius.

Indi & Arabes.

Philosophi barba cur prolixa.

Barba sapiens.

——tempore, quo me
Solatus jussit sapientem pascere barbam.

quam Juvenalis *Satyr. 10.* gravem dixit. Hinc Philosophos Persius barbaros appellat *Sat. 4.*

Rem populi tractas? barbatum hoc crede Magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ.

ubi Domitium Neronē minus idoneum ostendit populi Rectorem & Pastorem; qui nihil unquam studio percepisset, audisset, didicisset. Ob id Juvenalis *Satyr. 4.* docet, Liberos molli educatione, indulgentia & pravis parentum moribus perdi, ut vix ac nec vix quidem inde ad meliorem frugem possint revocari.

Barbatos licet admoveas mille inde Magistros.

Quanquam ut nec habitus Monachum, nec cathedra Sacerdotem facit, & nec locus aut habitus sanctificat hominem, sed homo locum & habitum: *can. ult. 40. dist.* Ita etiā neq; promissior barba, nec vestis pertrita Philosophum facit. Hinc enim illud è Græco conversum epigramma:

Si prolixa facit sapiẽtẽ barba: quid obstat,
Barbatus fiat quin Caper ipse Plato?

Barbano facit philosophum.

Quapropter cùm ad Herodem Atticum consularem virum, ingenioque amœno & Græca facundia celebrem, palliatus quisquiam & crinitus, barbaque prope ad pubem usq; porrecta adiisset, ac periisset æs sibi dari εἰς ἄρτους emendos scilicet: atque Herodes interrogasset, quisnam esset? Tum ille vultu sonituq; vocis objurgatorio, Philosophũ se esse dixit: & mirari quoque, addidit, cur querendum putasset, quo videret. At Herodes: Video, inquit, barbam & pallium: Philosophum non video, ut est apud Gell. *lib. 9. Noct. Atticar. c. 2.* Sentiebat nimirum Atticus, Non fucum sed mores & scientiã genuinum Philosophum ostentare, Joh. Coras. *Epist. quæst. cap. 24. n. 4 & 5* ut meritò de isthoc hominum genere Pacuv. dixerit:

Ego odi homines ignavâ operâ philosophâ sententiâ.

Quem versum Macedo Philosophus vir honus scribi censebat debere pro foribus omnium templorum. Nihil enim fieri posse indignius, neq; intolerantius dicebat, quàm quod homines ignavi ac desides operti barba & pallio, mores & emolumenta philosophiæ in linguæ verborumque artes converterent, & vitia facundissimè accusarent, intereuntibus ipsi vitiis madentes, ut est apud Gellium *lib. 13. cap. 18.*

Pera & clava philosophorum.

Præter barbam autem & pallium (unde palliatus Pythagoras Valer. Maximo *lib. 3. cap. 1* & palliata mendicabula Polycrati *lib. 8. c. 28.*) etiam perâ utebantur philosophi, & baculo sive clava: exẽplo Herculis clavam gestantis. De quo Apulej. *libr. 4. Florid. Philosoph. iste Hercules fuit: semi nudus & ipse, & clava insignis.* ad cujus imitationem philosophi clavam, hoc est, nodosum baculũ tenebant. Idem Apulej. *lib. 11. Metamorph.* peram & baculum tu-philosopho exprobrares? & paulo post de Hercule: *Neq; ulla pelle vestitior fuit, neq; uno baculo comitatior.* Nec abs re tamen Sidonius Apoll. Faustum commendat, quia non pasceret cæsariem, neque pallio aut clavâ, veluti sophisticis insignibus gloriaretur, aut affectaret de vestium discretione superbiam, de nitore pompam, de squalore jactantiam. *Ep 9. lib. 9.* Ubi omnium ferè philosophorum habitũ depictum invenias. Quos tamen non ineptè fortassis cum Tertulliano, *alicujus sapiẽtiæ animalia* vocaveris. vel cum Musonio *animalia spurca & probra*, dum nomen usurpant sanctissimum & Philosophi nominantur, teste Gellio *lib 9. c. 2.* Hi cum maximam in victu ac corporis habitu severitatem & continentiam præ se ferrent, & nescio quid sublimius populo sapientes, pecuniæ & gloriæ & voluptatibus odium indixisse; & ut Impp. loquuntur *in l. 8. C. de professor.* etiã fortunæ vim ferre, ipsamque adeò mortem contemnere posse viderentur, imo etiam plusquam homines & supra homines se esse jactarent; si propius inspiceres, vincebãtur avaritia & rapacitate: philosophiam rem sanctissimam numario pretio dehonestãtes: quod sophistarum est, uti eleganter Themistius disserit. *orat. 3.* adeò ut paucissimi verè philosophantes invenirentur: ut inter Cynicos quidẽ, de quibus Petron. Arbiter.

Philosophorum affectatio.

Avaritia.

Ipsi qui Cynica traducunt tempora vita,
Nonnunquã verbis vendere verba solẽt.

Quos versus in hanc rem adducit Marquard. Freher. *lib 1. parerg. cap. 1.* cum illo Senecæ *lib. 2. de benefic. c. 15.* Intolerabilis res est poscere numos & contemnere: indixti pecuniæ odium, hoc professus es, hanc personam induisti, agenda est. Iniquissimum est, pecuniam sub egestatis gloria adquirere. Jure igitur Gellius Græcas istorũ præstigias ridet, philosophari sese dicentium, umbrasque verborum inanes;

anes fingentium: qui se nihil habere, & nihil tamen egere, ac nihil cupere dicunt; quum & habendo, & egendo & cupiendo ardeant. *lib.* 13. *Noct. Attic. cap.* 22. adeò
—*philosophia.*
Exilium patitur, & philopecunia regnat! quam constat esse violentissimum disciplinæ textum, ut *Richardus de Burt*, Eduardi III. Anglorum Regis quondam Cancellarius censuit *in philobibl. cap.* 9. quinimò ex ipsa philosophia conquiri divitias monemur illo Lucillii Epigrammate:

Philopecunia.

Hermodoti hoc dogma est: quisquis miser indiget are,
Philosophi adsumat pallia; dives erit.

Et qua mente fuisse dicas Senecam? qui cum de divitiarum contemtu multa scripserit, adeo tamen studiosus parandæ rei fuit, ut ter millies sestertium quadriennio cumulaverit? Tacito veste: Quæ summa valet centies quinquagies centena millia Caroleorum; seu, ut vulgo computamus, *ès πλέτῳ donnas auri centū quinquaginta*: ex supputatione doctissimi Conradi Rittershusii *in Notis ad Gunthers Liguin. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 2. quē laudat & sequitur Clarissimus Taubmann. *in Virgil. Culice fol.* 32. Nec desunt, quibus Petronius modò commemorato illo disticho, non obliquè videtur Senecam carpere: cujus suspectum in gubernatione Cæsaris Neronis Regimen, tanquam venale, & ambitioni pervium. ut videre est in *prolegomenis ipsius Petronii cap.* 3. At in opibus cōgerēdis perpetuo mēti hærere debet bracteatum illud Ausonii *Eidyll.* 3.

Seneca opes immensa.

Cui nullus finis cupiendi, nullus habēdi est
Ille opibus modus est, quē statuas animo.

Cæteroquin ita fere comparatum atque usu approbatum est, ut vero verius experiamur, quod ille dixit: *Opes facilius inveniri qui vituperet, quam contemnat.* & Lipsius meminit *centur.* 1. *Epistol. ad Belgas Ep.* 13.

Osirim quoq;, cum totum orbem terrarum peragraturus esset, decrevisse dicunt, crines non tondere antequam in patriam rediisset. Indeq; promanasse hāc consuetudinem, ut peregrinantes capillos nutrirent, donec domum reverterentur. Natalis Comes *lib.* 5. *Mytholog. c.* 13.

Osiris.
Peregrinantes comam alunt.

Singularia isthæc sunt quibusdā forsitā viris. At fœminis in universum hoc familiare est, ut circa Comarum nutritionem quam maximè occupentur. Nec injuriâ fortassis, quandoquidem Capillamenti decorum adeò fœminas decere Apulejus putavit, ut si vel ipsa Venus calva foret, & comæ honestamento viduata haudquaquā placeret, sed imò inamabilis fieret. Si cujuslibet, inquit, eximiæ pulcherrimæq; fœminæ caput capillo spoliaveris, & faciem nativa specie nudaveris; licet illa cœlo dejecta, mari edita, fluctibus educata; licet inquam Venus ipsa fuerit; licet omni Gratiarum chorum stipata, & toto Cupidinum populo comitata, & baltheo suo cincta cinnama fragrans, & balsama rotans, calva processerit; placere nō poterit, nec Vulcano suo. Et paulò pòst: Tanta deniq; est Capillamenti dignitas, ut quamvis auro, veste, gemmis, omniq; cetero mundo exornata mulier incedat: tamen nisi capillum distrinxerit, ornata non possi videri. Ejus verò varii colores ibidem paulò ante commendantur. Inter quos Galenus capillos flavos & rubentes, crispos que bonam corporis constitutionem significare putavit. Cujusmodi fortassis fuerunt Poppeæ capilli, quos Domitius Imperator à succini colore, qui in melle cognoscitur, succinos appellavit. Apulej. noster, aurum coruscantes in mellis lenem de primi umbram eleganter dixit, quanquam nigricantis quoque coloris capillus non parum expeti videatur à matronis, nigricia illa satis venustate faciem candicantem. atque ad id usas fuisse unguen-

Mulierum cura in alenda coma.
Capillamēti muliebris laus.
Capillorum color.
Poppea capilli.

unguento nucario, è nucis cortice expresso, indicatur illo Tibulli:

Tum studium formæ est, coma tum mutatur, ut annos
Dissimulet viridi cortice testa nucis.

Morbus ex nimia capillorum curatione.

Quod ex Johanne Meursio supra *Tutul. de Amomo*, annotavimus. Idem Gale. scriptū reliquit, vidisse se mulieres complusculas immodicâ capillitii curiositate defunctas eò quòd caput pharmacis & medicamentis hujusmodi lethifera frigiditate vexârint: iñmemores sc. quòd capillus interdū inordinatus incompositusq; ; & ut cū Terentio dicā, *circa caput rejectus negligenter*, in formoso corpore decentior est, & gratior, quàm operosus, hoc est, multa opera cōcinnatus: quemadmodū in simili,

Pulchra fœmina nuda, est purpuratâ pulchrior:

Fœmina nuda pulchrior.

ut Plautus rectè putavit Mostellar. act. 1. Sc. 3. quē Apulejus noster sequutus; Pleræq; mulieres, inquit, indolem gratiasq; suas probaturæ, lacinias omnes exsuunt, amicula dimovent, nudam pulchritudinem suam præbere gestiunt, magis de cutis roseo rubore, quàm de vestis aureo colore placituræ. Cæteroquin fœminas capillos nutrire, ipsa Lex jubet, ad caput videlicet velandū, & in memoriam subjectionis: intantum, ut si comā sibi amputaverit mulier, anathemate feriatur. *can. quæcunq; distinct. 30. & can. mulier. 33. q. 5.* eo quòd jus subjectionis hoc modo conetur resolvere. *d. can. quæcunq;* ad quod tamen erat adstricta: quando quidē subditas fœminas viris, & penè famulas Lex esse voluerit uxores. *can. satis. 33. q. 5.* ut non immeritò Justinianus rescripserit; & corpore, & substantia, & omni Uxoris vita maritum fungi. *l. assiduis. C. qui potior. in pign. hab.* qua de re prolixius à me dictū est *in l. ult. C. de in jus vocā.* Illud mirēre magis, etiam à viris cum affectatione quadam & cura Capillos studiosè fuisse cultos, & ad lenocinia decoris ꝑmissos. Hos Seneca dicebat solicitiores esse de capitis sui decore; quàm de salute: quippe qui inter speculum pectinemq́ue occupati sint: qui conciñiores esse malint, quàm honestiores: qui Rempublicam suam turbari minùs curent, quàm comam; si scilicet

Mulier comam nutrire debet.

In subjectionis signum.

Capilli etiam à viris culti.

Effœminatis.

Unus de toto peccaverit orbe comarum
Annulus, incerta vix benè fixus acu.

sicuti de molli & effeminato quodā Martialis lusit: quo hominū genere nihil quicquam aut nequius, aut turpius esse, Cicero rectè pronunciavit. *3. Tuscul.* Hinc Archesilaum Philosophū Plutarchus refert, vehementi verbo usum esse, de quodam nimis delicato divite, qui incorruptus tamen & perinteger dicebatur. Nam cùm vocē ejus infractam, capillumq; arte cōpositum, & oculos ludibundos, atq; illecebræ voluptatisq; plenos videret: Nihil interest, inquit, quibus membris Cinœdi sitis, posterioribus an priorib. quod Gellius refert *lib. 3. Noct. Atticar. c. 5.* In more tamen positum fuit Francis sive Gallis, ut comam alerent eleganter, & cæsariem insignē ac copiosam lubenter ostentarēt:

Archesilai in effœminatos dictum.

Franci aluerunt comam.

—tum flava repexo
Gallia crine ferox evinctaq; torq; decoro.

ut Claudian. *in 2. Panegyrico canit*: & doctè explicat Ludov. Cœlius Rhodig. *lib. 13. lect. antiq. cap. 8. fol. 533.* vel ideo fortassis, quod Franci quasi Liberi potissimùm nominarentur. Liberorum autem sive ingenuorum est, comatos esse: cùm è contra coacta detonsio jugum servile innuat. Ex quo manavit vetus illa apud Suidam parœmia. Δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις, hoc est, Servus cùm sis, comā habes. Indeq; antiquissimum Celticæ gentis morem fuisse. Antonius scribit *lib. 1. de gest. Francor. c. 20.* ut cujus barbam comiter tangerent, cū haberēt parentis loco, adoptionis propè imagine. Cujus moris ignatus M. Papyr. Romanus, Gallo promissā ejus barbam

Coma Ingenuorum.

Galli barbam demulcent. M. Papyrius.

bam permulcenti, scipionem eburneum in caput victoris incussit, ut hinc quoque probabile quodammodo fiat, etiam tum temporis Romãos barba usos fuisse prolixiore. Sed magno stetit Papyrio isthæc percussio. Inde enim cædis initium à Gallis factum, patribus miserè & sine cæde trucidatis, ac Senatu penitus exstincto; sicuti ex Livio Stephanus Forcatulus retulit *lib. 2. de Gallor. Imper. & Philosoph.*

Mulieres an calvescant.

Etsi autem proditum est, Mulieres regulariter non calvescere: eò quòd natura harum similis sit puerorum naturæ; ut principi Medicorum placuit Hippocrati: Negari tamen non potest, etiam fœminis quandoque capillos defluere: non quòd natura harum immutata sit; sed vita, & victus ille temperatior, ut Beroald. *ad Apuleium* annotavit. Estq; dignũ relatu, quod Herodotus scripsit, ex omnibus hominibus paucissimos videri calvos Ægyptios, eosdemq; *capita habere durissima*: Cujus rei hãc ait esse causam, quòd statim à pueris radere capita incipiant. Inde enim os capitis ad solem reddi compactum, adeò ut vix lapidis ictu id illidas. Persis autem, quod à principio essuefiant operire capita gestantes pilea & tiaras; adeò fragilia esse, ut si ferire velis, vel solo talitro perforare possis. *Herod. lib. 3. cap. 12.* Hos nemo aptos fuisse dixerit ille apud Græcos usitato ludo; quem *Hieromeniam* vocabant. In quo vir nudo glabroque capite, Arieti reciproci cornu occursabat; sæpiusq. eadem de re ad tonstrinam se recipiebat, ut obarmaret loricaretq; caput ferventi pice. Quod si minime Arieti cessisset, & firmiter arietasset, certo præmio donabatur. de quo apud Cœl. Calcagni *lib. 1. Epist. quæst.* 12. Planè calvam quoque Venerem à Romanis cultam fuisse constat: & quidem ab eventu. Nam Urbe à Gallis occupata, obsessi in Capitolio Romani, cùm mulierum capillis tormẽta fecissent, ædem Veneri calvæ, in matronarum honorem consecrârunt: quemadmodũ ex Vegetio & Lactant. Lilius Giraldus retulit *Hist. Deor. Syntag. 13.* & Johan. Nevizan. *in sylva Nuptiali lib. 4. n. 19.* Romanis tamẽ mulierib. istis forsan non inferiores judicãdæ erũt Massilienses fœminæ, quæ Martis ad classis instructionẽ comas suas cõferebant, quia funes deficerẽt. Maluerunt enim pudicæ fœminæ, deformato ad tẽpus capite reparare exarmata navigia, & libere vivere, quàm venustate integrâ hostibus cedere, hisq; servitum ire. Front. *lib. 1. Strateg. c. 7.* Veget. *l. 4. c. 9.*

Hieromeniæ ludus.

Venus calva.

Ex mulierum comis tormenta.

Item funes.

Occasio calva.

Occasionem quoq; calvam fuisse effictam invenio. Eam Græci masculo nomine καιρὸν nuncupabant. De hoc Pytthacus Mitylenus, unus ille ex septẽ Græciæ sapientib. illud usurpabat γνῶθι καιρὸν, hoc est, Nosce tempestivitatẽ sive occasionẽ, quæ rerum omnium potissima est; & si semel præterfugerit, ampliùs apprehẽdi nõ poterit. Rectè enim Livius; Si in Occasionis momẽto, ait, cujus prætervolat opportunitas, cunctatus paulum fueris, nequicquam mox omissam queraris. Ideo enim calva posteriori parte fingitur Occasio, & ei Comes additur *Metanœa*, id est, Pœnitentia, Quod & Posidippus & Ausonius lepidissimis versiculis expresserunt; quorum ille quidem καιρὸν *sive Carũ* quẽ natu minimum filiorum Jovis fingit Johan. Chius in hymno καιρῷ concinnato, prout de hoc ut & Ara ejus extat apud Rhodigin. *lib. 13 lect. antiq. c. 17.* masculo nomine, Græcorum scilicet more; hic *Occasionem*, ex Latinorum superstione, fœminei sexus Deam descripsit. Elegãter mehercule uterque. Posidippi igitur de Cæro Deo Epigramma à Lilio Gyraldo è Græco conversum ita habet.

Græcis mascula.

Metanœa.

Carus Posidippi.

Unde hic est plastes? Sicyonius. Ede age nõen.

Lysippus. Tu quis? Carus ego, omne domans.

Cur

Cũ summis instas pedib. semper rotor. Alas
Cur plantis gestas? ut levis aura feror.
Cur dextra est inserta novacula? Signum hominis hoc est,
Vis cõferri acie quod mihi nulla potest.
Cur coma fronte iacet? venientem ut prẽdere possis.
Parte est cur calvum posteriore caput?
Quod postquam levibus praceps effugero pennis,
Ne valeat, tergo qui revocare queat.
Talẽ vos propter, me plastes finxerat Hospes
Praforibus positus qui documenta darẽ.

Occasio Alciat.

Idipsum & Alciatus non minori cum gratia, dicam, an felicitate in hunc modum expressit.

Lysippi hoc opus est, Sycion cui patria. Tu quis?
Cuncta domans capti tẽporis articulus.
Cur pinnis stas? Usq; rotor. Talaria plantis
Cur retines? passim me levis aura rapit.
In dextra est tenuis dic unde novacula? Acutum
Omni acie hoc signũ me magis esse docet.
Cur in fronte coma? Occurrens ut prẽdar. At heus tu
Dic cur pars calva est posterior capitis?
Me semel alipedẽ si quis permittat abire,
Ne possim apprẽso postmodò crine capi.
Tali opifex nos arte, tui caussa, edidit Hospes:
Utq; omnes moneã pergula aperta tenet.

Ausonii.

Occasionem denique Ausonius, carmine satis venusto & docto depinxit: Id verò placuit similiter hîc adscribere.

Cuius opus? Phidia, qui signũ Pallados, eius
Quiq; Iovem fecit tertia palma ego sum.
Sum Dea, qua rara & paucis Occasio nota,
Quid rotula insistis? Stare loco nequeo
Quid talaria habes? volucris sum. Mercurius qua
Fortunare solet, tardo ego, cum volui.
Crine tegis faciẽ. Cognosci nolo sed heus tu,
Occipiti calvo es. Ne tenear fugiens.
Qua tibi iuncta comes? Dicat tibi. Dic rogo, qua sis.
Sũ Dea, cui nomen nec Cicero ipse dedit.
Tu modò dic, quid agat tecum. Si quando volavi,
Hac manet; hanc retinent, quos ego prateriti,
Tu quoque dum rogitas, dum percunctando moraris,
Elapsam dices me tibi de manibus.

Tale est illud *Hippocratis.* Brevem esse occasionem ac veluti momentaneam monentis atque in acie novaculis consistentem admonentis. Atque eò referendum est *Alexandri* illius verè magni responsũ. Interrogatus enim, qua ratione paucos intra annos totum terrarum orbem leges suas ferre coegisset? subjecisse memoratur rotundo certè & arguto elogio μηδὲν ἀναβαλλόμενος, *hoc est nihil procrastinando.*

Imperatorũ cognomina de pernicitate.

Nimirum in omnes benè gerendæ rei occasiones imminebat insatiabilis ille animus, absque eo victorias frequenter corruptus. Hinc illa illustrium militiæ artibus Imperatorum cognomina, *Aquila & ferrum.* Hoc Pyrrhi; illud Seleuci; quibus haud dubiè illorum pernicitas, quæ præcipuè in expeditionibus opus est ostendebatur. Pulchrè monet quidam non esse amittendam è manibus occasionem, pigri agricolæ instar, qui fructus suos per inertiam perire finit. Ut est in exegesi *Hadriani Iunii* Medici & poetæ optimi, Epigrammatis illius, quod in symbolum & insignia *Posthii* idem ille concinnavit:

Posthii insignia.

Quid volat admissus passu celerãte vereda
Sessorem & rapiens ipsa pulsa trahit?
Tolle moram, loquitur, nil quicquam in crastina differ.
Nam trahit offensam noxia sape mora.

Quam quidem moram tollendam esse, *Iulius* quoque *Cæsar* monuit apud Lucanum: quippe, quæ

—semper nocuit differre paratis.

Proin-

Proinde Vegetius, in rebus bellicis celeritatem amplius prodeſſe ſolere dicebat, quam virtutem. Nam exſpectare, dũ hoſtium copiæ augeãtur, equitatusq; revertatur, ſummæ dementiæ eſt, eidem Cæſari. Et ſcitum eſt illud Accii: apud Nonium *Multa plerũq; ãtti tarditate & ſocordia.*

Coma detonſio Longobardis pro pœna.

Cæterùm quàm ignominioſum olim fuerit calvitiũ, Longobardis præſertim, qui comam & barbam alebãt; vel inde liquet, quod pœnæ genus ipſis fuerit Comæ detonſio, in vilipendium ſcil. atq; opprobriũ delinquentis conſtituta. Alvarotus *in §. ſi quis quinque. De pace tenend. in uſib. feudor.* Eo quippe jure ſancitum legimus, ut forcipe & ſcopis in damnatos animadvertatur, hoc eſt, ut tonſi virgis cædantur. Si quis enim minus quinque ſolidis fuerit furatus, ſcopis excoriatur (hoc eſt, ut ego interpretor, virgis cæditur) & forcipe tõdetur. *d. § ſi quis quinque.* Quo ſenſu etiã accipio conſtitutionem Juris Saxonici: ut ſi quis in villa interdiu furtum, quod tamẽ tres ſolidos non excedat commiſerit; eo ipſo die puniri poſſit in cute & crinibus. *Spec. Sax. lib. 2. c. 13.* vel ut articulus vigeſimus octavus loquitur, ejus crines & cutis tormentis ſubjiciantur: hoc eſt, virgis cæſus tondeatur. Sic, qui literas Imperiales deſpexerit, Longobardico jure nudus ad palatium vapulet, & capilli ejus tondeãtur. *l. 1. ſi quis lit. noſt. deſpexerit.* Et ſi ſervus ignem in ſylva cõminarit, Dominus eum ad flagellandum, & caput tondẽdum tradat. *l. ult. De damno in via dato.* Sic mulieres, quæ rixam, & ſuper alios aggreſſionem fecerint, tondeantur ac per vicos civitatis verberẽtur. *l. relatum de aggreſſion. in via fact.* quam pœnam etiam adulterii damnatæ Mulieres apud Germanos luebant. Ita enim Tacitus de Moribus Germanorũ ſcribit: Acciſis crinibus nudatam corã propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. Ut mirum non ſit, quod feudali jure proditum legimus; Non pro levi, imò majori injuria æſtimandum eſſe, ſi quis alteri crines aut barbam expilaſſet, quàm ſi pugno vel manu eum percuſſiſſet. *§ ſi quis aliquẽ. De pace tenenda § ejus. in uſib. feudor.* Hinc docuit Baldus *in l. Reos. C. de accuſat. n. 6.* barbam in homine membrum eſſe: & ob id, incidentem barbam teneri pœnâ, qua plecti ſolet, qui membrũ alicui abſcidit, Jacob. Menochius *lib. 2. de arbitr. judic. cẽt. 4. caſu 392. n. 32.*

Adulterium quomodo à Germanis punitum.

Crinium aut barbæ expilatio.

Barba pro membro.

Inter Philoſophos tamen, quos barbam & comam nutriiſſe modò diximus; ſoli Stoici vel ad cutẽ uſq; tondebantur. De quibus accipiendum eſt illud Juvenalis *Satyra. 2.*

Atque ſupercilio brevior coma.

qua ratione Perſius ſectæ iſtius aſſeclas Detonſam juventutem appellat *Satyr. 3.*

—inſomnis quibus & detonſa juventus.

Ita enim pro Indetonſa legendum putat Adrianus Turneb. *lib. 32. Adverſ. cap. 23.* Alexandri ſanè temporibus inventum fuiſſe apud Græcos, ut mentum raderetur, cum prius non raderentur, Chryſippus teſtatur. Cum itaque quendam mentum ita habere vidiſſet Diogenes; Nunquid naturam accuſas, dixit, quia te virum, non autem mulierem fecerit? ut eſt apud Athenæum *lib. 13. Dipnoſoph. c. 6.*

Diogenis dictum in barbam radentem.

Tonſuræ autem toties cum jam facta ſit mentio, hoc quoq; addendum putavi: Tonſores nimirùm à Plutarcho garrulitatis non obſcurè inſimulari, dum Tonſorum genus benè loquax eſſe pronunciat. Solebãt enim in Tonſtrinas, quæ Tonſorũ Officinæ ſunt, ſpermologi nullius rei, niſi rumorẽ mutuò colligendi, ac poſteà diſſerendi ſtudio ducti, confluere. Terẽtius *Phormione*, Tonſtrina erat quædam, hîc ſolebamus plerunq; eum operiri, dum inde iret domum. Intereà dum ſedemus, &c. ubi Donatus *Tonſtrinam eſſe ſedem otioſis aptam annotat*: quemadmodum &

Tonſores cur garruli.

Scholiastes Aristophanis *in Pluto*: Tonstrinæ, inquit, officinæ sunt, in quibus, qui volebant, capillos capitis ac barbæ tōsos, id in ipso discessus puncto, ubi diutius quā deceret, cōmorati essent, & ociosi diem consumsissent, faciundū curabāt. Ex multo igitur illo in Tonstrinis desidentium sermone, Tonsorū loquacitas, quibus tamen hac in parte non multum fortassis concedunt Lippi: qui cū ob oculorum imbecillitatem plurimum à rebus gerendis habeant ocii; rumoribus audiēdis & dissipandis se solent dedere. Inde istud proverbium apud Horat. *lib.* 1. *Sat.* 7.

Omnibus & lippis notum, & tonsoribus.

Quærunt nonnulli, an Barbitonsor, principis lateri adhærens, nobilis efficiatur? Et post Angelum, ipsum etiam Jasonem concludere video *in l. omniū. C. de Testā. nu.* 1. eo ipso quem nobilitari, quòd Principis lateri adhæret. *arg. l.* 1. *C. de præpos. labor. lib.* 12. ibi, quos nostri lateris comitatus illustrat. Ubi *illustrare* pro nobilitare, vel nobilem efficere accipitur; quemadmodum & si quis circa latus principis militaverit. *l. ul. C. de excus. tut.* aut etiā Principis purpuram contingere dignus fuerit existimatus. *l.* 1. *C. de domest. & protector. lib.* 12. Vide tamen Jacob. Menochiū *lib.* 2. *de Arbitrā. Iudic. cent.* 1. *casu* 68. *n.* 38.

Barbitonsor Princepis.

DE HABITU IMPERATORUM TIT. XLV.

1. Paragauda. Palmata.

Imperatores Romani † Paragauda Palmata *utebantur: quæ Toga erat purpurea auro & margaritis intertexta. His ut plurimū quoq; inserta erant cum propria tum Majorum imagines, ut Ausonius Gallus tradit in panegyrico ad Gratianum: ubi palmata mentionem facit, cui* † *Constantii Principis imago fuerit intexta. Erat hæc quoque vestis triumphantium. Nam & Plutarchus Paulum Æmilium in ejusmodi veste triumphasse scribit. In libro*, de Notitia dignitatis Imperii Romani, in insigni Militum, *qui* Felices Valentiniani *dicuntur, sub Magistro peditum cernitur Imperator veste purpurea, quæ anteriori quoque parte operta est, & ad media usque crura pertingit ac manicula ta est. Ac quantum comprehendi potest, effigies illa Valentinianum Imperatorem repræsentat. Gladios portabant inauratos, & in eburnea vagina abditos, teste Virgilio:*

2.

Imperatorum gladii.

—humero simul exsuit ensem
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Gnosius, atque habilem vagina aptarat eburnea.

Et in principio lib. 11. *idem ait:*

—ensem collo suspendit eburneum.

ubi Servius. Media vagina inscribant stellas ex Iaspide, ut ex eodem probantur Virgilio, lib. 4.

—illi stellatus Iaspide fulva
Ensis erat.

3. 4. [illegible]ratri-

† *Imperatrices simili* † *veste induebantur. Virgilius enim* lib. 1. Æneid. *Liviæ vestem describens, appellat:*

—pallam signis auroq; rigentem.

Mulieres

Mulieres regulariter togis utebantur & palliis, ac insuper veste longa inducebantur quam Pallam dicebant. Sed ut ad Imperatores redeam; Constantinopolitani calceos gerebant purpureos, authore Niceta in vita Alexii Comneni: Ubi Andronicum Comnenum Imperatorem creatum, in solio inaurato, in quo Imperatores sedere consueverant, collocatum; & purpureum biretum ei impositum; Idque cum Imperio dejectum unà cum purpureis calceis deposuisse refert. Imperatores Græci pallio utebantur purpureo, gemmis ornato: quemadmodum Valentiniani Imperatoris galeam fuisse scribit Ammianus Marcellinus. Zonaras in vita Iustiniani, consuetudine introductum fuisse dicit, ut ad Imperatorem & Augustam accessuri, † in terram honoris caussa procideret: Idque à Gelimero *Gothorum R ge factitatum, deducto ad Iustinianum † à Belisario generali Duce ipsius: qui Gothis devictis magnam Italiæ partem recuperârat. †* Trabea *quoque toga erat, tota ex purpura contexta, qua Consules amiciebantur.* Prætexta *autem Proconsulum erat & Pratorum, ut alibi diximus: quod tædit vitandi gratiâ non repeto. Hodiè unà cum Magistratibus omnia vestimenta in desuetudinem iverunt.*

Imperatorum calcei.

Pallium.

5. Imperatores, qua solennitate accedebantur.

Trabea Prætexta.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Paragauda.

1. P*aragauda aut palmata utebâtur.)* Paragaudas, vestes fuisse auratas & sericas auro intertextas, omnib. & quidẽ viris in primis prohibitas (nisi quibus hæ propter imperiale ministerium concessæ fuerunt) & soli principi, ejusque domui dedicatas, disertè colligitur ex *l.1. 2. & 4. de vestib. holober. lib. 1.* Scribit tamen Vopiscus, Aurelianum Imperatorum primũ paragaudas vestes militibus dedisse: cùm antea non nisi rectas purpureas accepissent. Et quidem Paragaudæ illæ pro lororum sive filorum aureorum intextorum numero, *Monolores, dilores, trilores, usq; ad pentalores* dicuntur eidem Vopisco in Aureliano à loris fortasse, quorum latitudinem fasciæ illæ æquarent, & simularent speciẽ. Etsi enim *Paragaudæ* vestes quoque ipsas denotabant: Sic enim Vopiscus paragaudæ vesti purpuream rectam opponit, quæ nec clavata erat, nec prætexta: eas tamen Turneb. putat propriè fascias fuisse vel aureas vel sericas, auro ornatas, quæ vestibus intexerentur. Idq; verbi ex Græco & Latino ei videtur compositum, ut quoddam ornamentum & gaudium vestis intelligatur: vel quòd limbo *Paragauda* & margini esset vicina, velut παρὰ caudam, id est juxta caudã & extremitatẽ, & oram vestis. Turneb. *lib. 9. advers. c. 11.*

Paragauda & vestem denotat & fascias.

Paragauda notatio.

Palmata.

*P*almata autem, quæ & Triumphantium vestis erat, palmam habebat intextam. & quidem filis quandoq; aureis. Inde *palmatæ aureæ* Julio Firmico *lib. 4. c. 15.* Tunc enim coronas aureas, tunc prætextas decernit, aureasq; consulariũ, sive pro consularium *palmatas*. Erat nempe & cõsularis vestis, ut præter Firmicum etiam Symmach. testatur *Ep. 41. lib. 6.* & triumphantium, ut modo dixi. Tertull. *de Corona Militis*; Hic est habit⁹ victoriæ nostræ: hæc palmata vestis. *P*alma enim victoriæ Symbolum in certaminibus habebatur. Cujus rationem *Plutarch. in 8 symposiac.* ita explicat: Si (inquit) supra palmę arboris lignum magna pondera imponas, ac tam graviter urgeas oneresque; ut oneris magnitudo sustineri non queat: nõ deorsum

Palma victoria symbolum.

sum palma cedit, nec in terram flectitur; sed adversus pondus resurgit, & sursum nititur, recurvaturque quale est Victoris ingenium, quod urgentibus opprimentibusq; non cedit, ut est apud Gellium *lib. 3. Noct. Atticar. cap. 6.* Nam & victoriam Graeci inde dici putāt νίκην παρὰ τὸ μὴ εἴκειν à non cedendo. Alii vero, quod sit palma inter arbores cunctas macrobia maximi, id est longioris ævi, sicut Nicephororum (sic enim victores dicunt) gloriam addecet esse perpetuam, nec unquam consenescere. Lud. Cœl. Rhodig. *lib. 5. lect. ant. c. 6.* Hinc palmarum ramos triumphantes gestasse proditum est. Unde Victoriam Apulejus palmarem Deam *lib. 2. Milesia.* nominat: qua favente & propitia Augustinus ait, gentes omnes subditas futuras, etiam Jove feriato. Quod Beroaldus ibi retulit, & palmam vocat victricem *lib. 11.* Ubi Lunæ sive Isidis calceos ex palmæ foliis cōtextos adferens; Pedes, inquit, ambrosios tegebāt soleæ, palmæ victricis foliis intextæ. Plinius tamen non meminit, palmarum folia in usu calceorum fuisse: qui ea tantum scribit in usu esse ad funes, vitiliumq; (hoc est eorum, quæ ad vinciēdum ligandumq; accommodata sunt) nexus, & capitū umbracula. Veteres tamen palmarum foliis scriptitasse, ex Plin. probari videtur *lib. 13. c 11.* Unde φοινίκια γράμματα. Phœniciæ dicebantur literæ φοῖνιξ enim Græcis palma est, quanquā Phœniciæ illæ literæ non à Phœnice, sed à Phœnicæa dictæ videri poterunt. quæ etsi à multis, præsertim verò Matthiolo, nominum similitudine decepto confunduntur, dum communiter perhibent. Phœnicē à Plinio Phœnicæam dici: eas tamē ex diametro distare, Melchior Guilād. *in suo de Papyro tractatu* ex effectu & contraria ipsarum vi probat: Siquidē Phœnicæa trita ex vino pota præclarè mēses cieat, quo fluētes Phœnix strenuè etiam supprimat, si Dioscoridi credimus. Proinde apud Plinium in *Palmarum* locum, vocem *Malvarum* substituendā censet: ut sensus sit? in Malvarum foliis primò scriptitatū fuisse. Cur non ergo & in palmarum foliis? Ejus verò varias rationes ibi recenset: tum quod apud neminem Varrone (quē Plin. citat) antiquiorem compererit, palmarū folia ad usum scribendi aliquādo accommodata fuisse: tum quòd vel Suetonio teste naturâ asperiora durioraq; sint, quàm ut commodè in eum usum recipi queant: tum quòd arundinea passim obvia subrogari præstabat: tum quòd Malvarum folia rectius opponātur arborum libris, quàm folia Palmarum, quæ & ipsæ arbores sunt: tum quòd Cinna antiquus poeta, cujus Catullus & Servius meminêre, in Malvarum foliis scriptitatum indicet iis versibus qui ab Isidoro referuntur *lib. 6. Etym. c. 12.*

Hæc tibi Areteis, multū invigilata lucernis
Carmina queis ignes novimus aereos,
Lævis in aridulo malvæ descripta libello,
Prusiaca vexi munera navicula.

Ut suspicari liceat, huc respexisse Pythagoram, qui μαλάχης, id est, Malvæ folium sanctissimum esse dicebat, ut refert Ælianus *lib. 4. variar. histor c. 17.* Cæterùm Paragaudam sive Palmatam vestem illam Auctor noster purpureā fuisse autumat. Idque non obscurè probari videtur *ex l. temperent. 4. C. de vestib. holober. l. 11.* Purpurata quippe vestis, ornamentum fuit regium, & Majestatis insigne; hoc rubicundo colore insinuans sanguinis imperium, & necis inferendæ potestatem. Quo fortassis sensu Horatius Tyrannos appellat purpureos. 1. Od. 35.

Purpurei metuunt Tyranni,
Injurioso ne pede proruas
Stantem columnam.—

Et ob hanc Majestatem Deus haud dubiè Sacerdotis vestem fieri jussit purpuream. *Exod. 39.* Sed & unicus salutis nostræ instaurator

Victoria Notatio.

Palmarum folia.

Phœnicia litera.

Plinius emendatus.

In palmarū foliis scriptum olim an fuerit?

Cinna poeta.

Paragauda & palmata cur purpurea.

Tyranni purpurei.

Sacerdotis vestis purpurea.

Item Christi. staurator Christus, cum à profligatis militibus per ludibrium Rex salutaretur, purpurea veste indutus fuisse legitur, ut rectè Lactant. purpuram insigni regiæ dignitatis assumtæ fuisse scribat. *lib. 4. de vera sapient. c. 7.* Inventum autem hoc lanæ purpurâ inficiendæ Julius Pollux non tam ad Hetruscos, quàm ad Tyrios refert: dũ ab Hercule primùm, Lanã hoc colore intinctã affirmat, canis admonitione, qui Purpuras in litore maris cum edisset, labra purpurarũ cruore intincta habuerit, quibus adde, quæ de Purpura, *supra c. 1.* à me copiosius dicta sunt. Habitum autem Imperatoriũ egregiè expressum habes apud Themist. *orat. 1. fol. 20.* his verbis. Tiara utiq; Regẽ non facit, neq; candys, neque purpurea penula, acinacesve aureus, vel torques vel armillæ faciũt: neq; stipatores sceptrũ vel *aureum pomũ* præferentes, aut innumerabilis immortaliũ numerus. Quo in loco notandum censet clarissimus Remus, etiamnũ hucusq; in diem Imperatori Cæsari Romano *pomum seu globum* aureũ in signum terrarũ orbis imperii præferri, quasi essent, qui dicuntur κοσμοκράτορες. Qualia poma etiã in nummis gestare manibus visuntur Idq; munus sphæræ aureæ Cæsari Rom. præferendæ demandatũ est Sereniss. *Palat. ad Rhenũ* septemvirũ primario, *ex aurea Caroli IV. lege c. 22.* Qua de re Marq. Freh. in originib. Palatinis *c. 15.* Quid verò sibi velit, & quando natum sit, quod Jmperatores ita videamus pingi, ut sinistra manu teneant sphærã quæ orbem terrarum designet; eiq; impositã crucem id ita explicat Joh. Meursius: Per crucem nempe significari fidei in crucifixũ Deum beneficio illos terrarum orbis Jmperium adeptos esse: Primusq; ita se effingi Justinianus curavit, post ædificatum Sophiæ templũ; & ab illo mox reliqui Jmperatores. Meursius *in Mantissa ad librũ de luxu Rom. c. 8.* Sed sacræ literæ id potius adscribent Majestati Dei conditoris, & summi principis atq; Monarchæ, quẽ nõ solũ terrã uno digito versare, sed & universũ mũdum tanquam pugno comprehensum librare ajunt. Et coram quo mundus totus vix sit tanquã una gutta roris, quod & Frãcisc. Balduin. retulit *lib. 2. de Hist. fol. 736.*

Purpureæ tincturæ origo.

Pomum Imperatori prælatum.

à Palatino ad Rhenũ.

Qui mos unde natus.

2. *Constantii Principis imago)* Sic enim Ausonius in Panegyrico Gratianum loquentem introducit: Palmatam tibi misi: in qua Divus Constantius parens noster intextus est. Postea subdit: Geminum in uno habitu radiat nomen Augusti. Constantius in argumento vestis intexitur: Gratianus in muneris honore sentitur.

Constantius.

3. *Imperatrices simili veste induebãtur)* Splendent enim honore mariti Uxores. *l. fœmina. 8 ff. de Senator. l. mulieres. 13. C. de dignit. lib. 2.* Et cum duo sint in carne una, *c. debitũ. Ex. de bigam can. admonere 33. q. 2.* sociique divini & humani jurisdicantur *l. adversus. C. de crim. expil. hæredit. l. 1. ff. de rit. nupt. l 1. Rer. amot. l. 1. §. si vir. ad SC. Syllan.* indignum Lex, æstimavit, Marito in altissimo dignitatis gradu cõstituto, Uxoris dignitatẽ pariter non concrescere. *l. si liberarũ. C. de nupt.* præsertim cũ nihil tam humanũ sit, quam fortuitis casibus, prosperis vel adversis conjugis participem Conjugẽ fieri *l. si cum dotem, §. si maritus. ff. sol matr.* Wesenbec *cons. 43. n. 148.* Quo fit, ut quamvis Augusta Legibus soluta non sit, sed ut reliquum hominum gẽus iis obstringatur, cessantibus quippe in Augusta rationibus, quæ tantam dederunt principi auctoritatẽ condendæ præsertim Legis, quæ in solo principe locum habet *l fin. C. de LL.* aliis autem omnibus denegata est; Mulierib. maximè, quæ Legibus condẽdis ne quidem interesse possunt. *l. 1 ff. de tit.* Joh. Coral. *lib. 2. Miscellan. c. 25. n. 6.* Princeps tamen eadẽ illi privilegia tribuat, quæ & ipse habet. *l. princ. ff. de legib. l. fiscus. §. fin. de iure fisci.* Unde quem-

Vxores fulgent honore mariti.

Augusta Legibus non soluta.

Principis tamen privilegiis quibusdam gaudet.

quemadmodum Princeps ab omniū vectigalium præstatione immunis est, *l. licitatio. §. fi. ff. de publ.* & donatio ab ea procedens, vel in eam collata insinuatione non eget. *l. sancimus. cum auth. seq. C. de donat.* ita & facta inter Augustū & Augustam donatio constante matrimonio, rata est *l. donationes quas Divus. C. de donat. int. vir. & uxor.* ac quib. donantur cubicularii Principis privilegiis; donati quoq; intelligi debent, qui apud August: eodem munere funguntur. *l. cubicularios 3. C. de prapos. sacr. cubicul. lib. 12.* Joh. Coras. *lib. 2. Miscellan. cap. 25. n. 8.* quibus adde, quæ Lucas de Penna scripsit *ad Mulieres 13. C. de dignitat. libr. 12.* Nec mirum Augustis uxoribus sua quandoq; privilegia Imperatores indulsisse; & ex his *Justinianum* inprimis. Qui quod *Theodora* suæ esset obsequentior, *uxorius* audiri cœpit. Fœmina ea fuit insolens, avara & domina nō mariti modo, sed & Imp. Romani; adeò ut vulgò tunc jactaretur, *non unius, sed duorum esse Imperiū.* Vitia tamen ista facilè obtegebāt cùm egregia ipsius forma, qua tam præstanti fuisse Procop. scribit, nullus ut eā pictor pro dignitate imitari & exprimere potuerit *lib 1. de ædif. Just.* tū singularis ipsius prudentia, ab eodem tantopere celebrata Procopio *libr. 1. de bello Persico*: tum verò animi excelsi magnitudo, qua gravi in urbe orta seditione, quū Hypatius & Pompejus tyrannidem invaderent, aliis jam metu consternatis, atque adeò cum eis Justiniano fugam meditante, Theodora in medium prosiliens, acri eos oratione castigatos à fugæ consilio revocavit, milites pristinam ad virtutem & fortitudinem excitando, & itentidem hoc eis inculcando: *honestè dimicādo mori esse satius, quam turpiter fugiēdo vivere* ut est apud Hotomann. *in vita Justiniani.* Ejus orationis extrema hæc fuisse fertur clausula: mihi vetus illud placet, *præclarum, in elogio sepulchri Imperatorum scribi:* quasi diceret, vitam potius quàm Imperatoriam dignitatem alteri concedendam. Et fieri sanè potuit, ut inter cætera muliebris illa lenitas ad æquitatem & moderationem principis consilia flexerit. Nam & olim *Celtis*, quàm maximè masculis hominibus dedecori non fuit, eodē fine ad judicia, quæ ipsi armati peragebant, fœminas adhibere, ut si quid durius statuissent, mulierum id leniret moderatio. *In consiliis enim non unde veniant, sed quo tendant, considerandum est.* quæ gravis est censura juridicæ facultatis Francofortiēsis *in præfat. Novell. Rittershusii.* Atque illis quidem virtutibus, prudentiam dico, & magnanimitatē cum pulchritudine conjunctam facile maritum in sui amorem & obsequium attraxit Theodora. In tantum ut non solum consilii eam participem fecerit *§. hac antē omnia Auth. ut judic. sine quoquo suffrag. collat. 2.* sed & passus quandoque fuerit, ut in publicis quoque monumentis Theodoræ nomen suo adjungeretur. Judicio esse potest mensa illa sacra sive mystica, quam novam & admirabilem donavit Ecclesiæ *Sophiæ*, ornatam auro, argento, omnique lapillorum genere, donarium inæstimabile, quod non modo omnes admiratione oblectaret: sed & oculos veluti clarissimo lumine perstringeret. Ei igitur aræ in orbem hæc verba inscribenda curavit, si Cedreno hac in re fides habenda:

Ejus forma.

Prudentia.

Magnanimitas.

Justiniani Theodora.

Mulieres à Celtis in consilium adhibitæ.

Ara sive mensa Sophia.

Tua de Tuis offerimus Tibi famuli Tui,
Christe,
Justiniāus & Theodora. Ea benignè suscipe,
Fili & sermo Dei, qui incarnatus & crucifixus (ere:
Es pro nobis, atq; in orthodoxa nos fide tu-
Remp. quoque a Te nobis creditam & commissam, in propriam tui gloriam auge
Et conserva, & quæ sequuntur.

Sed & in jure jurando, quod iis deferebatur,

tur, qui Reipubl. procurationem aliquam inibant, hoc præscriptum erat, ut Theodoræ Imperatoris conjugi ac potentiæ obsequium, fidem, conscientiamq; suam probarent. Quod Hotomannus retulit. Theodoræ quoque in gratiam Imperator patriam ejus in Cypro sitam, non minore splēdore, quam suam exornavit, teste Nicephoro *lib. 16.* videturq; ipsius auctoritate & suasu inductus, multa, quæ populi Roman. legibus minus ad mulierum gratiam accommodatè constituta erant, correxisse, sicque sexui omnibus in juris civilis partibus gratificatus esse. Quarum in constitutionum numero sunt *l. cum multa 20. C. de don. ante nup. l. ubi adhac 29. & l. in rebus 30. C. de jure dot. l. 1. C de rei ux. act. l. donationes 26. C. de don. int. vir. & uxo. l. maximū vitum. 4. C. de liber. prate. l. assiduis 12. C qui potior. in pig. hab.* Brev. *Theodora* fuit Justiniani, ut *Livia* Imperatoris Octaviani, & Claudii *Agrippina*, *Tanaquil* altera. Sic enim locū hunc cum Huberto Gyphanio lubet concludere, *in oratione sive commen. de Imp. Iustiniano.*

Theodora patri...

Ac ii super veste longa induebantur, quam Pallam dicebant) Palla Varroni inde dicitur, quòd palàm & foris exstet, ad vestigia usque demissa. Prælongam eam fuisse Virgilius innuit *lib. 11. Æneid.*

Palla.

—pro crinali auro pro lōga tegmine pallæ.
Tigridis exsuviæ per dorsum à vertice pendent.

Hinc *pallam trahere* eidem Varroni dicuntur Citharœdi, qui spaciosam vestem longo syrmate terram verrentem gerere solebant. Turneb *lib. 30. cap. 9* Etsi autem hæc Citharœdis etiam quandoque in usu fuit: propriam tamen fœminarum fuisse testatur Nonius *cap. 14.* ubi pallam honestæ mulieris vestimētum esse adserit, hoc est, tunicæ pallium. Ei geminas in ordinem ad fixas fuisse Isidorus scribit. Ideoq; & pallam dictam [illegible], id est, à mobilitate, quæ est circa finem hujusmodi indumenti; sive quòd rugis vibrantibus sinuata crispetur. *lib. 19. cap. 25.* Similiter Ulpianus inter muliebria vestimenta etiam pallam enumerat. *in l. vestis 23. §. muliebria. ff. de auro & argent. legat.* Ibi enim pro *pallia*, pallæ legendum putat P. Faber, *lib. 1 semestr. cap. 15.* Idem quoque Ulpianus inter Mundum & ornatum muliebrem distinguit *in l. argumēto. 25 § ornamenta d. t.* quòd hoc Mulier ornetur; illo verò mundior fiat. Potest autem, inquit, Mulier esse munda; quę tamen ornata nō sit: ut solet contingere in his; quę se emūdaverint lotæ in balneo, neque se ornaverint; & contrà, est aliqua ex somno statim ornata, nec tamen commundata. Inter mundum porrò muliebrem speculū quoque & conchas contineri, Paulus disertè scribit *lib. 3 senten. tit. 7. de legatis. §. Mundo muliebri legato ea cedent per quæ mundior mulier lautiorq; efficitur: veluti speculum, conchæ &c.* Conchæ autem vocabantur quęlibet vasa in conchæ formam ficta: quarū figuram eleganter expressam habes apud Sidon. Apoll. *lib. 4. ep. 8.* Talibus in conchis aquæ fundebantur, quibus mulieres vultus elegantias & ornatum quærerent & eluerent faciem. De conchis istiusmodi Claudianus lepido lusit epigrammate:

Pallam trahere.

Palla nomen...

Mundi & ornatus muliebris distinctio.

Concha.

Transferat huc liquidos fontes Heliconia Nais
Et patulo concha divitis ore fluat.
Namq; latex docta qui laverit ora Serēa,
Vitra Pegaseos nomen habebit aquas.

Sed an mundus atque ornamenta illa, quæ corporis ornandi caussa parata à Marito habet Uxor, præcipua Uxoris fiant; an verò à Mariti defuncti hæredib. repeti possint? meritò dubites. Et quidem, si vivente adhuc marito revocata ea non fuerint: crediderim, Mulieri ea cedere; quandoquidem non solùm, quæ Maritus Uxoris gratiâ

Mundum & ornamenta an Mulier habeat præcipua.

gratia emerit, aut quovis modo comparârit; sed & quæ eidem donaverit, morte confirmari rectè dicantur, si expresse non fuerint revocata *l. cũ hic status §. 1. dè donat. int. vir. & uxor. l. sequens quæst. 68. ff. de legat. 2.* Luc. de Penna *in l. mulieres. 9. C. de incol. & ubi quis dom. hab. vid. l. 10.* Idq; beneficio affectionis & pietatis, quã Mariti debent Uxoribus. *l. Vxorem 41. de legat. 3.* Quod si Sacerdotibus convenire dicitur Dei templum, cui scilicet desponsati sunt, honore congruo ornare, ut cultu aula Dei resplendeat: *can. pulchra 86. dist.* non absurdũ erit dictu, ipsis etiam Uxoribus de cultu & ornamentis à Marito esse prospiciendum. Siquidem qui Uxorem ornat, ipsum se ornare; & qui hanc diligit, semet diligere dicitur, *ad Ephes. 5.* Itaq; si maritus Uxori pecuniam in unguenta dederit, ut his ea cultior fieret: vix est, ut ullam ejus repetitionem habeat. *l. quod antẽ 7. §. 1. de donat. int. vir. & uxor.* Unde & matrimonialia ornamenta ipsis Mulieribus à lege concessa esse legimus *l. nulli liceat. C. Nulli licere in fren. l. 11.* Qua tamẽ in re placuit Bartoli & sequacium opinio, inter ornamenta, sive jocalia, ut vocant magni ac parvi precii distinguentium, ut hæc quidem Uxori cedant; illa non item. Bart. *in l. pen. §. 1. n. 3. v. tertia opinio. ff. sol. matrim* quippe cùm hæc quidem incotidianum usum Uxori donata; illa verò non tam Uxoris, quàm mariti contemplatione, ut ipsius honoris gratiâ cultior & ornatior incedat fœmina; atque ita utenda duntaxat data censeantur Joh. Sichar. *in l. cũ te 9. C. de don. ante nupt.* quod enim tradentis gratiâ datur, non tam donationem sapit, quam commodatum. *l. si. ut certo 5. § interdum planè ff. commod.* Atq; ab hac sententia in praxi nequaquam discedendum esse Jul. Clarus monet, hoc præsertim tempore, quo infelices Mariti obsequentes Uxorum ambitioni, plus expendunt in earum ornamentis, quàm pro dote recipiant Clar. *lib. 4. sentẽtiar. §. donat. q. 10. v. successiv.* Sed quæ preciosæ dicantur vestes aut ornamenta, id sapiens judex pro personarum conditione & qualitate rectè considerabit. Jac. Menochius *de arbitrar. judic. quæst. lib. 2. cent. 3. casu. 218.* Ac quoniam fœminas & imbecillitas mẽtis, & graviorum operum negata affectatio omne studium ad curiosiorem sui cultum hortatur conferre, ut Valer. Maximus scriptum reliquit *lib. 9. cap. 1* Ideò ruenti harum luxuriæ in ipso mox introitu obsistendum. Cæteroquin futurum, ut insoliti sive insolẽtis cœtus pertinax studium quotidiè aliquid novitatis sumtuosius sit adjectũrum. Quocirca solis Maritis permissæ sunt fœminæ ornari, secundum veniam, non secundum Imperium, Sic enim habet Canon: *Fucari pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est*; quo non dubito etiam ipsos Maritos se nolle decipi: quibus solis permittendæ sunt fœminæ ornari, secundum veniam, non secundum imperium. Nam verus ornatus, maximè Christianorum & Christianarum, non tantùm nullus fucus mendax; verùm ne auri quidem vestisque, sed mores boni sunt. Execranda autem superstitio ligaturarum (in quibus etiam inaures virorum, in sumis ex ima parte auriculis suspensæ deputantur) non ad placendum hominibus, sed ad serviendum Dæmonibus adhibetur. *can. fucari dist. 85* Adhibẽda igitur est mundicia, ut Cicero dicebat, non odiosa, neq; exquisita nimis: ut nõ quærantur colores fictitii aut fucati. Nam ut gravis est Innocentii exhortatio: Absit, ui alterius color comparabilis sit nativo quinimò cũ facies adulterino colore fucatur, os abominabili fœtore corrũpitur. Vnde vanitas, omnis homo vivens. quid enim vanius, quã crines pectere, planare cæsariem

Temporamentum

Vestium preciositas in judicis arbitrio.

Mulieres circa cultũ curiosæ.

cælare ..., tingere genas, ungere faciem, producere supercilia? quandoquidẽ fallax sit gloria, & vana sit pulchritudo. Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quasi flos agri. Sed ad hanc tamen luxuriam ardere & insanire studia matronarum Hieronymus *ad Demetriadem* conqueritur. Et *in vita B. Marcellæ* ita de Romanis matronis disserit: Illæ solent purpurisso & cerussa ora depingere, sericis nitere vestibus, splendere gẽmis, aurum portare cervicibus, & auribus perforatis rubri maris preciosissima grana suspendere, fragrare musco mure, maritos ita plangere; ut tandem dominatu eorum se caruisse lætentur. De hisce inauribus loquitur Seneca, cùm cujusdam locupletis domus censum auribus gestari scribit *in lib. de vita beata & lib. 7. cap. 9. de Beneficiis.* in sericarum vestium subtilitatem tenerrimam ita invehitur: Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil, quo defendi aut corpus, aut pudor denique possit: quibus sumtis mulier parum liquidò nudam se non esse jurabit. Hæc ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium accersuntur, ut matronæ nostræ ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quàm in publico ostendant. Intelligit nimirum sericas illas vestes, in Coo insula è filo subtilissimo, tenuissimo ac delicatissimo textas, ut instar vitri pellucerent, atque ita corporis partes sub aspectum facilè subjicerent. Hinc Horatius *lib. 1. Satyr. 2.* Cois ait, hoc est, tenuissimis illis in vestibus

——penè videre est
Vt nudam, ne crure malo, ne sit pede turpi:
Metiri possis oculis latus. An tibi mavis
Insidias fieri, preciumq; avellier antè,
Quam mercem ostendi?

Indeq; Varro, vestes illas, *vitreas appellat togas*, id est, oculatas vel ocellatas Suidas *tuniculas interlucentes* dicit, & visu facilè penetrabiles. Cujusmodi ornamenta Esajas *ca. 3.* Mulierum impudicarum esse innuit. At Christianum mulierum verus ornatus graphicè à Tertulliano ita describitur, *libro de Cultu Fœminar.* Prodite vos jam medicamentis & ornamentis exstructæ, Apostolorum sumentes de simplicitate candorem, de pudicitiâ ruborem, depictæ oculos verecundiâ, & Spiritus taciturnitate, inserentes in aures sermonem Dei, annectentes cervicibus jugum Christi. Caput maritis subiicite, & satis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & plusquam in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpurâ pudicitiæ. Taliter pigmentatæ, Deum habebitis amatorem.

In aures.

Sericarum vestium tenuitas.

Verus Mulierum ornatus.

Planè Muliebribus vestimentis virum sine vituperio uti non posse, non tantùm Ulpian. prodidit *l. vestis. §. 1. ff. de auro & argent. leg.* sed & divina sanctione id inhibitũ legimus *Deut. 22* Non induetur Mulier, inquit Dominus, veste virili: nec vir utetur veste fœminea. Abominabilis n. est apud Deum, qui faciat hoc. Et in Gangrensi Concilio, Mulier anathemate feritur, quæ virilibus utitur vestimentis. *can. si qua mulier. 30. dist.* Unde notatus fuit C. Caligula, quod inverecundissimè muliebres stolas indueretur, concinnaretq; capillos anulis & cincinnis, aliaq; multa faceret, quæ ad ornatum cultumq; muliebrem pertinerent. Suet. *in Caligula.* Cumque talis esset, audebat nihilominus aliis fœmineos cultus exprobrare. Joseph. *lib. 19. Antiq. Iudaic.* scelestorũ hominũ more, qui quò callidiùs sua tegãt facinora; vitiorum quib. ipsi scatẽt, acerrimi sunt reprehensores: & plerũque, ut Cicero dicebat *Phil. 1.* Severitate judiciorũ, vitæ sordes eluere tentant. Joh. Corasius *Epist. quæst. c. 24.* Intelligebat nimirum Principẽ veluti speculum esse publicum, in quod adversum se vulgus prospicat. Ideoque pror-

Muliebri veste vir non utatur: & contrà.

Caligula.

Princeps instar speculi.

prorsus nitidum ac tersum id esse debere, ut integram viri optimi & circumspecti perfectè reddat imaginē: Steph. Forcat *lib. 3. de Gallor. Imper. & Philosoph.* Exemplo enim longè pejus peccat, quicquid peccat princeps: eo quod ad ejus similitudinem, subditorum sive populariũ ferè mores conformantur. Et qualis ipse fuerit, tales plerũq; esse solent civitates. Neq; verum est, justitiam semper adsidere Principi Deorum Jovi, ut faveat Regũ delictis, & justum omne defendat, quicquid illi commiserint; ut Anaxarchus ille Alexandro ob interfectum Clitum discrucianti se respondisse fertur, dignus profecto, qui tantam istam, quam Alexādro attribuebat potentiam, in se expireretur. Cum ideò potius adstare Jovi dicatur justitia, ut nullum sit impunitum hominum facinus; sed Regum præcipuè, quorum scelera etiam in populis, qui nihil deliquerunt, solebat vindicare, ut eleganter scribit Hesiodus, Græcè ille quidem, at à Connano ita latinè redditus *lib. 1. commen. juris civil. cap. 16. n. 9.*

Id quod efferantur subditi.

Justitia quomodo Jovi assideat.

Justitia est virgo, Jove nata, verēdaq; divis
Omnibus: hāc si quis læsint de plebe, parētē
orat, ut authorē sceleris sua pœna sequatur
Sin Rex peccārit, populi ut plectātur & ipsi
Postulat, injusti tanta est injuria Regis!

Sulpitius à Scipione notatus.

Cæterum non dissimili mollitie amictus muliebris & delicati Sulpitium Gallum notavit P. Africanus Pauli F. quòd manuleata tunica & ad pedes usque promissa uteretur. Qui in conviviis, inquit, adolescentulus cum amatore, cum chirodota tunica inferior accubuerit: qui non modò vinosus, sed virosus quoque sit: Eumne quisquam dubitet, quin idē fecerit, quod Cinœdi facere solēt: ut Gellius refert *lib. 7. cap. 12.* Pertenues certè vestes illas, quas Coas nominari diximus, Plinius conqueritur, non puduisse etiam viros usurpare, levitatem, propter æstivam: intantum à lorica gerenda discessere mores, ut oneri sint etiam vestes Plin. *lib. 11. c. 23.*

Viri, molles mulierum vestes usurpantes.

Longè autem dissimile fuit *Euclidis* Socratici institutum, qui cotidiè sub noctem, priusquam advesperasceret, è domo sua Megaris Athenas ad Socratem audiendum commeabat, tunica longa muliebri indutus, & pallio versiculore amictus, & caput & ora velatus, ut vel noctis aliquo tempore consiliorum sermonumque ejus fieret particeps: Rursusq; sub lucem millia passuum amplius viginti, eadē veste tectus redibat, quoniā decreto Attico cantum fuerat, ut qui Megaris civis esset, si intulisse Athenas pedem prehensus esset, ea res ei homini capitalis esset. Gellius *libr. 6. Noct. Atticarum capit. 10.* A quo non multum discrepat *Agnodice* illa Attica, quæ *Herophilo* medico se in disciplinam dedit, sexum mutuans. Nam cũ edixissent Athenienses; Ne servus, neve mulier medicinam disceret, aut faceret: Agnodice autem, postquam sedulò & multum profecisset studiis, mulieres ægras clàm curaret sexum illis detegens suum: Evenit, ut Medici (juxta Hesiodi proverbium) medico invidentes, Agnodicen tanquam Juvenem glabrum & imberbem corruptorem insimularent coram Areopagitis. A quibus propè fuit, ut damnaretur Agnodice, nisi suum sexũ & alienam calumniam patefecisset, & caussa cognita obtinuisset, ut in posterum ingenuæ fœminæ aliis impunè medicarentur. Jul. Hygin. *Augusti libertus lib. 1. cap. 174.*

Euclides, muliebri veste utens.

Agnodice, veste virili.

Jam quid dicam de rara utique & auditu jucunda versutia, famæ & scriptorum testimonio jam pridem ventilata Johannis VIII. Pontificis Roman.? Is Anglicus cognomento, sed revera & domo Moguntinus sexum mētitus in adolescentia Athenas profectus est una cum docto viro: cui fœmina pro mercede disciplinæ pudicitiam permutasse putatur, ac brevi perfecisse

Iohan. VIII. Pon. Rom.

ciſſe, ut antiquo Urbis ſplendori jam cladibus infuſcato doctrinæ excellentia reſponderit: ita ut Romam reverſa omniū in ſe oculos converterit, præſertim ſacrarum literarum notitiâ & explanatione: quæ non parum ei profuit, ut Leone IV. defuncto: pro Mare habita ex ingenio, cultu, & veſtitu, Pontifex crearetur, anno Chriſti 854. Imperâte Lothario Ludovici Filio. Palatina *in Iohanne VII.* Cœl. Rhodign. *lib.* 14. *lection. antiq. cap.* 1. Qui ſanè dolus & verſutia laudanda fortaſſis fuerat, niſi malè deſiiſſet, ipſo ſcilicet Pontifice, poſt adeptum Pontificatus honorem biennio menſe uno, & diebus quatuor elapſis, puerperii ſeu abortus doloribus, qualis eſſet, revelante & moriente. Inde factum ajunt, nemini liceat eſſe Pontifici Romæ, priuſquam in Lateranenſi Baſilica ſexus fides explorata fuerit; vel ad hoc, ut ſe hominem ſacer Pontifex meminerit pro caſtimonia adverſus naturæ ſtimulos luctaturum. Quanquam autem de audaci illo & pluſquam muliebri facinore concors eſt multorum ſatis Auctorū traditio, ne ipſis quidem id inficiantibus Pontificiis; & ex his quidem Martino Polono, Richardo Monacho Cluniacenſi, Sigeberto Gallo Abbate Gemlacenſi, Martiano Scoto Monacho Benedictino, & aliis, unde Platina deſumſit: non deſunt tamen, qui hoc quadamtenus excuſare fuerint conati. Inter quos præter Simonem Majol. *tom.* 1. *dier. canicul. colloq.* 3. *fol.* 90 *& ſeqq.* miror ipſum etiam Steph. Forc. Jureconſultum ſanè, ut Hiſtoricum ac Philologum eximium reperiri. Is enim *lib.* 7. *de Gallor. Imperior & philoſoph.* Johanni iſti accidere fortè potuiſſe ſuſpicatur, ut ſexum mutârit: quemadmodum aliquib. cùm mulieribus, tum veris obtigiſſe, ex Livio, Plinio, & Auſonio probat. quibus & effœminantem Salmacis undam poterat addere, ut eſt apud Ovidium *libr.* 4. *metamorph.* quanquam, quod Strabo *lib.* 14. de Salmacis fonte ſcribit, μαλακίζειν τοὺς πίνοντας ex eo bibentes malaciſari; id Martinus del-Rio non tā ad mutationem in Hermaphroditos, quam ad emaſculationem, & ut Varro loquitur (alio tamen ſenſu) mulierationem retulerit Hæc enim hominibus illis ait; à Chriſti lege & fide alienis quaſi neceſſaria conſecutio (nefas!) videbatur, ut quæ agere nequiret, pati inciperet. *lib.* 3. *diſquiſ. magicar. part.* 1. *quæſt.* 3. *ſect.* 9. Subjungit poſteà Forcat. Lothi uxorem in ſalem verſam, nec oblitum Deum mira facere: quippe, qui fœminis quibuſdam Spiritus viriles, imò divinos potiùs incluſerit. Quæ qualia ſint, ſapiēs æſtimabit Lector. Ipſe quidem, qui ea partim fabuloſa, partim vera quidem, ſed ad rem minùs accommodata, atque inſuper etiam ſcio, de Dei potentia ad voluntatem ipſius, quemadmodum & à ſingularibus exemplis quibuſdam temerè & indiſtinctè argumentandum non eſſe; tanti facienda non arbitror, ut eorū ſua alioquin ſponte corruentium refutationi pluribus ſit inſiſtendum.

Mulier Papa.

Pontificis puerperium excuſatum.

Salmacis unda.

Sed quoniam circa veſtes etiamnum occupamur, nequaquam ſilentio prætereundum videtur, quòd in benè conſtitutis Rebuspublicis ſemper impudicæ mulieres habitu & ornamentis diſtinctæ fuerint à Matronis & aliis honeſtis fœminis. Ideoq; inter matronas atque proſtibula nullum eſſe diſcrimen in habitu, Tertull. conqueritur *in Apologetico.* Nec obſcurè id ex *l. Mima, 5. C. de Epiſc. audient.* colligitur, ut ab Interpretibus ibi eſt adnotatum. Fuit autem meretricia veſtis apud Athenienſes florida, hoc eſt, ut Suidas opinatur, varia aut ornata & nitida. Apud Romanos impudicæ mulieres flavo crine, veſte variegata, eaque ſubductiore à cæteris mulieribus diſcriminabātur. Hieron. *in Helvidium.* Thamar quoque à Juda pro

Meretrices ab honeſtis mulieribus habitu diſtincta.

Et quo illo?

da pro meretrice ex habitu dijudicata est. *Genes.* 38. Id quod Tertullianus *de Cultu fœminar.* ita explicat: Thamar illa, inquit, quia se expinxerat & ornaverat, idcirco Judæ suspicioni visa est quæstui sedere: adeò quia sub velamento latebat habitus qualitate quæstuariam mentiente, & fecit ut quæstuariam & voluit, & compellavit, & pactus est. Et mox: Cur nō mores meos habitus pronunciat, ne spiritus per aures ab impudentia vulneretur? Liceat videri pudicam: certè impudicam non licet. Sapienter itaq; à JCto pronunciatum legimus: Si quis virgines appellasset, hoc est; blanda oratione pudicitiam earum attentasset; Siquidē meretricia veste fœminæ, non matrum familiarum vestitæ fuissent; minùs hoc casu peccari atq; adeò cessare Injuriarum actionem *l. item apud Labeonem. 15. § si quis virgines. ff. de Injur.* Nec enim contemnit pudicitiæ Leges, qui eā, quam impudicam ex habitu credebat, vel certè pudicā probabiliter ignorabat compellaverit: quando quidē talis quis judicari soleat qualis extrinsecus videtur. *l. si ignorās 50. ff. Locati* & sibi id imputare debeat mulier, quæ meretricia veste fuerit usa. *arg. l. si mulier. 21. ff. quod met. causs.* ut rectè Quintilian. scripsisse videatur, Justi erroris excusatione crimē posse deprecari, qui in lupanari, cum aliena Uxore fuerit deprehensus. Sed nec habitu tantùm; verùm etiā loco & habitatione, Meretrices ab honestis Mulieribus olim jure fuerunt separatæ: ne scilicet Meretricum turpitudo pudicitiam probarum inficeret: neve illarum contagio in castas serperet. Rectè enim Hermione apud Euripidem *in Andromach* ita conqueritur:

Sed loco & habitatione.

Malarū mulierū me cōsuetudo perdidit,
Quæ me verbis captantes, hujusmodi inspiraverunt.

Et rursum:

Sed nunquā, nūquā (nec enim semel dico)
Oportet mente præditos, quibus est Uxor Domi, pati ad eas commeare sæpè
Mulieres. Ipsæ enim sunt malorum artifices & præceptrices:
Quarum illa quidem lucrum captans, violat thorum:
Hæc autem repudiata alias secum corrūpi desiderat.

Quo fit, ut è vicinia expelli, & in Lupanaria relegari debeant Meretrices. Luc. de Penna *in l. qua in publicis. C. de spectā lib.* 11. imò ipsa Urbe ac civitate exterminari, non secus atq; Lenones ipsi: quos tāquam pestiferos & communes castitatis vastatores, extra Civitatem ferri Justinianus seriò mādavit; *auth. de Lenonib. § sancimus.* quandoquidē horum, ut & Meretricum, non aliter atque cloacarum purgatio ad salubritatem civitatum & tutelam pertinet: cùm è contra cœlum pestulens minētur earum immunditiæ *l. 1. §. curavit. ff. de Cloacis.* Hinc meretrices passim *lutulentæ & immundæ* dicuntur Plauto, qui etiam lupanar, lutulentū cœnum appellat *Bacchid. act. 3. scen. 1.* & Catullus lutum *epig. 3.* *ô lutum, lupanar!* quanquā Janus Guliel. apud eundē Plautum pro *lutulento luculentum* legit, & acutè dictum putat *luculentum cænū*; pro meretricum amœnitatib. & blanditiis: quæ in speciē luculentæ & splendidæ, sed vitam & famam; si in iis volutêre, collutulant. Hoc amplius, etiā locator nondum finito locationis tempore inquilinum ex ædib. poterit expellere, si meretricem hic induxerit; siquidē malè hoc casu in ædib. conductis versari dicatur. *arg. l. æde. C. Locati.* Quod Menoch. verum arbitratur, inspectā quidē vicini, non etiā persona locatoris, qui inquilini conditionē scivit. Menoch. *lib. 2. de arbit. judic. q. lib. 2. casu 78. n. 9. & 10.* Quid enim si Scholaris fuerit ædium conductor? Et ob hoc, quòd Meretricē in cōclavi habuerit, cū expelli posse negat Bolognetus *in authe.*

Meretrices è vicinia expellendæ.

Cloacis cōparata.

Meretricum epitheta.

auth. habitu. C. ne fil. pro patre. Præcogitare enim locator debuerat, Scholares luxuriosos esse, & naturâ suâ affectare Mulieres. Bald. *in l. desideriũ. C. deposit.* quandoquidem contractus intelligantur secũdum qualitates personarum. *l. plenum §. Equitis ff. de Vsu & habit.* Unde si fœminæ alicujus domum Scholaris frequentârit, Meretricem eam præsumi Baldus putavit, pro Italorũ & gentis suæ genio atq; ingenio ita fortassis concludens *in l. neq; natales C. unde legitimi.* Cùm non sit verisimile, quòd dicat *Pater noster.* Quò pertinet illud à glossa usurpatũ *in l. si vero nõ remunerandi §. si tibi. ff. Mandati.*

Scholares Mulieres affectant.

A juvẽe & cupido credatur reddita virgo? Sed hanc tamen præsumtionem cessare putant in Clerico Mulierem amplexante. Id enim benedictionis gratia fieri, glossa interpretatur *in can. absit. 11. q. 3.* Ridiculè: cum haud sciam, utrum hoc hominum genere quidquàm soleat esse luxuriosius dicam, an libidinosius? & ipsemet etiam Canon cùm complexum, tum confabulationem clerici in deteriorem interpretetur partem *can. nec aliqua. 72. q. 1.* & in tantũ incontinentiæ vitio quosdam clericorum laborare fateatur *c. clericorum. Ex. de vita & honest. cleric.* ut vix à matre, amitâ, aut sorore ita sibi temperare possint, quin & in illis scelus perpetratum reperiatur. *c. 1. Ex de cohabit. cler. & mulier.* Ut rectè dixerit Angelus: Ab ista Clericorum benedictione libera nos Domine *in tract. malefic. in verb. Che mi hai adulterato la mia donna.* Alciatus *in c. cùm non ab homine. Ex. de iudicus. nu. 25. circ. fin.* Joseph. Mascār. *Concl. 59. n. 16.*

Clericus mulierem amplexante.

Clericorum incontinentia.

Negari tamen non potest antiquissimo, sed depravato more Romanorum prostibula & lupanaria permissa fuisse, ut inuit Tacitus, ita *in Annal.* scribẽs: Vistilia familia prætoria genita licentiam stupri apud ædiles vulgaverat, more inter veteres recepto; qui satis pœnarum adversus impudicas, in ipsa professione credebant flagitii. Et Cicero *pro M. Cælio*: Verùm inquit, si quis est, qui etiam meretriciis amoribus interdictum Juventuti putet, est ille quidem valdè severus, &c. Quocirca Ulpianus tradit, etiam in prædiis multorum honestorum virorum lupanaria exerceri. *l. ancillarum 27. ff. de hered. pet.* Sueton. etiam narrat, C. Cæsarem Caligulam, illud humani generis portentum, vectigal ex capturis prostitutarum accepisse, quantum uno concubitu quæque mereret: additumq; ad caput Legis, ut tenerentur publico, & qui meretricium, & qui lenocinium fecissent. *in Caligul. c. 40.* Et paulò pòst *cap. 41.* de eodẽ ita scribit: Ac ne quod non manubiarum genus experiretur, lupanar in palatio constituit, distinctisq; & instructis pro loci dignitate compluribus cellis, in quibus matronę ingenuiq; starent; misit circum fora & basilicas Nomenclatores ad invitandas in libidinem juvenes senesq;: præbita advenientibus pecunia fœnebris, appositique qui nomina palam subnotarent, quasi adjuvantiũ Cæsaris reditus. Omitto coitus certamina, ab ipsa etiã Augusta Messalina, Claudii Cæsaris Uxore instituta: quæ regium putabat in eo vincere. De hac enim Plin. *lib. 10. cap. 36.* ita scribit: Messalina Claudii Cæsaris conjux, hoc regalem existimans palmam, elegit in id certamen nobilissimam è prostitutis ancillam mercenariæ stipis, eamque die ac nocte superavit quinto ac vicesimo concubitu. Piget etiam referre, Romanos rerum dominos, illum gentium victorem populum, & totius dominatorem orbis, cui fœdera, leges & sacra exteris dare nationibus imperiũ fuit, *Floralia sacra*, in Floræ nobilis illius scorti honorẽ instituere nõ erubuisse: In quib. fœminas, quæ vulgato corpore quæstum faciebant, necessum

Lupanaria apud Romanos.

C. Caligula.

Messalina Augusta.

Floralia.

sum erat denudari, & pudẽdis obscœnisque invelatis, per luxum & lasciviam currere, & impudicos jocos agere, quibus etiam (ô tempora, ô mores!) Ædiles cicer, fabas & missilia plebi spargere assuêrant, leporesque & capreas; aliaque mitia animalia ludis admittere, quos in vico patritio aut proximo celebrabant: noctuque accensis facibus cum multa obscuritate verborum per Urbem vadere, & ad turbæ sonitum convenire solebant: ut Alexander ab Alexãdro retulit *lib. 6. Genial. dier. cap. 8.* Flora autem illa, cum magnas opes ex arte meretricia quæsivisset, Populum Rom. scripserat hæredem, certamque pecuniam reliquerat, cujus ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur, editione ludorum, quos (ut dixi) *Florales sive Floralia* appellabant. Quod quia Senatui flagitiosum videbatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, atque ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur, Florã finxerunt esse Deam, quæ floribus præesset; eamq; oportere placari, ut fruges cum arboribus, aut vitibus benè prosperequo florescerent: ut ex Lactantio refert Lilius Gyrald. *Histor. Deor. Syntagm.* 1. & historiam hãc copiosiùs explicat Valerius Maximus *lib. 2.* Floralia autẽ ista quarto Calen Maij celebrabantur, & Calendis ipsis. Unde institutum adhuc viget ubique ferè gentium, ut eo Calendarum die floribus & frondibus Majumas celebrent. Nã, ut Suidas auctor est, *Majuma* erat festivitas quædam, quæ Romæ Majo mense fiebat. Romani enim Hostiam maritimam Urbem adeuntes, inter aquas voluptatib. & deliciis vacabant, atque alii alios in marinas aquas conjicientes invicem se invadebant. Quæ solennitas postea sublata fuit propter elationem provincialium, ut ait gl[illegible] *un. C. de Majuma lib. 11.* quo quidem in loco Impp. Arcad. & Honorius statunt, ut ipsis provincialibus Majumæ

Flora meretrix.

Flora, Dea.

Floralia quando celebrata.

Majuma.

Honestas in ludis servanda.

lætitia reddatur: ita tamen, ut servetur honestas, & verecundia castis moribus perseveret.

Neque enim ita generati à natura sumus, ut ad ludum & ocium facti esse videamur: sed ad severitatem potiùs, & ad quæcunque studia graviora atque majora. Ludo autem & joco uti quidem illo licet, sed sicut somno & quietibus cæteris, tum cum gravibus seriisque rebus satis fecerimus. Ipsumque genus jocandi non profusum, nec immodestum; sed ingenuũ & facetum esse debet. Ut enim pueris nõ omnem ludendi licentiã damus; sed eam, quæ ab honestis actionibus nõ sit aliena: Sic in ipso joco aliquod probi ingenii lumen eluceat, quod Tullius *in Officiis* pluribus prosequitur. Ac notissima est illa de Catone historia, qui cùm theatrum, in quo ludi in honorem Floræ Deæ à meretricibus nudis celebrarentur, ingressus fuisset; ac Mulieres tanti viri gravitate, & authoritate permotæ nudare se noluissent: monitus fuit à Favonio, ut discederet. Id ipsum disertè tradit Seneca, *lib. 6. epist. 98.* ubi Catone sedente negatur populus permisisse sibi postulare Florales jocos nudandarum meretricum. Eodemque respexit Martialis *lib. 1. Epigram.* dum in epistola libro illi præfixa ita scribit: Epigrañata illis scribuntur, qui solent spectare Florales. Non intret Cato theatrum nostrum: aut, si intraverit, spectet. Hinc illi hoc natum Epigramma:

Nosses jocosa dulce cum sacrum Floræ,
Festosq; lusus, & licentiam vulgi:
Cur in theatrum, Cato severe, venisti?
An ideò tantùm veneras ut exires?

Cato Floralia spectaturus.

Idem verò theatrum illud, idem & prostibulum Isiodorus putavit, eoq; post ludos exactos meretrices ibi prosternerentur. *lib. 18.* ut Tertullianus non absque ratione eas tanquam publicæ libidinis hostias in scena proferri dicat. *lib. de spectacul. c. 10.*

Tanta

Tanta porrò animorum insipientia fuit, & tam præceps libido imperiti vulgi, ut omnes ferè mortales in tēplis coire, & nefandis libidinibus immisceri, ac pudendis genitalibus sacrum facere, quòd procreationis seminarium forent, nefas non putarent: ita ut Britannis longo tēpore mos inoleverit, Conjuges & Nurus nudas, & succo herbarum delibutas ad templa ducere, & ita supplicare, ac captivorum sanguine Diis litare: Et Corinthi super mille prostitutas in templo Veneris assiduò degere, & inflammatâ libidine quæstui meretricio operam dare, & veluti sacrorum ministras Deæ famulari, quemadmodum idem Alexander scriptum reliquit *lib. 6. c. ult.* quibus commodè addi poterunt, quæ præterea congessit Philipp. Camerarius *cent. 2. operar succisiv. cap. 41.* Prostitutas autem sive Meretrices (quas Lucas de Pēna inde dictas arbitratur, quòd merendo terantur) eas intelligimus, quæ quæstus caussa, vel etiam sine quæstu, passim, hoc est, sine delectu se prostituūt. *l. palam. 43. de rit. nuptiar.* vel ut Canō loquitur, quarum turpitudo publicè venalis est. *can. meretrices. 32. q. 4.* & quæ multorum libidini patent. *can. vidua 34. distinct.* quod Glossa ibi pro clericali forsan honestate & sanctimonia, de ea ridiculè ac nugatoriè interpretatur, quæ plures, quā 23000. hominum; vel quæ 40. absq; tamen mercede admiserit. Honestiùs multò Abbas *in c. cum decorē. Ex. de vit. & honest. cleric.* etiam, quæ vel duos tantùm, nec plures, quæstus tamen caussa admittit, Meretricē esse existimat. Cujus tamen sententia Ulpiani auctoritate, qua ille nititur, dissertè refutatur. *d. l. palam. 43.* Item, ait Ulpianus, quæ cum uno & altero se, pecunia accepta, comiscuit; nō videtur palàm corpore quæstū facere. Minùs ergo defendi jure poterit Lucæ de Peña *in Constit. Neapolitan. tit. 43. lib. 3.* sententia existimantis vel eam quoque fœminam pro meretrice habendam, quæ etiam unicum tantùm quæstus caussa admiserit. Idque probari putat *per text. in l. mariti. § quæsitum. ff. ad l. Iul. de adulter.* qui tamen textus in marito lenocinium committente, & quæstum ex hoc faciente loquitur: quo casu sat est, vel semel quæstum accepisse. qua de re videatur Didac. Covarruvias *de Sponsal. & Matrimon. part. 2. cap. 8. §. 11. n. 5.* Meretricem planè Suidas Græcis πόρνην dictam putat, quòd coitum vendat, vel quòd mētem excœcatam habeat. Non mirum igitur, ipsamet excœcata cū sit, quod omnia amatoribus suis bona, prout Antisthenes dicebat, præter unam mentem atq; prudentiam comprecetur. Eo præterea esse ingenio Suidæ dicitur, ut Amatores, cum non habet, alliciat; eos, quos habet, abjiciat. Quinimò inter multos se dividit, ut nemo non aliquod signum familiaris animi ferat: quemadmodum Seneca scriptū reliquit *lib. 1. de beneficiis. c. 14.* erant denique Romæ meretrices, ut plurimum libertinæ conditionis. Sic enim Livius *lib. 39.* Scortum nobile appellat Libertinam *Hispalam.* & Plautus *Cistellar. act. 1. scen. 1.*

—eam depressam, quia nos sumus
Libertinæ: ut ego & mater tua ambæ meretrices fuimus.

ex quibus pendet interpretatio versuum Horatii, *qui lib. 1. sermon. Satyr. 2.* notat Sallustium in libertarū amore insaniisse nō minùs, quàm qui mœcharetur. Franc. Juretus *in notis ad Symmachū ep. 66. libr. 5.* Tales fuerunt tres illæ meretrices nobiles, vel Ciceronis quoque tempore celebratæ: *Cytheris, origo & Arbuscula.* Cytheris Volumnii fuit Liberta & amica honestiore ob id nomine Volumnia dicta; amata postea à Cornelio Gallo poëta, & hoc relicto, à M. Antonio, quem in castra sit secuta. qua de re insolubiliter, dolentem

Meretrix qua dicatur.

Iureconsulto.

Glossa.

Abbas.

Lucæ de Penna.

Suidas.

Meretrices libertinæ.

Cytheris.

» bello (inquit) victoria ad te declinabit,
» Romamque deleveris; rem haud sane a-
» lienam, sed tuam perditum ibis. Sin vi-
» ctus eris: servatâ Urbe, gratias immor-
» tales; deleta verò, humanitatem nullam
» à victore expectare debes. Quam quidē epistolam refert Procopius. Totilam sæpe perlegisse, æquoq; animo ejus admonitionem accepisse, & ab incepto diruendæ Urbis opere destitisse. Talis tantusque cùm esset Belisarius: constat tamen, eum post multas victorias & peractos triumphos, exitum tandē habuisse magnis plerunq; viris, & optimè de Republ. meritis communem. Ferunt enim, Eum Justiniani jussu, sive Triboniani ejus Cancellarii, cujus prima apud ipsum principem erat auctoritas, odio & invidiâ, adde etiam, calumniâ affectati Imperii, satellitio & stipatoribus ademtis mulctatum, & domi custodiri jussum: ejusq; mortui opes fisco addictas Zonaras *tom.3. Annal. in Iustin.* Alij scribunt, Eum luminibus privatum, & tam gravitamq; iniqua oppressum fortuna, tuguriolum sibi propè viam constitui fecisse, in quo reliquum vitæ transigeret, victum quæritans, & hoc subinde prætereuntib. dictitans: Date stipem Belisario, quem rerum prospere gestarum magnitudo extulit, & nec error, sed livor, & inimicorum invidentia excæcavit Procopius & Crinitus *de Honest. discipl. lib.9.c.6.* Id tamen nec credibile, nec tam generoso Duci conveniens putat Steph. Forcatulus, ut nimis humile: Sicut illud Oedipi nimis acerbum, qui in Tragœdia Senecæ

Belisarii exitus.

—attollit caput,
Cavisq; lustrans orbibus cœli plagas,
Noctem experitur, quicquid effossis malè
Dependet oculis, rumpit, & victor Deos
Conclamat omnes.

ideoque illud, quod de Belisario jam sene stipem quærente Petrus Crinitus commentus est, pro fabula habet, & eruditè refellit Alciat. *lib.4. parerg. c.24.* atq; ejus quidem fabulæ nec volam, ut dicitur, aut vestigium in ullo vetere scriptore extare putat Hubertus Giphan. *in comment. de Imper. Iustin.* Si quid verò est, quod colorem addat Justiniani Belisarium plectentis severitati, id unum erit præcipuè, quòd Vitige Gotthorum Rege superato; Urajas ejus ex sorore Nepos, calculis omnium electus, quanta potuit modestia, repulit principatum. Similiter Theudibaldus Vitigotus, qui parēre, quam de summa rerū periclitari maluerat, suasit ut Belisarium potius Regem, sicut victorem ferrent & amplecterentur. Cui Ravennæ agenti Legati protinus rem omnem detegunt, hortanturque ne voluntarius servus magis, quàm Hesperiæ rex esse velit. Tum ille ex tempore respondit, Nunquam se cōmis-
« surum, ut vivente Justiniano Rex appel-
« laretur: ut ex Procopio, qui sub Belisario militaverat, Zonar. refert *l.3. Annal. mihi fol.95.* id responsum male voli apud Justinianum cavillati fuerunt scilicet, ac si ipso mortuo Belisarius haudquaquam regium munus recusaturus, atque interim procliviùs mortem Justiniani captaturus esset, festinatione regnandi: cùm tamen etiam de privatorum viventium hæreditatibus pactionem iniri, tanquam periculosi eventus plenissimam, Leges non permittant. *l. quidam 29. §. ultim. ff. de donat.* & ipsemet quoque Justinianus prohibeat *in l. ultim. C. de pactis.* Suo itaque experimento Belisarius, fallaciter vel certè incautè loquutus, docuit, In linguæ manibus mortem sæpè versari: & nihil nimium cupere, ex Chilonis Philosophi Lacedæmonii præcepto, partem esse sapientiæ non minimam; & secundis in rebus servare modum, nec efferre seipsum, futuræ sortis initium. Steph Forcat. *lib.3. de Gall. Imper. & Philos.* Post Belisariū Exercitui præ-

Pet. Crinitus notatur.

Belisarius in suspicionem venit regni affectati.

Mors in lingua manibus.

Narses. præfectus fuit Narses Eunuchus ille quidem, cæterùm vir strenuus, & rei militaris probè gnarus, atque iis, qui rerum potiebantur, familiaris, ut à Zonara commendatur. *Iocus in Narsetem.* De hoc Narsete dictum legitur per jocum: Mirum videri, *Gallū contra Gallos* tam vehementer belligerare: tracto scilicet joco à Gallis Cybeles sacerdotibus Enuchis: qualis Narses ferebatur. *Cybelles sacerdotes Galli.* Cybeles enim sacerdotes virilia sibi amputasse; & ob id Gallos atq; semiviros fuisse nuncupatos, passim ex poetis constat. Sic enim Picus in hymno ad virginem: (*Galli Semiviri iam non ululata ad Dindima Nec Cybeles gemini coeunt ad frena leones.* De his ita Lactantius: Ab hoc, inquit, genere sacrorum, non minoris insaniæ judicanda sunt publica illa sacra: quorum alia sunt matris Deûm: in quibus homines suis ipsi virilibus litant. Amputato enim sexu, non viros se, nec fœminas faciunt. Quòd respexit Tibullus, cum ita cecinit:

Idaæ currus ille sequatur Opis.
Et ter centenas erroribus impleat Vrbes,
Et secet ad Phrygios vilia mēbra modos.

Id quod iisdem pene verbis expressit Ovidius, cum ait:

Cadunt iactatis vilia membra comis.

Rectè, jactatis comis: quia capitis jactatione, & afflatu furoris bachabundi vaticinabantur. Unde & à furore illo Cybele, cui semiviri isti Galli inserviebāt, Enthea quandoque fuit appellata. Martialis:

Cum sectus ululat matris Enthea Gallus.

Narses. Scripsit tamen Claud. Coteræus *lib. 1. de iure milit. cap. 13.* Narsetem non tam Eunuchum, quàm Spadonem fuisse. *Spado militare potest.* Posse autem Spadonem militare, dubium non est: cum & matrimonium possit contrahere. *leg. si serva 39 §. fin. ff. de iur. dot.* & matrimonii caussa manumittere, *leg. alumnos. 14. in fi. ff. de manū. vind.* & adoptare, *l. 2. ff. de adopt.* & posthumum hæredem scribere. *sed est quæsitū 6. ff. de lib. & posth.* & id genus alia, à quibus omnibus castrati atque Enuchi arcentur: præsertim verò à militia. *Non item Eunuchus.* Nam sic exsectis membris auferatur ab aliquo viriditas illa, quæ homini naturaliter insita est: quantum virium vel roboris in bello habiturum censes Eunuchum? Quomodo autem lacertis, ac viribus pugnabit, cū testes, à quibus diffunditur eliciturque virilis pars hominis, ablati sunt? Eam ob rem Domitianus & Nerva Impp. sapienter legem tulêre, ne ullo pacto mares castrarentur. *Pœna in Castratores.* Tranq *in vita Domitian.* & Dio *in vita Nerva.* Voluitque Constantinus ut si quis in orbe Romano Eunuchos fecisset, capite puniretur. *l. 1. C. de Eunuchis.* quanquā supplicium istud in alias pœnas posteà videatur immutatum à Justiniano *in authent. de his qui Eunuch. fac.* & à Leone *in Const. 60. Qua pœna Castrator. affici deb.* Planè, in Rhetoris quoq; officium eligi posse Eunuchos, Lucianus negat. Et Suidas refert, Antiocho Præposito edictum propositum esse per Theodosium Imperator, ne inter Patritios essent Eunuchi. Quid ergo, si quis uno tantùm testiculo natus sit, vel alterutrum amiserit? *Vni testiculo.* Jure hic militabit, secundum Divi Trajani rescriptum. Nam & Duces Sylla & Cotta memorantur eo habitu fuisse naturæ. *l. quis cum. 4. ff de re milit.* Atq; illum quidē neq; morbosum esse, neq; vitiosum debere censeri non magis atque spadonem ipsum Ulpianus ex Pomponii sententia respondit in *l. Pomponius. 6. in fin. ff. de ædil ed.* Porrò de spadonum speciebus, ut sunt Thlasiæ & Thlibiæ, videatur Alciatus, Brechæus & alii *in l. Spadonum 128. ff. de verb signif.*

Trabeæ. *7. Trabea quoque)* Trabea triplicis fuit generis. Unum Diis consecratū, sola purpura intexebatur: Aliud regium ex purpura, immixto albo; quam Reges Cōsulésve induebant: Tertia Auguralis fuit, quæ ex purpura & cocco fiebat: quo genere

nere Augures uti assuêrant, dum auguria captabant. Alex. ab Alexandr. *lib. 5 cap. 18.* Primus autem Romulus trabeâ usus fuit. Unde & Trabeatus dicitur Ovidio, illo hemistichio:

Romulus trabeatus.

—trabeati cura Quirini.

ubi *Cura Quirini*, pro Quirino sive Romulo ponitur: ut *sententia Catonis*, pro Catone, apud Horatium; *sententia Democriti*, apud Lucretium, pro Democrito ipso: & *tumor custodum*, apud Propertiū, pro custodibus tumidis & superbis: ut pluribus exemplis demonstratum est à Gaspare Schoppio *lib. 4. Verisimil. cap. 5.*

QUOMODO SALUTATI FUERINT IMPERATORES TIT. XLVI.

Qui Imperatores salutabant, non exosculabantur illis genua, ut hodie usurpatur, nec etiam manus. Sed congenulati, aut genubus flexis purpuream ipsorum vestem tangebant. Atque hi sacram dicebantur purpuram adorare l. 1. C. de Apparit. præfect. Prætor. lib. 12. & l. si quis servum. 7. C. qui milit. poss. eod. libr. Quidam hodiè quorumlibet vestes exosculantur, quibus insignem aliquem honorem haberi volunt.

Sacram purpuram adorare.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Salutare; adorare.

SAlutare veteribus idem fuit, quod adorare. Adorare autē propriè est, ad nos admovere. Observatum hoc in Deorum salutatione. Multi enim eminus stantes, quod Deos ore profano tangere verebantur, manum porrigebant, eamque ad os suum relatam suaviabantur. ut Lipsius admonuit *lib. 2 Elector. cap. 6. & Muret. Variar. lection. lib 10. cap. 1.* Cum quibus facere videtur Adrianus Turnebus *lib. 18. Adversar. cap. 6. & lib. 25. cap. 1.* Ubi veteres solitos scribit in portis Urbium aliqua Deorum simulachra statuere: quæ, qui Urbes inibant, aut inde exibant, ritu quodam religionis, tacta dextera manu salutare consueverant, moxque manum ad osculum referre. Lucretius:

—tum portas propter, ahena
Signa manus dextras ostēdunt attenuari,
Sæpe salutantum tactu praterq; meantum.

Hinc Salutare Deos, pro, Adorare, Plaut⁹ usurpat *in Sticho. Scena, ita me Dii amēs.*

Deos salutatum devortor.

Item, pro Ori admovere, argutè & festiviter posuit *in Amphithr. Scena 10.*

Nec Bacchum salutem hodiè, nec Cererē,
ni purgari iusseras
Vasa, ut rem divinam faceres.

quasi diceret: precor ut nec potum, nec panem ori hodiè meo admoveam, ni purgari jusseras vasa, &c. ut Schoppius rectè interpretatur *libr. 1. Verisim. cap 8.* Hinc, qui Principem salutabant, sacram ipsius purpuram adorare dicebantur: quia scilicet dextram manum, quamprimum hac purpuream ipsius vestem attigissent, ad os admovebant & suaviabātur: quemadmodum Auctor noster ex adductis juris nostri locis ostendit. & notat Accursius *in l. 4. C. de consulib. lib. 12.* ubi adorare pro salutare esse monet; ut & reverenter vel cū reverentia adire *in l. 2. C. de fabric. lib. 11.* Eum tamen loquendi modum, quo Imperatoris æternitatem adorare dicimur, Alciatus *Hyperbolum* appellat *libr. 4. de verb. signif. num. 13.* ab Am̄iano Marcellino irrisam *lib. 5.* Unde Plinius: In adorādo, inquit, dextram ad osculum porrigimus. *lib. 28 Histor. natural. c. 2.* Atq; hinc promanavit, opinor, ut iis, qui salutabantur, simul etiam oscula darentur. Quæ salutationis & exosculationis potestas, etsi

Salutare Bacchum.

Sacram purpuram adorare.

Oscula olim summi honoris.

etsi quandoque summi honoris loco fuit habita, in tantum, ut solummodò Domestici & protectores principis salutantes vicarios & præfectum, ipsos osculari potuerint; sicuti ab Impp. Valentiniano & Valente rescriptum exstat *in l.1. C. de domestic. & protect. lib.*12. Constat tamen, etiam Tiberii tempore adeò frequentia & familiaria fuisse oscula, ut edicto ea prohibuerit; quippe quæ passim darentur à primis quibusque occurrentibus, quanquam parum eo edicto profecisse Tiberium legamus apud Suetonium *in Tib. c.34.* Ejusmodi autem oscula ori, genis, & ipsis etiam oculis inprimebantur, quos cum osculamur, ait Plinius *lib.* 11. *cap.*33. animum ipsum videmur attingere. Sic Cicero Tyroni: Ego tuos oculos in medio foro dissuaviabor. Porrò ex prisco illo adorationis ritu fluxisse etiam credo Manus basiandæ sive exosculandæ consuetudinem, Italis etiamnum inprimis familiarem, quanquam eum honorem solis potentioribus, tanquam demissionis notam, & propriè ferè dominis à servis delatum constat. Nec falluntur, qui à Candidatis magistratum ambientibus istud natum autumant. Formam verò ejus Plinius *lib.* 11. *cap.*25. exprimit his verbis: Dextra osculis aversa appetitur; in fide porrigitur. Et Suetonius scribit, C. Caligulam Chæreæ agenti gratias osculandā manum obtulisse, sed formatam commotamque in obscœnum modum *in Calig. cap.*56. Idemque prodidit, Domitianum Cœnidi patris concubinæ, osculū (ut assueverat) offerenti, manum (aversam scilicet) præbuisse, *in Domitia. cap.*12. Neq; verò his terminis quasi conclusa stetit Osculandi ratio; sed potentiorum insolentiá etiam ad genua, imò ad ipsos usque pedes fuit protensa, vilissimo mehercle & plusquam servili ritu. De genibus ita Ammianus docet *lib.*28. Ex his quidem, cum salutari pectoribus oppositis cœperunt, osculanda capita in modum taurorum minacium obliquantes, adulatoribus offerunt genua suavianda, & manus. De pedibus luculenter attestatur Dio, cum ita scribit: Pomponius secundus tunc Consul, pedes Caligulæ adsidens, identidem se inclinans, eos osculabatur. Seneca quoq; C. Cæsarem ait Pompejo absoluto & gratias agenti porrexisse osculandum sinistrum pedem, *lib.*2. *de Benefic. cap.*12. Id imitati forsan Pontifices Romani, vetustissimo more, quasi per manus tradito, receptum habent, ut pro genuina scilicet sedis Apostolicæ servis servorum Dei conveniente humilitate, & plusquam paterna erga dilectos filios charitate, pedes salutantibus osculandos præbeant.

Prius tamē valdè frequentia.

Et non ori tantum, genis atq; oculis impressa.

Sed & manibus.

Imò genibus & pedibus etiam ipsis.

Papæ humilitas.

Osculorum autem tria potissimum genera statuà esse video. Aut enim officiosa sunt: aut Charitativa: aut Luxuriosa. De *Officioso* osculo dictum est hactenus. De *Charitativo*, quod & pudicorum est effectuum, & propriè Basium dicitur Grammaticis; etiam illud Apostoli accipio: quo jubet, ut alii alios osculo sancto salutemus. 1. *Cor.*16. *v.*20. & 2. *Cor.*13. *v.*12. Rectè ait; *Sācto*: nec enim lascivum id, quod libidinis est incentivum: *can. nec aliquas* 27. *q.*1. sed caritatis esse debet, & justæ dilectionis, quale est id, quod à patre filio infigitur. *can. nō osculatur.* 5. *q.*5. De quo ita Ambrosius: Quid loquar de osculo oris, quod pietatis & charitatis est signum? Osculātur se & columbæ, sed quid ad humani osculi venustatem? in quo amicitiæ insigne humanitatisque præfulget: in quo plenæ charitatis exprimitur affectus. Unde per osculum caro carni, & spiritus spiritui cōjungi dicitur, ut ex Archidiacono *in can. pacem igitur. de consecrat. dist.*2. refert Lucas de Penna *in l.*1. *C. de demiss. & protector. lib.*12. *Luxuriosum* verò obsculum, libidinum vel amorū est, & à Grammatico-

Osculorum tria genera.
1. Officiosum.
2. Charitativum.
3. Luxuriosum.

maticorum grege *Suavium* nuncupatur. quod non absq; suavitate & gratia Amator amicæ ardenter infigit: quod labella labellis ferruminantur: quod Venus

quinta parte sui Nectaris imbuit:

quod libidinis est suscitabulum, atq; subantis antiludium. *Beroald. ad Apulejum lib. 2.* Id verò quandoque etiam non absque molli labellorum morsu infigi solitum, ex poëtis abundè colligitur: qui in Venereis deliciis id quoque numerant, labella inter suaviandum teneris morsiunculis leniter stringere. Catullus:

Quem basiabis? cui labella mordebis?

Horatius: —*Sive puer furens*

Impressit memorem dente labris notam.

Et Plautus, *Pseudolo*:

Ioci, ludus, sermo suavis, suaviatio;

Compressiones arcta amantū compares,

Teneris labellis molles morsiunculæ, &c.

Flora. Itaque Flora meretrix, cui cum Cn. Pompejo stupri consuetudo fuerat, ita eum commendabat, quòd nunquam potuisset ab eo non morsa discedere. De hoc osculi genere forsan exaudiri debet Canon, quod Monachis quos purissimos esse docet, omninò interdictum legimus, ne fœminas osculentur. *c. Monachi de consecrat. dist. 4.* *Monachis oscula interdicta.* Hisce addo quartum osculandi genus, *proditorium* illud & hypocriticum: qualé fuit Joabi Amasam sub osculationis specie trucidantis, *2. Reg. 20.* Item Judæ Ischariotis Christum magistrum suum nefariè prodentis. qua de re exstat *in Historia Evangelica.* *4. Proditorium osculum.*

Osculo an dos ammittatur. De eo quoque non parum controversum est, An, sicut propter adulterium Mulier amittit dotem; Ita etiam ob osculum amittere hāc debeat? Et putavit hoc Baldus *in c. tua de procurator.* quandoquidē inter adulterii procemia, etiam Oscula enumerentur vulgari illo versiculo: *Osculum adulterii prooemium.*

Visus & alloquiū, tactus, post oscula factū:

qui versus ab Accursio refertur *in l. quod ait. 23. ff. ad Legem Iuliam de adulter.* Sicuti enim percussio, præparatorium est homicidii: Ita & colloquium, & amplexus, & oscula, libidinis quasi quædam anticœnia esse Angelus putavit *in l. 2. col. fin. ff. de priv. delict.* Unde rythmus ille ab Hostiensi usurpatus in summa Decretal. *Tit. De eo qui cogn. consang. Vxor. sua. §. 1.*

Ni fugitur tactus, vix evitabitur actus.

Unde P. Mænius filiæ mandabat, ut non tantùm virginitatem illibatam marito; sed & oscula ad virum sincera perferret. Joh. Næviz. *in Sylva nuptiali lib. 4. n. 76. 77. 78.* non tamen novam nuptam illam imitata: quæ os quidem, quo ipso nuptiarum die fidem integritatis & pudicitiæ nequaquam violandæ sponso promiserat, ab osculo sollicitantis amici illibatum esse servandum existimabat, nihil peccatura scilicet, quantumvis cæterarum corporis partium sive membrorum copiam Amanti facere, ut est apud Steph. Guazzum *de conversat. civil. lib. 4.* Osculo enim pudicitiam mulierum delibari, veteres crediderunt. Hinc Ovidius:

Oscula qui sumsit, si non & cætera sumsit,

Hæc quoque quæ data sunt, perdere dignus erat.

ut ita ex hisce præparatoriis arguatur præparatum, & inferatur adulterium. Sed hanc tamen Baldi sententiam improbari video Decio *in rubr. Ex. de Iudiciis*: quem & alii postea secuti sunt. *Baldi sententia à Decio improbata.* Nec enim pœna, quā delicto consummato Lex imponit, ad attentationem producenda est: quandoquidem Consilium alicujus rei habuisse non noceat, nisi & factum sequutū sit *l. sæpe 53. in fi. ff. de Verbor. significat.* & possit osculum etiam citra stupri desiderium [illegible]di: Sic enim elegans illa puella apud Theocritum, osculo accepto, insidiantem sibi amatorem affatur:

Ne Satyrisce tume, rem ajunt esse osculum inanem.

Et facie abluta tolluntur & oscula sputo.
Lexque eam tantùm dote mulctet, quæ adulterii caussa interdicta attentaverit. *l. consensu. 8. §. vir quoque. iuncta l. ult. §. fin. C. de repudiis.* ubi præter caussas ibi enumeratas, nihil ad dotis amissionem validum esse debere Justinianus disertè ait. Cùm itaq; in relatis constitutionibus osculum, tanquam legitima caussa dotis amittendæ non reperiatur: consequens nimirum erit, pro legitima id nequaquã esse censendum, quod potissimum est Menochii argumentum *lib. 2. de arbitr. jud. cẽt. 3. casu 28. n. 8.* Proinde etiam Hieronymo Cagnolo dubia videtur hæc Baldi conclusio, *in rubr. C. de Edendo. num. 31. cum sequentib.* Et Didacus Covarruvias non aliter eam admittit, quàm ut osculationẽ istam interpretetur indicium & argumẽtum adulterii: ex quo suspecta quidem uxor valde fiat & gravis ducatur adulterii suspicio: non tamen ut hinc de adulterio convinci queat fœmina, etiam ad hunc effectum, ut dote privetur. Covarruv. *lib. 4. De retal. part. 2. cap. 7. §. 6. n. 3.* Nec enim verè adulterii rea dici potest fœmina ex sola suspicione: sed alia & quidem urgentia indicia accedant oportet: adeo ut quandoque etiam Lex velit, Uxorem cũ adultero in ipsa turpitudine; vel ut Pomponius ait, in ipsis rebus Venereis; & ut Solon ac Draco dicebant ἐν ἔργῳ fuisse deprehensam *l. quod ait lex. 23 ff. de adult.* Locum itaque Baldi sententiæ fore Alciatus putavit *lib. 4 parerg. c. 10.* si ex aliis cõjecturis adulterium convinceretur, & ex qualitate loci, temporis, personæ, haudquaquam præsumeretur mulier intra fines osculi stetisse: cujusmodi circumstantiæ suspicionis violentiæ & certæ exprimuntur *in c. literis. 12. Extra. de præsumt.* add. Mynsinger. *Resp. 1. n. 20. cum seqq. Decad. 1.* Qua tamen in re integrum erit Mulieri probare, se intra osculi fines stetisse, neq; ultra fuisse progressam, ut Decius rectè concludit *in rubr. Extr. de judic. col. 1.* Ad quod ostendendum, vel iis in locis admitteretur magis ubi

Perque vias dantur basia, perque domos,
(ut Petrus Lotichius Secundus, nulli poëtarum Germaniæ secundus, eleganter cecinit) atque ubi constantiores sunt fœminæ, quæ passim amicos & hospites osculo excipiunt. Noti enim sunt humanissimi Gallorum mores, qui passim oscula tanto studio colunt, ut honori sibi ducãt, quod adveniens hospes Uxorem, sorores, filias etiamnum virgines, osculo adhibito salutaverit, & in applexum acceperit, & in gremium sibi assidere jusserit, de quibus attestatur Joh. Pierius *lib. 2. Hieroglyph.* Sed & tum quoque Baldi conclusionem probabilem censet Alciatus, cùm criminis conjectura ex eo suavii genere intenderetur, quod Græci, & ex his Aristophanes, ob mutuam fortassis & alternatam linguarum insertionem, κατὰ γλώττισμα; Latini, Columbarum osculum nominarunt, de quo sub tertia Osculi specie diximus. Id enim justam mariti Zelotypis repudii caussam daturum esset. Quæ tamen assertio dubia nonnihil reddi posse videtur eo, quod ex Menochio, Osculũ dotis amittendæ legitimam caussam esse negante; modò adduximus.

Illud expeditum est, Beneficiariũ clientem sive vasallum beneficio aut feudo privari, si Domini Uxorem per lasciviam ausus fuerit osculari. Lex enim privari vasallũ feudo ait, si graves & inhonestas injurias Domino intulerit. *c. 1 §. porrò si Dominũ. Quæ fuit pri. cau. benef. amit.* itẽ si Dominum concurbitaverit, hoc est, cum Uxore ejus concubuerit, vel concumbere se exercuerit: aut cum ea turpiter luserit. *cap. 1. Quib. mod. feud. amitt.* ubi per cucurbitationem, stupri illationem intelligi satis apparet. Et quidẽ legib. Longobardicis

Gallorum mos.

Adulterium ex sola suspicione non convincitur.

Baldi sententia locũ habet. I.

Cucurbita.

dicis *Corbita* pro stupro vel infamia usurpatur. Unde *Cucurbitam* dicebant, Uxoris adulterio infamẽ, ut Hotomann. docet *in explicatione verb. feud.* Turpẽ autem lusum, quẽ alium intelligemus, quam pudicitiæ attentationem *l. attentari. 10. ff. de iniur.* vel alienarum nuptiarum sollicitationem? *ut in l. 1. ff. de extraor. crim.* quod fit (ut cum Longobardica lege loquar) vel cũ manus in sinũ, aut ad pectus ejus mittitur, vel ad alium locum, unde turpe esse potest. *l. si. quis à modo. Tit. qualit. s. quis defend. Iure Longobard. lib. 2.* vel cum impudicum & luxuriosum illud osculum, quod libidinis incentivum dixi, infigitur. Nam & hoc modo vasallus turpiter cum Domini uxore lusisse; & gravẽ atq; inhonestam injuriam Domino intulisse putabitur, ut Alciat. concludit *d. lib. 4 parerg c. 10.* quem Menoch. laudat. & sequitur *lib de arb. jud cent. 3. casu 277. n. 3.*

Turpis lusus.

Osculans alienam mulierem.

Quid ergò, si quis alius Uxorem alienã, aut fœminam quamcunq; turpiter osculatus fuerit? Et quamvis Bossius *de extraord. crim. n 3.* referat, in Gallia quendam securi fuisse percussum, quòd nuptã mulierem, per vim fuisset osculatus: putavit tamen Jul. Clarus, pro osculo sive violento, sive absq; vi illato, pœnam mortis nequaquam irrogandam; sed rem omnem pro facti & personarum qualitate, Judicis arbitrio esse committendam. *lib. 5. Sent. § fin. q. 83. vers. Osculum inferens.* Cui sentẽtiæ & Menochius multis eam auctoritatibus confirmans, subscribit. *lib. 2. de arbitrar. Iud. casu 287 in pr.* Planè si Sponsus sponsæ suæ osculum intulerit, & vel morte, vel qua alia causa, absq; tamẽ alterutrius culpa matrimonium non fuerit subsequutũ: placuit, cum dimidium ejus quod Sponsæ donaverat, perdere: qui tamen integrum esset repetiturus, si ab osculo sibi temperasset: quemadmodum & sponsam omne id quod sponso donavit (quanquam raro hoc fit, ob innatã Mulieribus avarissimo hominũ generi tenacitatem *gl. in l. sed si ergo. 4. in fin. ff. ad SC Vellejan.*) recidere constat, nulla etiam osculi, utrum id intervenerit nec ne, ratione habita, *l. si à sponso C. de don. ante nup.* Curita, quia sponsa, cui osculum infigitur, sponsi affectui & cupiditati obsecundãs, atq; hanc gratiã faciẽs, dare id videtur; sponsus verò accipere. Nõ mirum igitur, si vicissim sponsus, pro accepto osculo, aliquid etiam doni, dimidiã scilicet partem rependat; quam rationem Joh. Sichard. ibi adsignat. Osculi nempe veteres erant religiosissimi: ut etiã pleræq; nationes. Nec cuiquam temerè dabatur osculum, ne sponso quidẽ; sed semel tantum, confirmãdorum sponsaliorũ caussa. Sic enim Alexand. *Novel. de spons.* ait Cõfirmari spõsalia datâ arrhâ & osculo. Proinde jus osculi, quod erat argumentũ magnum pudicitiæ veterũ, jus augebat sponsaliorum. Et quæ præbuerat osculum, erat quasi uxor vel plusquã sponsa. Imò uxorem aut maritum osculò tantùm putari, Quintilian. dicebat *declamat. 370.* & ex eo rectè notavit Cujac. *in Recitat. solennib. ad Tit C. si Rector provincia vel ad eũ pertinentes.* Illud quoq; extra omnem ferè est controversiã, quòd si Juvenis, præ nimio amore, osculum puellæ dederit, tum si nõ ab omni pœna im̃unis esse, saltem mitiùs puniri debeat. Amor enim quidam quasi furor est, si Aristoteli credimus 7. *Eth. c. 7.* quẽ cohibere perfectæ philosophiæ esse ipsemet etiã Justinian. putavit §. *illud auth. Quib. mod. natur. effic. sui.* Cui accedit, quòd Amori, qui terræ mariq; præest, omnia subjaceant. unde altera manu flores, altera piscem tenere fingitur: sicuti Alciatus Emblemate hoc eleganter expressit:

Sponsus osculans sponsam.

Oscula apud veteres rara.

Amoris vehementia an ab osculo excuset.

Nudus ãor vidẽ' ut ridet, placidũq; tuetur
Nec faculas, nec qua cornua flectat, habet?
Altera sed manuũ flores gerit, altera pisciẽ:
Scilicet ut terra iura det atq; mari.

Si.

Si quis igitur Amoris vi & imperio cogēte, tale quid commiserit, meritò erit excusandus: siquidem culpa carere dicatur, qui superioris mandato obtemperat. *l. is damnum dat.* §.1. *ff. de Reg. Iur.* Jac. Menoch. *lib.2. de Arbitr. Iudic. casu* 328. Atq; ejus rei egregium exemplum est apud Valer. Max. *lib.5. c.1.* Ubi Pisistratus Atheniensiū tyrañus, cū adolescens, quidā amore filiæ ejus virginis accensus, in publico obviam sibi factam osculatus esset hortante uxore, ut ab eo capitale supplicium sumeret, respondit: Si eos, qui nos amāt, interficimus, quid his faciemus, quibus odio sumus? Cui non absimile est, quod de Mundo adolescente, Paulinam Romanam in templo Isidis, præ amoris violentia corrumpente ex Josepho *lib.18. Antiquit. c.6.* Johan. Borcholten refert in tractatu de Feudis *cap.18. n.101.* Eam ego historiam, quoniam & lectu jucunda, & ob sacrificulorum fraudem atq; avaritiam notatu digna, & præsenti negotio planè accommodata est, ita ut apud Zonaram habetur, hìc loci inserendam putavi. Romæ (ait) Paulina quædam, & generis splendore, & morum integritate præstans, & opib abundās, vultu ad hoc venusto, & ætate integra, ac modestia ornata, nupta erat Saturnino, viro nullo bonorum genere ipsa inferiori. Hujus amore captus Decius Mundus, inter Equites dignitate præstās mulieris pudicitiam mineribus solicitabat, 200. millia drachmarum Atticarum pro uno concubitu pollicens; eaque recausante, magis inflammabatur, adeò ut abstinentia ciborum necem sibi consciscere institueret. Habebat autem paternam libertam nomine Iden, omnis generis malorū peritam. Ea adolescentem sic affectum verbis confirmat, & pollicitationibus refocillat, ac sibi duntaxat quinquagies mille drachmis opus esse dicit ad rem conficiendam; quibus acceptis, cùm illam pecuniâ nō expugnari posse cerneret, sed cultui Isidis (ea tùm à Rom. pro Dea colebatur) esse deditissimam; quosdam falsæ illius Deæ Sacerdotes convenit, pecuniam offert, ut Paulinam quibus possint dolis circumventam, Mundo sui copiam facere cogant. Illi pecuniâ deliniti, facinus aggrediuntur: eorum natu maximus Paulinam seorsim convenit, se ab Anubide, ipsius amore capto, missum esse profitetur, ut eam accerseret. Mulieri ea verba optatissima acciderunt, si à Deo amaretur: & nuncium illum cum marito communicat, qui gnarus modestiæ conjugis, eam ambire sinit. Cum in lucum venisset sub somni tempus, mulieri in ipsa æde lectus paratur, lucernæ exstinguuntur. Mundus jam antea ibi abditus, per totam noctē sub Anubidis nomine libidine sui expleta, discedit. Illa reversa, Anubidis apparitionem marito narrat, apud familiares de congressu Dei gloriatur. Sed tertio post id facinus die, Mundus ei obviam factus; Paulina, inquit, & ducenta millia habeo, & tu mihi gratis gessisti morem: Tua verò erga Mundum injuria me non attigit, qui Anubidis nomen ipse mihi fecerim. E quibus verbis mulier intellecto facinore, vestibus laceratis, marito insidias indicat. Is apud Tiberium conqueritur: Imperator, facinore comperto, Sacerdotes & Iden in cruces tollit, Ædem diruit, Isidis simulachrum in Tiberim demergit, Mundum in exilium agit, pœnam graviorem ob amoris vim clementiâ moderatus. Zonaras *Annal. tom.1.* Atq; hinc liquidò constare potest, pœnam ob vehementem Amoris affectum, mitigari solitam. Idque & ab Areopagitis, gravissimis alioquin delictorum censoribus observatum fuisse, Aristoteles testatur *lib.1. Magnorum Moralium cap.16.* cujus verba in hunc sensum Alciatus refert *lib.7. parerg. cap.25.* Ferunt, inquit, olim quandā mulierem

Pisistratus.

Mundus & Paulina.

lierem poculum cuidam amatorium dedisse, qua potione mortuus ille fuerit; Eamque mulierem hoc crimine in Areopagum pertractam, judicum sentētiis absolutam fuisse, eâ ratione, quod id futurum minimè præviderat: Amoris siquidē cupidine occœcata id fecerat, nō eâ mente, ut hominem perderet, sed ut sibi soli servaret. Ubi ergò animus delinquendi non est, ibi nec pœnam aut supplicium esse debere: cùm ea duntaxat crimina puniantur, quæ sint voluntaria. Sed huic argumento satisfacit Paulus JCtus *in leg. si quis aliquid. 38. § qui abortiōis. ff de pœn.* ubi non quidem negat in suppliciis irrogandis ipsius delinquentis voluntatem & intentionem cumprimis inspiciendā esse. Sed ideò tamen extra consideratione͂ omnem nequaquam ponendum, quòd amatorii poculi propinatio res mali sit exempli: quippe cum hoc Lucretius poëta à Lucillia uxore in furorem pertractus, suâ sibi manu mortem consciverit. Petr. Crinitus *de poet. Latin. c. 19.* & ipse etiam Lucullus poculo itidem amatorio assumto vitam finiverit. Plin. *lib. 25. Histor. natur. capit. 3. in fin.* Malum autem exemplum in caussa esse solet, ut graviùs delictum puniatur. *can præcipue. 11. quæst 3. gl. in can. nemo. 32. q. 3.* Siquidem plus quandoq; exemplo, quàm peccato noceatur, ut Tullius ait *lib. 3. de Legib.* Ideoque, qui abortionis (ait Paulus) aut amatoriū poculum dant; etsi dolo non faciant, tamen quia mali exempli res est, humiliores in metallum; honestiores in insulam, amissa parte bonorum, relegantur: quòd si eo Mulier aut Homo perierit, summo supplicio adficiuntur. *dict. § qui abortionis. l. 38. ff. de pœn.* Ex quo tamē textu minimè efficitur id, quod ab omnibus ferè colligi inde video: ac si per disiunctam istam orationē, *Mulier aut Homo,* Jureconsultus ita inter Mulierem ac Hominem distinguat, ut Hominis appellatione masculum sexum duntaxat, non verò etiam fœmineū contineri velit. Quam interpretationem falsissimam esse, tam perspicuè, nisi vehementer fallor, ostendam, quàm certum est, Solem hunc nobis lucidissimam lucere lucem. Agit ibi Paulus de pœna illi infligenda, qui abortionis aut amatorium poculum propinavit: Et quidē, si eo Mulier aut Homo perierit, propinantē summo supplicio afficiendum esse ait. Abortionis poculum, quod datur, ut partus conceptus abigatur, soli mulieri propinatur: cujus uti proprium est concipere; ita & conceptum tueri, ut abortus evitetur. *l. quæritur. 14. de ædil. edict.* Ut cōceptio; ita & abortio in nullos viros, sed solas cadit fœminas, utpote quib. familiare & frequens olim fuit, abortionis poculum sumere (ut Seneca *ad Helvidiam* testatur, ad solum formæ detrimentum, ventrisque rugas vitandas, vel ut cum Ovidio loquar

— ut careat rugarum crimine venter.

Quo fine Plutarchus memorat, plerasque mulieres ob solam libidinem hoc genere usas, ut vacuæ factæ statim rursus implerētur, perpetuæq; Veneris facultatem haberent, *in lib. de tuend. valetud.* Solis ergò his abortionis poculum datur. At amatorium poculum, ut ad excitandum amorem vel viri vel fœminæ conficitur: ita tamen viro, quā fœminæ propinari potest. Utrunq; igitur poculum Paulus in proposita quæstione conjugens, distinctionis fœdere utitur, & negotiū illud ita decidit, nō quidē ut Mulierem & Hominem invicem opponat; sed ut singulis poculis singulos per relationē subjiciat: poculo scilicet abortionis Mulierem, quam solam abortire posse cōstat; poculo amatorio Hominē, utrumq; sexum comprehendentē: cum certum sit, utrique sexui hoc propinari posse. Tantum igitur abest, ut Hominis appellatione Mulier non veniat, ut con-

Areopagita.

Poculum amatorium.

Mulier aut homo.

Intellect. §. qui abortionis l. 38 ff. de pœn

Abortus olim familiaris.

contrarium indubitanter Cajus asseruerit *in l. hominis. 152. de verbor. sign.* & generaliter à Juliano pronunciatum sit, semper sexum masculinum etiam fœmininũ cōtinere. *l. qui duos. 62. in fin. de legat. 3* non quidem extensivæ interpretationis beneficio, ut post Albericũ de Rosate *in l. quicunque. col. 3. in fi. C. de serv. fugit.* Bartolũ *in l. si quis in tantam. C. unde vi* & Baldum *in l. ult. col. 6. vers. item impropria. C. de hered. instit.* Jason. voluit *in l. qui filiabus n. 18. & 21. de hæredib. instit. & l. si quis. 7. de Iurisd. omn. iud.* & Sylvest. Adolbrandin. *in §. ult. Inst. qui testam. tut. dar. poss.* Sed maximè vi & proprietate sermonis, quod pluribus exsequutus sum *in l. 2. part. 1. C. de in ius vocando.*

Salutatoria cubicula.

Salutationis porrò illius occasione, qua Principes exceptos fuisse diximus, venit mihi in mentẽ *Salutatoriorum Cubiculorum* apud Plinium: per quæ haud dubie intelliguntur *Lararia* illa, quorum duo veteres principes domi habuisse proditum est; in altero Deos immortales Diis penatibus progenitos; in altero homines in Deorum collegia cooptatos, quos scilicet merita in cœlum vocaverunt, salutabant. Utrisque thure ac flosculis, sed victimis interdum sacrum faciebant. Ab illis prioribus, & quasi majorum gentium, salutem fortunasque precabantur: ab iis rectam mentem, & virtutis splendorem optabant. Hoc est, quod Alexandrum Imperatorem Mammeæ filium legimus non pronè scue, sed quoties cum uxore non cubuisset, matutinis horis in Larario, in quo Divos Principes animosq; sanctiores, & inter eos *Apollinem, & Christum, & Abraham, & Orpheum* habebat, religiose coluisse: si fidem merentur, quæ scripta sunt à Cœlio Calcagnino *lib. 15. ep. 8 in pr.* & Steph Forcatulo *lib. 5. de Gallor. Imp. & philosoph. in fin.* De Hadriano quoque tradit Lampridius *in Alexandro Severo* cogitasse eum aliquando Christo templum facere, & in multis civitatibus templa sine simulacris posuisse: tamen pergere vetitum ab iis, qui sacra consulentes repererant, si id optato evenisset, omnes futuros Christianos. Sed quam sedulus & diligens cæteroquin in colendis Diis suis & sacris Hadrianus fuerit: constat utique ex versiculis ipsius, quos moriens composuisse fertur, quam perplexus ac dubius animi fuerit, & omni præterea Religionis ac fidei fundamento destitutus: Versiculi illi sic habent.

Larium Alexandri.

Hadriani in Christum pietas.

Animula, vagula, blandula,
Hospes, comesq; corporis;
Quo nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, ut soles, dabis jocos?

Ita ex Ælio Spartiano eos recitat Simon Majolus *tomo 2. dier. canic. colloq. 1. fol. 82.*

Poetarum mos salutatorius.

Porro ad salutationem Imperatorum pertinet etiam mos ille poetarum, quo advenientibus vel prætervictis epigrammata sua offerebant. Id quod ex Macrobio animadvertere licet *libr. 2. Saturnal. cap. 4.* Solebat descendenti, inquit, à Palatio Cæsari honorificum aliquod epigrāma porrigere Græculus. Id cum frustra sæpe fecisset, rursusq; id facturum vidisset Augustus, breve manu sua in charta exaravit Græcum Epigramma, pergenti deinde ad se obviam misit. Ille legendo, laudare, mirari, tam voce, quam vultu. Cumque accessisset ad Sellam, demissa in fundum pauperem manu, paucos denarios protulit, quos principi daret, Adjectus hic sermo. *Non secundum fortunam tuã. Auguste: si plus haberẽ, plus darem.* Secuto omnium risu, dispensatorem vocavit Cæsar & H.S. millia Græculo numerari jussit, quæ summa duo millia & quingentos Philippæos conficit, si vera est Matthæi Raderi supputatio ad *Martial. epigram. 76. lib. 8.* Lararia denique illa, de quibus supra

supra diximus, in memoriam mihi redigunt, quod Augustinus *libr. 9. de civitat. Dei* scripsit, Animas mortuorum Dæmonas esse, & ex hominibus familiares Lares fieri, si domi illæ sunt tranquillæ & quietæ. Sin omnia comiscent terroribus atq; turbis, sunt larvæ sive lemures. De quibus apud Lactant: *lib. 1. cap. 20.* & Macrobiũ *lib. 1. Saturnal.* Hos Domesticos Deos, veteres vocabant Patrios: non quia essent patriæ aut Urbis; sed quia familiæ ac generis præsides: ut Virgilius

Di patrij servate domum, servate Nepotẽ.

Suos enim cuiq; civi ac patrifamil. Deos fuisse in aliqua parte domus, quos ipse omnisq; familia privatim colerent, ex Servio & aliis constat. De quo cultu intelligendum est illud Horatii: *placare Deos: mollire penates.* Id quod Terent. *in Phormione act. 2 Scen. 1.* salutandi verbo ita enunciat: *atque ego Deos penates hinc salutatum domum devortar.* Unde Ciceroni *de Natura Deor.* *Penates* dicũtur, à penu; aut ex eo, quod penitus insideant: & inde etiam vocantur *penetrales.* Eaque fuit antiquorum superstitiosa pietas, ut non tantum de Cœna Laribus sive Penatibus liberarent; sed & primitias quoq; fructuũ eisdem offerrent. Ideoque & ara & focus eis erat consecratus. Inde *pro Aris & focis pugnare* dicuntur, qui pro charissimis quibusque rebus pugnant: de quibus sic Cicero pro *domo sua.* Quid est sanctius? quid omni religione munitius quam domus unius cujusque civium. Hic aræ sunt, hic foci, hic Dii penates: hic sacræ religionis ceremoniæ continẽtur. Hic perfugium ita sanctum omnibus, ut inde eripi tanquam ex asylo neminem fas sit. Quæ posteriora verba pertinent ad interpretationem *legis plerique, 18. ff. de in jus voc. & l. nemo de domo 13. de Reg. juris.*

Lares. Lemures. Penates. Eorum cultus.

DE DIADEMATE TIT. XLVII.

Diadema erat pileolus instar dimidiatæ pilæ lusoriæ & grandioris: qui capiti impositus, candida ligabatur fascia, ut ab Hieronymo *ad Fabiolam describitur. Eo utebantur Reges in capite, ornatus gratiâ, quemadmodum & Imperatores. Cui non assimiles sunt nostrates coronæ, quas in toreumatibus & Numis expressas videmus; de quibus infra dicemus. Sed Diadema quoque ivit in desuetudinem.*

Cingulum ensis Imperatores gemma quadam adstringebant, ipso etiam cingulo gemmis ornato: sicut à Charino factum legimus, qui etiam calceis gemmas adsuit. Maximinus Iunior thorace indutus fuit argentea & aurea: qualis primùm & à Ptolomæis fuit usurpata. Aureos quoque & argenteos fecit enses: ut & galeas gemmis distinctas, quemadmodum Capitolinus *recitat. Idem quoque Galienus factitavit.* Herodianus *lib. 5. prodidit, Macrinum primum fuisse ex Imperatoribus, qui aureo & gemmato cingulo uteretur, lib. 8. scribit: Antea Imperatores portatum fuisse ignem, & fasces laureos, praeuntibus hominibus proceris & magnæ statura.*

Diadema. Cingulum. Thorax. Enses. Gallea. Ignis: Fasces.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Diadema.

Diadema Suidæ regale est gestamentum, cujus inventionem Plinius Libero patri adscribit *lib. 7. cap. 56.* Id propria notatione valet redimiculũ à διαδέω, quod est circumligo. Erat enim fascia cãdida, quæ capiti Regis sive Reginæ circumliga-

ſum erat denudari, & pudẽdis obſcœniſque invelatis, per luxum & laſciviam currere, & impudicos jocos agere, quibus etiam (ô tempora, ô mores!) Ædiles cicer, fabas & miſſilia plebi ſpargere aſſuêrant, leporesque & capreas; aliaque mitia animalia ludis admittere, quos in vico patritio aut proximo celebrabant: noctuque accenſis facibus cum multa obſcuritate verborum per Urbem vadere, & ad turbæ ſonitum convenire ſolebant: ut Alexander ab Alexãdro retulit *lib. 6. Genial. dier. cap. 8.* Flora autem illa, cum magnas opes ex arte meretricia quæſiviſſet, Populum Rom. ſcripſerat hæredem, certamque pecuniam reliquerat, cujus ex annuo fœnore ſuus natalis dies celebraretur, editione ludorum, quos (ut dixi) *Florales ſive Floralia* appellabant. Quod quia Senatui flagitioſum videbatur, ab ipſo nomine argumentum ſumi placuit, atque ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur, Florã finxerunt eſſe Deam, quæ floribus præeſſet; eamq; oportere placari, ut fruges cum arboribus, aut vitibus benè proſpereque floreſcerent: ut ex Lactantio refert Lilius Gyrald. *Hiſtor. Deor. Syntagm.* 1. & hiſtoriam hãc copioſiùs explicat Valerius Maximus *lib. 2.* Floralia autẽ iſta quarto Calen Maij celebrabantur, & Calendis ipſis. Unde inſtitutum adhuc viget ubique ferè gentium, ut eo Calendarum die floribus & frondibus Majumas celebrent. Nã, ut Suidas auctor eſt, *Majuma* erat feſtivitas quædam, quæ Romæ Majo menſe fiebat. Romani enim Hoſtiam maritimam Urbem adeuntes, inter aquas voluptatib. & deliciis vacabant, atque alii alios in marinas aquas conjicientes invicem ſe invadebant. Quæ ſolennitas poſtea ſublata fuit propter elationem provincialium, ut ait gl. in *l. un. C. de Majuma lib. 11.* quo quidem in loco Impp. Arcad. & Honorius ſtatunt, ut ipſis provincialibus Majumæ

Flora meretrix.

Flora, Dea.

Floralia quando celebrata.

Majuma.

Honeſtas in ludis ſervanda.

lætitia reddatur: ita tamen, ut ſervetur honeſtas, & verecundia caſtis moribus perſeveret.

Neque enim ita generati à natura ſumus, ut ad ludum & ocium facti eſſe videamur: ſed ad ſeveritatem potiùs, & ad quæcunque ſtudia graviora atque majora. Ludo autem & joco uti quidem illo licet, ſed ſicut ſomno & quietibus cæteris, tum cum gravibus ſeriſque rebus ſatis fecerimus. Ipſumque genus jocandi non profuſum, nec immodeſtum; ſed ingenuũ & facetum eſſe debet. Ut enim pueris nõ omnem ludendi licentiã damus; ſed eam, quæ ab honeſtis actionibus nõ ſit aliena: Sic in ipſo joco aliquod probi ingenii lumen eluceat, quod Tullius *in Officiis* pluribus proſequitur. Ac notiſſima eſt illa de Catone hiſtoria, qui cùm theatrum, in quo ludi in honorem Floræ Deæ à meretricibus nudis celebrarentur, ingreſſus fuiſſet; ac Mulieres tanti viri gravitate, & authoritate permotæ nudare ſe noluiſſent: monitus fuit à Favonio, ut diſcederet. Id ipſum diſertè tradit Seneca, *lib. 6. epiſt. 98.* ubi Catone ſedente negatur populus permiſiſſe ſibi poſtulare Florales jocos nudandarum meretricum. Eodemque reſpexit Martialis *lib. 1. Epigram.* dum in epiſtola libro illi præfixa ita ſcribit: Epigrãmata illis ſcribuntur, qui ſolent ſpectare Florales. Non intret Cato theatrum noſtrum: aut, ſi intraverit, ſpectet. Hinc illi hoc natum Epigramma:

Noſſes jocoſæ dulce cum ſacrum Floræ,
Feſtosq; luſus, & licentiam vulgi:
Cur in theatrum, Cato ſevere, veniſti?
An ideò tantùm veneras ut exires?

Idem verò theatrum illud, idem & proſtibulum Iſiodorus putavit, eoq; poſt ludos exactos meretrices ibi proſternerentur. *lib. 18.* ut Tertullianus non abſque ratione eas tanquam publicæ libidinis hoſtias in ſcena proferri dicat. *lib. de ſpectacul. c. 10.*

Cato Floralia ſpectaturus.

Tanta

Tanta porrò animorum insipientia fuit, & tam præceps libido imperiti vulgi, ut omnes ferè mortales in têplis coire, & nefandis libidinibus immisceri, ac pudendis genitalibus sacrum facere, quòd procreationis seminarium forent, nefas non putarent: ita ut Britannis longo têpore mos inoleverit, Conjuges & Nurus nudas, & succo herbarum delibutas ad templa ducere, & ita supplicare, ac captivorum sanguine Diis litare: Et Corinthi super mille prostitutas in templo Veneris assiduò degere, & inflammatâ libidine quæstui meretricio operam dare, & veluti sacrorum ministras Deæ famulari, quemadmodum idem Alexander scriptum reliquit *lib.6.c.ult.* quibus commodè addi poterunt, quæ præterea congessit Philipp. Camerarius *cent.2.operar.succisiv.cap.41.* Prostitutas autem sive Meretrices (quas Lucas de Pêna inde dictas arbitratur, quòd merendo terantur) eas intelligimus, quæ quæstus caussa, vel etiam sine quæstu, passim, hoc est, sine delectu se prostituût. *l.palam.43. de rit.nuptiar.* vel ut Canô loquitur, quarum turpitudo publicè venalis est. *can. meretrices.32.q.4.* & quæ multorum libidini patent. *can. vidua 34. distinct.* quod Glossa ibi pro clericali forsan honestate & sanctimonia, de ea ridiculè ac nugatoriè interpretatur, quæ plures, quà 23000. hominum; vel quæ 40. absq; tamen mercede admiserit. Honestiùs multò Abbas *in c.cum decorê. Ex. de vit. & honest. cleric.* etiam, quæ vel duos tantùm, nec plures, quæstus tamen caussa àdmittit, Meretricê esse existimat. Cujus tamen sententia Ulpiani auctoritate, qua ille nititur, disertè refutatur *d. l.palam.43.* Item, ait Ulpianus, quæ cum uno & altero se, pecunia accepta, cômiscuit; nô videtur palàm corpore quæstû facere. Minùs ergo defendi jure poterit Lucæ de Peña *in Constit. Neapolitan.tit.43.lib.3.* sententia existimantis

Meretrix quæ dicatur.

Iureconsulto.

Glossa.

Abbati.

Luca de Penna.

vel eam quoque fœminam pro meretrice habendam, quæ etiam unicum tantùm, quæstus caussa admiserit. Idque probari putat *per text. in l.mariti.§ quæsitum.ff.ad l.Iul.de adulter.* qui tamen textus in marito lenocinium committente, & quæstum ex hoc faciente loquitur: quo casu sat est, vel semel quæstum accepisse. qua de re videatur Didac. Covarruvias *de Sponsal. & Matrimon.part.2.cap.8.§.11.n.5.* Meretricem planè Suidas Græcis πόρνην dictam putat, quòd coitum vendat, vel quòd mêtem excœcatam habeat. Non mirum igitur, ipsamet excœcata cû sit, quod omnia amatoribus suis bona, prout Antisthenes dicebat, præter unam mentem atq; prudentiam compreccetur. Eo præterea esse ingenio Suidæ dicitur, ut Amatores, cum non habet, alliciat; eos, quos habet, abjiciat. Quinimò inter multos se dividit, ut nemo non aliquod signum familiaris animi ferat: quemadmodum Seneca scriptû reliquit *lib.1.de beneficiis.c.14.* erant denique Romæ meretrices, ut plurimum libertinæ conditionis. Sic enim Livius *lib. 39.* Scortum nobile appellat Libertinam *Hispalam.* & Plautus *Cistellar. act.1. scen.1.*

Suidas.

Meretrices libertinæ.

—eunt depressam, quia nos sumus
Libertinæ: ut ego & mater tua ambæ meretrices fuimus.

ex quibus pendet interpretatio versuum Horatii. *qui lib.1.sermon. Satyr.2.* notat Sallustium in libertarû amore insaniisse nô minùs, quàm qui mœcharetur. Franc. Juretus *in notis ad Symmachû ep.66.libr.5.* Tales fuerunt tres illæ meretrices nobiles, vel Ciceronis quoque tempore celebratæ: *Cytheris, origo & Arbuscula.* Cytheris Volumnii fuit Liberta & amica honestiore ob id nomine Volumnia dicta; amata postea à Cornelio Gallo poëta, & hoc relicto, à M. Antonio, quem in castra fuit secuta. qua de re insolabiliter, dolentem

Cytheris.

» bello (inquit) victoria ad te declinabit,
» Romamque deleveris; rem haud sane a-
» lienam, sed tuam perditum ibis. Sin vi-
» ctus eris: servatâ Urbe, gratias immor-
» tales; deleta verò, humanitatem nullam
» à victore expectare debes. Quam quidē epistolam refert Procopius. Totilam sæpe perlegisse, æquoq; animo ejus admonitionem accepisse, & ab incepto diruendæ Urbis opere destitisse. Talis tantusque cùm esset Belisarius: constat tamen, eum post multas victorias & peractos triumphos, exitum tandē habuisse magnis plerunq; viris, & optimè de Republ. meritis communem. Ferunt enim, Eum Justiniani jussu, sive Triboniani ejus Cancellarii, cujus prima apud ipsum principem erat auctoritas, odio & invidiâ, adde etiam, calumniâ affectati Imperii, satellitio & stipatoribus ademtis mulctatum, & domi custodiri jussum: ejusq; mortui opes fisco addictas Zonaras *tom. 3. Annal. in Justin.* Alij scribunt, Eum luminibus privatum, & tam gravitamq; iniqua oppressum fortuna, tuguriolum sibi propè viam constitui fecisse, in quo reliquum vitæ transigeret, victum quæritans, & hoc subinde prætereuntib. dictitans: Date stipem Belisario, quem rerum prospere gestarum magnitudo extulit, & nec error, sed livor, & inimicorum invidentia excœcavit Procopius & Crinitus *de Honest. discipl. lib. 9. c. 6.* Id tamen nec credibile, nec tam generoso Duci conveniens putat Steph. Forcatulus, ut nimis humile: Sicut illud Oedipi nimis acerbum, qui in Tragœdia Senecæ

Belisarii exitus.

—attollit caput,
Cavisq; lustrans orbibus cœli plagas,
Noctem experitur, quicquid effossis malè
Dependet oculis, rumpit, & victor Deos
Conclamat omnes.

ideoque illud, quod de Belisario jam sene stipem quærente Petrus Crinitus commentus est, pro fabula habet, & eruditè refellit Alciat. *lib. 4. parergic. c. 24.* atq; ejus quidem fabulæ nec volam, ut dicitur, aut vestigium in ullo vetere scriptore extare putat Hubertus Giphan. *in comment. de Imper. Justin.* Si quid verò est, quod colorem addat Justiniani Belisarium plectentis severitati, id unum erit præcipuè, quòd Vitige Gotthorum Rege superato; Urajas ejus ex sorore Nepos, calculis omnium electus, quanta potuit modestia, repulit principatum. Similiter Theudibaldus Vitigotus, qui parêre, quam de summa rerū periclitari maluerat, suasit ut Belisarium potius Regem, sicut victorem ferrent & amplecterentur. Cui Ravennæ agenti Legati protinus rem omnem detegunt, hortanturque ne voluntarius servus magis, quàm Hesperiæ rex esse velit. Tum ille ex tempore respondit, Nunquam se cōmissurum, ut vivente Justiniano Rex appellaretur: ut ex Procopio, qui sub Belisario militaverat, Zonar. refert *l. 3. Annal. mihi fol. 95.* id responsum malevoli apud Justinianum cavillati fuerunt scilicet, acsi ipso mortuo Belisarius haudquaquam regium munus recusaturus, atque interim proclivius mortem Justiniani captaturus esset, festinatione regnandi: cùm tamen etiam de privatorum viventium hæreditatibus pactionem iniri, tanquam periculosi eventus plenissimam, Leges non permittant. *l. quidam 29. §. ultim. ff. de donat.* & ipsemet quoque Justinianus prohibeat *in l. ultim. C. de pactis.* Suo itaque experimento Belisarius, fallaciter vel certè incautè loquutus, docuit, In linguæ manibus mortem sæpè versari: & nihil nimium cupere, ex Chilonis Philosophi Lacedæmonii præcepto, partem esse sapientiæ non minimam; & secundis in rebus servare modum, nec efferre seipsum, futuræ sortis initium. Steph Forcat. *lib. 3. de Gall. Imper. & Philos.* Post Belisariū Exercitui

Pet. Crinitus notatur.

Belisarius in suspicionem venit regni affectati.

Mors in linguæ manibus.

Narses. præfectus fuit Narses Eunuchus ille quidem, cæterùm vir strenuus, & rei militaris probè gnarus, atque iis, qui rerum potiebantur, familiaris, ut à Zonara commendatur. *Iocus in Narsetem.* De hoc Narsete dictum legitur per jocum: Mirum videri, *Gallũ contra Gallos* tam vehementer belligerare: tracto scilicet joco à Gallis Cybeles sacerdotibus *Cybeles sacerdotes Galli.* Enuchis; qualis Narses ferebatur. Cybeles enim sacerdotes virilia sibi amputasse; & ob id Gallos atq; semiviros fuisse nuncupatos, passim ex poetis constat. Sic enim Picus in hymno ad virginem: (*Galli Semiviri iam non ululata ad Dindima Nec Cybeles gemini coeunt ad frena leones.* De his ita Lactantius: Ab hoc, inquit, genere sacrorum, non minoris insaniæ judicanda sunt publica illa sacra: quorum alia sunt matris Deûm: in quibus homines suis ipsi virilibus litant. Amputato enim sexu, non viros se, nec fœminas faciunt: Quòd respexit Tibullus, cum ita cecinit:

Idaæ currus ille sequatur Opis.
Et ter centenas erroribus impleat Vrbes,
Et secet ad Phrygios vilia mẽbra modos.

Id quod iisdem pene verbis expressit Ovidius, cum ait:

Cadunt iactatis vilia membra comis.

Rectè, jactatis comis: quia capitis jactatione, & afflatu furoris bachabundi vaticinabantur. Unde & à furore illo Cybele, cui semiviri isti Galli inserviebãt, Enthea quandoque fuit appellata. Martialis:

Cum sectus ululat matris Enthea Gallus.

Narses: Scripsit tamen Claud. Coteræus *lib. 1. de iure milit. cap. 13.* Narsetem non tam Eunuchum, quàm Spadonem fuisse. Posse *Spado militare potest.* autem Spadonem militare, dubium non est: cum & matrimonium possit contrahere. *leg. si serva 39 §. fin. ff. de iur. dot.* & matrimonii caussa manumittere, *leg. alumnos. 14. in fi. ff. de manũ. vind.* & adoptare, *l. 2. ff. de adopt.* & posthumum hæredem scribere. *sed est quæsitũ 6. ff. de lib. & posth.* & id genus alia, à quibus omnibus castrati atque Enunchi arcentur: præsertim verò *Non item Eunuchus.* à militia. Nam sic exsectis membris auferatur ab aliquo viriditas illa, quæ homini naturaliter insita est: quantum virium vel roboris in bello habiturum censes Eunuchum? Quomodo autem lacertis, ac viribus pugnabit, cũ testes, à quibus diffunditur eliciturque virilis pars hominis, ablati sunt? Eam ob rem Domitianus & *Pœna in Castratores.* Nerva Impp. sapienter legem tulêre, ne ullo pacto mares castrarentur. Tranq *in vita Domitian.* & Dio *in vita Nerva.* Voluitque Constantinus ut si quis in orbe Romano Eunuchos fecisset, capite puniretur. *l. 1. C. de Eunuchis.* quanquã supplicium istud in alias pœnas posteà videatur immutatum à Justiniano *in authent. de his qui Eunuch. fac.* & à Leone *in Const. 60. Qua pœna Castrator. affici deb.* Planè, in Rhetoris quoq; officium eligi posse Eunuchos, Lucianus negat. Et Suidas refert, Antiocho Præposito edictum propositum esse per Theodosium Imperator, ne inter Patritios essent Eunuchi Quid ergo, *Vni testic.* si quis uno tantùm testiculo natus sit, vel alterutrum amiserit? Jure hic militabit, secundum Divi Trajani rescriptum. Nam & Duces Sylla & Cotta memorantur eo habitu fuisse naturæ. *l. qui cum. 4. ff. de re milit.* Atq; illum quidẽ neq; morbosum esse, neq; vitiosum debere censeri non magis atque spadonem ipsum Ulpianus ex Pomponii sententia respondit in *l. Pomponius. 6. in fin. ff. de ædil. ed.* Porrò de spadonum speciebus, ut sunt Thlasiæ & Thlibiæ, videatur Alciatus, Brechæus & alii *in l. Spadonum 128. ff. de verb signif.*

7. Trabea quoque) Trabea triplicis *Trabea.* fuit generis. Unum Diis consecratũ, sola purpura intexebatur; Aliud regium ex purpura, immixto albo; quam Reges Cõsulésve induebant: Tertia Auguralis fuit, quæ ex purpura & cocco fiebat: quo genere

nere Augures uti assuêrant, dum auguria captabant. Alex. ab Alexandr. *lib. 5 cap. 18.* Primus autem Romulus trabeâ usus fuit. Unde & Trabeatus dicitur Ovidio, illo hemistichio:

Romulus trabeatus.

—trabeati cura Quirini.

ubi *Cura Quirini*, pro Quirino sive Romulo ponitur: ut *sententia Catonis*, pro Catone, apud Horatium; *sententia Democriti*, apud Lucretium, pro Democrito ipso: & *tumor custodum*, apud Propertiũ, pro custodibus tumidis & superbis: ut pluribus exemplis demonstratum est à Gaspare Schoppio *lib. 4. Verisimil. cap. 5.*

QUOMODO SALUTATI FUERINT IMPERATORES TIT. XLVI.

Qui Imperatores salutabant, non exosculabantur illis genua, ut hodiè usurpatur, nec etiam manus. Sed congenulati, aut genubus flexis purpuream ipsorum vestem tangebant. Atque hi sacram dicebantur purpuram adorare l. 1. C. de Apparit. praefect. Praetor. lib. 12. & l. si quis servum. 7. C. qui milit. poss. eod. libr. Quidam hodiè quorumlibet vestes exosculantur, quibus insignem aliquem honorem haberi volunt.

Sacram purpuram adorare.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Salutare: adorare.

SAlutare veteribus idem fuit, quod adorare. Adorare autẽ propriè est, ad nos admovere. Observatum hoc in Deorum salutatione. Multi enim eminus stantes, quod Deos ore profano tangere verebantur, manum porrigebant, eamque ad os suum relatam suaviabantur. ut Lipsius admonuit *lib. 2 Elector. cap. 6. & Muret. Variar. lection. lib 10. cap. 1.* Cum quibus facere videtur Adrianus Turnebus *lib. 18. Adversar. cap. 6. & lib. 25. cap. 1.* Ubi veteres solitos scribit in portis Urbium aliqua Deorum simulachra statuere: quæ, qui Urbes inibant, aut inde exibant, ritu quodam religionis, tacta dextera manu salutare consueverant, moxque manum ad osculum referre. Lucretius:

——tum portas propter, ahena
Signa manus dextras ostẽdunt attenuari,
Saepe salutantum tactu praeterq; meantum.

Hinc Salutare Deos, pro, Adorare, Plaut⁹ usurpat *in Sticho. Scena, ita me Dii amẽt.*

Deos salutatum devortor.

Item, pro Ori admovere, argutè & festiviter posuit *in Amphithr. Scena 10.*

Nec Bacchum salutem hodiè, nec Cererẽ, ni purgari iusseras
Vasa, ut rem divinam faceres.

quasi diceret: precor ut nec potum, nec panem ori hodiè meo admoveam, ni purgari jusseras vasa, &c. ut Schoppius rectè interpretatur *libr. 1. Verisim. cap 8.* Hinc, qui Principem salutabant, sacram ipsius purpuram adorare dicebantur: quia scilicet dextram manum, quamprimum hac purpuream ipsius vestem attigissent, ad os admovebant & suaviabãtur: quemadmodum Auctor noster ex adductis juris nostri locis ostendit. & notat Accursius *in l. 4. C. de consulib. lib. 12.* ubi adorare pro salutare esse monet; ut & reverenter vel cũ reverentia adire *in l. 2. C. de fabric. lib. 11.* Eum tamen loquendi modum, quo Imperatoris æternitatem adorare dicimur, Alciatus *Hyperbolum* appellat *libr. 4. de verb. signif. num. 13.* ab Ãmiano Marcellino irrisam *lib. 5.* Unde Plinius: In adorãdo, inquit, dextram ad osculum porrigimus. *lib. 28 Histor. natural. c. 2.* Atq; hinc promanavit, opinor, ut iis, qui salutabantur, simul etiam oscula darentur. Quæ salutationis & exosculationis potestas, etsi

Salutare Bacchum.

Sacram purpuram adorare.

Oscula olim summi honoris.

maticorum grege *Suavium* nuncupatur. quod non absq; suavitate & gratia Amator amicæ ardenter infigit: quod labella labellis ferruminantur: quod Venus

quinta parte sui Nectaris imbuit:

quod libidinis est suscitabulum, atq; subantis antiludium. *Beroald. ad Apulejum lib. 2.* Id verò quandoque etiam non absque molli labellorum morsu infigi solitum, ex poëtis abundè colligitur: qui in Venereis deliciis id quoque numerant, labella inter suaviandum teneris morsiunculis leniter stringere. Catullus:

Quem basiabis? cui labella mordebis?

Horatius: ——*Sive puer furens*

Impressit memorem dente labris notam.

Et Plautus, *Pseudolo*:

Ioci, ludus, sermo suavis, suaviatio;

Compressiones arcta amantũ compares,

Teneris labellis molles morsiunculæ, &c.

Flora. Itaque Flora meretrix, cui cum Cn. Pompejo stupri consuetudo fuerat, ita eum commendabat, quòd nunquam potuisset ab eo non morsa discedere. De hoc osculi genere forsan exaudiri debet Canon, *Monachis oscula interdicta.* quod Monachis quos purissimos esse docet, omninò interdictum legimus, ne fœminas osculentur. *c. Monachi de consecrat. dist. 4.* Hisce addo quartum osculandi genus, *proditorium* illud & hypocriticum: qualc fuit Joabi Amasam sub osculationis specie trucidantis, *2. Reg. 20.* Item *4. Proditorium osculum.* Judæ Ischariotis Christum magistrum suum nefariè prodentis. qua de re exstat in *Historia Evangelica.*

Osculo an dos ammittatur. De eo quoque non parum controversum est, An, sicut propter adulterium Mulier amittit dotem; Ita etiam ob osculum amittere hãc debeat? Et putavit hoc Baldus *in c. tua de procurator.* quandoquidẽ inter adulterii procemia, etiam Oscula enumerentur vulgari illo versiculo:

Osculum adulterii procemium.

Visus & alloquiũ, tactus, post oscula factũ:

qui versus ab Accursio refertur *in l. quod ait. 23. ff. ad Legem Iuliam de adulter.* Sicuti enim percussio, præparatorium est homicidii: Ita & colloquium, & amplexus, & oscula, libidinis quasi quædam anticœnia esse Angelus putavit *in l. 2. col. fin. ff. de priv. delict.* Unde rythmus ille ab Hostiensi usurpatus in summa Decretal. *Tit. De eo qui cogn. consang. Uxor. sua. §. 1.*

Ni fugitur tactus, vix evitabitur actus.

Unde P. Mænius filiæ mandabat, ut non tantùm virginitatem illibatam marito; sed & oscula ad virum sincera perferret. Joh. Næviz. *in Sylva nuptiali. lib. 4. n. 76. 77. 78.* non tamen novam nuptam illam imitata: quæ os quidem, quo ipso nuptiarum die fidem integritatis & pudicitiæ nequaquam violandæ sponso promiserat, ab osculo sollicitantis amici illibatum esse servandum existimabat, nihil peccatura scilicet, quantumvis cæterarum corporis partium sive membrorum copiam Amanti facere, ut est apud Steph. Guazzum *de conversat. civil. lib. 4.* Osculo enim pudicitiam mulierum delibari, veteres crediderunt. Hinc Ovidius:

Oscula qui sumsit, si non & cætera sumsit,

Hæc quoque quæ data sunt, perdere dignus erat.

ut ita ex hisce præparatoriis arguatur præparatum, & inferatur adulterium. Sed hanc tamen Baldi sententiam improbari video Decio *in rubr. Ex. de Iudiciis*: quem & alii postea secuti sunt. Nec enim pœna, quã delicto consummato Lex imponit, ad attentationem producenda est: quandoquidem Consilium alicujus rei habuisse non noceat, nisi & factum sequutũ sit *l. sæpe 53. in fin. ff. de Verbor significat.* & posse osculum etiam citra stupri desiderium [illegible]di: Sic enim elegans illa puella apud Theocritum, osculo accepto, insidiantem sibi amatorem affatur:

Baldi sententia à Decio improbata.

Ne Satyrisce tume, rem ajunt esse osculũ inanem.

Et facie abluta tolluntur & oscula sputo.
Lexque eam tantùm dote mulctet, quæ adulterii caussa interdicta attentaverit. *l. consensu. 8. §. vir quoque. iuncta Lult. §. fin. C. de repudiis.* ubi præter caussas ibi enumeratas, nihil ad dotis amissionem validum esse debere Justinianus disertè ait. Cùm itaq; in relatis constitutionibus osculum, tanquam legitima caussa dotis amittendæ non reperiatur: conseqvens nimirum erit, pro legitima id nequaquã esse censendum, quod potissimum est Menochii argumentum *lib. 2. de arbitr. jud. cẽt. 3. casu 28. n. 8.* Proinde etiam Hieronymo Cagnolo dubia videtur hæc Baldi conclusio, *in rubr. C. de Edendo. num. 31. cum sequentib.* Et Didacus Covarruvias non aliter eam admittit, quàm ut osculationẽ istam interpretetur indicium & argumẽtum adulterii: ex quo suspecta quidem uxor valde fiat & gravis ducatur adulterii suspicio: non tamen ut hinc de adulterio convinci queat fœmina, etiam ad hunc effectum, ut dote privetur. Covarruv. *lib. 4. De retal. part. 2. cap. 7. §. 6. n. 3.* Nec enim verè adulterii rea dici potest fœmina ex sola suspicione: sed alia & quidem urgentia indicia accedant oportet: adeo ut quandoque etiam Lex velit, Uxorem cũ adultero in ipsa turpitudine; vel ut Pomponius ait, in ipsis rebus Venereis; & ut Solon ac Draco dicebant ἐν ἔργῳ fuisse deprehensam *l. quod ait lex. 23 ff. de adult.* Locum itaque Baldi sententiæ fore Alciatus putavit *lib. 4 parerg. c. 10.* si ex aliis cõjecturis adulterium convinceretur, & ex qualitate loci, temporis, personæ, haudquaquam præsumeretur mulier intra fines osculi stetisse: cujusmodi circumstantiæ suspicionis violentiæ & certæ exprimuntur *in c. literis. 12. Extra. de præsumt.* add. Mynsinger. *Resp 1. n. 20. cum seqq. Decad. 1.* Qua tamen in re integrum erit Mulieri probare, se intra osculi fines stetisse, neq; ultra fuisse progressam, ut Decius rectè concludit *in rubr. Extr. de judic. col. 1.* Ad quod ostendendum, vel iis in locis admitteretur magis ubi

Adulterium ex sola suspicione non convincitur.

Baldi sententia locũ habet. l.

Perque vias dantur basia, perque domos,
(ut Petrus Lotichius Secundus, nulli poëtarum Germaniæ secundus, eleganter cecinit) atque ubi constantiores sunt fœminæ, quæ passim amicos & hospites osculo excipiunt. Noti enim sunt humanissimi Gallorum mores, qui passim oscula tanto studio colunt, ut honori sibi ducãt, quod adveniens hospes Uxorem, sorores, filias etiamnum virgines, osculo adhibito salutaverit, & in applexum acceperit, & in gremium sibi assidere jusserit, de quibus attestatur Joh. Pierius *lib. 2. Hieroglyph.* Sed & tum quoque Baldi conclusionem probabilem censet Alciatus, cùm criminis conjectura ex eo suavii genere intenderetur, quod Græci, & ex his Aristophanes, ob mutuam fortassis & alternatam linguarum insertionem, κατὰ γλώττισμα; Latini, Columbarum osculum nominarunt, de quo sub tertia Osculi specie diximus. Id enim justam mariti Zelotypis repudii caussam daturum esset. Quæ tamen assertio dubia nonnihil reddi posse videtur eo, quod ex Menochio, Osculũ dotis amittendæ legitimam caussam esse negante, modò adduximus.

Gallorum mos.

Illud expeditum est, Beneficiariũ clientem sive vasallum beneficio aut feudo privari, si Domini Uxorem per lasciviam ausus fuerit osculari. Lex enim privari vasallũ feudo ait, si graves & inhonestas injurias Domino intulerit. *c. 1 §. porrò si Dominũ. Quæ fuit pri. cau. benef. amit.* Itẽ si Dominum concurbitaverit, hoc est, cum Uxore ejus concubuerit, vel concumbere se exercuerit: aut cum ea turpiter luserit. *cap. 1. Quib. mod. feud. amitt.* ubi per cucurbitationem, stupri illationem intelligi satis apparet. Et quidẽ legib. Longobardicis

Cucurbita. dicis *Corbita* pro stupro vel infamia usurpatur. Unde *Cucurbitam* dicebant, Uxoris adulterio infamẽ, ut Hotomann. docet *in explicatione verb. feud.* Turpẽ autem lusum, quẽ alium intelligemus, quam pudicitiæ attentationem *l. attentari. 10. ff. de iniur.* vel alienarum nuptiarum sollicitationem? *ut in l. 1. ff. de extraor. crim.* quod fit (ut cum Longobardica lege loquar) vel cũ manus in sinũ, aut ad pectus ejus mittitur, vel ad alium locum, unde turpe esse potest. *l. si. quis à modo. Tit. qualit. §. quis defend. Iure Longobard. lib. 2.* vel cum impudicum & luxuriosum illud osculum, quod libidinis incentivum dixi, infigitur. Nam & hoc modo vasallus turpiter cum Domini uxore lusisse; & gravẽ atq; inhonestam injuriam Domino intulisse putabitur, ut Alciat. concludit *d. lib. 4 parerg c. 10.* quem Menoch. laudat. & sequitur *lib de arb. jud cent. 3. casu 277. n. 3.*

Turpis lusus.

Osculans alienam mulierem. Quid ergò, si quis alius Uxorem alienã, aut fœminam quamcunq; turpiter osculatus fuerit? Et quamvis Bossus *de extraord. crim. n 3.* referat, in Gallia quendam securi fuisse percussum, quòd nuptã mulierem, per vim fuisset osculatus: putavit tamen Jul. Clarus, pro osculo sive violento, sive absq; vi illato, pœnam mortis nequaquam irrogandam; sed rem omnem pro facti & personarum qualitate, Judicis arbitrio esse cõmitendam. *lib. 5. Sent. § fin. q. 83. vers. Osculum inferens.* Cui sentẽtiæ & Menochius multis eam auctoritatibus confirmans, subscribit. *lib. 2. de arbitrar. Iud. casu 287. in pr.*

Sponsus osculans sponsam. Planè si Sponsus sponsæ suæ osculum intulerit, & vel morte, vel qua alia causa, absq; tamẽ alterutrius culpa matrimonium non fuerit subsequutũ: placuit, cum dimidium ejus quod Sponsæ donaverat, perdere; qui tamen integrum esset repetiturus, si ab osculo sibi temperasset: quemadmodum & sponsam omne id quod sponso donavit (quanquam rarò hoc fit, ob innatã Mulieribus avarissimo hominũ generi tenacitatem *gl. in l. sed si ergo. 4. in fin. ff. ad SC Vellejan.*) recidere constat, nulla etiam osculi, utrum id intervenerit nec ne, ratione habita, *l. si à sponso C. de don. ante nup.* Curita, quia sponsa, cui osculum infigitur, sponsi affectui & cupiditati obsecundãs, atq; hanc gratiã faciẽs, dare id videtur; sponsus verò accipere. Nõ mirum igitur, si vicissim sponsus, pro accepto osculo, aliquid etiam doni, dimidiã scilicet partem rependat; quam rationem Joh. Sichard. ibi adsignat.

Oscula apud veteres rara. Osculi nempe veteres erant religiosissimi: ut etiã pleræq; nationes. Nec cuiquam temerè dabatur osculum, ne sponso quidẽ; sed semel tantum, confirmãdorum sponsaliorũ caussa. Sic enim Alexand. *Novel. de spons.* ait Cõfirmari spõsalia datâ arrhâ & osculo. Proinde jus osculi, quod erat argumentũ magnum pudicitiæ veterũ, jus augebat sponsaliorum. Et quæ præbuerat osculum, erat quasi uxor vel plusquã sponsa. Imò uxorem aut maritum osculò tantùm putari, Quintilian. dicebat *declamat. 370.* & ex eo rectè notavit Cujac. *in Recitat. solennib. ad Tit C. si Rector provinciæ vel ad eũ pertinentes.*

Amoris vehementia an ab osculo excuset. Illud quoq; extra omnem ferè est controversiã, quòd si Juvenis, præ nimio amore, osculum puellæ dederit, tum si nõ ab omni pœna imunis esse, saltem mitiùs puniri debeat. Amor enim quidam quasi furor est, si Aristoteli credimus 7. *Eth. c. 7.* quẽ cohibere perfectæ philosophiæ esse ipsemet etiã Justinian. putavit §. *illud auth. Quib. mod. natur. effic. sui.* Cui accedit, quòd Amori, qui terræ mariq; præest, omnia subjaceant. unde altera manu flores, altera piscem tenere fingitur: sicuti Alciatus Emblemate hoc eleganter expressit:

Nudus ãor vidẽ' ut ridet, placidũq; tuetur
Nec faculas, nec quæ cornua flectat, habet?
Altera sed manuũ flores gerit, altera piscẽ:
Scilicet ut terræ iura det atq; mari.

Si.

Si quis igitur Amoris vi & imperio cogẽte, tale quid commiserit, meritò erit excusandus: siquidem culpa carere dicatur, qui superioris mandato obtemperat. *l. is damnum dat.* §.1.*ff. de Reg. Iur.* Jac. Menoch. *lib.2. de Arbitr. Iudic. casu* 328. Atq; ejus rei egregium exemplum est apud Valer. Max. *lib.5.c.*1. Ubi Pisistratus Atheniensiũ tyrañus, cũ adolescens, quidã amore filiæ ejus virginis accensus, in publico obviam sibi factam osculatus esset hortante uxore, ut ab eo capitale supplicium sumeret, „ respondit; Si eos, qui nos amãt, interfici- „ mus, quid his faciemus, quibus odio su- „ mus? Cui non absimile est, quod de Mundo adolescente, Paulinam Romanam in templo Isidis, præ amoris violentia corrumpente ex Josepho *lib.18. Antiquit.c.6.* Johan. Borcholten refert in tractatu de Feudis *cap.18. n.101.* Eam ego historiam, quoniam & lectu jucunda, & ob sacrificulorum fraudem atq; avaritiam notatu digna, & præsenti negotio planè accommodata est, ita ut apud Zonaram habetur, hîc loci inserendam putavi. Romæ (ait) Paulina quædam, & generis splendore, & morum integritate præstans, & opib abundãs, vultu ad hoc venusto, & ætate integra, ac modestia ornata, nupta erat Saturnino, viro nullo bonorum genere ipsa inferiori. Hujus amore captus Decius Mundus, inter Equites dignitate præstãs mulieris pudicitiam muneribus solicitabat, 200. millia drachmarum Atticarum pro uno concubitu pollicens; eaque recausante, magis inflammabatur, adeò ut abstinentia ciborum necem sibi consciscere institueret. Habebat autem paternam libertam nomine Iden, omnis generis malorũ peritam. Ea adolescentem sic affectum verbis confirmat, & pollicitationibus refocillat, ac sibi duntaxat quinquagies mille drachmis opus esse dicit ad rem conficiendam: quibus acceptis, cùm illam pecuniâ nõ expugnari posse cerneret, sed cultui Isidis (ea tùm à Rom. pro Dea colebatur) esse deditissimam; quosdam falsæ illius Deæ Sacerdotes convenit, pecuniam offert, ut Paulinam quibus possint dolis circumventam, Mundo sui copiam facere cogant. Illi pecuniâ deliniti, facinus aggrediuntur: eorum natu maximus Paulinam seorsim convenit, se ab Anubide, ipsius amore capto, missum esse profitetur, ut eam accerseret. Mulieri ea verba optatissima acciderunt, si à Deo amaretur: & nuncium illum cum marito communicat, qui gnarus modestiæ conjugis, eam ambire sinit. Cum in lucum venisset sub somni tempus, mulieri in ipsa æde lectus paratur, lucernæ exstinguuntur. Mundus jam antea ibi abditus, per totam noctẽ sub Anubidis nomine libidine sui expleta, discedit. Illa reversa, Anubidis apparitionem marito narrat, apud familiares de congressu Dei gloriatur. Sed tertio post id facinus die, Mundus ei obviam factus; Paulina, inquit, & ducenta millia habeo, & tu mihi gratis gessisti morem: Tua verò erga Mundum injuria me non attigit, qui Anubidis nomen ipse mihi fecerim. E quibus verbis mulier intellecto facinore, vestibus laceratis, marito insidias indicat. Js apud Tiberium conqueritur: Imperator, facinore comperto, Sacerdotes & Iden in cruces tollit, Ædem diruit, Isidis simulachrum in Tiberim demergit, Mundum in exilium agit, pœnam graviorem ob amoris vim clementiâ moderatus. Zonaras *Annal. tom.*1. Atq; hinc liquidò constare potest, pœnam ob vehementem Amoris affectum, mitigari solitam. Idque & ab Areopagitis, gravissimis alioquin delictorum censoribus observatum fuisse, Aristoteles testatur *lib.1. Magnorum Moralium cap.16.* cujus verba in hunc sensum Alciatus refert *lib.7. parerg. cap.25.* Ferunt, inquit, olim quandã mulierem

Pisistratus.

Mundus & Paulina.

lierem poculum cuidam amatorium dedisse, qua potione mortuus ille fuerit; Eamque mulierem hoc crimine in Areopagum pertractam, judicum sententiis absolutam fuisse, eâ ratione, quod id futurum minimè præviderat: Amoris siquidē cupidine occœcata id fecerat, nō eâ mente, ut hominem perderet, sed ut sibi soli servaret. Ubi ergò animus delinquendi non est, ibi nec pœnam aut supplicium esse debere: cùm ea duntaxat crimina puniantur, quæ sint voluntaria. Sed huic argumento satisfacit Paulus JCtus *in leg. si quis aliquid. 38. § qui abortiōis. ff de pœn.* ubi non quidem negat in suppliciis irrogandis ipsius delinquentis voluntatem & intentionem cumprimis inspiciendā esse. Sed ideò tamen extra considerationē omnem nequaquam ponendum, quòd amatorii poculi propinatio res mali sit exempli: quippe cum hoc Lucretius poëta à Lucillia uxore in furorem pertractus, suâ sibi manu mortem consciverit. Petr. Crinitus *de poet. Latin. c. 19.* & ipse etiam Lucullus poculo itidem amatorio assumto vitam finiverit. Plin. *lib. 25. Histor. natur. capit. 3. in fin.* Malum autem exemplum in caussa esse solet, ut graviùs delictum puniatur. *can præcipue. 11. quæst 3. gl. in can. nemo. 32. q. 3.* Siquidem plus quandoq; exemplo, quàm peccato noceatur, ut Tullius ait *lib. 3. de Legib.* Ideoque, qui abortionis (ait Paulus) aut amatoriū poculum dant; etsi dolo non faciant, tamen quia mali exempli res est, humiliores in metallum; honestiores in insulam, amissa parte bonorum, relegantur: quòd si eo Mulier aut Homo perierit, summo supplicio adficiuntur. *dict. §. qui abortionis. l. 38. ff. de pœn.* Ex quo tamē textu minimè efficitur id, quod ab omnibus ferè colligi inde video: ac si per disjunctam istam orationē, *Mulier aut Homo*, Jureconsultus ita inter Mulierem ac Hominem distinguat, ut Hominis appellatione masculum sexum duntaxat, non verò etiam fœmineū contineri velit. Quam interpretationem falsissimam esse, tam perspicuè, nisi vehementer fallor, ostendam, quàm certum est, Solem hunc nobis lucidissimam lucere lucem. Agit ibi Paulus de pœna illi infligenda, qui abortionis aut amatorium poculum propinavit: Et quidē, si eo Mulier aut Homo perierit, propinantē sūmo supplicio afficiendum esse ait. Abortionis poculum, quod datur, ut partus conceptus abigatur, soli mulieri propinatur: cujus uti proprium est concipere; ita & conceptum tueri, ut abortus evitetur. *l. quæritur. 14. de ædil. edict.* Ut cōceptio; ita & abortio in nullos viros, sed solas cadit fœminas, utpote quib. familiare & frequens olim fuit, abortionis poculum sumere (ut Seneca *ad Helvidiam* testatur, ad solum formæ detrimentum, ventrisque rugas vitandas, vel ut cum Ovidio loquar

— ut careat rugarum crimine venter.

Quo fine Plutarchus memorat, plerasque mulieres ob solam libidinem hoc genere usas, ut vacuæ factæ statim rursus implerētur, perpetuæq; Veneris facultatem haberent, *in lib. de tuend. valetud.* Solis ergò his abortionis poculum datur. At amatorium poculum, ut ad excitandum amorem vel viri vel fœminæ conficitur: ita tamen viro, quā fœminæ propinari potest. Utrunq; igitur poculum Paulus in proposita quæstione conjugens, distinctionis fœdere utitur, & negotiū illud ita decidit, nō quidē ut Mulierem & Hominem invicem opponat; sed ut singulis poculis singulos per relationē subjiciat: poculo scilicet abortionis Mulierem, quam solam abortire posse cōstat; poculo amatorio Hominē, utrumq; sexum comprehendentē: cum certum sit, utrique sexui hoc propinari posse. Tantum igitur abest, ut Hominis appellatione Mulier non veniat, ut con-

Areopagita.

Poculum amatorium.

Mulier aut homo.

Intellect. §. qui abortionis l. 38 ff. de pœn.

Abortus olim familiaris.

contrarium indubitanter Cajus asseruerit *in l. hominis. 152. de verbor. sign.* & generaliter à Juliano pronunciatum sit, semper sexum masculinum etiam fœmininũ cõtinere. *l. qui duos. 62. in fin. de legat. 3.* non quidem extensivæ interpretationis beneficio, ut post Albericũ de Rosate *in l. quicunque. col. 3. in fi. C. de serv. fugit.* Bartolũ *in l. si quis in tantam. C. unde vi.* & Baldum *in l. ult. col. 6. vers. Item impropria. C. de hared. instit.* Jason. voluit *in l. qui filiabus n. 18. & 21. de haredib. instit. & l. si quis. 7. de Iurisd. omn. iud.* & Sylvest. Adolbrandin. *in §. ult. Inst. qui testam. tut. dar. poss.* Sed maximè vi & proprietate sermonis, quod pluribus exsequutus sum *in l. 2. part. 1. C. de in ius vocando.*

Salutatoria cubicula.

Salutationis porrò illius occasione, qua Principes exceptos fuisse diximus, venit mihi in mentẽ *Salutatoriorum Cubiculorum* apud Plinium: per quæ haud dubie intelliguntur *Lararia* illa, quorum duo veteres principes domi habuisse proditum est: in altero Deos immortales Diis penatibus progenitos; in altero homines in Deorum collegia cooptatos, quos scilicet merita in cœlum vocaverunt, salutabant. Utrisque thure ac flosculis, sed victimis interdum sacrum faciebant. Ab illis prioribus, & quasi majorum gentium, salutem fortunasque precabantur: ab iis rectam mentem, & virtutis splendorem optabant. Hoc est, quod Alexandrum Imperatorem Mammeæ filium legimus non promiscue, sed quoties cum uxore non cubuisset, matutinis horis in Larario, in quo Divos Principes animosq; sanctiores, & inter eos *Apollinem, & Christum, & Abraham, & Orpheum* habebat, religiose coluisse: si fidem merentur, quæ scripta sunt à Cœlio Calcagnino *lib. 15. ep. 8 in pr.* & Steph Forcatulo *lib. 5. de Gallor. Imp & philosoph. in fin.* De Hadriano quoque tradit Lampridius *in Alexandro Severo* cogitasse eum aliquando Christo templum facere, & in multis civitatibus templa sine simulacris posuisse: tamen pergere vetitum ab iis, qui sacra consulentes repererant, si id optato evenisset, omnes futuros Christianos. Sed quam sedulus & diligens cæteroquin in colendis Diis suis & sacris Hadrianus fuerit: constat utique ex versiculis ipsius, quos moriens composuisse fertur, quam perplexus ac dubius animi fuerit, & omni præterea Religionis ac fidei fundamento destitutus: Versiculi illi sic habent.

Lararia.

Lararium Alexandri.

Hadriani in Christum pietas.

Ammula, vagula, blandula,
Hospes, comesq; corporis;
Quo nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, ut soles, dabis jocos?

Ita ex Ælio Spartiano eos recitat Simon Majolus *tomo 2. dier. canic. colloq. 1. fol. 82.*

Poetarum mos salutatorius.

Porro ad salutationem Imperatorum pertinet etiam mos ille poetarum, quo advenientibus vel prævictis epigrammata sua offerebant. Id quod ex Macrobio animadvertere licet *libr. 2. Saturnal. cap. 4.* Solebat descendenti, inquit, à Palatio Cæsari honorificum aliquod epigrãma porrigere Græculus. Id cum frustra sæpe fecisset, rursusq; id facturum vidisset Augustus, breve manu sua in charta exaravit Græcum Epidramma, pergenti deinde ad se obviam misit. Ille legendo, laudare, mirari, tam voce, quam vultu. Cumque accessisset ad Sellam, demissa in fundum pauperem manu, paucos denarios protulit, quos principi daret, Adjectus hic sermo. *Non secundum fortunam tuã. Auguste: si plus haberẽ, plus darem.* Secuto omnium risu, dispensatorem vocavit Cæsar & H.S. millia Græculo numerari jussit, quæ summa duo millia & quingentos Philippæos conficit, si vera est Matthæi Raderi supputatio ad *Martial. epigram. 76. lib. 8.* Lararia denique illa, de quibus

supra

supra diximus, in memoriam mihi redigunt, quod Augustinus *libr. 9. de civitat. Dei* scripsit, Animas mortuorum Dæmonas esse, & ex hominibus familiares Lares fieri, si domi illæ sunt tranquillæ & quietæ. Sin omnia commiscent terroribus atq; turbis, sunt larvæ sive lemures De quibus apud Lactant: *lib. 1. cap. 20.* & Macrobiũ *lib. 1. Saturnal.* Hos Domesticos Deos, veteres vocabant Patrios: non quia essent patriæ aut Urbis; sed quia familiæ ac generis præsides: ut Virgilius

Di patrij servate domum, servate Nepotẽ.

Suos enim cuiq; civi ac patrifamil. Deos fuisse in aliqua parte domus, quos ipse omnisq; familia privatim colerent, ex Servio & aliis constat De quo cultu intelligendum est illud Horatii; *placare Deos: mollire penates.* Id quod Terent. *in Phormione act. 2 Scen. 1.* salutandi verbo ita enunciat: *atque ego Deos penates hinc salutatum domum devortar.* Unde Ciceroni *de Natura Deor. Penates* dicũtur, à penu; aut ex eo, quod penitus insideant: & inde etiam vocantur *penetrales* Eaque fuit antiquorum superstitiosa pietas, ut non tantum de Cœna Laribus sive Penatibus liberarent; sed & primitias quoq; fructuũ eisdem offerrent Ideoque & ara & focus eis erat consecratus. Inde *pro Aris & focis pugnare* dicuntur, qui pro charissimis quibusque rebus pugnant: de quibus sic Cicero pro *domo sua.* Quid est sanctius? quid omni religione munitius quam domus unius cujusque civium. Hic aræ sunt, hic foci, hîc Dii penates: hic sacræ religionis ceremoniæ continẽtur. Hic perfugium ita sanctum omnibus, ut inde eripi tanquam ex asylo neminem fas sit. Quæ posteriora verba pertinent ad interpretationem *legis plerique, 18. ff. de in jus voc. & l. n. mo de domo 13. de Reg. juris.*

Lares. Lemures. Penates. Eorum cultus.

DE DIADEMATE TIT. XLVII.

Diadema erat pileolus instar dimidiatæ pilæ lusoriæ & grandioris: qui capiti impositus, candida ligabatur fascia, ut ab Hieronymo *ad Fabiolam describitur. Eo utebantur Reges in capite, ornatus gratiâ, quemadmodum & Imperatores. Cui non assimiles sunt nostrates coronæ, quas in toreumatibus & Numis expressas videmus; de quibus infra dicemus. Sed Diadema quoque ivit in desuetudinem.*

Cingulum ensis Imperatores gemma quadam adstringebant, ipso etiam cingulo gemmis ornato: sicut à Charino factum legimus, qui etiam calceis gemmas adsuit. Maximinus Iunior thorace indutus fuit argentea & aurea: qualis primùm & à Ptolomæis fuit usurpata. Aureos quoque & argenteos fecit enses: ut & galeas gemmis distinctas, quemadmodum Capitolinus *recitat. Idem quoque Galienus factitavit.* Herodianus *lib. 5. prodidit, Macrinum primum fuisse ex Imperatoribus, qui aureo & gemmato cingulo uteretur, lib. 8. scribit: Antea Imperatores portatum fuisse ignem, & fasces laureos, praeeuntibus hominibus proceris & magna statura.*

Diadema. Cingulum. Thorax. Enses. Gallea. Ignis: Fasces.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Diadema. Diadema Suidæ regale est gestamentum, cujus inventionem Plinius Libero patri adscribit *lib. 7. cap. 56.* Id propria notatione valet redimiculũ à *διαδέω*, quod est circumligo. Erat enim fascia cãdida, quæ capiti Regis sive Reginæ circumliga-

Fascia. cumligabatur. Hinc celebrata vox illius, qui dixit: *Fasciam solve; quantū mali sub illa latet*, ubi Fascia nihil aliud significare potest, quàm diadema & insigne illud, quo regis caput cingebatur: quod & *Anadema* dicitur Lucretio, *lib. 4.* *Anadema.*

Et benè parta patrū fiūt Anadēata mitra.

quale etiam fuit Cidaris, illud Persarum Regum insigne, de quo videatur Philipp. Camerarius *Operam succisivar. cap. 61.* Sanè Fascia Romanos pro diademate usos fuisse vel inde liquet, quod Pompejū Magnum, ut suprà quoque attigi, affectati imperii insimulatū videam ex eo, quòd ulceris in crure exsistentis tegendi gratiâ crus colligatum haberet: quandoquidem nihil interesset, in qua corporis parte diadema gereretur. Qua de re Marcellinus *lib. 17.* ita scribit: » Nec non etiam in Pompejum obtrectatores iniqui multa scru- » tantur, quum nihil, unde vituperari debe- » ret, inveniretur, duo hæc observaverunt » ludibriosa & irrita, quòd genuino quodā » more caput digito uno scalpebat: quodq; » aliquandiu tegendi ulceris causa detonis; » fasciolâ candidâ crus colligabat: quorum » alterum factitare, ut dissolutum: alterum, » ut novarum rerum cupidum asserebant; » nihil interesse oblatrantes, argumento » subfrigido, quam partem corporis redi- » miret Regiæ majestatis insigni. Quo in loco Fascia pertinet ad suspicionē affectati regni: Scalpere autem caput uno digitulo, spectat ad hominis mollitiem, quam cum Pompej⁹ omni corporis habitu ac incessu præ se ferret; factum est ut in puerilis amoris venerit suspicionē. Unde & à Cinna poeta hoc nomine ita fuit perstrictus:

Caput scalpere.

Pompejus.

Fasciolâ qui crura tegit, digito caput uno
Scalpit: quid credas hūc sibi velle? virū.

Nam & pueri muliebris patientiæ, & Prædicones illi, qui molles victu, incessu, ore & aliis; dicebātur Virum quærere: ut doctissimus Scaliger explicat *lib. 1. Ausoniā. lect. cap. 27.* Cujus nefandi criminis ipse etiam Jul. Cæsar non dissimulanter insimulatus fuit à Catullo, acri & virulento isto Epigrammate: cujus initium,

Virum quærere.

Quis hoc potest videre? quis potest pati?

quo etsi perpetua sibi stigmata imposita non dissimulaverat Cæsar: tam levi tamen ingenio cū fuisse Sueton. scribit *in ipsius vita c. 73.* ut Catullum satis facientem sibi, (hoc est, ut Muretus interpretatur, testibus præsentibus affirmante, pœnitere se, quòd ea scripsisset) eâdem die adhibuerit cœnæ, hospitióque patris ejus, sicuti consueverat, uti perseverâverit. Id genus Nebulonum, perversa & postica Venere utētium, Ausonius eleganti locutione Feles pullarias appellat; quemadmodū & Plautus Lenonem, Felem virginalem indigitavit, *In Rudente: Scena, Exi è phano*:

Felis pullaria.

Tunc fele, hic virginalis, liberos
Parentibus sublectos habebis?

Feles enim scimus esse furaces & rapaces. Proinde felis vel feles virginalis appositè nūcupatur Leno, quod virgines surripiat: sicuti Pædico, felis pullaria, à puerorum surreptione, Pueros enim Veteres pullos dicebant. Sic enim & Caligulam, illud humani generis portentum, pullum & puppum fuisse nuncupatum Beroaldus asserit *ad Apulej. libr. 8.* Hinc & pullâria manus Plauto, à tentandis palpandisq; pullis, id est pueris: qualis erat Prædiconū protervorum manus, qui pullariam facere dicebātur. Turneb. *lib. 2. c. 11.* Eaq; pugna Osculana est Festo, hos Titinii versus citāti:

Pullus.

Pullaria manus.

Osculana pugna.

Hæc quidam quasi Osculana pugna est, non secus (gunt.
Quia, hinc qui fugere impulsi, spolia colli-

Ita enim versus istos doctissimus Scaliger restituit. Ausonii autem in Marcum pullariam felem Epigramma tale est:

Pythagora Euphorbi, reparas qui semina rerum,
Corporibusq; novis das reduces animas:

Dic,

Dic, quid erit Marcus jam fata novissima functus,
Si redeat vitam rursus in aeream?
Quis Marcus? Feles nuper pullaria dictus,
Corrupit totum qui puerile decus:
Perversa Veneris postico vulnere fossor:
Lucili vatis subulo, pulliprema.
Non Taurus, non Mulus erit, non Hippocamelus,
Nõ Caper, aut Aries, sed Scarabæus erit.

Alloquitur poëta Pythagoram, eundemque Euphorbum appellat, eò quòd hujus animam in corpus suum transiisse Pythagoras asseruerat. Fuit autem Euphorbus Panthi & Phrontidis filius, quem Menelaus interfecit *Iliad.* 17. Pythagoras igitur, qui cum animarum immortalitatem doceret, eas prioribus mortuis corporibus in alia commigrare dicebat, teste Ovidio 15. *Metam.* & Diogene Laërtio: Euphorbum illum Trojano bello se fuisse asserebat: quo mortuo, animam ipsius in Hermotimi corpus transiisse: ab illo in Pyrrhũ Delium piscatorem: à Pyrrho, in Pythagoram. Constat autem, Pythagoram, desultoriam hanc animorum migrationem non nisi tertiam statuisse. Nam si perenni serie animas in alia atque item alia corpora trãsscripsisset; quis locus fuisset Elysiis campis, aut cœli sedibus? Unde Pindarus: Quicunque, inquit, ter in utraque vita à vitiis alieni fuerunt, viã sibi à Jove destinatam adiêre ad Saturni Urbem: Vbi beatorum insulam Oceanides auræ circumflant, & flores aurei fulgẽt. *in Olymp. Ode* 2. Id verò dogma longè ante Pythagoram ipsimet etiam Druidæ quodamodo amplexi videntur: non tamẽ ut illam animæ vitam spirantis transmissionem statuerint; sed spiritus nihil nisi cœleste & divinum sapientis: qui, velut novus hospes, nutu Dei in alios atque alios transferatur homines: sicuti Eliæ spiritus in Elisæum fuit trãslatus, & in eo quievit. 4. *Reg.* 2. & à Mose manus imponẽte Spiritus migravit in Josuam *Deut.* 34. v 9. quod pluribus exsequitur Steph. Forcat. *lib.* 1. *de Gallor. Imper. & Philosoph.* Sed ut ad poëtam nostrum redeam: negat Ausonius, Marcum illum prædiconem, postquam fatis jam concesserit, in Taurum, aut Mulum, aut Hippocamelum, aut Caprum, aut Arietẽ transmigraturum; sed Scarabæum tandem futurum; siquidem id genus animalis fimo & stercore, in quo delicias quærit, gaudeat. Cæterùm quam detestandum & abominabile sit crimen istud, argumento esse possunt Sodõiticæ illæ civitates, igni & sulphure à Deo subversæ. *Gen.* 19. Unde & in eos, qui impiæ hujus actionis, quam ne in brutis quidẽ animantibus admissam reperire est, cœno inquinati sunt, pœnam mortis constitutam videmus. *auth. Vt non luxurientur contra natur. & authen. de his qui luxur. cõtra natur.* Quo pertinet Lex Scantinia, quæ puerorum ãplexus impios, & præposteram atq; abominandam Catamitorum sustulit Venerem, cõcubitorib. gravi supplicio imposito, ut ait Lætus *in Legib. Romanis.* Atq; in hos Constantin. etiam & Constans Impp. gladium distringi jubent, cũ in hæc verba rescribunt: Cũ vir nubit in fœminam viris porrecturam (ita enim legendum esse potiùs quàm *viros parituram*, Gothofred. rectè monet: siquidem porrigere fœminarum est propriũ, uti Arrigere masculorum) quid cupiatur, ubi sexus perdidit locum? ut scelus est, id quod non proficit scire? ubi Venus mutatur in alteram formam? ubi amor quæritur, nec videatur? Jubemus insurgere leges, armari jura gladio ultore, ut exquisitis pœnis subdantur infames, qui sunt vel futuri sunt rei. *l. cum vir.* 31. *C. ad L. Iul. de adult.* Nec minuitur hæc supplicii irrogatio, etiamsi ex utriusque, tam concubitoris, quam pathici cinædi consilio atque animo delinquatur. Nam & Cajus.

Pythagoræ μετεμψύχωσις.

Druidæ

Pœna in Sodomitas.

jus Fescennius Triumvir C. Cornelium fortissimæ militiæ stipendia emeritum, virtutisque nomine quater honore Primipili ab imperatoribus donatum: quòd cum ingenuo adolescentulo stupri commercium habuisset, publicis vinculis oneravit. A quo appellati Tribuni, cum de stupro nihil negaret, sed sponsionem se facere paratum esse diceret; SI NON ADOLÆSCENS ILLE PALAM ET APERTE CORPORE QUÆSTUM FACTITASSE: intercessionem suam interponere noluerunt. Itaque Cornelius in carcere mori coactus est. Rectissimè enim placuit, nulla ex caussa hoc masculosum nefas excusari posse; quia quod natura, legib. & moribus sit prohibitum, nequedum in volentem cōmitti oporteat. Sed & M. Lectorio Mergo Tribuno militari Cominus Tribunus plebis diem ad Populum dixit, quod Cornicularium suū stupri causa appellasset. Is judicium non sustinuit: & sibi mortē attulit. C. Marius quoq; Imperator Clusum sororis suæ filium Tribunum militum, à Plocio jure cæsum pronunciavit, quia eum de stupro compellare ausus erat, ut ex Val. Maximo *lib. 6. cap. 1.* Petrus Ærodius recenset *lib. 2. Decretor. tit. 46.* Planè qui muliebria passus fuit, eum à prætore à subselliis removeri Ulpianus testatur *in l. 1. § removet. ff. de postulando.* tantaq; hujus rei turpitudo est, tantum dedecus, ut morem potius eligendam, quàm tale quíd patiendum, Paulus respondeat *in l. isti quidē 8. ff. de eo quod metus caussa.* De quod infando crimine, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ, *ad Ephes 5. ad Coloss. 5. cap. ut Clericorū Ex. de vita & honestate clericor. c. Clerici. Ex. de excessib prælator.* & quo ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet, violatur: cum eadē natura, cujus ipse auctor est, libidinis perversitate polluitur, *can. flagitia. 32 q 7.* nihil dicam amplius: cum vel solum ipsius nomen chartas quodammodò inficiat. Videri tamen poterit Jul. Clarus *l. 5. Sentent. §. Sodomia* & Jac Menoch. *lib. 2. de arbit. judic. cent. 3. casu* 286 Joseph. Mascardus *de probation. conclus. 1320.* Anton. Gomezius *ad L. Tauri 90. num. 32.* cum aliis à Prospero Farinac. citatis. *de delictis carnis q. 148. nu. 5. 6.* apud quos in abominandi criminis hujus detestationem multa collecta invenies. Quæ tamen non deterruerunt in Italia (ô tempora, ô mores!) Episcopum quendam Nucerinum *Iohan. de la Casa*, quin Sodomiæ laudes nefario libro fuerit complexus, uti Conrad. Rittershusius conqueritur *in Novell. lection. part. 11. cap. 9. n 7.* Parem quoq; Castimoniam, & Episcopali scilicet dignitati convenientem gravitatem sapit Episcopi Imbraninensis, ad Gravalonum mostrupatorem epigramma, quod longè fœdius & putidius puto, quam ut Commentariis hisce sit inserendum. Ideoq; in id merito insurgit Georg. Erhardus *in symbolis ad Petronium pag. 96.* & ego nebulonib. istis cum P. Guirando Alosiano in quadam *ad Andream Arnaudum Epistola.* qua suum de Petronio Arbitro exponit arbitrium, ita imprecer. *At tu,*

Flāine qui terras terres & fulmine torres,
Fulmine fac subito talia monstra peti.

Fasces laureatos) Inter insignia Magistratus etiam fasces numerātur & securis. *Novella 25. cap. 5.* De quibus ita Plutarch. *in Romaicis quæst. 82.* Cur Prætorum fasces colligati fuerunt appensis securibus? An id signo est, iram Magistratus non debere esse in proclivi & solutam? an solutio fascium, quæ paulatim fit, moram aliquā iræ injicit & cunctationem, & nonnunquam fecit, ut sententia de supplicio exigēdo mutaretur? Sic enim & Theodosius legem tulit, ut post rescripta sua differantur supplicia capitalia dies triginta, ne Rei injusta ira rebus non satis inquisitis interficeren-

Sodomiæ detestatio.

Ioh. de la Casa Episcop. Sodomiæ assertor.

Fasces.

Cur colligati?

Pœna differenda.

ficerentur. Si vindicari, *inquit*, in aliquos severius contra nostram consuetudinem, pro caussæ intuitu, jusserimus; nolumus statim eos aut subire pœnā, aut excipere sententiam: sed per dies triginta super statu eorum sors & fortuna suspensa sit. *l. si. vindicari. 20. C. de pœnis.* Quam constitutionē suasit Ambrosius Theodosio in Ecclesiæ sinū rursum recepto, unde eū prius excluserat, quod non inquisitis sontibus promiscua cæde sævitum ab ipso in turbam innocentem & sontes. Rapuerat enim Auriga gubernator ludorum Circensium adolescentem ad stuprum, hunc aurigam præfectus vir honestus incluserat carceri. Quia verò populus industriā hujus Aurigæ delectabatur, poscit, ut impunitus dimittatur, quod cùm denegaret Præfectus per seditionē occisus est. Imperator igitur rei hujus indignitate motus, septem millia hominum per cohortes interficit: qua de re prolixius disserit Dn. Philippus Melanchthon *in Chron. lib. 3.* Cui probè convenit illud Senecæ *lib. 2. de Ira cap. 23.* In suspenso ita retinenda. Potest enim pœna dilata; non potest exacta revocari. Istos tamen triginta dies, etiam ante *d. l. si vindicari 20.* justos fuisse damnatis, non improbabiliter ostendit Savaro *ad Sidon. Apoll. ep. 7. circ. fin. 1.* Cur autem fascibus insertæ fuerint Secures: idem Plutarchus ita explicat. Jam cum vitiorum, *inquit*, alia sint sanabilia, alia insanabilia, virgis corrigebantur, quæ emēdari poterant: Securibus secabant immedicabilia. Fasces autem illi prius fuerunt Hetruscorum Regum insignia: quum duodecim lictores sibi præire juberent, duodecim fascibus virgarum, & totidem securibus illis involutis septos: ut si quis rei capitalis damnatus esset, primum spoliatus cæderetur virgis, deinde securi percuteretur. Sed Tullius Hostilius Quintus Romanorum Rex eos, ut & sellam Curulem, Togam & prætextam ab Hetruscis ad Romanos transtulit: sicuti Gualtherius adnotavit *ad Horat. lib. 1. Ode 12.* Fasces illos ex Betulla arbore gallica, quæ mirabili candore atque tenuitate fuerit, Plinius desumi solitos scribit *lib. 6. c. 18.* atque etiam lauro fuisse decoratos. Plin. *lib. 15. c. ult.* Etsi autem Consules Romæ XII. fruebantur fascibus, lictoribus totidem prægradientibus: Proconsules tamen non āpliùs, quàm sex fascibus usus fuisse Ulpianus testatur *in leg. proconsules 14. ff. de off. proconsul.* Ubi Accurs. *sex fascibus*, pro *sex mensib.* ineptè exponit, ac si Proconsulatus esset semestris Magistratus: cùm tamen magistra lectione doceamur, proconsulare Imperium fuisse annuum: quod interdum ad secundum & tertium annum propagabatur: Sicuti Beroald. rectè notavit apud Apulejum *lib. 10. Milesiacar.* quibus adde quæ apposite ad hanc rem scripsit Justus Lipsius *lib. 1. Electorū. c. 23.*

L. 20. C. de pœnis.

Fascibus cur secures insertæ.

Fasces Hetruscorum.

Consulares XII Proconsulares VI.

DE EQUIS TIT. XLVIII.

Equi etiam melius ornabantur, & splendidius, quam hodie. Etsi enim Sellas & Stapedes non habebant veteres: nihilominus tamen Equos tapetis, purpura, auro & aliis coloribus intertextis insternebant. Unde Virgilius in 7.

> Instratos ostro alipedes, pictisq; tapetis
>
> Aurea pectoribus demissa monilia pendent.

Præter tapeta ait, eos habuisse monilia, ut erant rosæ, tintinnabula, & alia ornamenta aurea. Atque is erat Equorum Augusti ornatus, quem ibi describit: licet Regis Latini Equis eum attribuat: quo tamen tempore satis erat si

Equorum ornatus.

Tapeta.

Sorio

Phalera.

corio probè essent ornati. Habebant & Phaleras, quæ vel scuta erant minora, vel rosa aureæ, quibus tam in fronte, quam aliis corporis partibus Equi adornabantur. Eademque adeò venusta erant, ut verbum hoc etiam ad orationes elegantes, quas phaleratas dicebant, fuerit translatum. Vt plurimum etiam aureum conficiebant frenum, ut Virgilius loco antea allegato inquit, his verbis.

Frenum aureum.

Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum.

Ac de frenis, & aureis illis ornamentis equestribus idem Virgilius lib. 8. *differit.*

Frenaq; bina, meus quæ nunc habet aurea Pallas.

De iisdem ornamentis intelligendum quoque est ICti responsum. * *Nec prateribo hic loci silentio: Sabinam Poppæam Neronis uxorem dilectissimam, & mulas quibus agebatur, habuisse aureis funibus subligatas. ut* Xiphilinus *tradit in Vita Neronis; & delicatioribus jumentis suis soleas ex auro quoque induere solitam ut* Plinius *meminit lib. 33. c. 11.*

** l. ædiles. 38. in pr. & §. vendendi ff. de ædili. edict.*

Mula Poppea.

Solea aurea.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Germanorum equi.

CORnel. Tacitus *libro de Situ, Moribus & populis Germanorum*, memoriæ prodidit, Germanorum equos non forma, non velocitate conspicuos, sed nec variari gyros in Romanorum morem doceri: At in rectum, aut uno flexu dextros agi, ita cõjuncto orbe, ut nemo posterior sit. quibus verbis haud obscurè innuit, cõtrarium hunc morem fuisse Romanis, ut in utrumq; latus, sive in utranq; buccam suos equos in conversionib. flectere cõsueverint. Hodiè haud facilè dijudices, Vtrũ Italis equitandi, & equos vel dextrâ vel sinistrâ tantum flectendi, quemadmodum & in circulum vel orbem agendi, aut etiam in rectum cursum dirigendi peritiâ Germani nostri quidquam cedant. Apud quos etiamnum consuetudo equestris invaluit, qua equi peculiari quadam industria eriguntur, tanquam inadversum nitentes, & in orbem quam brevissimum, uno quasi saltu circumaguntur. Sed & ita Equos ab ipsis eruditos videas, ut in ipso quantumvis concitatissimo cursu, ad levissimum sessoris frenorum lora moderantis nutum subitò consistant, ac ne latum, quod dicitur, unguem, ulterius nitantur, Michael Beutherus *in suo ad Tacit. de Morib. Germanor. comment.* Suã enim Equis etiam docilitatem esse, & ipsa rerũ magistra docet experientia; & probatissimorum Autorum monumentis est proditum. Dio certè scripsit, Parthos Trajão Imperatori Equum, inter cætera munera adduxisse, ita edoctum, ut Regem adoraret. Nam pedes anteriores in morem supplicantis flexit, caputq; pedibus ejus, qui proximus esset, subjecit. Cujus & Julius Cæsar Scaliger meminit *De subtilitat. advers. Cardanum Exerc.* 209. Sed & Sybaritas eò delitiarum venisse legimus, ut Equos in convivia introducerent, ita institutos, ut audito tibiæ cantu, statim se tollerent erectos, & pedibus ipsis prioribus vice manuum gestus quosdam Chironomiæ, motusque ederent ad numerum saltatorios. Accidit autem, ut tibicen ibi quispiam contumeliâ affectus transfugeret ad Crotoniatas hostes, paulò antè prælio superatos à Sybaritis, & quod è Repub foret

Equitandi peritia.

Equorum docilitas.

Equus principem adoratum.

Equi Sybaritici saltantes.

foret eorum, polliceretur (si fidem modò haberēt) sua opera Sybaritarum cunctorum equites in ipsorum vēturos potestatem. Credita res, & belli Dux creatus à Crotoniatis tibicē, cōvocat omnes, quotquot ejusdē forēt in Urbe artificii, modulamentumq; iis indicat, atq; ubi visum tēpestivum procedere in hostem jubet. Sed enim Sybaritæ fastu præturgidi, quòd Equitatu superabant, eunt contrà, præliūq; conserunt. Hìc autem repentè dato signo tibicines universi conspirant. Ecce igitur confestim modulamine agnito, cantuque illo vernaculo, tollunt eriguntque sese in pedes equi Sybaritæ, sessorib. excussis; & quod tripudium domi didicerant, etiam in acie exhibent. Ita capti omnes Equites, sed humi jacentes; omnes equi, sed tripudiantes, quemadmodum Ang. Politianus refert *in Miscellan. c.15.* ex Athenæo *lib. 12. Dipnosoph. c.6.* Nec memorabile minùs est, quod Johannes Lopez Hispanus, quem Nicolaus Boërius citat *decis. 318. num. 2.* à fide digno homine audivisse se refert, qui suis id viderit oculis, quòd generosissimus Equus propter incestū cum matre sua commissum, ad quem committendum arte & unguentis pellectus fuerat, cognito crimine, morsu sibi ipsi genitalia, magna cum admiratione adstātiū, absciderit. Quid dicam de Bucephalo Alexandri Magni equo? Is sive ab adspectu torvo, sive ab insigni taurini capitis armo impressi sic dictus, cùm ornatus erat armatusque ad prælium, dorso suo insidere nullum alium patiebatur: Regem verò, cùm vellet adscendere, sponte sua genua submittens excipiebat, credebaturq; sentire, quem veheret: ut Quintus Curtius scriptum reliquit *lib.6. de gest. Alex. Mag.* Id etiam de isto equo memoratū est: quod cum in eo insidens Alexander bello Indico, & facinora faciens fortia, in hostiū cuneum, non satis sibi providens immisisset, conjectisq; undiq; in Alexandrum telis, vulneribus altis in cervice atq; in latere equus perfossus est: Moribundus tamen ac prope jā exanguis, è mediis hostibus Regem vivacissimo cursu retulit: atq; ubi cū extra tela extulerat, ilicò concidit: & Domini jam superstitis securus, quasi cū sensus humani solatio animam expiravit. Tū Rex Alexander parta ejus belli victoria, oppidum in iisdem locis condidit: atq; ob Equi honores Bucephalon appellavit, ut Gellius refert *lib.5. Noct. Attic. c.2.* Ubi etiam emtum Bucephalum Chares scrisit talentis XIII. & Regi Philippo donatū: æris nostri ea sum̄a est, inquit, HS. CCCXII. de qua supputatione, cum Plinii præsertim æstimatione conciliata videatur Budæus *lib.3. de Asse & partibus ejus.*

Equus ducti us pœnitentia incestus.

Bucephalus Alexandri.

Et oppidum exstructum.

Ejus æstimatio.

Diomedem Thracem quoq; Diodorus & poetæ tradunt Equos habuisse feritate notabiles, quos carnibus humanis pascere solebat. Erant equorū præsepia ænea, ferreis ipsi cathenis vinciebātur: caro hospitalis erat pro pabulo. hos Hercules ex Thracia Argos perduxit, occiso Diomede, quē suo ipsius exemplo equis mandēdum apposuit: non secus atq; Phalaris Siculus tyrannus Perillum tauro suo æneo inclusit. Perillus enim ut Phalaridis crudelitatem aleret, æneum fecerat taurum, in quo pariter sontibus atq; insontibus impositis, igneq; supposito, ex clamore & sonitu vocis, mugitus pecudis, non hominis gemitus esse appareret. Itaque vel ab iniquissimo atq; injustissimo tyranno extorsit hic Perilli nō hominis, sed bruti sævior animus justiorē sævitiā. Etenim Phalaris invētorem ipsum & artificem cruciatum experiri jussit: ut est apud Plin. *lib.34. c.8.*

—nec enim Lex justior ulla est
Quam necis artificem fraude perire sua.

Hinc Diomedis illos Equos Apulejus ferinos appellat *lib.7. Miles.* ubi ita scribit: Si apud historiā de Rege Thracio legeram,

Equi Diomedis.

Perilli taurus æneus.

„ rā, qui miseros hospites ferinis equis suis
„ lacerandos devorandosque porrigebat.
„ Adeò præpotens illæ tyrannus sic parcus
„ ordei fuit, ut edacium jumentorum fa-
„ men corporum humanorum largitione
„ sedaret. Atque ex eo Equorum genere fa-
migeratum illum Equum Sejanum proge-
nitum fuisse, Beroaldus ibidem notavit.

Equus Sejanus.

Illud planè fabulosum est, quod de Pe-
gaso equo alato, qui ex Medusæ sive Gor-
gonis capite amputato à Perseo fingitur
procreatus, poëtæ comminiscuntur. Un-
de & à Plinio inter fabulas refertur *lib 10.
cap. 49.* Eo adjutus Bellerophon præclara
patrasse facinora, atque adeò ipsam etiam
Chimæram, triformé illud monstrum,
quod & Leonem, & Capram, & Draco-
nem repræsentabat, interemisse dicitur.
quamquam Solinus Chimæram montem
esse scribit in Lycia, unde noctu fumidus
ignis exhalat. A que hunc montem Mon-
stro isti triformi nomen dedisse, ipsemet
etiam Servius assentitur ad illum Virgilii
versum, *Æneid 6:*

Pegasus.

Chimæra.

Horrendum stridens, flammisq; armata
Chimæra.

Est, inquit; Chimæra mons Lyciæ, cujus
hodieq; ardet cacumen, juxta quod sunt
Leones: Media autem pascua sunt: ima ve-
rò serpentibus plena. Hunc quia Bellero-
phon habitabilem fecit, Chimæram dici-
tur occidisse. Sed memorabile tamen in-
primis, & adversus temeritatem notan-
dum est, quod de Bellerophonte ex Pega-
so equo decidente fertur. Pegasum enim
œstro stimulatum fingunt; Bellerophon-
tem sessorem in cœlum subvolare conan-
tem excussisse ex aëre in terram in qua so-
lùm equitare debuerat; non verò etiam in
cœlum ferri, quod tot victoriarum ob-
tentu, & tot monstris domitis videbatur
affectare. Unde Horat. *lib. 4. Od. 11:*

Bellerophon.

Terret ambustus Phaëthon avaras
Spes: & exemplum grave præbet ales.
Pegasus, terrenum Equitem gravatus
Bellerophontem.

Forsan eo haud minus falsum est Hippo-
centauri figmentum. Hunc enim in re-
rum natura non esse, ac ne quidem esse
posse Claud. Galenus non obscurè signi-
ficat, dum *libr. de usu partium 3.* in Pinda-
rum invehitur, qui ex hominibus & Ma-
gnesiis equis Hippocentauros nasci posse
finxerat, inferna quidem parte matri, su-
perna verò patri similes: atque ideo eos
esse ferocissimos. Id verò fieri posse Gale-
nus rectè negat: cum quidem Lupi, Ca-
nes, Vulpes, quandoq; per Venerē com-
misceantur, & pariant Vulpicanes ac Ly-
ciscos: at ut ex homine prægnans redda-
tur Equa, id verò esse impossibile. Proin-
de & Celsus JCtus: Si ita (inquit) stipula-
tus fuero, se sisti? & nisi steteris, Hippo-
centaurum dari? perinde erit, atque si te
sisti solummodò stipulatus essem. *l. si ita
stipulatus 97. de verb. obligat.* Inutilem
enim pœnalem illam stipulationem futu-
ram, ejus præsertim rei adjectione, quæ
in rerum natura non esset; non secus ac si
homo mortuus in stipulationem fuisset
deductus. *§. 1. Inst. de inutilib. stipulat. l. 1.
§. si id quod ff. de oblig. & act.* Cui senten-
tiæ & Cicero adstipulans; Quis Hippo-
centaurum, ait; aut Chimæram fuisse pu-
tat? Et Lucretius:

Hippocentaurus.

Sed neque Centauri fuerant; neque tem-
pore in ullo
Esse queāt, duplici natura, & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta potestas?

Sed hoc esse contra fidē historiæ asseve-
rat Johan. Corasius *libr. 5. Miscellan. c. 2.*
eo quòd Plinius Claudium Cæsarem scri-
bat memoriæ prodidisse, Hippocentau-
rum, hoc est, semihominem & semiequū
in Thessalia natum, eodem die interiisse.
Et nos, addit Plinius, principatu ejus alla-
tum illi ex Ægypto in melle vidimus *lib. 7.
c. 3.* Divus quoque Hieronymus refert, e-
jusmodi

jusmodi animal alicubi ab Antonino Eremita visum: cujus hac de re historica narratio recensetur à Didaco Covarruvia *lib. 4. Variar. resol. c. 2.* Et cur Hippocentauros, ait Corasius, ex equo & homine commixtos fuisse negabimus? cùm Satyros, quales poëtæ & pictores fingunt, ex capra videlicet & homine permixtos fuisse, Plinius *d. lib. 7. c. 2. & 6. c. 30. & lib. 8. c. 54.* & Plutarchus in Sylla scribant: talẽ aliquem ad Apolloniam captum, & ad Syllam productum memorantes; referente etiam Lud. Cœlio Rhodig. *lib. 19. lect. antiq. c. 25* & Nauclero *Generat. 62. in fol.* atque adeò Constantini tempore in Urbem Alexandriam perductum Satyrum, ejusque cadaver deinde sale conditum, & in Antiochiam fuisse allatum, ut ab Imperatore videretur; memoriæ sit proditum, Philipp. Camer. *Operar. succisivar. c. 71.* Ac quia Satyros ex capra & homine permixtos esse Plinius dixit, rectè eos & humana facie esse scribit. & poëtis alio nomine *Capripedes* dicuntur; feruntur que ad Venerem valde esse proclives. Nam & Capra nihil salaci⁹ est. & arguit hoc Satyri nomen quod è *penis salacitate*, & Veneris cupiditate censetur esse deductum. *Sathe* enim inflãmatus est impetus in libidinem, qualis inesse dicitur Satyris, qui ab amoribus abstinere nequeunt; dici à *Sathe*, quod est membrũ genitale viri, ut est apud Scholiastẽ Theocriti *Idyll. 4.* Hinc Satyri convenienti & appositissimo etymo vocantur *protervi*, Horat. *in ep. ad Pisones.*

Inter erit Satyris paulũ pudibunda proter- (vis.

Protervus enim propriè, qui circa libidinem temperare sibi nequit. de qua libidine Syrus *in Heautont. act. 4 scen. 6.* apud Clitiphonem queritur. *Quã penè tua me perdidit protervitas?* id est, pruritus tuæ libidinis corã amica gestiens. quali Horatius dixit se affici à Glycere *Od 19. lib. 1.*

Urit grata protervitas.

Satyri.

Satyrorum forma.

Libido.

Sathe.

Quod doctè explicat Gualtherius ad Horat. *Satyr. 1. lib. 1.* & alibi, *ad Oden. scilicet 4. lib. 1.* ex Aristotele tradit, Faunos, Panes, Nymphas, & hujusmodi tantũ mille annos vivere nec unquam capi solitos, nisi senio confectos. quotusquisque igitur erit, qui unquã Satyrum conspexerit vivum? Memoriæ tamen est proditum (*ait Plutarchus*) somno pressum Satyrũ fuisse captum, qualẽ poëtæ & pictores effingunt. Is perductus ad Syllam complures per interpretes, quisnam esset interrogatus, nihil quod posset intelligi, vix vociferatus est. At vocem asperam equi præsertim hinnitu & hirci balatu permistã edens, cũ Syllam obstupefecisset, datis comitib. dimissus est. Plut. *in Sylla.* Idẽ in *vita Alexandri Magni* scribit, de viso & capto Satyro cum Tyrũ Phœniciæ urbem ille oppugnaret. Inde enim Vates prædixerunt fore, ut Tyro potiretur, interpretantes *σὰ τύρος, tua est Tyrus.* Satyros certè hodiè & videri & audiri confirmat Julius Cæsar Scaliger adversus Cardan. *Exercitat. 331.* referente Martino del-Rio *disquisit. Magicar. lib. 2. q. 27. sect. 2.* Quæ etsi vera, non autem pro falsis aut fabulosis, ut post Alciatum *lib. 9. Parerg. c. 13.* Covarruvias rectè putavit, habenda essent: censuit tamẽ Hotomann. *in §. 1. Inst. de inutil.* vel ideò, inutilem futuram Hippocentauri stipulationem, quòd ejus generis portentorum atq; monstrorum, veluti naturæ quodam peccato genitorũ, ratio sit habenda nulla. Propius vero est, fabulæ huic caussam dedisse centauros propè Pelium Thessaliæ montem habitantes: qui primum Equos aut subegerint, aut ad equitandum domuerint. quod non dissimulanter innuit Natalis Comes *Mytholog. lib. 6. cap. 16. & lib. 7. c. 4.* ubi Tauros agrestes in Thessaliam venientes, fruges devastasse scribit; Ideoque juvenes fortes equos ascendentes in tauros impetum fecisse; ac stimulis pupu-

De Satyro capto.

Rursum de Hippocentauris.

pupugisse. Cum verò agrestes sive rustici hos procul fuissent cōspicati, existimasse, eos supernâ parte homines infernâ equos esse: quia nemo ante id tempus Equū conscendisset. Et quia tauros illos pungentes viderant, Centauros; indeq; Hippocentauros appellasse, ἀπὸ τ̃ κεντᾶν τοὺς ταύρους, à pungendis & stimulandis tauris, Cui sententiæ & Didacus Covarruvias accedit *lib.4.Variar. resol.c. 2.* ductus auctoritate Diodori Siculi *lib.5* & Palephati *lib.1. Incredibiliū, vel de non credend. poetar. fabulis.* Legimus tamen apud Lucianū, *dialogo, qui Zeuxis inscribitur,* Zeuxin. Hippocētauros plures, matrem, infantes, maritum; humana & equina forma, sūma arte atq; diligentia pinxisse. Atq; annotasse se in Græcis auctoribus, Alciatus scribit, à Chirone Centauro Achillem, aliosq; Regios filios eruditos fingi, quòd soleant Doctores consultoresq; Principum naturâ quidem feri esse, & promptū ad aspeora ingenium habere; humanitatem verò in speciem tantum præ se ferre. Alciat. *lib.9 pereg. cap.13.* Cujus etiam in Consiliarios principum tale exstat Emblema:

Chiron Centaurus Achillis preceptor.

Heroū genitos, & magnū fertur Achillem
In stabulis Chiron erudiisse suis.
Semiferum Doctorem, & semivirum Centaurum,
Adsideat quisquis Regibus, esse decet:
Est fera, dū violat socios, dū protegit hostes.
Estq; homo, dū simulat se populo esse piū.

Veteris liberis preceptores statim adhibuisse.

Fuit enim magnis principibus familiare admodum, filiis suis addidisse statim sapientes monitores. Sic enim apud Valerium Flaccum. Chiron Achilli additur:

—monitus qui tradat ut acres,
Magnorūq; illū qui laudibus urat avorū.

de quo more etiam ipse Plautus testatur *Mostellaria: ad Legionem cursitant, adminiculum ei danunt cognatum suum.* Et Pallanta filium Evander ita Æneæ commendat apud Virgil. 8. *Æneid.*

Hunc tibi præterea, spes & solatia nostrī
Pallāta adjungā, sub te tolerare Magistro
Militiam & grave Martis opus, tua cernere facta
Adsuescat, primis & te miretur ab annis.

Eleganter enim Seneca: ut qui in Sole ambulant, quanquam in hoc non ambulant, colorari tamē eos necesse est; ita qui prudentum consuetudine delectatur, eaque utitur, non potest non etiam prudentia imbui. Idq; pluribus exornat Piccartus *decad.1. obser v. Historicopol. c.5.* Hinc igitur haud dubiè apparet, falsum est illud de Hippocentauris, biformi animali excogitatum figmentum: non secus ac falsam opinor Actæonis in cervum, & Lycaonis in lupum commutationem, quanquā hanc nō omninò fabulosam. Pausanias putavit *in Arcadis seu lib.8.* cum & alii ex hominibus Lupi facti sint in Jovis Lycei sacris, qui decimo tandē anno, si humana carne abstinuissent interim, figuram hominis recuperârint: alioquin vescentes eâ lupi perpetuo futuri, quod & Divus Augustin. referre non dubitavit, nescio an credere. Marcum enim Varronem laudat authorē, hujusmodi præstigias de Arcadibus scribentem. Nam & nos, *inquit,* cum essemus in Italia, audiebamus mulieres quasdam imbutas malis artibus, in caseo dare solere nonnihil videlicet maleficum, quo viatores illicò in jumentum verterentur, servata mente humana, & sarcinas portarent; rursus ad se redirent, opera perfuncti *lib. 18. de civit. Dei, c.17. & 18.* Nec desunt, qui Nabuchodonosorem Regē Babylonium revera Bovem factum putent: quorum in numero est Dorotheus Tyri Episcopus *in Synopsi de Prophetis,* qui capite bubulo eū effingit posteriore parte corporis leonina, tum ob voracitatem, tum ob violentiam: quibus expiatis formæ suæ redderetur, Josephus contrà nihil accidisse Regi existimat, præter septennem Imperii privationem.

Actæon. Lycaon.

Nabuchodonosor in Bovem.

vationem, quæ illum ab augusto Majestatis gradu dejectum ac miserum bruto exæquarit. Nam cum brutis eum pabulantem & rore cœli conspersum iri, & fœnum ut Bovem comesturum, quoad resipisceret, ac Regem cœlestem cognosceret omnium excellentissimum; ac tum demum pristinam faciem sive auctoritatem eum recepturum, Daniel prædixerat *cap.* 4. At ubi quis potentum non sit, qui fuerit; tũ quidvis eum potius, quàm hominẽ vitalem haberi solere; post Josephum *lib. 10. Antiq. c.11.* Steph. Forcatul. rectè censuit *lib. 5. de Gallor. Imper. & Philos.* & memoriæ prodidit potentissimus Angliæ Rex Jacobus *lib. 3. Dæmonolog. cap. 1. circa fin.*

Hippona. Jam cũ ex Galeno supra ostensum fuerit, ex homine & equo generari nihil posse: falsum utiq; erit, quod de Hippona & Onoscelia memoriæ est proditum. Narratur enim de Fulvio quodã, quod Equæ amore captus, cum eam habuerit: Unde nata sit puella formosissima, quam ex re Hipponam cognominârint, quo nomine etiã Equorum & stabuli Deam à prisca superstitione cultam fuisse Tertull. docet *in Apologetico*, & Luc. Apule. *lib. 3. de Asino aureo, sive Muesia.* Atq; hæc etiã Hippo à Juvenali videtur appellari, cum ita scribit:

——Iurat (*Etas.*
Solã Hippo & facies olida ad præsepia pi-

Onoscelias. Onosceliam verò quod spectat, dicunt, Nobilem quendam juvenem Ephesium, cum muliebrem sexum esset exosus, noctu ad paterna armenta profectum cum asina fuisse congressum, atq; ex ea puellã procreâsse pulcherrimam. Onosceliam ob id nuncupatam. ut ex Stobæo & aliis retulit Lilius Gregor. Gyraldus *Historia Deor. Syntagm. 1.* Parum hoc videri posset, nisi & ursum, immanẽ illam bestiã, puellæ amore correptũ, & ex ea filiũ *Thrugillũ*,

Ursi amor erga puellã. cognomine *Sprageleg* generasse legeremus apud Saxonem Grãmaticum *lib. 10. Hist. Danica f. 174. & seq.* cujus verba, quoniã res fide superare videtur, hic placuit inserere. Cujusdam patris-familiâs, *inquit*, in agro Suetico filiã liberalis formæ, cum ancillis lusum egressam, eximiæ granditatis ursus deturbatis comitibus, complexus rapuit, exceptamq; unguibus præ se leniter ferens, ad notã nemoris latebram deportavit. Cujus egregios artus novo genere cupiditatis aggressus, amplectendi magis quam absumendi studium egit, petitamq; laniatui prædam in usum nefariæ libidinis vertit. Continuo enim ex raptore Amator effectus, famem concubitu solvit, ardoremque gulæ Veneris satietate pensavit. Quoque eam indulgentius aleret, crebris incursationibus vicinum acrius incessebat armentum, nec nisi lautioribus ante vesci solitam, sparsis sanguine dapibus adsuefecit. Adeo enim captivæ species efferatam raptoris sævitiam fregit, ut quem sanguinis sui cupidum exumescebat, amoris avidum experiretur, pastumque ab eo perciperet, cui se fore protinus alimoniam metuebat. Quo non penetrat, ut quid non excavat amor? Cujus ductu etiam apud efferatam libidinem belluarum rabiem gulæ irritamentum libidinis imperio cedit. Tandem gregis possessor exhausti pecoris inopia provocatus, observatione adhibita circumventam canibus beluã cursu ac clamore vehementius urgere perstitit, fugacemq; sectatus, eò fortè loci, quo puella servabatur, accessit. Siquidem domiciliũ ejus inviis paludibus clausũ perplexa ramorum series continenti frondiũ umbraculo texerat. Ubi mox fera à Retiariis circumventa ac venabulis occupata confoditur. Ut ergò duplicis materiæ benigna artifex natura nuptiarum deformitatẽ seminis aptitudine coloraret, generationis mõstrum usitato partu edidit, sylvestremque sanguinem humani cor-

poris lineamentis excepit. Nato itaq; filio paternũ à necessariis nomen imponitur. Qui tandem agnita suæ veritate propaginis, à patris interfectorib. funesta supplicia exegit. Cujus filius Thrugillus cognomine Sprageleg: à quo Ulvo genitus, originem ingenio declaravit avitum animo sanguinẽ repræsentans. *Hæc Saxo.* Sanè ex Asino & Equa; ac rursum ex Equo & Asina Mulos generari, extra controversiam est. Atq; illos quidem propriè Mulos, hos verò Hinnulos appellari Varro tradit *l. 2. de re rustica.* Proditũ & illud est, ex Onagro, qui asynus sylvestris est, mãsuefacto, & equa, mulas generari veloces in cursu, duritia eximia pedum: Onagro & Asina genitum Mulum, omnes antecedere. Mulas autem ad progenerandum ineptas ob id auctores tradunt, quod animalia quæcunq; tertii sunt generis, diversis quippe generibus prognata non gignant. Hinc Mularum partus in Annalibus aliquando observati, ostẽti loco fuerunt habiti. Bonum verò an maium portenderent, in ambiguo esse facit eventorum varietas: Siquidem C. Valerio M. Herennio Coss. cùm mula in Apulia peperisset, totum annum domi forisq; tranquillum fuisse cõperimus; sinistra tamen quædam obnunciata. Sed quod omnium perniciosissimum Rom. Reip. fuit, inter Cæsarem & Pompejũ exorta bella mulæ partu edito, L. Paulo, M. Marcello. Coss. multi prodiderunt. Cumq; alia Romæ ad XII. portas peperisset, M. Lepido, Munatio Plãco Coss. subsequutæ sunt nonnullæ sociorum direptiones, dum Bella per Brut. & Cass. in provinciis gererentur. At nihil quicquã tale evẽit L. Scip. C Lælio Coss. cum identidem mula Reate peperisset. ut à Johanne Pierio adnotatũ est *lib. 12. Hieroglyph.* Eadem Mularũ sterilitas in caussa est, ut Voluptaria illa Venus, qua homines lascivi non ad prolem, sed ad voluptatem tantùm atque spurcitiem utuntur, per Mulum qui Equã saliret, vel Mulam surrectâ candidâ prurientem, Hieroglyphicè designaretur. Huic enim generi, quamvis ad progenerandum inepto, genitalia tamen ad voluptatem natura concessit: quemadmodum idem Pierius docuit adversus eos, qui animalia rationis expertia, nullo neque voluptatis, neque irascentiæ, neque cupiditatis sensu affici contendunt, moveriq; ad hujusmodi incitationes naturæ quodam impulsu, ut vel se sospitent, vel species propagentur. Neque quidem dicendum asserunt, Leonem audientẽ, animosumq; esse, neque quidem Cervum pavidũ; sed quodammodo pavidum, illumq; quodammodo animosum: perinde ac si dicerent, animalia hæc neque cernere, neque audire, sed quodammodo cernere, audireque quodammodo: neque vociferari, sed quodammodo vociferari, atque ut semel dicam, ea non omnino vivere, sed quodammodo vivere. Nec abs re puto hîc quoq; de Mulis Marianis pauca disserere: de quibus ita apud Frontinũ legimus *lib 4 Stratagemat.* C. Marius (inquit) recidendorum impedimentorũ gratiâ, quibus maximè exercitus agmen oneratur, vasa & cibaria militum in fasciculos aptata furcis imposuit, sub quib. & habile onus, & facilis requies esset. Unde & in proverbium tractum est, *Muli Mariani.* Aliam hujusce proverbii causam refert Plutarchus *in Mario:* qui id quoq; memorat, quod scilicet Marius Imperator eadem ferebat obibatque onera in re militari, quæcunque militibus imperabat, quare post hæc cùm labores & jussa Imperatoris milites libenter subirent, *Muli Mariani* vocabantur. Vulgus hodieque hinc ut Beroaldus *ad lib. I. Apuleji* opinatur, ducta origine, *Caballos Marianos* appellat homines, qui pedibus suis ambulantes, se in equo sedere & vehi mentiuntur

Muli.

Cur steriles.

Mularum partus portentosi.

Mularum voluptuaria Venus.

Muli Mariani.

Caballi Mariani.

tur in ludicro spectaculo. Illud planè ridiculum est & joculare, quod Ausonius machinarios equos appellat *Tripedes caballos*, illis versibus:

pedes balli.

Cui subjugabo de molarum ambagibus,
Qui machinalis saxa volvunt pondere.
Tripedes caballos, terga ruptos verbere.

Machinarios enim equos intelligit; qui quoniā malè semper accipiūtur, & omniū jumentorum ærumnosissimi sunt, propterea vocat terga ruptos verbere, item Tripedes. Contingit enim sæpè ut crus unum illis frangatur: vel, ut claudicantes & inutiles Equi, pistrino dedantur. ut Joseph. Scaliger contra Angelum Politianū rectè explicat *lib. 2. Ausonian. lection. c. 8.* Ac quoniam hoc loco frenorum quoque mentionem Pancirollus facit: poterit curiosus lector singulas eorum patres succinctè at eleganter descriptas videre apud Lud. Cœl. Rhodig. *lib. 12. lect. antiq. c. 18.*

Frenorum ornamenta.

Ornamenta autem Frenorum quod attinet, non potest eorum luxus esse obscurus: Cùm & Gellius *lib. 5. Noct. Atticar. c. 5.* equitatus meminerit frenis, ephippiis, monilibus, Phaleris præfulgentis: Et satis hoc expresserit Apulejus *de Deo Socratis:* Nec enim, *inquit*, in emendis equis phaleras consideramus & balthei polimina conspicimus, & ornatissimæ cervicis divitias contemplamur, si ex argento & auro & gemmis monilia variæ gazæ dependēt: si plura ornamenta artis capiti & collo circum jacent: si fræna cælata, si Ephippia fucata, cingula aurata sunt, &c.

Claudianus *in IV. Consulatu Honorii:*

Turbantur phaleræ spumosis morsib: aurū
*Fœ*nat, anhelātes exsudāt sanguina gemmæ.*

Idem, epigrāmate de phaleris equi Regii:

Dumque auro phaler, gemmis dum frena renident:

Et de quo Honorii.

——crine superbus
Erecto virides spumis perfunde smaragdos.
Luxurient tumido gemmata monilia collo
Nobilis auratos sā purpura vestiat armos.

Atq; intantum excrevit hæc res, ut peculiari constitutione fuerit coercenda *l. un. C. Nulli licere in frenis & equestribus sellis & in baltheis Margaritas & Smaragdos & Hyacinthos aptare. lib. 11.* ne quod in cultu ornatuque imperatorio sacrum & adorabile est; id facere temeritas privata audeat. Illa itaque opera quæ solis imperatoribus permittuntur, quorumque usus magnificentior Imperatoriæ Majestatis, ejusq; necessitatibus destinatus est, prohibenda judicavit Imperator Leo *Novella constitut. 81.* His adde, quæ cumulatè ad hoc congessit Michael Piccartus *Decad. 15 observat. Historicopol. cap. 6.* Interim hoc quoque de frenis non indictum relinquero: quod *frenum mordere*, aliud Ciceroni sit, aliud Papinio. Siquidem Ciceroni, qui mordicus frenum arripuit, ille insessori reluctatur, nec facile mores patitur. Contrà Papinio translatio est ab indomitis pullis, qui tum domino tergum substernunt & imperio audientes sunt, cum frenum admiserunt. Cœl. Calcag. *lib. 4. ep. 4.*

Frenum mordere.

Subinam Poppeam) De hujus luxu Plinius *lib. 31.* ita scribit: Vasa coquinaria calvus orator fieri queritur: at nos carrucos ex argento cælare invenimus. Nostrâ quoque ætate Poppea conjunx Neronis principis delicatioribus jumentis suis soleas ex auro quoque induere solebat. Eas verò soleas ex Plauto, etiam sola appellare possis: Qui auro (inquit) habet suppactum solum, h. e. infimum pedis calcaneum, & calceamenti soleam, Lucretius:

Poppea luxus.

Avia Pieridum peragro sola, nullius ante Trita solo.

At Neronis soleas mulis impactas, argenteas fuisse tradit Suetonius *in ipsius vita*: Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis caminisatis mulionibus: junctu ras verò aureas

Vehicula elaborata. reas fuisse, docet Capitolinus *in Vero*, data & vehicula, cum mulabus ac mulionibus cũ juncturis aureis. Illaq; vehicula, priùs ærata, mox eborata efficit crescens luxus. Sic enim eboratorum vehiculorũ fit mẽtio apud Plautum *in Aulularia.* *Argentata.* Deinde argentata habuerunt, teste Plinio, *libr. 33. c. 3.* Nos carrucas ex argẽto cælari invenimus. Et tanta quidem harum frequentia, ut coercere Severus nec esse putaverit, eorum jure solis senatoribus relicto. Lampridius *in eius vita.* Carrucas Romæ & Rhedas senatoribus omnibus, ut argẽtatas haberent permisit: interesse Romanæ dignitatis putans, ut his tantæ urbis Senatores vectarentur. Postea argentea quoq; fuerunt: primusq; ea dedit Aurelianus, teste Vopisco: *Imo & aurata & gemmata.* quinimò etiam aurata & gemmata. Jta enim de Heliogabulo Lampridius: habuit gemmata vehicula, & aurata, contemtis argenteis & eboratis, & æratis. Quod pluribus exsequitur Johan. Meursius *lib. singularis de luxu Rom. cap. 21.* De Poppea porrò ita scribit Plinius *libr. 11.* Poppea certè Domitij Neronis conjunx asinas quingentas fœtas per omnia secum trahens, balnearum etiam solio totum corpus illo lacte macerabat, extendi quoque cutem credens. De qua etiam illud ejusdem Plinij *lib. 22.* acceptio: cum ita ait: Periti rerum adstruxerunt, non ferre thuris tantum annuo fœtu Arabiam, quantum Nero Princeps novissimo pompæ suæ die concremavit Ibi enim pro *pompa*, legendum esse *Poppea*, Guilhelmus Budæus rectè monuit *libr. 4. de Asse & ejus part.* *Obitus.* Loquitur enim de funebri sumtu in Poppeæ mortuæ justis & exsequiis. De cujus morte Tacit. *lib. 16.* Post finem ludicri, ait, Poppea mortẽ obiit, fortuita mariti iracundia, à quo gravida ictu calcis afflicta est. Corpus non igni abolitum, ut Romanus mos; sed Regum externorum consuetudine differtum odoribus conditur, tumuloque Juliorum infertur, ductæ tamen publicæ exsequiæ.

Equorum docilitas. Cæterum, ut hunc titulum de Equis tandem concludamus, videri poterunt, quæ de Equorum ingenio, docilitate & virtutibus aliis accuratè congessit & expressit Justus Lipsius *cent. 3. Ep. 56* & Philippus Camerarius *cent. 3. horar. succisiv. cap. 91 & seq* & novissimè Georg. Draudius in adnotationibus *ad Solin. memorabil. c. 53* E quibus non possum non excerpere elegantissimum illud equorum elogium, quod authorem habet Georgium Buchananum.

Cætera rerũ opifex ãimalia finxit ad usus
Quosque suos: equus ad cunctos se accommodat usus.
(terram
Plaustra trahit, fert clitellas, fert esseda,
Vomere proscindit, Dominũ fert, sive natatu
Flũina, seu fossam saltu, seu vincere cursu.
Est salebras opus aut canibus circumdare saltus
Aut molles gloriare gradus, aut vertere gyros,
Libera seu vacuis ludit lascivia campis.
Quod si bella vocant, tremulos vigor acer in artus
It, domino & socias vomit ore & narib. iras,
Vulneribusq; offert gẽerosũ pectus, & una
Haud iam mucronem sumit ponitq; vicissim
Dũ Domino fortem sic officiosus in omnem
Vt veteres nobis tam certo fœdere junctum
Crediderint mixta coalescere posse figura,
Inq; Pelethroniis Centauros edere sylvis.

DE TESTUDINE TIT. XLIX.

Testudo. *Testudo, de qua in præsentia loquimur (de noto enim nobis Testudinum genere nunc non agitur) est anguis quædam putamine sive cortice operta candidissima & parva; quæ in Lydo Arabico reperiebatur; & corticem habebat candidissi-*

didissimam simul & splendidissimam, instar nitidæ alicuius margaritæ. Hanc in laminas secabant, iisdemque mensas & lectos, non secus atque oleâ & ebore vestiebant. Hodiè videre hanc non contingit, nisi quòd in Indicas Orientales navigantes reperisse se eam dicunt. Testudineorum tamen huiusmodi operum fit mentio in multis Legibus, præsertim verò in L. Labeo. 7. ff. de supell. legata. & in l. heres. 100. ff. de legat: 3.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

DIgnum notatu est JCti Celsi responsum, quod & veterum laudat parsimoniam; & contrà crescentem tacitè perstringit luxuriam *in l. Labeo. 7. §. 1. ff. de supellect. leg* Nec mirum est, ait, moribus civitatis & usu rerum, appellationem supellectilis mutatam esse. Nam fictili, aut lignea, aut vitrea, aut ærea denique supellectili veteres utebantur: nunc ex ebore, atque testudine, & argento, jam ex auro etiam atque gemmis suppellectili utuntur. Quo in loco per Testudinem haud dubiè intelligit suppellectilem testudineis laminis vestitam. Hinc testudinea legata: & testudinei lecti apud Javolenum *in l heres 100. §. fin. ff. de legat. 3.* Primus autem Carvilius Pollio testudines secare in laminas, lectosque & repositoria his vestire instituit, ut Plinius refert *lib. 33. cap. 11.* atque illum Testudinum laminis ornandi morē Seneca exponit *lib. 7. de benefic. cap. 9.* Video elaboratam scrupulosa distinctione Testudinem & fœdissimorū pigerrimorumq; animalium testas, ingentibus pretiis emtas: in quibus ipsis illa, quæ placet, varietas, subditis medicamentis in similitudinem veri coloratur, & quæ sequuntur. Tantā autem testudinum terrestrium molem propè Insulam Mauriciam reperiri, ut super una quatuor homines facilè ad incessum ejus promoverentur, & in testa unius decem epulati sint. Thuanus scripsit *lib. 124. histor.* & inter mirabilia insularum retulit Gryphiander *in tract. de insulis cap. 32. n. 133.* Sed & testudinū, quarum carne vescentes Chelenophagi dicti populi tantam magnitudinem esse memorat Beroaldus, ut singularum superficie habitabiles illi casas integant, & his navigent cymbis. ad Luc. Apulejum *lib. 1. Milesiar. mihi folio 100.*

Testudinea supellex.

Testudinum moles.

DE ARGENTEA SUPELLECTILE.

TIT. L.

† *Argenteam supellectilem habebant, ut & nos; sed instructiorem, & in hoc à nostra differentem; quòd veteres quidem & sua & Majorum suorum insignia & egregia facta inibi insculpebant, ut* Virgilius 1. *Æneid. demonstrat, ubi Didonis vasa argentea commemorat, Augusti supellectilem per ea intelligendo:*

Ingens argentum mensis cælataque in auro
Fortia facta patrum, series longissima rerum
Per tot ducta viros, primaque ab origine gentis.

Antequam Romani ad tantam pervenere majestatem; pauca habebant vasa argentea, Cornelium enim Rufinum duobus Consulatibus, & Dictaturâ spe-

Argentea vasa Romæ olim.

paucæ. *Corn. Rufinus.*

ciosissimè functum; ideò in Senatorio ordine retentum non fuisse, Valerius Maximus *lib. 2. cap. 9. prodidit, quod decem pondo vasa argentea comparasset.* Plinius *quinque pondo meminit. Primus argentea vasa pondo mille habuit Scipio Allobricius, ob Allobroges subactos, qui hodiè Sabaudi sunt, ita nominatus; frater alioquin Africani. Eaque decem millia aureorum referebant.*

Scipio Allobricius.

Lances argenteæ.

Tandem in tantam Roma prolapsa est luxuriam, ut quingenta lances, quarum qualibet centenis libris constaret, fuerint facta: quæ summa quinquies centena millia aureûm confi. st: Et addit Plinius, *multos ob eas proscriptos, dolo concupiscentium quod &* Tertullianus *tradit libr. De pallio. Hinc conjecturâ adsequi non difficile est, quot numero Lances, pelves, orbes, & alia vasa minoris precii, quàm centenarum librarum ibi fuerint. Erant haud dubiè innumerabilia, & ad multa centena millia aureorum accedentia. Nostro sanè seculo raras è centenis argenteis libris lances reperias. Ideo autem Lances istas adeò amplas & capaces faciebant, ut iis minores quoque patinæ continerentur. Sed nihili hæc facienda sunt, si cum aliis conferas. Claudii enim principatu, servus ejus Drusillanus nomine Rotundus, quingenariam lancem habuit, quæ quinque millibus aureorum fuit æstimata. Atque huic fabricandæ peculiarem officinã prius ædificavit: & comites eius (quarum octingenta fuerunt) singulas octo quinquaginta librarum. Illud non omittam, quòd capta Carthagine in tota illâ Vrbe plus argenti repertum non fuerit, quàm quater millies CCCCLXX. M. pondo. Vtebantur etiam poculis argenteis, quibus imagunculæ quædam, & gemmæ erant inserta, ut ex* Virgilio *lib. 5. deprehenditur.*

Cur adeò capaces.

Drusillani Rotundi lanx quingenaria.

Pocula argentea.

Cymbiaq; argento perfecta, atq; aspera signis.

2.

† *Pocula enim ista Navis formâ erant effigiata, quam Latini cymbam dicunt. Et Signa nominat imagines, ut in illo loco:*

Cratera impressum signis.

Idque ex multis Iuris civilis legibus colligitur. Quòd verò gemmas habuerint insertas, ex eodem auctore lib. 1. manifestum fit:

Hic Regina gravem gemmis auroque poposcit,
Implevitque mero pateram.

3.

Imò habebat † pocula in totum gemmea, ut ex L. 1. & 3. ff. de supell. legat. liquet. Eius generis pocula non nisi apud paucissimos hodiè reperias: Id quod laudem vel ideo meretur, quoniam modestia & temperantia vrabet argumentum.

NOTÆ

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Rara olim Auri mentio.

1. A*Rgenteam supellectilem)* Rectè ait argenteam. Raram enim auri mentionem apud Antiquos reperias, non modò pro eo, quantæ priscæ ætatis opes celebrantur ab Auctoribus; sed rariorem etiam, quàm pro nostri temporis opulentia, & contrà quàm hodiè mos inolevit. Quotus enim quisq; in commemorandis opibus, hodie præsertim ingentibus, argenti mentionem facit? Nam in votis temerariis, quibus surdum numen Fortunam identidem fatigamus, primo quoque verbo aurum nuncupari solet: tametsi in rationibus publicis ac privatis, argenteis summis omnia transiguntur, alioquin & sponsionibus factitandis, & pignoribus deponendis, & circularibus fabulamentis aurum plerumque per ora hominum fertur. At verò apud Antiquos argentum hominum celebratius sermone fuit; quemadmodum Budæus observavit *lib. 3 de Asse & partib ejus.* Ubi & Lances argenteas memorabili pretio recenset; & magnificam cælaturæ æstimatricem ætatem eam fuisse cōcludit, qua L. Crassi vasa cælata in singulas libras senis sestertiis fuerint æstimata, id est, centenis & quinquagenis aureis sive coronatis: adeò ut ipsemet etiam Crassus confessus fuerit, nunquam se iis uti propter verecundiam ausum, si Plinio credimus *lib. 33. cap. 11.* Nullum tamen omnino aureorum vasorum usum fuisse veteribus Romanis, nemo dixerit; sed rariorem. At apud Medos & Persas nihil auro frequentius: cum scriptum sit, Cyri domū in Ecbatanis Urbe præcipua Mediæ à Memnone lapidibus candidis & variis, vel auro etiam vinctis fuisse exstructam. Sed & auream vitem in cubiculo Persarum Regum stare solitam perhibēt, lapillis preciosis ornatam: quam scribit Amyntas racemos ex pretiosissimis calculis cōfectos habuisse: & non longè craterem aureum, opus Theodori Samii, Julius Higinus *lib. de Interpretat. fabular. capit. 223.* Athenæus *lib. 12. Dipnosoph. c. 3.* & Philipp. Camerarius *Operar. succisivar. c. 20.* Fuit autē hic Cyrus, qui Crœsum, à quo bello impetebatur, prælio victum pyræ imposuit. Sed cum hic rogo ita impositus Solonem exclamando atque ingeminando ingemisceret crebriùs; atque Cyrus rei hujus caussam per Interpretes fuisset edoctus, se quoque hominem, & formæ telis similiter expositum reputans, solvi ac deponi de arsura lignorum strue Crœsum jussit. Addunt prætereà, pluviam repentè ad exstinguendū rogum decidisse, qui miseri Regis lacrumis poterat utcunq; sisti anteà felicis, ut sibi quidem videbatur, & prædivitis: adeò ut *Crœsi Lydi opes* proverbio notatæ sint. Steph. Forcat. *lib. 4. de Gallor. Imp.* Monuerat autē Solon Crœsum divitias & Potentiam suam ostentantem, atq; adeò Mortalium omnium beatissimum se deprædicantem; *Neminem ante obitum Beatum dici posse*, quam sententiam elegantissimè expressit Ovidius, cum ita canit:

—Sed scilicet ultima semper
Expectanda dies homini est diciq; Beatus
Ante obitū nemo, supremaq; funera debet.

Sed Cyri domum istam longè superavit Assaveri sive Artaxerxis Regia, qui ab India ad Æthiopiam viginti septem provinciis jura dās, & Susis in Persidis metropoli delectum virginum elegantium habens, cunctis eò Medorum & Persarum heroinis edicto regio vocatis, Esther Hebræam genere, parentibus ac fortunis orbatam, Mardochæi patrui alumnam, sed formæ ac morum candore, nec non pudicitia singulari mirificè excellentem, omnibus aliis prætulit, atque uxorem duxit Vasthi ob contumaciam repudiatâ. *Esth. c. 1. & 2.* In ejus igitur Regia videres aulæa hyacinthinæ

Cælatura æstimatio. L. Crassus.

Auri frequens usus apud Medos. Cyri domus aurea.

Vitis aurea.

Crateres.

Crœsus rogo impositus.

Solonem inclamans solvitur.

Assaveri regia.

Esther.

thina & byssina arcubus argenteis impendentia, & pavimenta variis emblematis ornatu distincta ex lapide Pario & vasa ex auro facta, quæ vel esurientem aurũ hominem satiare quirent. Rectius multo Salomon, qui immensos ejusmodi sumtus divino Numini consecravit, magnificentissima æde exstructa. Idque & ab Ethnicis multis factitatum legimus; qui & ipsi Divos in ære suo habuerunt, templis luculentè ædificatis atque adeò splendidè, ut: Cœlitum nemo Cœli desiderio tangeretur, cùm illic coleretur magnificè. Longè aliter Xerxes: qui Magis Persarum auctoribus templa Græciæ inflammavit: quia includi Deos parietibus nefas putarent, quibus omnia essent libera & patentia, & quibus mundus totus domus esset, quod utinam ii perpenderent, qui sacrosanctum Christi corpus, quod supra omnes cœlos evectũ, & ad dexteram Dei omnipotentis collocatum, præeunte verbo divino rectè credimus: & cujus inde è cœlis reditum ad extremum judicium læti atq; erecto capite præstolamur, Eucharistico pani, vi & efficaciâ obmurmuratæ consecrationis suæ, quam vocant, includi posse, cum sibi; tum aliis nugatoriè & impiè persuadent. Ipsum illum Deum, quem ex pane sibi fingunt, nefariè & non absque piaculo deglutientes; & ad saxa atque ligna insuper, saxis atq; lignis stupidiores ipsi, procumbentes, quod & mirabile maximè, & ridiculum esse ait Simon Stenius *in orat. de vita & rebus gestis Philippi Macedonum Regis.*

Xerxes Deorum templa incendit.

Deus panarius.

Auri verus usus.

Cælestinus.

Verum porrò aureorum vasorum, & aliarum rerum preciosarũ usum nos Cœlestinus docuit, qui aurum gemmasque in ædium Sacrarum ornamenta transscripsit ille quidem, sed tanquam in arcam communem pauperum, si quando annonæ caritas ea suaderet venundari. Quo nomine & Exuperius Episcopus, quo nemo in famelicos & egentes largior fuit aut humanior domesticis opibus erogatis, donaria templorum, & vasa aurea atque argentea sacrificiis destinata, pro alimonia pauperum in summa annonæ caritate distraxit; ne viva Dei vascula pro inanimis intercciderent. Cumque aureus Pontifex calice vitreo aut ligneo rem divinam faceret, Deo plausibilior, quàm qui vitreo aut ligneo pectore in auro sacrificant: Rogatus, quonam sacras divitias amandasset, *Apud pauperes se deposuisse* respõdit: magno Reipublicæ commodo id factum ostendens, & juxta Christi voluntatem, quibus illos atque inopes tantoperè commendavit centuplum redditurus ad fidem mensæ cœlestis, ubi thesaurus & ærarium nulli furi pervium; præterquam quod humi etiam liberales & misericordes fortunat, ita ut id potissimum habeant, quod piè donaverint. Largæ sanè compẽsationis istius illustre exstat exemplum in Tyberio Byzantino Imperatore, qui Justino Illyrico successit. Hic enim, cum inopiam populi beneficentiâ incredibili sublevasset, atque eo pacto contigisset fiscum exinaniri, & illum ab uxore Anastasia frequenter increpari: tandem cogitabundus in palatio ambulans, demissa facie, vidit inter tessellas pavimenti vermiculati tabulam marmoream Crucis sculptæ notâ insignem: & qui vetitum noverat Theodosii & Valentiniani Augustorum constitutione, venerandam crucem vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpi vel pingi; sed quodcunque reperiretur ejusmodi signum, tolli, gravissima pœna mulctando eo, qui contrarium tentasset. *leg. un. Cod. Nemini licere signũ Salvator. Christi, &c.* Jussit sedulò tabulã revelli, & rursus aliã atq; aliam simili signo clarã, donec tribus sublatis magnã vim auri reperit, exercitui alendo, nedũ pauperib. abunde suffecturi. Adeò illi

Exuperius.

Tyberius Byzantin. Imp.

Christus

Christus expensum sanctissimè multa cũ fœnoris accessione rependit: ut post Gregor. Tauronensem Stephan. Forcatulus refert *lib. 6. de Gallor. Imperio. & Philos.* Et quis ociosarum hujusmodi divitiarum usus esse potest? fortè ut hostes & insidiatores alliciant veriùs, quàm arceant? cum ne ab iis ipsis quidem perpetuò tutæ sint, quorum custodiæ, fidei ac silentio creduntur: ut testificatur Ægyptium ærarium Rhampsiniti; qui Proteo successerat in regno, & miram pecuniæ vim in eo condiderat, ædificium molitus lapideum inaccessibile: præterquam quod structor callidè lapidem unum forinsecus exemtilem posuerat, duobusque liberis suis id commercium indicârat qui patre mortuo multum pecuniæ abstulerunt, repetito frequenter peculatu, donec ad Regis notitiam veniret. Tandem alterum è furibus laqueo contigit innodari potiùs, quàm cognosci; cum frater ei caput amputaverit, ne detegeretur, & lepidiorem expilationem posteà peregerit, quam Herodotus tradit *in Euterpe*. Taceo thesaurũ Venetum, quem in D. Marci æde festis diebus publicè expositum non absque stupore semel atque iterum vidi, & cujus similem in Europa non reperiri, multi opinantur. Eum enim Stematus quidam, ut natione, ita & astutia Græcus, per noctẽ in æde illa latitans invasit, subtractâ è sacrario, in quo thesaurus erat conditus, marmoreâ tabulâ: Unde tantum auri abstulit, quanto vix exportando sufficeret, qua de re videatur Sabellicus *Histor. Venet. decad. 3. lib. 6.* Philip. Camerar. *Oper. succisiv. cap. 64.* Ob varias ejusmodi insidias thesauris structas, interrogatus Diogenes cur Aurum pallens esset? respondit: quia multos haberet insidiatores. Hinc forsan est, quòd nulli apud Turcas sint Quæstores ac Præfecti ærario, nisi virilibus omninò exsectis; more Persarum ac veterum Græcorum, ut Plutarchus *in Demetrio* prodidit. Prudenter id quidem: nam qui nec liberos habent, nec ullis blãdissimarum dominarum illecebris capi possunt, minimè verendum est; ut publicas opes capitis ac famæ periculo diripiant. Johannes Bodinus *lib. 6. de Republica cap. 2.* Est quidem nervus rerum benè gerendarum pecunia, sed sine viribus, consilio & exercitatione enervis: ut satis commendari non possit Gratiani sententia, Melius à privatis possideri divitias, quàm intra unum fisci claustrũ servari. Nec verò animus mihi est, aut propositum, de Æruscatoribus illis quicquam hîc dicere, quibus nulla religio est, vel omnem hominem natum, ut Archilochus dicebat, decoriare; principis saltem sui, cui placere hoc pacto student, fiscum ut adaugeant; & nec minùs tamen prædam in sinũ suum conferant, ut est apud Lampridium. Et tamen hi in precio habentur, qui potiùs novis illis tormẽtorum, hoc est, tributorum, vectigalium, portoriorum, quibus misera plebs dilaniatur, excogitatis generibus digni erant, ut Perilli taurum æneum experirentur. P. Ærod. *lib. 2. rerum judicat. tit. de extraordin. crimin.* Quos ego Morboniam abire optem: Eum enim in locũ Laverniones & Grypos istos, vel ipsis etiam felibus rapaciores ablegari video à Lipsio *lib. 4. de Repub. cap. 11.*

Thesaurorum insidiatores.

Ærarium Ægyptium.

Venetum.

Aurum pallens.

Quæstores Turcici intestabiles.

Æruscatores.

2. *Pocula ista Navis formâ erãt effigiata*) Tale etiam fuit illud, quod Hercules ex Jovis & Alcumenæ adulterio procreatus, à Sole donatũ accepit, tantæ capacitatis, ut in eo tam navigare, quàm etiam bibere ex eo posset: dignus tali munere vel propterea, quòd Lerpeum Pyrgei filium in voracitatis certamen provocans, vel ut est apud Pausaniam in Eliacis, à Lerpeo lacessitus verbis & crapulæ ostentatione, bovem epulaturus occiderat. Isti porrò poculorum generi nõ absimiles fuisse vidẽtur

Poculum Herculis.

Trullæ.

tur Trullæ, quarum & Scævola meminit *in L. Seja. ff. de aur. & arg. leg.* Eas enim pateras vinarias interpretatur Alciatus, quæ profundiores fuerint & oblongiores ac naviculæ instar, Alciat. *lib. 7. parerg c. 3.* Atque has etiam ex auro fieri solitas, Juvenalis monet,

—laudare paratus (*fundo.*
Si Trulla inverso crepitum dedit aurea

quo & adulatorem perstringit, & bibacitatem divitis exprimit Trullam exhaurientis, & labellorum crepitu id testantis. Fertur præterea *Ptolomaeus* olim mille cõvivas totidem aureis poculis saginasse, immutans vasa cum ferculis. Et Messala Orator prodidit, *Antonium triumvirum* aureis quoque usum vasis in omnibus obscœnis desideriis. Quod Beroaldus retulit *lib. 2. ad Aqulejum.*

Ptolomai luxus.

Item Antonii.

3. Pocula in totum gemmea) Hinc Seneca *lib. 7. de Benefic. c. 9.* Video istic crystallina, quorum accendit fragilitas precium. Omnium enim rerum voluptas apud imperitos ipso, quo eos fugare debet, periculo crescit. Video Murrhina pocula, parum scilicet luxuria magno fuerit, nisi, quod vomant, *capacibus inter se gemmis* propinarent. Tale quid apud *Drepanium in Panegyrico*: Nisi æstivam in gemmis capacibus glaciem falerna fregissent. Intelligit enim pateras capaciores & quidẽ gẽmeas. Gemmæ enim in pocula formabantur. Apulejus *lib. 2. Metamor.* pueri calamistrati pulchrè indusiati gẽmas formatas in pocula vini vetusti frequẽter offerre, &c. Hinc Gemma bibere. h. e. poculo ex gemma, Virg. *2. Georg. Vt gemma bibat, & Sarrão dormiat ostro.* Et Lucã *l. 10.*

Gemmæ in pocula formatæ.

——gemmisq; capaces
Excerpere merum.

Ovid 8 *Metam. In gemma posuere merũ.* Et Juvenalis *Satyr. 6.*

Cum perfusa mero spumant unguenta falerno cum bibitur concha.

Ad quem modũ Ca. Sollius Apollinaris, spumarẽt falerno gẽmæ capaces *lib 2. ep. 13.* dixit, pro pateris gemmeis. Eoq; fit, ut gemmis legatis, etiam gemmea vasa contineri JCtus responderit *in l. cum aurum. 19. circ fi. vers. cum leg. de auro & arg. leg.*

DE CIBI CAPIENDI MODO VETERIBUS USITATO TIT. LI.

Veteres an pransi etiam fuerint.

Controversum non parum est, utrum veteres bis singulis diebus cibum, necne, ceperint, quandoquidem cœnæ *quidem semper*; prandii *verò nunquam fiat mentio. Affirmativè tandem concludendum est: cum* Cicero *Tusculanarum q. 5. Platonem, cum in Italiam venisset, admiratum dicat, quòd Itali bis die mandacarent. Et celebris est Alexandri Magni sententia, qua Modicum prandium Cœna dixit obsonium. Controvertitur quoque apud Medicos, utrum melius sit cœnare an prandere parum. Vt manifestum hinc sit, bis eos comedere solitos, aliter tamen, quam nos. Matutino enim tempore nihil quidquam coquebant; & nec qui in iisdem alioquin commorabantur ædibus, simul manducabant, sed quo cuilibet libitum erat tempore, atque eo victitabant, quod in penu erat repositum. Satis enim vel in integrum sibi annum prospicientes, non modò caseos, olivas & salsamenta; verùm etiam varia reponebant condimenta, Varias quippe herbarum species* Collumella *enumerat, quas conficiebant, & in penũ condebant. Vesperi au-*

Penu.

tem Cœnæ apparatum instituebant. Est enim Cœna, *Græca dictio, id quod commune est, significans.* Plinius *Nepos avunculum suum interdiu cibum levem & facilem, veterum more sumsisse scribit;† vesperi cœnasse melius. Cœna hora erat Nona, hoc est, vigesima prima, cùm dies Nocti æqualis esset. Unde* Martialis.

Imperat exstructos frangere Nona thoros.

Hyeme circa primam horam Noctis cœnabant, ut ex Plinij Nepotis ad Macrum epistola colligitur. Matutino tempore quilibet manducabat, quandocunque appetitu alliciebatur. Nec enim uspiam legitur, quemquam ad prandium etiam invitasse alterum; sed ad cœnam duntaxat.

Difficile quoque intellectu est, quomodo discumbendo Mensæ se accommodârint: ac nisi ex tricliniis marmori insculptis id deprehenderetur, minimè posset intelligi opinor. Comedebant ad mensam rotundam, cujus dimidietatem † tres lectuli, tribus aliis fulcris exilibus, & auro, argento, testudine, atque aliis ornamentis splendidis sustentati occupabant. Atque his stragula purpurea, & tapeta preciosa insternebant: iisdemq; lectulis insidebant; pedibus quidem pro lecti longitudine extensis, corpore verò sive thorace ad mensam, quæ satis ampla erecta. Quilibet lectus duos commodè capiebat: alterum quidem cubantem, quod virorum; & sedentem alterum, quod fæminarum erat: ut ex Val. Max. *deprehenditur.* * *Quia verò ad quamlibet Mensam tres solummodò lecti strati erant; ideò locus ille* Triclinium *nominabatur. quod enim Græcis κλίνη, id Latinis Lectus est. Ac monet Martialis novem duntaxat uni mensæ potuisse adsistere, quæ literam C. quod Sigma Græcum dicitur, repræsentabat. Quilibet orbe suo in gremium posito, manducabat: Nec ad alium usum destinata erat mensa, quàm ut cibus & potus in ea collocaretur.*

Mensæ istæ maximo comparabantur precio. Scribit enim Plinius * *M. Ciceroni emtam fuisse mensam XI. libris auri, hoc est, mille ducentis aureis. At* Tertullianus *libro de Pallio scribit, D.M. HS. minoribus; qui forent quinque millia aureor. Tanti & Asinii Pollionis mensa constitit.* † *Mensæ illæ rotundæ erant, & citriæ. Sunt, qui eo has comparârint precio, quo latifundia & amplissima prædia mercari potuissent. Nos Servatorem nostrum sequuti, more Hebræorum manducamus sedentes. Honoratior Mensæ sedes erat ad parietem. Primo enim* Regum *cap. 20. legitur, quòd cathedra Regis Saul fuerit juxta parietem; è conspectu verò Sedes Ionathæ, primogeniti Regis: postea aliorum ordine subsequentium. Patina sive scutella, quæ mensæ imponebantur, alia quoque vasa, quibus sustinerentur, sub se habebant. Nam &* Iavolenus *tradidit; Vasis Corinthiis legatis, Bases quoque collocandorum istorum caussa paratas, simul legatas censeri. Et ab* Ulpiano *responsum est: Si cui vasa sint legata, non solum ea contineri, quæ aliquid*

Marginalia: 1. Cœna hora. — Mensæ accubitus. — 2. Lectuli. — * Lib. 5. cap. Triclin. — Mensarum precium. — * Lib. 13. c. 15. Ciceronis. — 3. Asinii Pollionis. — Hebræorum cœnandi mos. — Patina. — Bases. — * L. haeres 100. §. Corinthia de legat.

mala sive poma ultimo dabantur loco. Cum ovis autem cuilibet apponebatur † Lactuca: quam primùm quidem sub Cœnæ finem solebant comedere: postea verò sub ipso initio hanc manducabant. Vnde Martialis:

8. Lactuca.

Claudere quæ quondam Lactuca solebat avorum,
Dic mihi, cur nostras inchoet illa Dapes?

Cum lactuca adferebantur ternæ cuilibet Cochleæ. quod Plinius *in epistola ad Septicium his verbis innuit: Paratæ erant lactucæ singulæ, cochleæ ternæ, ova bina, alica cum mulso & nive. Alica potus genus erat (ut Cerevisia) ex zea factum: quod cum † vino ex melle confecto, & à nive, cui in mensa vini & † mulsi vasa immittebantur, † refrigerato bibebant.* Athenæus *scribit; Romæ tabernas prostitisse, quibus Nix per integrum adservabatur annum. Sub terram ea mittebatur in paleam, & cuilibet vendebatur: eaque vinum reddebatur frigidissimum: quo refrigerandi modo & Græci utebantur, quanquam stomacho noxium dicit* Macrobius. *Vinum in ipsam ponebant mensam. quemadmodum etiamnum Venetiis usu venit. Atque hæc quæ jam dixi, ante ipsam fiebant cœnam. Post, varia carminum genera adferebantur, pro cuiuslibet convictu & facultate.* Plinius *loco supra citato Ostrea & vulvas porcarum appositas ait; quæ in magnis habebantur deliciis.* Macrobius *lib. 3. Saturnal. c. 13. memorabilem describens Cœnam: Quo die,* inquit, *Lentulus Flamen Martialis inauguratus est, tria lectis eburneis strata fuerunt triclinia. Ante cœnam Echinos apposuerunt, ostreas crudas, quantum quisque vellet, peloridas, (quæ erat conchæ marinæ species) turdum: Subtus, gallinam altilem, alteram patinam ostrearum, balanos nigros & albos; glycomaridas (quod dulce quoddam erat edulium hodiè penitus incognitum) ficedulas, lumbos, murices & purpuras. In ipsa Cœna; sumina, sinciput, aprugnum, patinam piscium patinam suminis, anates, querquedulas elixas, lepores, altilia assa, & panes Picentes. Additque idem* Macrobius, *Cincium populo obiecisse quod porcum Trojanum mensis inferat. quo significare voluit, quemadmodum ex Equo Troiano multi egressi fuerunt, qui Troiam destruxerint: ita Romanos mensis inferre porcum tot inclusis animalibus gravidum, quæ ipsos internecioni sint datura. Vera namque est* Senecæ *sententia quæ habet; Plures interire crapulâ, quam gladio.*

Cochlea. Alica. 9. 10. 11. Nivariæ taberna. Ostrea. Vulva. porcarum. Porcus Troianus.

Apparabant Veteres duas mensas, ut & nos: alteram ex carnibus, & fructibus alteram. Expeditis enim cibariis sive edulits, primam mensam removebant; & secundam adornabant. Ita enim illum Virgilii *locum quidam interpretantur.*

Duplices Mensæ.

Postquam prima quies epulis, mensæq; remotæ.

In hac altera sive secunda mensa, uti diximus, adponebant poma, uvas, ficus & nuces. Sic enim Horatius 2. *sermon. Satyra* 2.

Mensa secunda.

--- tum pensilis uva secundas
Et nux ornabat mensas cum duplice ficu.

Vvæ purpureæ. Duracinæ.

Vvæ, quibus in Mensis secundis utebantur, erant purpureæ; Lombardi Rossate *dicunt, suntque dulcissimi saporis. Vtebantur & Duracinis, quæ solidam habent carnem, humorem exiguum: eæq; in perticis suspendebantur, ut mensæ possint apponi. teste* Galeno *lib. 2. de aliment. compos. In mensa enim Vvas comedi fuisse solitas,* JCtus Paulus *testatur in L. qui fundum 205. ff. de verborum signification. Vbi pomi appellatione etiam Nuces, ficus, & uvas duntaxat duracinas & purpureas, & quæ ejus generis essent, quas non vini caussa haberẽus; quas Græci τρώξιμας hoc est, comestibiles vocarẽt; recepta videri ait.*

Bumastæ.

Vvæ quoque Bumastæ in secundis adhibebantur mensis teste Virgilio *Georgicorum 2.*

Non ego te Diis, & mensis accepta secundis
Transierim Rhodia, & tumidis Bumasta racemis.

Græci hoc Vvæ genus ideò βούμαστον dicunt, quòd instar bovillæ mammæ intumescat: βοῦς enim bovem ipsis significat, μαστὸς mammam. Manducabant

Rhodia.

& Rhodiam quæ tamen hodiè ignoratur: nisi ea forsitan fuit quam Zibebam *dicimus. Porrò cum uvis simul omne fructuum genus in secundis apponebatur mensis: & hoc amplius quoque Scriblita. Hinc* Martialis:

Scriblitæ.

---mensis Scriblita secundis.

Athenæus *scribit, In conviviis magnis additos fuisse & lepores, & turdos cum opsoniis, mustelis, & oliva. Olivis in principio & fine Cœnæ utebantur. Sic enim* Martialis:

Olivæ.

Inchoat, atque eadem finit oliva dapes.

Tertullianus *libr. De Anima scribit, Eos æstatis tempore cœnam finiisse assaturâ, quod alibi non reperio.*

Omnia ista edulia, de quibus diximus, non quidem confusè, sed singulis singula lactucæ, ova bina, & quatuor olivæ apponebantur, ut annis plus minus 90 fuerat observatum. Honoratioribus plus cæteris propinabatur. Nam ut Homerus *commentus est, Achilles Agamemnonis mensæ accumbens, duplo plus cibi in orbe suo habuit, quàm alii. Idem & Hebræi primogenitis largiebantur. Advertendum quoque est, Eos qui ovis aut cochleis vescebantur, Cochlearibus fuisse usos. unde* Martialis *de Cochleari loquens:*

Cochleares.

Sum cochleis habilis, sed nec minus utilis ovis;
Nunqnid scis, potiùs cur Cochleare vocer?

Adhibebant & aliam vanitatem, quæ preciosiores dapes mensis inferentes, solenni quadam pompâ tibicinibus utebantur. Ita enim cœnante Severo Imperatore observatum fuisse Macrobius *scribit,* * *ut cum inter alios cibos*

Tibicines ante dapes. * lib. 3 Saturnal. c. 10.

lautio-

lautos & pretiosos † Acipenser *piscis apponendus esset, non nisi à coronatis ministris, cum tibicinis cantu inferretur. Ac quoniam in Imperatores sermo iam noster incidit, non omittam hoc loco commemorare, ipsos suis manibus corticem pomis exemisse.* Nicetas *enim lib. 6. memoriæ prodidit, quòd cùm* Manueli Comneno *Imperatori cibum capturo, & malum Persicum cultello purganti nunciaretur, Persas in frumentatores fecisse impetum; ipse pomo abiecto, & armis properè sumtis, Equo conscenso fuerit egressus. Nec præteribo silentio, Nobilem illum liquorem, à veteribus tantoperè celebratum: cuius hodiè ipsum etiam nomen ignoratur. Erat autem* † *liquamen ex piscis Gari primum, posteà etiam Scombri intestinis sale maceratis productum, Vnde liquor promanabat, quo illa toto anno incorrupta asservabantur, & tanquam preciosum condimentum sive edulium apponebatur, mensæ.* Plinius *tradit, Nullum liquorem penè, præter unguenta, maiore in precio esse cœpisse, adeò ut suo tempore singulis millibus numum (hoc est decem aureis) congij penè duo fuerint permutati. Constabat autem Congius XII. pondo. Erat & alius quidam liquor, isti non absimilis, quem Muriam nominabat. Hic ex thynno sale macerato eliquabatur, & quantivis censebatur pretij. Vtriusque usus erat, ut his panis intinctus comederetur melius: quemadmodum Vlpianus declarat in Lege tertia, in pr. ff. de penu legat. Esse enim ait quosdam liquores, qui esui potuique non sint: sed in quibus esse, hoc est, edere soleamus: ut oleum, garum, muriam, mel. Horum vicem alia liquamina,* Bottarghe & Cavario *appellata, iam supplent, ut posteà dicemus. In conviviis solennibus solebant vel* Lyristem, *vel* Comœdum *sub finem cœnæ introducere, à quibus oblectarentur invitati: ut ex* Plinii *Nepotis ad Septitium Clarum Epistola colligitur.*

12. Acipenser. — *13. Liquamen ἀλλᾶντος.* — *Muria.* — *Bottarghe & Cavario.* — *14.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Conviviorum tria genera.

Convivia quidã ex Athenæo *Dipnosoph. lib. 8. cap. 12.* & Eustathio *in 1 Odyss.* ita dispertiuntur, ut Elapinem statuant, quod splendorem apparatusque magnificentiam habeat. Gamon, in quod pecuniarum plusculum erogetur. Et Eranon, quod pluribus differtim accumbentibus fiat; sed ita, ut feras sibi unusquisque quod edat. Quæ res Hesiodo poëtæ arrisisse videtur, quòd impendii parum, jucunditatis multum messet, singulis quippe afferentibus, quod ederent, aut biberent. Atque hic mos non hodiè tantum apud Gallos; sed & olim quoque apud Romanos viguit: quibus etiam probrosum censebatur alienis vesci. Hinc tollendæ ignominiæ caussa Romulus, quòd enutritus foret & educatus à Laurentia, Brumalia instituit, quibus cõvivio excipiebatur Senatus: cùm necessarium diceret, ab Rege suo ali Senatum hyeme nullius obstrepentib. bellis. Ad ejusmodi collationem etiam Scævola allusisse videtur *in l. creditor. 102. ff. de solution.* Ubi qui oblatam à debitore pecuniam, ut alia die accepturus, distulit, ideò

Eranon: collativum conviviũ. — *Brumalia.* — *Intell. l. creditor. de solut.* — *c.*

ideò non agnoſcit ejus pecuniæ periculum, ſi poſteà quaſi *Eranos* juſſit præſidis ſublata ſit. Quo in loco Alciatus *lib.2. Diſpunct.cap.25.* Eranon intelligit collationem, vice cujuſdam tributi indictam: ut ſit ſenſus, periculum Creditoris tunc non eſſe, cum in uſum Reipublicæ numerata eſt. Nam & tantundem debitor erat exſoluturus, quoniam vice tributi ejus pecuniæ collatio indicta fuerat. Sanè verbi illius hoc ſignificatũ eſſe, ex Trajani quoque epiſtola ad Plinium ſecundũ ita ſcribentis colligitur: Amaſenis (ait) conceſſum eſt Eranos habere, ſi tali collatione non ad turbas, nec illicitos cœtus, ſed ad ſuſtinendam tenuiorum inopiam utantur. Sed magis eſt, ut in illo Scevolæ reſponſo, pro *Eranos*, legimus *Æroſa*: eo ſcilicet ſenſu, quòd ſi pecuniam oblatam Creditor, juſta ex cauſſa, cum non offerretur opportuno & commodo tempore, diſtulerit; eaque poſtea quaſi æroſa, cujus uſus è Republica ſublatus erat, à Magiſtratu reprobata fuerit; nõ debeat ea Creditoris periculo ſive damno perire. Eſt autem, *Æroſa pecunia*, quæ ſubæratata eſt: quæ aurea vel argentea videtur, & habet in ſe æris plurimum, quemadmodum & Feſtus *æroſam Cyprum* dixit, quod in ea plurimum æris naſcatur. Quæ vera eſt Johannis Coraſii ſententia *lib.1. Miſcellan. c.9. num.5.* quam & Cujacio probari video *ad Africanum tract.8. mihi fol.569. ad l. ſi ſoluturus 39. ff. de ſolution.* & Oſwaldus Helliger *in notis ad Donell. lib.16. c.9. lit. M.* Eſtque hoc loco ex Pancirolio noſtro obſervandum frugalitatem veterũ prandia non noſſe: ſic enim Servius *lib.4. Æneid. in uſu non erant prandia*, quam cum inſolentiæ poſtulent Bodinus in Oppianum *lib.1. de venat.* Cœl. Rhodigin. *lib.4. lect. antiquar. cap.54.* Philander in Vitruvium *lib.9 c.5.* & alii nõnulli: Lubet ejus cauſſam ſuſcipere, & aliorum fulcire au-

2.

Æroſa pecunia.

Prandia veteribus ignota.

thoritatibus. In Servii igitur ſententiam deſcendunt Caſſiod: *Pſalmo 14.* Majores noſtri tabernas, *ait*, domus pauperum appellaverunt, & quod ibi habitabant, & cœnabant (ſicut antiquis mos erat *ſemel cibum ſumere*) ex duobus nominibus traditur unum factum eſſe vocabulum ſcilicet tabernaculum. Iſidorus *lib.2. cap.20.* Eſt autem cœna veſpertinus cibus, quam veſpertinam antiqui dicebant. In uſu enim non erant prandia. Haymo *Dominica. 2. poſt Trinitat.* & dicitur cœna à communione veſcentium: quia antiqui ſemel in die comedebant, hora videlicet nona. Idem *Dominic. ultima poſt Trinit.* Antiqui enim in die ſolummodo una vice comedebant videlicet hora die nona. Pomponius Sabinus: antiqui non prandebant, ut in vita Galeni traditur. Seneca *Ep. 122.* cotidiè ſobrius prodit, ſic cœnas tanquã Ephemeridem patri approbaturus. Unde *ſolidus dies.* Horatio, & Senecæ *Ep. 83.* Id eſt, integerà cibo, quo ad veſperam immorſi manebant. Idque in *jejuniis* obſervabatur cum primis; quæ ante veſperam h. e. ante horam diei nonam non licebat ſolvere. Salvianus *libr.1. de providentia*: Nunquid parcam illam tunc agreſtemque vitam cum gemitu & dolore tolerabant, cũ viles & ruſticos cibos, ante ipſos, quibus coxerant, focos ſumerent, eoſque ipſos capere niſi ad veſperam non liceret? Expreſſit hoc Prudentius in hymno SS. *Fructuoſi & Augurii.*

Ieiunamus, ait: recuſo potum

Nondum nona diem reſignat hora.

ideoque commodum ſatis & utile hora nona refectionis tempus indultum eſt, ait: *Caſſianus collat.7. cap.26.* quemadmodum doctè hoc colligit Johan. Savaro *ad C. Sollium Apollinar. libr.6. ep.12. & libr. 7. Ep.14.*

Dies ſolidus.

Iejunium.

1. *Veſperi cœnabant melius*) Sed & largius quoque veſperi potabatur. Nam ut Plinius

Plinius dicebat; dimidia periculi pars est noctu, hoc est, spe somni bibentibus: Somnus siquidem ad despumandam discutiendamque vinolentiam adjumento est. Et solet alioquin etiã in symposiis meridianis celerius temulentia homines corripere, quàm si ea: eam in cœnam differantur. Etsi autem parcius prandendum esse, consentiens habet Medicorum schola: cùm ut Alexander Magnus dicebat, Modicum prandium quasi Cœnæ sit obsonium: non consultum tamen putatur, diu & quidem in prandium usque jejunum persistere: tum quòd ita jejunantibus appetentia evanescat, calore vel flaccido, vel tantùm nõ extincto: tum quòd collapsis occlusisque meatibus, per quos deferri alimentum debet, in mediis spatiis hæreat, seriusque in venas rapiatur: tum denique quòd propter diurinam inediam stomachus noxiis humoribus, quos ex vicinis partibus allicit, oppletus cibum respuat, citoque satietur: ut Levinus Lemnius docuit *lib. 2. de Miraculis occul. Natur. c. 11.* huic vicina est illa quæstio: utrum famis an sitis facilior sit toleranda? quam eleganter explicat Joh. Bruyerin. *lib. 16. de re cibaria c. 5.* Nam & extitisse quosdam, qui annos permultos potus sitisque expertes vitam traduxerint; alios item nusquam bibisse, quod fortasse lectori incredibile videbitur, ut idem commemorat *libr. 16. cap. 6.*

In prandio citius inebriamur, quam in cœna.

Non diu jejunandum.

Fames an sitis tolerabilior.

Triclinium.

2. *Tres lectuli*) A tribus illis lectis dictum fuit Triclinium: quo verbo & Paulus utitur *in l. fistulam 19 ff. de servit. urba. prædior.* & Ulpianus *in l. si ut certo. 5. §. si de me. ff. Commodati.* Eoque locus & conclave significatur, in quo convivio accepti discumbebant cœnando. Nam Veteres, qui jacendo cœnabant (ut & Turcæ hodiè etiamnum facere commemorantur) tres mensas convivio adhibebant, & totidem lectos, quos inter se contiguos sternere solebant. Johan. Corasius *libr. 6. Miscell. cap. 10. n. 4. & 5.* Lectos cum dico, nõ Cubicularios illos intelligo, in quibus dormiebant & cubabant: sed discubitorios, qui à numero in ipsis accubantium, etiam Triclinares dicuntur, in quibus discumbebant cœnantes. De utroque genere ita Lampridius: Hic solido argento habuit Lectos & Triclinares & Cubicularios. In singulis porrò lectis discubitoriis, terni videntur accubuisse, quod planum facit Salustius, cum ita scribit: Igitur discubuêre, Sertorius inferior: in medio super eum L. Fabius Hispaniensis Senator: Ex proscriptis, in sumo Antonius, & infrà scriba Sertorii Versius, & alter scriba, Mecœnas in imo, medius inter Tarquinium & Deatium. Ubi hæ voces *Summus* vel *super* & *infra*, includunt Medium: ut & in Nasideni cœna, quam Horatius *lib. 2. Satyr. 8.* describit: Ubi itidem novem convivæ commemorantur. Hinc M. Varro in Satyra Menippæa, quæ incipit: *Nescis quid serus vesper vehat*: de apto convivarum numero disserens: dicit convivarum numerum incipere oportere à Gratiarum numero, & progredi ad Musarum, id est, proficisci à tribus, & consistere in novem: ut cùm paucissimi convivæ sunt, non pauciores sint, quàm tres: cùm plurimi, non plures, quàm novem. Nam multos, inquit, esse non convenit, quòd turba plerunque est turbulenta. Et Romæ quidem id constat: sed & Athenis. Nusquam autem plures cubabant, ut Gellius refert *lib. 13. Noctiũ Atticar. c. 11.* Sanè priscis olim temporibus hunc accumbendi morem in usu non fuisse, multis testimoniis confirmari potest. Nam & Homerus ait *Odyss. 10.*

Lecti cubicularii & discubitorii.

Convivarũ numerus.

Accumbẽdi mos an olim in usu.

Sedebamus sumentes multas carnes, & vinum suave.

Et Athenæus *lib. 8. Dipnosoph.* scribit: Neque mos erat antiquorum, ut reclinato corpore recumberent; sed ut sedentes come-

comederent. Et Servius ad illum Virgilii locum,

hic ariete cæso

Perpetuis soliti patres considere mensis: Majores enim nostri, ait, sedentes epulabantur: quem morem habuerunt à Laconibus & Cretensibus, ut Varro docet *lib. de pop. Ro.* Sed ad hanc morum dissensionem conciliandam, duæ erunt Majorum ætates constituendæ: & in priore dicemus, summam fuisse continentiam vitæ, summam duritiem, & severitatem, quæ qualibet sessione facilè contenta erat ad parcè duriterque vivendum: In altera verò maximam luxuriam, mollitiem & ingentes elicias, ut quæsita est hæc mollis accubatio post balnea ad delicatiùs molliusque epulandum. Gualtherius *ad Hor. lib. 1. Satyr. 4.* Fiebat autem hæc Accubatio ita, ut truncus corporis paululum inflexus in cubitum incuberet, & crura jacerent aut porrecta, leviter inflexa. Unde Horatius *lib. 1. Ode. 27.*

Accubatio qualis.

Et cubito remanete presso.

Et alibi:

Languidus in cubitum jam se Conviva reponet.

Ejus verò typum atque formam graphicè depinxit, & oculis subjecit Lipsius *libr. 1. Saturnal. sermon. cap. 6.* Ab illo autem accubationis modo convivæ non ineptè *concumbentes* vocabantur: ut notavit gloss. vet. quos Tertullianus *condegentes* dixit. *de testim. animæ*; Nonius *concibos, combibones, compotores*: Kucilius apud Festum ad Tapullam legem, *concenas* quasi tu συνδείπνους dicas.

Convivarū appellationes.

Tapulam rident legem Concenæ opimi. de quo videatur Savaro *ad Apoll. ep. 9. lib. 2.* Non solū verò, antequā accumbebant, manus lavabant veteres, ut ex illo Petronii *in Satyra* liquet: Tandem ergò discubuimus, pueris Alexandrinis aquā in manus nivatam infundentibus; & illo Apulei *lib. 9.* ipso momento, quo nos lauti cœnam petebamus: non solum, *inquam*, ante pro mulsidem & antecænium; sed etiā per singulos missus abluebant manus, præsertim in Imperatoriis cōviviis, teste Athéeo *lib. 4. c. 1.* & Lāpridio. *In Heliogabalo.* Inde *lautia*, epularū magnificentia à lavatione dicta Festo. Quod quo pacto fieret, habes apud Sidon. Apollinar. *lib. 1. Ep. 9.* & quod ibi notavit idem Savaro. Retrorsum enim convertebantur, & se avertebant à mensa convivæ, ut manus lavarēt aquā poscētes.

Manuum lotio.

Per singulos missus.

Lautia.

3 Mensa rotunda erant, & Citreæ) Mēsis citreis nihil preciosius fuisse Plinius scribit; in tantum, ut Cethegus olim mensam citream permutaverit fundi taxatione: eandemque auro prætulerit Martialis *in Apophoret.*

Mensæ Citreæ.

Accipe felices, Atlantica munera Sylvas:
Aurea quid dederit dōa, minora dabit.

citream enim mensam Cicero *duodecim millibus & quinquaginta Philippæis* emisse dicitur. Asinius Pollio *viginti millibus.* Seneca unam citream *Senatoris censu* emtam ait: video istic mensas & æstimatum lignū Senatoris censu, eò preciosius, quo illud in plures nodos arboris infelicitas torsit. Erat autem Senatorius census 30. millia coronatorum: sicut equitū decem millia. Triginta verò aureorū millia conflata in massam, mēsam utiq; magnam efficerent, inquit Raderus ad Martialem *ep. 89. lib. 14.* Mensæ igitur illæ ligno citreo, sive ex arbore citro, quod præter Ciceronem *in Verrina. 6.* itemq; Plinium & Martialem, etiam ex illo Petronii Arbitri Satyrico: *Ecce Afris eruta terris Citrea mēsa* colligitur. Et citrearum mensarū mentio quoq; fit à Paulo JCto *in l. si sterilis. §. 1. in fi. ff. de act. em.* Nihil tamen vetat, quo minus & è cedro arbore *mensas cedrinas* rectè appellari posse putemus, cum Joh. Roberto *lib. 1. animadvers. c. 4.* quarum, ob precium, insaniam viris margaritas exprobant.

Citreæ mensæ precium.

Tamen citro arbore

Quam ex cedro.

probrantibus fœminas regere solitas, testatur Plinius *lib. 13. c. 15.* Quod caput cũ de *cedrinis* mensis sit inscriptum, & de *cedro* arbore, ex qua mensæ illæ fiebant, nominatim loquatur: nec in eo varient exemplaria ulla; non video, cur Cujacii *pro cedro & cedrinis citrum & citreis*, cõtra exemplarium fidem, substituentis emendationem existimemus sequendam: Quamtumvis mordicus eam tueri contendat Antonius Mercator *lib. 1. Notator. cap. 4.* attestante præsertim ipso etiam Guilandino, viro undequaque doctissimo, *& cui cedri ac citri* natura probè fuit cognita à Maronitis gente Christiana ante annos non ita multos, succisam è monte Libano cedrum unam, in gratiam amplissimi, nec unquam satis laudati senatus Veneti: ex qua ille confici curaverit valvas, quibus augustissimi decemvirũ Collegii Curia clauderetur, in luculento illo tractatu *de papyro membr. 24. num. 5.* Citreæ mensæ præcipua dos fuit in vina crispæ: quam Tigrinam & Pantherinam vocari idem Plinius notat. Unde Martialis mensam Acernam, quæ preciositate ad Citream proximè accedebat, ita introducit loquentem:

Cujacius notatur.

Melchior Guilandini.

Acerna.

Non sum crispa quidem, nec sylvæ filia Mauræ:
Sed nôrunt lautas & mea ligna dapes.

Pedes eburnei.

Citrearum istarum sive cedrinarum mensarum pedes ex Ebore fiebant, ob id dixit Plinius: Eodem ebore Numinum ora spectari, & mensarum pedes. Hinc Apulejus *libr. 2. Milesiac.* pretiosam descripturus mensam, nominat opiparos citro & ebore nitentes lectos aureis vestibus intectos. Martialis:

Tu Lybicos Indis suspendit dentibus orbes.

Dentibus Indis, hoc est, Elephantinis, quale est ebur. Orbes verò cùm dicit, orbicularem sive rotundam mensarum formam innuit; ut & Juvenalis:

—latos nisi sustinet orbes
Grande ebur.

Alia quoq; vasa, quibus sustinerẽtur, &c. Hinc ab Ulpiano responsum legimus: Si cui vasa sint legata, non solùm ea contineri, quæ aliquid in se recipiant, edendi bibendique caussa paratum: sed &, quæ aliquid sustineant, & ideò scutellas, vel promulsidaria contineri. Repositoria quoq; (ait) continebuntur. *l. cum aurum. 19. §. sed cui vasa. 10. ff. de auro & arg. leg.* Quo in loco per Repositoria intelligit fulcra, sive bases illas, quas vasorum collocandorum gratia paratas Javolenus ait *in l. hæres. 100. §. cui Corinthia de legat. 3.* Solebant enim super antiquorum mensas repositoria poni, ad fercula collocanda: quę subinde cum ipsis repositoriis afferebantur & auferebantur. Sed ea, bibente conviva, auferri, ominosum fuisse Plinius scribit *lib. 28. c. 2.* Bibente conviva, inquit, mensam vel repositorium tolli, inauspicatissimum judicatur. Atque ea testudinũ quoque laminis quandoque vestita fuisse, idem retulit *libr. 19. cap. 10.* his verbis: Testudinum putamina secare in laminas lectosque & repositoria his vestire Carbilius Pollio instituit, prodigi & sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenii.

Repositoria in mensa.

4. *Ut prætereũtes Censores animadvertere possent)* Pertinebat enim ad Censorũ officium, luxuriãtium sumtum cohibere. Unde C. Fabricius Lucinus, & Q. Æmilius Papus Censores, Pub. Cornelium Rufinum, qui II. Cos. & DICTATOR fuerat; Senatu moverunt, caussamque isti notæ subscripsêre, quod eum comperissent argenti facti cœnæ gratia decem pondo habere Gellius *lib. 17. Noct. Atticar. cap. 21.* Censores autem Varro ideò dictos putat, quòd ad illorum censionem, id est, arbitrium populus censeretur: vel, ut Festo placuit, quòd rem suam tanti quisque solitus sit æstimare, quantum illi censuerint.

Censores.

Nec-

Nec enim liberum olim fuit Negotiatoribus tanti res suas æstimare, quanti vellent: sed quantum Magistratus ille censuerat. Eaque Censio, hoc est æstimatio, *annona fori* de iis rebus dicebatur, quæ ad annonam pertinebant, quod multis pro-

Annona fori.

.t Jacobus Rævardus *lib. Varior. cap. 17.* e Censorum porrò numero, de potestate, atque auctoritate, de tempore gendi hujus Magistratus, Cicero 3. *de LL.* ec ex Legibus 12. tabb. commemorat:

ensores populi avitates, soboles, familias, pecuniasq; censento.

rbis templa, vias, aquas, ærarium vectigalia tuentor, populiq; partes in tribus distribuunto.

xin pecunias civitatis ordine partiunto.

quitum peditumq; prolem describunto.

œlibe esse prohibento.

Mores populi regunto.

robrum in Senatu ne relinquunto.

ini sunto.

Magistratum quinquennium habento.

eliqui magistratus annui sunto, eaque potestas semper esto.

Censorum potestas.

Ex quibus perspicuum fit, Censores non de censu modò, neque de rebus civium vel singulorum, vel ad Remp. pertinentium agitasse: sed in singulis etiam civium ordinibus, in singulos cives jus animadversionis habuisse. Propterea Asconius *in divinat. Ciceron.* regendis moribus Civitatis scribit Censores quinto quoq; anno creari solere, & Cives sic notare, ut qui Senator esset, Senatu moveretur: qui Eques Romanus, equum publicum perderet: qui plebejus in Ceritum tabulas referretur, & Ærarius fieret. Est autem in tabulas Ceritum referri idem, quod esse sine lege; & sine ullo suffragio. Cerites enim populi à Romanis victi conditionem hanc subire coacti sunt, ut nunquam Leges conderent, nec unquam leges haberent: id quod ignominiosum valde fuit, ut Claud. Prevotius *in commentar. de Magistratib. popul. Rom.* docuit ex Gellio fortassis, qui primos ait Municipes, sine suffragii jure, Cerites esse factos; concessumque illis, ut Civitatis Romanæ honorem quidem caperent; sed negotiis tamen atque onerib. vacarent, pro sacris bello Gallico receptis custoditisque. Hinc tabulæ Cerites (inquit) appellatæ versa vice, in quas Censores referri jubebant, quos notæ caussa suffragiis privabant *lib. 16. Noct. Atticar. c. 1.* Plebejus ergo sic affectus à Censoribus ex albo suæ Centuriæ eximebatur, ut jam Civis non esset, verùm *Ærarius*, hoc est, pro capite suo tributi nomine Æra penderet. Poterant prætereà Censores Ordinib. notas ignominæ inurere, ut testatur Liv. *lib. 20.* Patrum (*inquit*) memoria institutũ fertur, ut Censores moris à Senatu adscriberẽt notas. Id verò cum sæpe leves ob caussas fieret; locum obtinuit in proverbio, *Censoria gravitas & severitas*: ut rectè Cicero *in oration. pro A. Cluentio*, Censores morib. dicat esse præfectos, magistros veteris disciplinæ & severitatis. Livius *Decad. 3.* Q. Cæcilium Metellum ita concionantem introducit: Non obliti sumus, Censores, vos paulò antè ab universo populo Romano moribus nostris præpositos esse; & nos à vobis admoneri, & regi; non vos à nobis debere. Exactam verò & plus nimio accuratam diligentiam Censores in Personarum ac rerum censionibus adhibere plerumq; solitos fuisse, plurima apud Gellium & alios exempla demonstrant: quale fuit Equitis, qui pinguis & obesus strigosum nimis & malè habitum equum habebat. Is propterea, quod Censorib. parũ reverenter respondisse, quærentibus, *Cur ipse esset, quam Equus, curatior? Quoniã*, inquit, *ego me curo; Equũ Statius servus*: nõ impunè evasit, sed relatus fuit in Ærarios. Is quoque, qui ad Censores ab amico advocatus erat, &

In tabulas Ceritum referri. Cerites.

Ærarius.

Censores Moribus præfecti.

Censorum severitas.

in jure

in jure stans, clarè nimis ac sonore oscitaverat, propè fuit, ut plecteretur: tanquã illud indicium vagi animi foret & hallucinantis, & fluxæ atque apertæ securitatis. Sed cum ille dejerasset, invitissimum sese ad repugnantem oscitatione victum, remerique eo vitio, quod Oscedo appellatur, tum notæ jam destinatæ fuit exemtus, ut Gellius memoriæ prodidit *lib* 4. *Noct. Atticar cap* 20. Et alibi scribit, nimis pingui & corpulento Censores equum adimere solitos; scilicet minùs idoneum ratos esse cum tanti corporis pondere, ad faciendum Equitis munus. Præterea non omninò inculpatum, neq; indesidem videri posse cujus corpus in tam immodicum modum luxuriasset exuberassetque *lib.6.cap.*22. sed & eos quoque à Censoribus fuisse notatos qui præsentibus ipsis intempestiviter lascivissent, idem Gellius tradidit *lib.4.cap.*20. his verbis: Censor agebat de Uxoribus solenne jusiurandum. Verba erant ita concepta: ET TU EX ANIMI TUI SENTENTIA UXOREM HABES? Qui jurabat, cavillator quidam, & canicula, & nimis ridicularius fuit. Is locum esse sibi joci dicendi ratus, cùm ita, uti mos erat, Censor dixisset: Et tu ex animi tui sententia uxorem habes? *Habeo equidẽ* inquit, *uxorem: sed non herclè ex animi tui sententia.* Tum Censor eum quod intẽpestivè lascivisset, in Ærarios retulit, caussamq; hanc joci securrilis apud se dicti subscripsit. Atq; hoc quidem Catoni censori à L. Portio Nasica obtigisse Cicero *lib.2.de Orator* disertè scribit. Solenne autem juramentũ Gellius appellat, quod annis singulis, à maritatis civibus Romanis singulis, de Uxoribus, earumq; moribus exigebatur Docet id Tacitus, *lib.*16 *Annalium*, ita de Thrasea scribens: Quin & illa (inquit) objectabat, principio anni vitare Thraseam solenne jusiurandum, nuncupationibus votorum non adesse, quamvis Quindecim virali sacerdotio præditum. Eoque visus est respexisse Paulus, qui de pacto dotali differens, ait convenire non posse, ne de Moribus agatur: ne publica coercito privatã pactione tollatur. *leg. illud.* 5. *ff. de pact. dotal.* ubi per publicam coërcitionem, haud dubiè censorium judicium intelligit. Nam cum solenne istud juramentum exigebatur, tunc si ex animi sententia uxorem se non habere; aut uxori jussisse, propter ejus mores pravos, *Res suas sibi habere*, Censorib. responderet Maritus: videtur ad judicium censorium etiam pertinuisse, de moribus Uxoris inquirere, cognoscere, & si res ita postulare videretur, pronunciare, imò etiam uxores coercere. Sed nec de uxorum tantùm, verùm etiam Maritorum moribus olim apud Censores litigari consuevisse, dubium nõ est. De mutua certè morum accusatione, ita Papinianus: Viro (inquit) atque uxore mores invicem accusantibus, caussam repudii dedisse utrumque pronunciatum est *leg. viro* 30. *ff solut. matrim.* Pronunciabant ergo & Censores Censorio illo Morum judicio. At quo effectu? Id verò Ulpianus optimè explicat *in fragim. tit. sexto* Morum (ait) nomine, graviorum quidem sextæ retinentur; leviorum autem octavæ. Graviores mores sunt adulteria: leviores omnes reliqui. Eoq; referri potest *l. cũ mulier.* 47. *ff solu. matrim.* & *leg. miles.* 11 §. *fin. ff. ad L. Iul. de adult.* Igitur si moribus uxoris divortium factum esse à Censoribus pronunciaretur; tunc Maritus sextã aut octavam dotis partem retinebat, tanquam discidii pœnam. Ita enim hanc Paulus appellat, *in leg. non ut* 8. *in fin. ff. de capti. postlimin. revers.* Sin contrà Mariti morib. accidisset, ut à Marito diverteret ad amicos uxor: nihil caussæ fuisse puto, quò minùs pari ratione rerum propter nuptias donatarum certam aliquam partem & Uxor consequere-

Solenni juramentum.

L. 5. ff de pact. dotal.

Iudicium de moribus tam uxoris:

Quam Mariti.

Eius effectus.

Discidii pœna.

quereretur. Sic autem viro & uxore mores invicem accusantibus, utrumque caussam dedisse repudii, pronunciarent Censores: eo casu, neque ex mariti bonis uxor, neque ex bonis uxoris Maritus quicquam capiebat: cùm soleant paria delicta, mutuâ compensatione dissolvi. *leg. viro. 39. sol. matr.* & non possit Maritus uxoris improbare mores, quos ipse aut antè corrupit, aut posteà probavit *l. cum mulier. 47. d.t.* Eaq; vera est. *d.l. 39.* interpretatio, facta à Jacobo Rævardo *lib. 4. Variar. c. 13.*

Etiam Græcis Censoria judicia.

Cæterùm non Romani tantùm, verùm etiam Græci sua habuère Censoria judicia. Athenis enim celeberrimum hoc fuit institutum à Solone (ut Herodotus ait) traductum ex Ægyptiorum moribus, ut otiũ & inertia in judicium vocarentur; singulisque annis omnes omninò cives adesse coram Magistratu tenerentur, responsuri qua arte, quibus opibus ipsi suique vitam transigerent. Atque Areopagitarum hæc inprimis cura ac solicitudo fuit, qui Morum atque disciplinæ publicæ custodes tum meritò ab Isocrate appellari potuerunt. Eos Cleanthem, Menedemum & Asclepiadem novos Philosophos, & qui in nullis erant facultatibus, evocasse atq; interrogasse memoriæ traditur; Qui fieri posset, cùm toto die operam Philosophiæ navarent, ac nihil penitus possiderent, eorum corpora nihilominus tam bene se haberent? Atqui Philosophos jussisse adduci molitorem quendam, & alium item hortulanum, victus sui optimos testes: qui dicerẽt, uti apud se singulis noctibus, aquam nunc haurienda, nunc volutatione rotæ, atq; pistrini, pro opera duas drachmas lucrifacerent. Itaque magnoperè admiratos Areopagitas, non solum Cleanthem, Menedemum & Asclepiadem innoxios dimisisse; sed & ducentarum drachmarum munere donavisse. Cleanthes accipere noluit. Narratur & apud

Corinthiorum mos.

Corinthios hunc morẽ fuisse, ut si quem cernerent splendidius obsonari, hunc interrogarent, Unde ille sumptus ei competeret, quidve ageret? Quod si huic vitæ generi sumtus suppeterent, frui sinebant: sin autem sumptus facultates excederent, jubebant in posterum moderatiùs uti: ni parerent, mulctam imponebant, quod si, nihil cum haberet, attamen ita splendidè, & opiparè viveret, necandum carnifici tradebant: qui aut hunc furem esse, aut noctibus spoliare, aut cum furibus participare, aut falsâ testari, aut accusare necesse esset. Idque P. Ærodius ita retulit Decretorum sive Rerum judicat *lib. 2. tit. 1.* ex Athenæo *lib 4. capit. 20. & lib. 5. cap. 2.* & ex Diogene Laertio *libr 7.* Hactenus de Personarum censionibus. Sed & in Rerum quoque animadversionibus Censores accuratæ diligentiæ fuisse perhibentur. Verbi caussa, si quis agrum passus fuisset sordescere, quem indiligenter curaverat, ac neque araverat, neque purgaverat: sive arborem suam, vineamque habuerat derelictam: non is sine pœna fuit: sed erat opus censorium, Censoresque Ærarium faciebant. Item si quis Eques Romanus equum habere gracilentum, aut parùm nitidum visus erat; impolitiæ, hoc est, ut Gellius *lib. 4. c. 12.* interpretatur, incuriæ notabatur. Sed nihilo tamen minus è diverso nimiam quoq; lauticiam veteribus crimini fuisse, multa passim obvia docent exempla. Nam M. Æmilium Porcinam à L. Cassio accusatum crimine nimis sublimè exstructæ villæ in Alliensi agro, gravi mulcta Populus Roman. affecit. Videlicet his antiquæ probitatis ac frugalitatis hominibus placebat, unumquemque non solum publicè, sed etiam privatim continentem, frugi, parcum; ac non modò civem bonum, sed & patremfamiliâs optimũ esse oportere. Ex privata luxurie, abundantia, atq; nimio splendor-

Impolitiæ.

Luxuria M. Æmilii Porcinæ.

dor

ctore æstimari, quæ publica esset, cujusq; de cæterorum civium vita, bonis ac fortunis administratio, quia vita nimiùm splendida & copiosa, nunquàm à bonis alienis abstineat: sed & perpetuò tyrannicum aliquid præ se gerat. Etenim in ea civitate maximè, quæ Populi suffragiis aut paucorum arbitrio regitur, alium alii civi, fortunis & opibus magis, quàm virtute antecellere, nunquã suspicione caruisse. Ideoq; Valerio Publicolæ domum in Palatio constructam, crimen affectatæ tyrannidis attulisse: & apud Græcos populos exilium id, quod *Ostracismum* appellabant, idcirco institutum. Denique Reipubl. interesse, neminem re sua malè uti: non ad superbiam & prodigalitatem. Itaque Rutilium Rufum, modum ædificiis attulisse: Lycurgum Lacedæmone, ut tecta domus non alio instrumento, quàm securi; tabulata, quàm dentato perficerentur. Hinc & Leges Oppias, sumtuarias, vestiarias, de minuendis dotibus, de sumtibus funerum, aliaque innumera hujusmodi, quæ hominum libido, potentiorum atque primariorum exemplum in omni Republ. semper abrogavit, qua de re videri poterunt Val. Maximus *lib. 8. cap. 1.* Suetonius *in Augusto*, Plutarchus *in Sylla*, Plinius secundus *lib. 8. cap. 45.* P. Ærodius *lib. 2. Decret. tit 4.*

Val. Publicola.

Ædificiorum modus.

Notæ Censoriæ auctoritas.

At verò tametsi gravis esset nota Censorum: judicii tamen vim nullam habebat: animadversionesque illas censorias præjudicia tantum fuisse constat, non judicia. Nam qui à Censoribus notati aut præteriti fuerant: postcà postulari ad subsellia poterant: ubi nisi damnarentur, pro nihilo erat Censoria animadversio: Ignominiosa nihilominus erat. Cicero *libr. 4. de Republ.* Censoris (inquit) judicium nihil ferè damnato adfert præter ruborem. Jtaque quòd omnis ea judicatio versatur tantummodò in nomine, animadversio illa *Ignominia* dicta est. Brechæus *in l. censere 111. de verbor. significat.* Ignominiã autem certum est plurimum distare ab Infamia, quæ non nisi Magistratuum sententiis ac judiciis, & quidem iis infertur, quibus ex Lege irrogatur, *l. infamem, 7 ff. de publ. jud.* Nam si esset ignominia idem quod Infamia, frustra Prætor edictis perpetuis infamiâ notasset eos, qui ab Imperatore cum ignominiâ dimissi essent *l. de his ff. qui not. infam.* De iis qui à censoribus notarentur, nihil edicto compreh͡ensum est. Non igitur infames sunt ignominiosi, ut infamium ac damnatorum pœnis teneantur. Joh. Bodinus *lib. 6. de Republ. cap. 1.*

Notati à Censoribus num infames.

Creati sunt primùm Censores ex patribus: sed posteà indifferenter ex omni ordine. Quòd si eorum alter moreretur, nefas erat in demortui locum sufficere aliũ. Sed qui superstes erat, abdicare se magistratu cogebatur, ut duo censores ex integro crearentur. Hujus instituti causa fuit, quòd quo anno Galli Romam ceperunt, altero ex Censoribus mortuo, alter in mortui locum fuerit substitutus. Itaque omninosum id fuit, & pro lege, ne id amplius fieret, observatum est.

Censorum creatio.

Solebant Censores quinto quoque anno populum lustrare, hoc est, purgare. Idque ex Servii instituto, qui primus instructum exercitum *suovetaurilibus* lustravit, id est, ad lustrandum populum Suem, Ovem, Taurum immolavit. quod posteà Censores exsequuti sunt. Inde & Lustrum nominatur, & ejus appellatione Quinqueñii spacium significatum, quod, ut dixi, quinto quoque anno, Lustratio illa perageretur. Lustrare autem agrum ita oportere, M. Cato *de re rustica* docet: Jmperans Solitaurilia *(ita & Festus legit: pro ea tamen dictione non inepte forsan substituere possis Suovitaurilia)* circumagi cum Divis volentibus, quod-

Lustratio.

Suovetaurilia sacra.

quodque benè eveniat, mando tibi Mani, ut illa Solitaurilia, fundum, agrum, terramq; meam quota ex parte sive circumagi, sive circumferenda censeas, uti curtes lustrare; &c..

Acta Censoria. Censores deniq; peracto Magistratu suo in tabulis publicis acta Censoria describebant, quæ in æde Nympharum servabantur. Unde Cicero *pro Milone*, de Clodio loquens: Eum, *inquit*, qui ædem Nympharum incendit, ut memoriam publicam incensis tabulis publicis impressam aboleret, &c. Sanè Censorium hunc Magistratū rectè institutis Rebuspublicis perquàm esse necessarium, nemo probæ mentis & judicii ibit inficias. *Censorum necessitas.* Idq; Joh. Bodinus satis evidenter docet *lib. 6. de Repub. cap. 1.* & in *methodo historica fol. 248.* censuræ munus tam gravæ, tanquam necessarium in Repnbl. fuisse ait, ut nulla re magis floruisse Romani videantur, quod intellectum est, sublata censura. Nam eo ipso tempore Reip. splendor & Majestus una cum virtute majorum interiit, ut mirum sit, nusquā eū Magistratum hodiè inveniri: cū ea quæ ad avaritiam pecuniarūque corruscationē pertinent officia, mirum in modum coaluerint; ubiq; laqueos tendentibus Satrapis, hallucinantibus Theologis, adulantibus Jurisconsultis, persuadentibusque omnia Principibus licere, summamque eorum & liberam esse potestatem, quæ gravis est Alciati querela in *l. cœsere. 111 ff. de verbor signification.* Cōtra verò apud Genevates, si quid unqūā gentium Rempub. efficit, si non opibus, & imperii magnitudine, certè virtutibus ac pietate florentem Bodinus inprimis laudabilē censet illam Pontificum (per quo *Presbyterium* intelligit) censuram; quā nihil majus, ac divinius cogitari possit ad coercendas hominum cupiditates, & ea vitia, quæ legibus humanis ac judiciis emendari nullo modo possunt. *Presbyterii commendatio.* Hæc tamen coercitio, *inquit*, ad Christi normā dirigitur, latenter primum & amice; deinde paulò acerbius, tum, nisi pareas, sequitur interdictio sacrorum gravis & efficax: Interdictionem animadversio Magistratuum. *Forma.* Ridiculum est enim, ut ait Seneca, ad legem bonum esse, ita fit, ut quæ legibus nusquam vindicantur, illic sine vi ac tumultu coerceantur ab iis censoribus, qui summam virtutis opinionem de se ipsi excitarunt. Igitur nulla meretricia, nullæ ebrietates, nullæ saltationes, nulli mendici, nulli ociosi in ea civitate reperiuntur, *In methodo histor. c. 6. mihi fol. 245. & seq.* *Finis.* Exercetur autē presbyterium merè Ecclesiastico & spirituali judicio, ita ut nihil prorsus de civili potestate ac jurisdictione delibetur, ut *eruditissimus Beza* tradit, Presbyterium graphicè describēs, *Epist. Theologicar 20. fol 128. & seq.* & disciplinæ Ecclesiasticæ formam, ac summa ejus capita expressit orthodoxorum antesignanus *Dn. Calvinus. Ep. 55. 167. & 302.* *Beza.* *Calvinus.* quam & nervum Ecclesiæ vocat *ep. 341.* & unicum ejus retinendæ vinculum, *ep. 303.*

5. Plus quàm centenos æris insumat) Intelligit auctor Fanniam legem, à C. Fannio latam: *Lex Fannia.* qua quidem commentatiorum in Lucilium scriptores putaverunt, perpetuos in omne dierum genus centenos æris statutos. Sed in hoc eos errasse Gellius docet *lib. 2. cap. 24.* quandoquidem centū æris Fannius constituit, festis quibusdam diebus, puta ludis Romanis, item ludis plebeiis, & Saturnalibus, &c. Aliorum autem dierum omniū in singulos dies sumtus inclusit intra æris aliâs tricenos, aliâs denos, ut Gellius interpretatur. De hac Lege Samnonicus Serenus ita refert: Lex Fania sanctissimi Augusti ingenti omniū ordinum consensu pervenit ad populum. Neque enim Prætores aut Tribuni, ut plerasque alias, sed ex omnium bonorum consilio & sententia ipsi Consules pertulére.

ſere: cum Reſpublica ex luxuria conviviorum majora, quàm credi poteſt, detrimenta pateretur. Siquidem eò res redierat, ut gulâ illecti plerique ingenui pueri pudicitiam & libertatem venditarent: plerique ex plebe Romana vino madidi in comitium venirent, & ebrij de Reipublicæ ſalute conſulerent.

Q. Remmius Fannius Palæmon.

Fannii autem fuere plurimi. Inter quos etiam emicuit. Q. Remmius Fannius Palæmon, celeber Grammaticus: quē Tranquillus *in libello de illuſtrib. Grammaticis* ſcribit, officinas promercalium chartarum veſtiumque exercuiſſe. Ita namq; locum illum legendum arbitratur Melchior Guilandinus; non quemadmodum Volaterranus *libri* 18. *Urbanor. Commentarior. principio*, Carnium veſtiumque. Idem Tranquillus Vicentinū fuiſſe, ait, mulieris quidem vernam, ſed manumiſſum docuiſſe Romæ, ac principem locum inter Grammaticos tenuiſſe: quamquam infamem omnibus vitiis, palamq; & Tiberio, & mox Claudio dicentibus, Nemini minùs inſtitutionem puerorum vel juvenū committendam. Arrogantia fuit tanta, ut M. Varronem *porcum* appellaret: *ſecū & natas & morituras literas* jactaret. *Nomē ſuum in Bucolicis non temerè poſitum; ſed præſagiente Virgilio, fore quandoq; omniū Poetarum ac Poematum Palæmonem judicem.* Gloriabatur etiam, latrones quondam ſibi propter nominis celebritatē parſiſſe. Luxuriæ ita indulſit, ut ſæpius in die lavaretur: nec ſufficeret ſumtibus, quāquā ex ſchola quadragena annua caperet, ac non multò minùs ex re familiari, cujus diligētiſſimus erat: Sed maximè flagrabat libidinibus in mulieres, uſque ad infamiā oris: dictoque non infaceto notatum ferunt cujuſdam, qui cum in turba oſculum ſibi ingerentem, quanquam refugiens; devitare non poſſet: *Vis tu*, inquit, *Magiſter, quoties feſtinantem aliquē vides, abligurire?* Exſtat adhuc de multis ingenii ſui monumētis fragmentū quoddam imperfecti carminis, de Ponderibus & Menſuris: quod aliquandiu ſine titulo proſtitit inter Priſciani ſcripta. Unde ejuſdem Priſciani opus eſſe multi putârunt. Guilandin. *in tract. de Papyro membro* 13.

Eius arrogantia.

Luxuria.

Cl. Æſopi patris & filij luxuria.

6. *Clodius enim Æſopus*) Hujus filium non ſolum perditæ, ſed etiam furioſæ luxuriæ Juvenem Valer Maximus appellat: quem conſtat cantu commendabiles aviculas, immanibus emtas preciis, in cœna pro ficedulis ponere ſolitum *lib.* 9. *cap.* 1. Patrem ſcilicet imitatum; de quo ita Plinius *lib.* 10. *c.* 15. Maximè inſignis eſt, inquit in hac memoria, Clodii Æſopi Tragici hiſtrionis patina, ſexcentis H.S. taxata: in qua poſuit aves cantu aliquo, aut humano ſermone vocales, millibus ſex (ita enim pro *numis* Budæus legendum eſſe probat *lib.* 2. *de Aſſe*) ſingulas coëmtas; nulla alia inductus ſuavitate, niſi ut in his imitationem hominis manderet, ne quæſtus quidem ſuos reveritus illos opimos & voce meritos. Dignus prorſus filio, à quo devoratas diximus margaritas; tanquam amaram aliquam ſarcinam quā celerrimè abiicere cupiente; ut ex Valerio hūc Plinii locum ita ſuppleamus. Hanc verò Æſopi patinam longè etiam exſuperavit luxus Vitellii: quod idem Plinius docet *lib.* 35. *cap.* 12. Nam nos (ait) cùm unam Æſopi Tragœdiarum hiſtrionis in natura Aviū diceremus ſeſtertiis DC. ſtetiſſe; non dubito indignatos legentes. At hercules; Vitellius in principatu ſuo decies ſeſtertiūm condidit patinam: cui faciendæ fornax in campis exædificata erat: quoniam eò pervenit luxuria, ut etiam fictilia pluris conſtent, quàm Murrhina. Quo in loco primùm pro *C. Seſtertiis*, ut perperam ibi erat poſitum, legendum eſſe *DC.* & rurſum pro *CC. ſeſtertiis Decies ſeſtertiūm*, doctiſſimus Budæus evidenter docet: ut ſcilicet Vitellii

Patina.

Vitellii luxus.

Patina.

Vitellii patina quadringēta sestertia, hoc est, aureorum decem millia ad patinam Æsopi addat. Bud. *libr. 4. de Asse.* Sed & de Vitellii hujus patina, & luxuria, quam accusare aliquantò facilius esse, quam vituperare Valerius Maximus putabat, satis etiam attestatur Suetonius; qui Vitellium ait luxuriæ sævitiæque deditum, epulas trifariam semper, interdum etiam quadrifariam dispartitum fuisse: in Jentacula, & Prandia, & Cœnas, Commessationesque, facilè omnibus sufficentem, vomitandi consuetudine. Indicebat autem (inquit) aliud alii eadem die; nec cuiquam minus singuli apparatus quadringenis millibus numûm constiterunt. Famosissima super cæteras fuit Cœna ei data adventitia à fratre: in qua duo millia lectissimorum piscium, septem avium apposita traduntur. Hanc quoque exsuperavit ipse dedicatione patinæ; quam ob immensam magnitudinem *Clypeum Minervæ* dictitabat. In hac Scarorum jecinora, phasianorum & pavonum cerebella, linguas phœnicopterum, Murenarum lactes à Carpathio usq; fretoque Hispaniæ, per Navarchos ac triremes petitarū commiscuit. Suet. *in Vitellio. num. 13.* Equidē hujus prodigentiam patinæ cōjicere possumus ex preciosis cibariis. Jam enim Varronis tempore, pavones quinquagenis denariis singuli venundari solebant, hoc est, quinis aureis nostris: quorū cerebella Clypeus ille continebat; quæ innumera fuisse nemo ambigit, tanta amplitudine paludis. Porrò *Scaro*, ævo illo principatus dabatur, teste Plinio; Hic enim ex alieno penè orbe in Italiæ litora advectus, incola novus cœpit esse Tiberii Claudii Principatu. Quamobrem tum ob raritatem, tum novitatem (quæ solent pretia rerum incendere) sumtus jecinorum providere possumus. Adde, quod ex Mulli insano pretio (unum enim

Clypeus Minervæ.

Prodigentia Patinæ Vitellii.

Scarus.

—nullum sex millibus emit
Æquantem sanè paribus sestertia libris

ait Juvenalis: Macrobius septem millibus ab Asinio Celere viro consulari mercatum meminit; Plinius octo emtum millibus, quæ æstimatione nostra ducentos faciunt aureos) Scarus quoque censeri potest, qui primas in epulis tunc obtinuit: Adde itidem, quod *Phasianos* haud frequentes in Italia fuisse satis constat, & navigandum fuisse ad Phasin, ubi hæc ales frequens alitur, indeque nomen traxit. Quis enim in Italia tantum illarum proventum invenerit, ut pars grandissimæ patinæ earum cerebellis instrueretur? Sed & *Phœnicopterum* linguas quis non miretur? Rarissima enim avis erat, & primum Apicii portentissimæ gulæ mensis cognita. Atque sola lingua, quam præcipui esse saporis, altissimus ille ganeæ gurges docuit. Præterea mirari quoque possumus *Murenarum lactes*: Nam etsi in piscinis & vivariis illis luculentissimis atque amplissimis Romæ educarentur copiosissime & in ipso Italico mari frequentes reperirentur: nihilominus ab exteris litoribus petitæ gratiores videbantur. Quæ omnia ad illustrandum illum Suetonii locum hic apponere libuit, ex Johanne Bruyerino *lib. 3. de re cibaria. cap. 2. fol. 139. & lib. 19. cap. 2. fol. 778.* Tantam autē luxuria isthac sua invidiam sibi conciliavit Vitellius, ut eam non nisi morte cōtumeliosissima expiare potuerit. Per viam enim sacram, ut noxii solent, reducta coma à capite, ut visendam præberet faciem, cœno oblitus, inter convitia distractus, apud Gemonias minutis ictibus dilaceratus & confectus, unco tractus est in Tiberim: Sueton. *ibid. num. 17.* parum felicior Heliogabalo, qui à scurris per cleacas tractus, similiter in Tiberim fuit demissus: quanquam ad preciosam etiam mortem se comparaverat. prævidens enim

Phasiani

Phœnicopterus.

Murena.

Vitellii interitus.

Heliogabali interitus.

nim se Imperatorem Romano populo invisum, intortos serico & cocco pararat funes: quibus, si necesse esset, vitam finiret; & gladios aureos, quibus se occideret; & venena in smaragdis & hiacynthis; mortem etiam suam preciosam esse oportere dicens: ut est apud Lamprid. *in Heliogabalo.*

Ab ovo ad mala.

7. *Vnde natum proverbium, ab ovo ad mala)* Proverbii hujus meminit Cic. *lib. 9. ep. 20.* innuens, ovum fuisse cœnarum initium: mala autem sive poma, finem. Quo allusit Horatius *lib. 1. Satyr. 3.*

—*Si collibuisset ab ovo*
Vsque ad mala citaret.

Ovi forma oblonga an rotunda gratior.

quem locum ex illo Ciceronis ita interpretatur Gualtherius & *lib. 2. Satyr. 4.* in disquisitionem vocat, utra ovi forma, oblongane, an rotunda præstet saporis gratia, succique facultate ad mares excludendos: asserēte nimirum Aristotele, oblonga & gratioris saporis esse, & *fœmellas* excludere; Plinio contrà & Columella existimantibus, *Mares*, ut rotunda *fœmellas*, tandem tamē concludit Gualtherius, vim istam sive Marem, sive fœminam excludendi, non à figura ovi, sed à conditione seminis dependere Id quod accuratius examinat Lud. Cœlius Rhodigin. *lib. 27. lection. antiq. cap 17.* ubi ova etiam expiationibus apta docet illo Juvenalis—

Ova expiationibus apta.

—*nisi se centum lustraverit ovis.*

Nam & Ovidius, *de Arte*, ova hæc lustratia indicat illis versibus.

Et veniat, quæ lustret anus lectumque locumque;
Proferat & tremula sulphur & ova manu.

Superstitio quorundam asservādis ovis.

Ridiculū verò est, reperiri quosdam, qui gallinæ ova die parasceves edita, toto asservant anno, existimantes ea vim habere ad exstinguenda incendia, si in ignem projiciantur. Quam superstitionem explodit Martin. Del-Rio *lib 3. disq. Magicar. part. 2. q. 4. sect. 6. fol. 94*, ubi & eorum, qui comestis ovis, testas eorum non nisi ter cultro perfossas in catinum projecerunt, rati neglectum id veneficis nocendi occasionem præbere; observatum vero nocendi potestatem præcludere *lib. 6. cap. 2. sect. 1. q. 1. fol. 146.*

Lactucæ post cœnam.

8. *Lactucam sub Cœna finem mādncabant)* Quod ipsos non citra rationem factitasse censet Lemnius. Cùm enim Lactuca frigidæ humentisque sit naturæ; à cœna assumta efficaciùs somnum conciliat, viniq; fervorem reprimit, atq; ebrietati obsistit inducta cerebro humiditate. Nostra verò ætas salubrius existimat, ab ejus esu Cœnam auspicari. Siquidem cum ex prolixiori prandio exigua ferè esse soleat ad cibum aviditas, mos inolevit, ut in ipso statim accubitu fastidienti stomacho lactucis oleo acetoque conditis appetentia excitetur, quin & illum, usum Lactuca præbet, ut ante omnem cibum in venas delata sanguinis fervorem reprimat, atque epatis cordisque calidam intemperiem mitiget: adeò ut immodicus ejus usus Venerem coërceat, ac concumbendi desiderium exstinguat, qua de re videatur Lævinus Lemnius *de Miraculis occultis Naturæ lib. 2. cap. 42.* Cui omnino addenda sunt, quæ hac de re ad partes arguēdo doctè ac eleganter prodidit Scipio Mercurius, philosophus, Medicus, & civis Romanus in egregio illa tractatu, cui titulū fecit *de gli errore populari d'Italia lib. 7. c. 20. f. 229. & seq.* Plin. certè Lactucam æstate gratiā, stomachoq; fastidiū auferre, & cibi appetentiam facere scripsit *lib. 19. c. 8.* quæ ex hoc cognoscitur nacta nomē suū, ab ubertate superflui lactis, ut Gualther; ostēdit in Notis *ad Hor. Sat. 4. lib. 2.* Ferūt, Romanos ante Anton. Musam, ob religionem eas minimè commanducasse: cujus caussā aliqui voluerint, quoniā Venus *Adonin* ab Apro interemtū sub lactuca cōdiderit, q. ātea idolum quoque

Ante cœnā sumta.

Lactucæ commoditas.

Sub Lactuca Adonis à Venere conditus.

que ederat. Romani enim contumelia Numinum insignes, ideò Veneri dicatam arbitrati sunt. Haud dubium est, Veneris intemperatis libidinibus refragari, præcipuè iis, quæ per somnos contingunt. Quamobrem videant, qui uxores duxerunt, ne usu frequentiori ac liberatiori graviter peccent, quippe segniores in Venerem reddi eo cibo possunt. Nos igitur, ait Johan. Bruyerinus, cucullatis & iis, qui castitati vitam suam dicarunt, largissimè vorandas censemus, *lib. 8. de Re cibaria 4. fol. 358.*

Lactuca Veneri resistit.

Ideoque Clericis optanda.

Ac quoniam Pancirollus hoc loco, singulis convivis cum lactuca etiam ternas cochleas paratas & appositas fuisse ex Plinio refert; meminerimus veteris illius proverbii, quod habet: *Ex cochlearum sive testudinum carne vel multum edendū esse, vel nihil* Id hanc habet rationē: quoniam modica in cibis intestinorum dolores facit, copiosa purgat & sanat. Philipp. Beroald. *ad Luc. Apulejum lib. Milesiar. fol. 100.*

Cochlearū usus.

9. Mulsi vasa) Ea Ulpianus Promulsidaria appellat *in l. 19. §. 10. de aur. & arg. legat.* à promulside sic dicta, quod cibi genus fuisse putat Turnebus *lib. 28. Advers. cap. 23.* quod initio vel prandii vel cœnæ sumebatur loco Mulsi: quod caput & principium olim Cœnæ erat, ut ex Horatio intelligimus *lib. 2. Satyr. 4.*

Promulsidaria Promulsit.

Mulsum.

Aufidius forti miscebat mella Falerno.
Mendosè quoniam vacuis committere venis
Nil, nisi lene, decet; leni præcordia mulso
Prolueris melius, &c.

Habebant veteres Romani mulsum in deliciis, & in triumpho milites ab Imperatore eo donabantur. Plautus *in Bacchidibus: Scena Atrida:*

In deliciis olim

Sed Spectatores vos nunc ne miremini
Quod non triumpho. pervolgatum est, nihil moror.
Verumtamen accipientur mulso milites.

Sic Livius eo exemplo & more significat Culleonem in Africani funere, renovatâ memoriâ triumphi ejus pileatum dedisse mulsum aut triumphi imitatum liberalitatem & imaginem hoc fecisse, dum ait, Eum ad portam Capenam mulsum prosecutis funus dedisse, Ita enim locum istum Turnebus interpretatur *lib. 14 Adversar. cap. 11* Martialis Mulsum è Massico vino & melle Attico cum primis commendat illo disticho:

Mulsum è vino & melle.

Tu benè rara suo miscentur cinnāa nardo,
Massica Theseis quam benè vina favis.

Et alibi Mulsum, hoc est, vinum melle temperatum tanti facit, ut Ambrosias ornare dapes id posse censeat: quippe quod dignum sit, ut à Ganymede Jovis pocillatore in cœlo propinetur.

Attica Nectareum turbatis mella falernū
Misceri decet hoc à Ganymede merum.

Præstantissimum verò Mulsum è vetere vino austero & bono melle confectum Dioscorides putat *lib 5. cap 16.* Cujus rei causam explicat Macrobius *lib. 7. Saturnal. cap. 12.* Cur, *inquit*, ita mel & vinum diversis ætatibus habentur optima? mel quod recentissimum, vinum quod vetustissimum? Unde est & illud proverbium, quo utūtur Gulones: *Mulsum, quod probe tēperes, miscendum esse novo Hymettio, & Falerno vetulo*, propterea, inquit ille, quia inter se ingenio diversa sunt. Vini enim natura humida est, mellis arida. Nam quæ udanda sunt corporis, vino foventur: quæ siccanda sunt, melle deterguntur. Igitur longinquitate temporis de utroque aliquid exsorbente, vinum meracius fit, mel aridius. Et ita mel succo privatur, ut vinum aqua liberatur. Ferunt quoque multos longam senectutem mulsi tantum nutricatu tolerasse, neque ullo alio cibo; celebri Pollionis Romani exemplo, quē centesimum annum excedentem, cum D.

Et quidem vino vetere.

Melle recenti.

Mulsum senectam profert.

Augustus hospes interrogasset, quanam ratione maximè vigorem illũ animi corporisque custodisset? ille respondit: *intus mulso, foris oleo* Quod Beroald. *ad Apul. lib.3. & 10 Milesiar.* Mulsi laudes diligenter prædicando retulit.

10. *Vino ex melle confecto*) Vinum illud ex melle confectum interpretor. *Vinum mellitum*, hoc est, dulcissimum, & melle temperatum: quale veteribus fuit Oenomeli sive Mulsum illud, de quo modò diximus, & cujus etiam Ulpian. meminit *in l. si quis 9. ff. de tritic. vino vel oleo legat.* licet ibidem Oenomeli à Mulso videatur distinguere, illud quidem vini appellatione contineri asserens, hoc verò non itẽ: contra Dioscoridem & Plinium, quibus Mulsum & Oenomeli sunt eadem de quo videatur Alciatus *lib. 9. parerg. cap. 2.*

Oinomeli.

11. *Vino nive refrigerato*) Solebant Veteres cribella argentea habere foraminulenta, unde nivem colare possent, quam æstatis tempore diligenter servatam refrigerandis vinis, cùm potaturi erant, imitterent. Plinius *lib. 19. cap. 4.* Hi nives, illi glaciem potant, pœnasq; montium in voluptatem gulæ vertunt. Servatur algor æstibus, excogitaturque ut alienis mensibus Nix algeat, &c. Id vasculum *Colum nivariũ* appellabatur: quod ad præparationem bibendi comparari solitum Pomponius docet *in leg in argento. 21. ff. de aur. & argent. leg.* In argento potorio (inquit) utrum id duntaxat sit, in quo bibi possit, an etiam id, quod ad præparationem bibendi comparatum est, veluti columnivarium; & Urceoli; dubitari potest. Sed propius est, ut hæc quoq; insint. Quo in loco Accursius *Columnarium* legit, & Anglesteriam, sive ut Alciatus legit, Engasteriam exponit, quæ instar columnæ collũ habeat. Malè: cum hujusmodi potorium vas potius ad bibendum, quam ad præparationem bibendi pertineret. Magis igitur est, ut Haloandri & antiquorum Codicum lectionem secuti *Colum nivarium* legamus, & cribella illa, de quibus diximus, ad vini refrigerandi præparationem idonea, cum Alciato intelligamus *libr. 8. parerg. cap. 4.* Pauperiores non argento ad hanc rem: sed lineo sacco utebantur Martialis *de Colo Nivario.*

Columnivarium.

l. 21 de auro & arg. leg.

Setinos moneo nostrâ nive frange trientes:
Pauperiore mero tingere lina potes.

quibus versibus non obscurè significat Poeta, cola, per quæ Nives vini refrigerandi & diluendi gratia colabantur, lautioribus servire solita, & majoris, quàm lineos saccos precii fuisse. Unde idem *de sacco Nivario:*

Saccus nivarius

Attenuare Nives nôrunt & lintea nostra:
Frigidior colo non salit unda tuo.

Sed & ipsa quoque vina sacco transmittebant Veteres, ut defecata meracius biberentur. Idq; saccare dicebant. Martialis:

Saccare vinum.

Cecuba saccẽtur, quaq; annus coxit Opimi.
Condantur parco fusa falerna cado.

ubi pro *Siccentur*, legendam esse *Saccentur*, rectè observavit Turnebus *lib. 17. c. 18. & libr. 23. cap. 25.* Hinc per similitudinem non inamœnam, in re tamen parum honesta, factum est, ut cum vesica coli vinarii vel sacci speciem habeat, urina liquoris transmissi, Lotium saccatum diceretur. Illud enim Samnonici,

Quod facit ex asino saccatus corporis hũor

idem Turnebus lutum ex asinini lotio factum interpretatur *lib. 13 c. 14.* siquidem vesica lotium transmittebat, non aliter atque saccus vinarius vinum.

Etsi autem potionis ex Nivis colatione caussata refrigeratio non veteribus tantùm in usu fuit; verùm etiamnum hodiè à multis usurpatur: Eam tamen noxiam inprimis esse, concors est Medicorum sententia; asserente præsertim principe horum Hippocrate, Frigidum inimicum esse ossibus, dentibus, nervis, cerebro

Potus refrigeratio an commoda.

bro, spinali medullæ, &c. Ex cujus alicubi disciplina, Frigida, qualis Nix & glacies, pectori inimica tusses movent, & sanguinem & destillationes: quas, & longè deteriores affectus sequi consueverunt. Nam & Phrenesin, & Anginam, & Febres acutas, & Phthisin, itemque Dysenteriam & Hydropisin, cum aliis morbis propè infinitis ex frigidæ potione scaturire, firmissimis argumentis probat Antonius Persius, in docto & eleganti tractatu, quem sua, id est, Italica lingua conscripsit „ *Del bever caldo do costumato da gli antichi Romani*, *cap.* 12. & 13: de pessimo illo vini glacie refrigerandi more, audi Senecam *ep.* 79. ô infelicem ægrum! quare? quia non vino nivem diluit: quia non rigorem potionis suæ, quam capaci scypho miscuit, renovat fracta insuper glacie. &c. Atq; idem graviter in nivis & glaciei delitias invehitur 4. *Natur. quæst. cap. ult.* Causam autem hujus desiderii confert in præcordia luxu corrupta: quibus nullum, quo interquiescant, intervallum datur *Quid sentire possent*, exclamat, *emortuæ fauces! & occallata cibis ardentibus.* Ardentes boletos raptim condimento mersatos demittunt penè fumantes, quos deinde restinguunt nivatis potionibus At Dii boni, quam facile est exstinguere sitim sanam? Huic sectat illud Martialis *apophor.* 117:

Vini nive refrigerati incommoda.

Non potare nivē, sed aquā potare rigentē
De nive commenta est ingeniosa sitis.

Cum aliis quæ adnotavit Clariss. Remus *ad Themistii orationem* 1. *pag.* 26. Calidæ potionē contrà longè utiliorem & commodiorem esse, evidentibus similiter rationibus idem Pierius demonstrat *cap.* 14. & 15. Et quidem nō apud Romanos tantùm veteres, sed & Græcos quoque ipsos Calidum potum in usu, atque adeò etiam in deliciis fuisse, si probatissimorum scriptorum auctoritatibus comprobavero, non omnem me operam frustrà collocasse putabo. Apud Græcos sanè more hunc viguisse, ut Calida biberetur aqua, Plistonicus suæ ætatis Medicus satis celebris, apud Athenæum *lib.* 1. *c.* 2. liquidò ostēdit: dum inter alia præcepta ad commodam stomachi dispositionem facientia suadet, ut Aqua bibatur, tanquā utilissima; Hyeme quidem, & verè calida; Æstate autem frigida. Et *libr.* 3. *cap.* 3. quærit Heclides Tarentinus in Symposio; Nunquid post ficus calida, an frigida aqua sit bibenda? Atque eam quæstionem in utramque disputans partem, haud obscurè innuit, Utriusque potionem in usu fuisse. De quo clariùs etiam attestatur idem Athenæus *ead. lib. cap.* 21. Ubi Veteres calidam aquā usurpasse probat ex Eupolide *in Populis*:

Ostenditur Calidam potionem tam Græcis, quā Romanis in usu fuisse.

Abenū calefacere nobis aliquem, & aquā Iube decoquere, visceribus ut auxiliemur.

quo loci advertendum est, Aquam uti in aheno coctam; etiam actualiter calidam, non verò etiam frigefactam (ut quidam locum illum cavillando interpretantur) potatam fuisse: siquidem refrigerata vel frigefacta ista aqua plus etiam damni, quàm utilitatis, ventriculo & intestinis fuisset allatura. Lucianus quoque *in Asino*; prope lectum ait mensam stetisse, atq; in ea poculum & aquātam frigidam, quàm calidam fuisse collocatam. Atque in hunc quoque modū à doctis exauditur ille L. Apuleji locus *libr.* 2. *Metamorph.* Et calices bini jam infuso latice semipleni, solā temperiem sustinentes. Pro *boni* enim, quod ineptè ibi erat positum, Lipsius & Colvius *bini* rectè & emendatè legunt: ut duo intelligantur calices: quorum uno calida; altero frigida aqua ministraretur. Eandem verò & Romanorum fuisse consuetudinem, ut Calidum biberent, fidem faciunt multi probi auctores. Varro certè *lib.* 4. *de Ling. Latina*, Calicis, quod perpetuum, & quotidianum bibendi instrumentum est, Etymologiam assignans; Ca-

lix

lix, *inquit*, à caldo: quòd in eò calda puls (Turnebus *plus* legit) apponebatur, & calidum eo bibebant. Paulus JCtus quoque inter Cacabum (quod eidem Varroni vas est, in quo cibus coquebatur) & Ahenũ, in quo Aqua bibendi gratiâ calefiebat, distinguens nonnihil: Nec multum (ait) refert inter cacabos & ahenum, quod supra focum pendet. Hoc enim aqua ad potandum calefit: in illis pultarium sive pulmẽtarium coquitur *leg. cum de lanionis 81. §. ite cacabos ff. de instructo & instrum. leg.* quia enim instrumenta hæc diversis usibus erant destinata; diversa quoque nomina habebant, & diversas figuras. Sed & Jul. Pollux *lib. 9.* Ahenum appellat vas illud, in quo aqua calida præparabatur ad bibendum. Seneca etiam *lib. 1. de Ira c. 12.* calidæ aquæ, cujus cũ temporis usus fuerit, mentionem facit. Irascuntur, ait, boni viri pro suis injuriis. Sed idem faciunt, si calida non benè præbeatur, si vitrum fractum, si calceus luto sparsus est. Et *libr. 2. c. 25* scribit; Parum agilis est puer, aut tepidior aqua potui erogata, aut turbatus thorus, aut mensa negligentiùs posita: ad ista concitari insania est. Quibus ex locis colligitur, non tepidam, sed benè calidam aquam in conviviis fuisse postulatam. Quod & Lucrio, Plautinus ille puer *in Milite Glorioso*, innuit, dum negat se ob caliditatem nimiam bibere potuisse, sed obsorbuisse tantùm.

PA. Neq; tu bibisti? LV. Dii me perdant sibi,
Si bibere potui. PA. Qui jam? LV. quia enim absorbui.
Nam nimis calebat: amburebat gutturẽ.

Calidissimam quoque potionem istum fuisse, ex Plinio *lib. 7. c. 53* colligitur, dum M. Ofilium Hilarum, Comœdiarum histrionem admonitum fuisse scribit, ut biberet, antequam potio tepesceret. Verba illius hæc sunt: Is cum populo admodum placuisset Natali die suo, conviviumque haberet: edita cœna calidam in pultario poposcit: simulque personam ejus dici acceptam intuens, coronam è capite suo in eam transtulit, tali habitu rigẽs nullo sentiente, donec accubantium proximus tepescere potionem admoneret. Docet id ipsum etiam Martialis, dum in Cæcilianum invehitur, quòd nimis properanter calidam poposcisset potionem, cum nondum satis ea esset præparata:

Caldam poscis aquam: sed nondum frigida venit.
Alget adhuc nudo clausa culina foco.

Aquam enim duplicem in Mensæ initio statim poni mos erat, Calidam & Frigidam. Unde Juvenalis:

Duplex aqua in Mensa.

—quando ad te pervenit ille?
Quando vocatus adest calida gelidaq; minister?

Et Martialis Urceolos ministratorios, sive vasa illa, tam frigidam quàm calidam aquam ministrantia, in hunc modum introducit *lib. ult. cui Apophoreta nomen inditum.*

Frigida non desit, non deerit calda petenti
Sed tu morosa ludere parce siti.

Duplicis hujus Aquæ in mensa propinari solitæ illustre testimonium extat apud Corn. Tacitũ *lib. 13. Annal.* Neronis parricidium in Britannicum fratrem, quem veneno in frigida dato interemerat, ita describentem: Mos habebatur, inquit, principum liberos cùm cæteris idem ætatis nobilibus sedentes vesci in adspectu propinquorum, propria & parciore mensa. Illic epulante Britannico, quia cibos potusque ejus delectus ex ministris gustu explorabat, ne omitteretur institutum, aut utriusque morte proderetur scelus, talis dolus repertus est. Innoxia adhuc ac præcalida, & libata gustu potio traditur Britannico. Dein postquam fervore aspernabatur, frigida in aqua affunditur vene-

Neronis parricidium in Britannicum fr.

venenum; quod ita cunctos ejus artus pervasit, ut vox pariter & spiritus ejus raperentur: Etsi autem incertum putat Lipsius *lib. 1. Elector. cap 4.* Utrum calida illa potio, cujus jam meminimus, mera & solitaria, an verò cum vino mixta fuerit. Mixtam tamen eam fuisse, non improbabiliter, nec absque ratione concludit. Antonius Persius, quem proximè laudavi. Sanè mixtam illam, hoc est, calidam aquā vino infusam Gulonibus maximè expetitam & laudatam fuisse, ipsemet etiam agnoscit Lipsius. Unde Martialis de suo libro loquens:

Me cōviva leget, mistò quincunce: sed ante
Incipiat positus quam tepuisse calix.

Vult enim librum suum a conviva legi; sed eo, qui vinum cum aqua etiam tum calida mixtum biberit. Quo nomine solicitus etiam Horatius *lib. 2. Odar.* ait:

Quo Chium precio cadum
Mercemur? quis aquam tēperet ignibus?

Et Martialis Sextilianū, strenuum potatorem notat, quòd adeò se potu ingurgitârit, ut, nisi solitarium sive merum bibisset merum, ipsa alioquin Calida aqua Ministros eā adportantes fuisset defectura.

Iam defecisset portantes Calda ministros,
Si non potares, Sextiliane, merum.

quibus versibus mixtionem disertè probari constat. Sed clariùs multò id attestatur L. Apulejus *lib. 2. Milesiac.* Et ecce Fotis mea jam domina cubitum reddita, jacta proxima rosa serta, & rosa soluta in sinu tuberâte, ac me pressim deosculato, & corollis revincto, ac flore prosperso, arripit poculū, ac desuper aqua calida injecta porrigit ut bibam, &c. Ex quo loco præter calidæ aquę cum vino mixtionem, observare etiam licet, in deliciis olim potionem ejusmodi fuisse. Nam & apud Athenæum *lib. 8* Stratonicus Cytharista Rhodios deliciis exsolutos, & calidum bibētes contemplatus; albos Cyreneos nuncupavit; Rhodumq; oppidum civitatē procorum. Rhodios quidem à Cyreneis colore diversos autumans, at ob luxus similitudinem, & proclivitatem eandem in voluptates cum procis Urbem illorum comparans. Et Philo *in vita Theoretica sive contemplativa*; iis duntaxat, qui lautè viverent, calidam apportatam fuisse scribit. Ammianus quoque inprimis expetitam fuisse calidam aquam docet; dum gravius ob hanc tardius allatam succensuisse servo herum scribit, quàm si homicidium ille perpetrasset. Sic enim *lib. 28.* Ita autem pauci inter eos severi vindices delictorum; ut, si aquam calidam tardiùs attulerit servus, trecentis adfligi verberibus jubeatur: Si hominem occiderit, dominus hactenus exclamet; *Quid faciat maniosus & nequā?* Hinc apud Plautum Thermopolii mentio, cum hilarior invitatio describitur aut solutior luxus. In *Curculione* enim ita de Græculis ebriosis: (*lib.*

Olim in deliciis.

Thermopolium.

Quos sēper videas bibētes esse in thermopo-
Vbi quid surripuere, operto capitulo calidum bibunt,
Tristes atque ebrioli incedunt.

Et in *Trinummo* Stasimus dolet, quòd calida potione guttur plus justo calefaciens, anuli in caupona oblitus fuerit. Sic igitur apud se:

Ecce hominem, Stasime, nihili? Satin' in Thermopolio
Condalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem?

Et in *Rudente* Neptunum incusat, quòd neque Balneatorem, neque Cauponem bonum agat, frigidam & falsam potionem exhibendo.

Ædepol, Neptune, es balneator frigidus,
Cū vestimētis postea quā abs te abis, algeo:
Nec thermopolium quidē ullū ille instruit,
Ita salsam præbet potionem, & frigidam.

Quibus in locis Thermopolia nihil aliud sunt, quàm Cauponæ, in quibus Calida

hæc

hæc potio veniret. Nam quòd Turnebus *lib.20 Adversf.c.10* per Thermopolia, tabernas putat intelligi, in quibus non quidē calida ista pura puta, de qua hactenus diximus; sed potiones nescio quæ dulces & confectæ vendebantur: id & Lipsio rectè displicet *lib.1. Elector.c.4.* & ab Antonio Persio solidè cōfutatur *in d. tr. de Bever caldo, &c. c.4.* Hinc est, quod Thermopolia Romæ sustulit Claudius, & calidā in cauponis prostare seriò interdixit. Ita n. de hoc scribit Dio *lib.60.* Sustulit tabernas potorias, & voluit, ut nullibi venderetur caro cocta, aut aqua calida: & aliquos, qui non obtemperabant, propterea castigavit. Idq; Ampelius præfectus apud Amianum Marcellinum *lib.28.* imitatus, „ statuit „ Ne taberna vinaria ante horam quartam aperiretur, neq; aquam vulgariā calefaceret quisqyā. Ea re Cajus Caligula Cauponem quendam interfeci, quòd per dies funeris Drusillæ calidam vendidisset; quasi hominem impium, & lasciviæ administrum in publico luctu: ut est apud Dionē *lib.59.* Quinetiam *lib.57.* Drusum, Tiberii filium, adeò ebrietati deditum fuisse scribit, ut aliquando cum Prætorianis ad ignem restinguendum è convivio excitatus, Aquam illis poscentibus, calidam infundi jusserit: nimirum quasi convivii res esset, nō incendii. Eandemq; ob caussam de Tiberio Suetonius scriptum reliquit, quòd in castri Tyro etiam tum, propter nimiam vini aviditatem, pro Tiberio *Biberius*, pro Claudio *Caldius*, pro Nero *Mero* fuerit vocatus. Caldius scilic. à frequenti calidæ potu. Instrumentum autem illud; sive vas, in quo aqua ista, bibendi gratia; calefiebat; Miliarium quoque fuit appellatum. Sic enim Ulpianus: Certè si cacabos argenteos habebat; vel Miliariū argenteum, vel sartaginem; vel aliud vas ad coquendum; dubitari poterit, an Escario contineantur, & hæc magis concitatorii instrumenti sunt. *l. cum aurum. 19. § si cui. 12 ff. de auro & arg. legato.* quod loco Accursius, Beroaldus, alii Miliarium, ridiculè exponunt vas, in quod Miliū coquebatur: immemores illius Senecæ, qui *lib. 3. quæst. natural.* ita scribit: Facere solemus Dracones & Miliaria, & complures formas, in quibus ære tenui fistulas struimus per declive circumdatas: ut sæpe eundem ignem ambiens aqua per tantū fluat spacii, quantum efficiendo calori sat est: frigida namque intrat, effluit calida. Ejus verò formam diligenter descripsit Antonius Persius, *cap.10.*

Claudius. *Ampelius.* *C. Caligula.* *Drusus.* *Nero.* *Miliarium vas aqua coquenda.*

12. *Acipenser apponendus esset*) De hac solennitate prolixè scribit Macrobius *lib. 3 Saturnal. cap.16.* Et ex Plinio *l.9. cap 71.* colligere promtū est, Acipenserem quondam magno in precio fuisse: sed nullo in honore, Plinii ætatē. Quod tamen dubiū quod dammodo reddit Martialis, æqualis ejus, ut volunt nonnulli, *lib 13. Epigram.*

Ad Palatinas Acipenserem mittite mensas:
Ambrosias ornent munera rara dapes.

ubi à poeta vides luxum ætatis suæ objurgari, & tacitè reprehendi, transferentis piscem tam pretiosum in privatos usus, quē mensæ Divorum & Imperatorum requirerēt. Eamq; ob rem dictus est ἱερὸς ἰχθὺς, *sacer piscis*: Sed & de Acipēsere paucorū hominum exstat apud Ciceronem *de Fato in fragment.* ut ita luxuriæ precium fit, si cibi precio placeant, non arte: frugalitatis & parsimoniæ contra, si arte placeant, non precio. Quod ex Sidon. Apollin. colligitur *libr 1. ep. 2.* Quam in rem vera est illa Senecæ conquestio *lib.4. Natural. quæst. cap. ult.* dum vilia quoque ingeniosa luxuria redigit ait ad precium: adeò nihil potest illi placere, nisi earum! & ventris mancipium *Heliogabalus*, amabat sibi precia rerum majora dici earum, quæ mensæ parabantur, orexim convivio hanc esse asserens, ut est *apud Lampridiū*

Cariora grattora.

Mustella Lampreta Murana.

Acipenserem hunc Romanum Athenæus *lib.8* putat τὴν γαλλίαν mustellam esse, quam nos hodiè *Lampretam* dicimus; veteres *Muranam*, adeò ipsorum expetitam mensis, ut C. Cæsar etiam triumphalibus cœnis eam dederit, teste Varrone *lib.3 de rustic.* Fenestella quoque primum in mensa locum Murænus tribuit. Nam & accersebantur ad Romanas piscinas ab usque freto Siculo, quod ipsæ essent omnium optimæ. Unde & pretiosiores erant, ut & Juvenalis innuit.

Siculo.

Virroni Murana datur, quæ maxima venit
Gurgite de Siculo.

Et quidem gravida.

Et commendabantur inprimis *gravidæ* captæ. Eo enim tempore caro earum melior & delicatior habebatur. Quod ex illo Horatij *Satyr.8 lib.2.* colligitur.

Affertur squillas inter Murana natantes
In patina porrecta: sub hoc, Herus, hæc
gravida inquit
Capta est deterior post partũ carne futura.

Fluta.

Dictæ autem fuerunt Murænæ Græcè πλωτοί, Latine Flutæ: quod in summo supernatantes, ut ait Macrobius tortæ factæ Sole, curvare se, & in aquam mergere non possent. Ideoq; in Sicilia etiam manu flutas illas capi posse, idem scribit: quod hic in summa aqua præ pinguedine fluitent.

Manu capta.

Quam ob pinguedinem nimiam, liberaliorem earum esum nauseam parere Joseph. Quercet. tradit in *diætet. polyhistor. sect.3.c.7.* Carnivoras esse Murænas, sævitia equitis Roman. Vedii Pollionis satis docuit, qui vivariis earum damnata mancipia immergebat, ut hominem distrahi spectaret. Traduntur & alia, quæ Murænis abdicari cibis suadeant. Concipere enim eas è serpentibus non dilutæ veritatis auctores affirmarunt, quorum opinionem Aristoteles & Andreas quidam ab Athenæo nominatus confutarunt teste Manutio ad *Ep.26. Ciceronis lib.7.* Eandem tamen illam asserit Oppianus *lib.1.* mutuum serpentis & Murænæ amorem & coitum versibus describens, quos Michaël Piccartus eleganter ita latinè reddidit

Carnivoræ.

à serpentibus impragnata.

Vere novo serpẽs tumidi cui plena veneni
Spuma stat, & variæ crudelis gloria gentis
Terga solo afractu multo, sinuosa retorquet
Dum tandẽ alterutro consistit in aggere ripæ, & (amatam.
Fervidus in Venerem Muranam operitur

Non itaq; mirum, quod Murænã aliquid habere noxium ex quorundam opinione putat Ambrosius *lib.8. Hexamer.* Nam & piscatores ferunt persuasum sibi habere, Murænarum dentib. venenatam vim inesse: quare vivam manibus non attingunt, sed forcipe, ut Johan. Bruyerin. prodidit *lib.19. de re cibaria, c.17.* Sed Appiõ Grãmaticus apud eundem Athenæum *libr.7.* & Gellius *lib. 7. c. 16.* videntur τὴν ἐλλοπα... similem facere Romano Acipenseri, quanquam τὸ ἔλλοψ ephiteton est omnium piscium commune. Hesiodus:

Venenata nonnihil.

Ἀγλαοὶ δελφῖνες ἐθοίνων ἔλλοπας ἰχθῦς.
Splẽdidi Delphines vorabant mutos pisces.

Cujus vocis rationem reddit Gualtherius *in 2. Satyr. lib.2.* ex Plutarcho *Sympos. lib.8. probl.8.* quo in loco dicebat, taciturnitatis hoc præmium esse, pisces vocare mutos; quasi vinctam vocem & impeditam habentes. Inde & diverbium. Pisce magis mutus. Quamvis autem Lucanus *in Helicone* scribit; quæ in aqua degunt animalia, muta esse, cujus silentii rationem affert Aristoteles, privationẽ instrumentorum vocalium, pulmonem scilicet, arteriæ & gutturis. excipit tamen idem philosophus *Scarum & Percam fluviatilem:* sicuti Mnaseas Patrensis apud Athenæum *lib.8 Dipnosoph.* pisces amnis Clitorii in Arcadia, & Philostephanus Averni fluminis. Sed credendum magis est, vocem horum esse *stridorem quendam* ex attritu branchiarum, vel partium circa ventrem, de quo videatur Erasmus in proverb. *Magis*

Pisces cur muti.

Extra Scarum & Percam.

gis mutus quam piscis. Chiliad. 1. cent 5. adag 29. Ac licet ipse etiam Plinius multis argumentis evincere conetur, pisces respirare etiam *lib. 9. Natural. histor. cap. 7.* opus tamẽ hic erit illo distinctionis temperamento, ut quamvis pisces cor & sanguinem propriè dictum habere concedamus: quia tamen pulmonibus carent, non respirare eos dicamus, nisi ἀναλόγως, quod & doctissimus notavit Becmanus, De auditu autem & odoratu piscium non improbabiliter forsan dubites: cum auditus nec membra habeant, nec foramina, ut Plinius scribit *lib 10. cap. 70.* Sed utrumq; tamen, id est, auditum & odoratum piscibus esse incunctanter idem affirmat *lib. 9. cap. 7.* adeò, ut miretur, quosdam existimasse, aquatilibus nullum inesse sensum, *d. lib. 9. cap. 42.* cum tamen certum sit, in piscinis Cæsaris genera piscium ad nomẽ venire; quosdam singulos *lib. 10. cap. 70.* si quo pertinet illud Martialis.

Pisces an respirent.

An audiant & olfaciant.

—natat ad Magistrum
delicata Murana.)

Et Hierapoli (inquit) Syriæ in lacu Veneris, æditiuorum vocibus parent vocati: exornati auro veniunt: adulantes scalpuntur, ora hiantia manibus inserendis præbent, *lib. 32. c. 2.* Ex hominis enim manu vesci pisces etiam *lib 9. c. 8.* docet, exemplo Delphini, qui è pauperis cujusdam pueri, ex Bajano Puteolos in ludum literarium itantis manupastus, dorsum præbebat ascensuro, pinnæ aculeos velut vagina condens: receptumque Puteolos per magnum æquor in ludum ferebat, simili modo revehens pluribus annis: donec morbo exstincto puero, subinde ad consuetum locum ventitans tristis & mœrenti similis, ipse quoque (quod nemo dubitaret) expiravit.

Delphinus.

13. Liquamen ex piscis Gari & Scombri intestinis) De Garo, Muria, & aliis liquaminibus, commodius dicemus *lib. 2. c. ult.*

14. Solebant vel lyristen, vel comœdum introducere) Receptum hoc ab antiquo fuit, ut delic. tiorum conviviis varia adhiberentur oblectamenta, ut Cantorum, ludionum, & id genus. Martialis

Oblectamenta in veterum conviviis.

Ille dabit cantus inter convivia latus.

Seneca *de vita beata cap.* 11 de Nomentani & Apicii luxu: vides hos è suis lectis spectantes popinam suam; aures vocum sono; spectaculis oculos oblectantes *& inep.* ait idem Sapiens: in conviviis nostris plus cantorũ est, quàm in theatris spectatorũ. Sic in Trimalcionis convivio *apud Petronium*, nihil nisi symphonia strepente agitur. *Ludionum* verò varia admittebantur genera: de quibus Capitolinus *in Vero*: adduxerat secum & fidicines & tibicines, histriones, scurrasque numarias, & præstigiatores, & omnia mancipiorũ genera. quorum & à nobis commemorata quædam sunt *Tit. de Amphitheatr.* Nec solam in hoc veterum luxus stetit: imo etiam fercula ad symphoniam inferre mos erat. *Petronius*: subito signum symphoniæ datur, & gustatoria pariter à choro cantãte rapiũtur. Ammianus *lib. 30.* cumq; apponerentur exquisitæ cupediæ & ædes amplæ nervorum articulato statilique (quid si flatili legas) sonitu resultarent. Sed & obsonii scindendi magister (quem Petronius *scissorẽ & carpum*: Juvenalis *carptorem*: Apulejus *diribitorem* vocat) manum doctam per edulia circumferebat, atque ad symphoniam discerpebat. *Petronius*: præcessit statim scissor, & ad symphoniã ita gesticulatus laceravit obsoniũ. Quod ad eum locum adnotarunt *Iohan. à Wouwveren, Georg. Erhardus*, alii. Sed istiusmodi ludiones, quãtopere etiam olim in deliciis fuerint, postea facessere jussi sunt. Jure itaq; *Theod. Rex* à Sidonio laudatur, quod Tympãistrias, Lyristas præcipueq; psaltrias (tanquã prodigia, ut apud Plin. appellantur *lib. 8. Ep. 17.*) procul à convi-

Ludiones.

Fercula ad symphoniam illata.

Carpus item ad symphoniam cibos scindebat.

Theodoricus R. Ludionibus infensus.

vio

Et Trajanus.

vio suo abdicarit *lib. 1. ep. 2.* quo nomine & Trajanus commendatur à Plinio in Panegyr. Neque enim aut peregrinæ superstitionis mysteria, aut obscœna petulātia mensis principis oberrat; sed benigna invitatio, & liberales joci, & studiorum honor. Rectè *liberales joci*: quos Sidonius Apollin. *d. locomimicos sales* appellat, & ita, quanquam rarò, inter cœnandum intromissos scribit, ut nullus conviva mordacis linguæ felle feriatur. Regiè profectò & ingenuè. Scommatis enim asperis atque mordacibus, in epulis omninò abstinendum esse, lex convivalis edicit, de qua Lucanus, Macrobius, alii à Savarone citati *ad Sidon. Apollin. ep. 2 lib. 1.* Proponebant etiam gryphum aut ænigma: quod qui solverat, pro præmio carnes auferebat. Ausonius ad Theonem:

Scommata à conviviis facessant.

Ænigmata in conviviis.

Tostam trado tibi simulque & agnam.

qui versus dupliciter potest interpretari: vel ut per *tostam & agnam* intelligamus *tostam agninam*: quemadmodum illud Virgilii,

—pateris libamus & auro:

pro pateris aureis. Velut *Tostam* simpliciter interpretemur carnem, aut carnium tostarum portionem, quæ dabatur Gryphi enodatori: *Agnam* autem, quia hæc poëtarum erat præmium: Unde & ἀοιδοὶ dicebantur. Joseph. Scaliger *Ausoniar. lection. lib. 2. cap. 28.*

I. & Larvæ.

Solebant etiam veteres in convivium medium Larvas sive personas projicere, quæ sic aptæ & coagmentatæ etiam, ut articuli earum vertibulæque, quibus commissæ erant in omnem partem flecterentur, & figuras omne genus exprimerent. Ex illis igitur larvis eas figuras convivii Rex imprimebat, ut mutationis & brevitatis vitæ Convivas commonefaceret; & propterea bibendum esse diceret, ut nihil de fructu hujus vitæ pereat. Docet hoc Petronius Arbiter in convivio Trimalcionis: Potantibus ergò, & acuratissimè lauticias nobis admirantibus, larvam argenteam attulit nobis servus, sic aptā, ut articuli ejus vertebræque locatæ in omnem partem flecterentur. Hanc cum super mensam semel iterumq; abjecisset, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalcio adjecit:

Heu heu nos miseros: quàm totus homuncio nil est!

* * *

Sic erimus, cuncti, postquàm nos auferet Orcus.
Ergò vivāus, dū licet esse bene.

(quæ Petronii verba, ab ipso etiam Lipsio usurpata *lib. 1. Saturnal. cap. ult.* Joseph. Scaliger primus edidit, ut ipsemet attestatur *lib. 2. Ausonian. lection c. 26.* Quod si Larvæ istiusmodi copia non erat, craniū sive caput hominis mortui vel in mensa apponebant, & manibus versabant; vel è triclinio seu stibadio suspendebant, ut eò uterentur, mutuò se cohortantes, *Vivendum* esse: nam vitam properare, mortem imminere. Quod nō ineleganter expressisse videtur optimus Germaniæ poëtarum Petrus Lotichius Secundus, cum ita canit:

Et cranium sive caput hominis mortui.

Vivendum.

Vivamus, dum fata sinunt & amemus amici.
Quis scit, an hac unquā sit reditura dies?

Id verò ab Ægyptio ritu promanasse putatur, quo σκελετὸν ipsum mortui convivio inferri solebat, cum monitione: *Ita brevi omnes futuros.* Propterea tanquam jam morituri bibebant, & tanquam nunquam id amplius facturi. Plaut. *in Sticho.*

Volo nos pro summo bibere, nulli releverimus postea.

quam in rem multa congesta sunt à Clarissimo Taubmanno in eruditissimis notis *ad Plauti Stichū act. 5. scen. 4. verb. pro summo.* Nos aliter imbuti mortis memoria non quidem ad luxum & voluptatem duci; sed ab iis potius absterreri debemus. Lætandum tamen in tempore, nec subtrahen-

Mortis memoria in conviviis.

trahendæ corpori penitus omnes deliciæ, sed temperandæ: edendum, bibendum, ludendum; sed intra continentiæ sanctissimæ fines. Puteanus *in Genial. lib. Sermon.* Ac cum Deus scientiam futuri hominibus occultarit, non erit de eo sollicitè & plus justo laborandum; sed præsens potius æquo animo curandum.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus.
Ridetque si mortalis ultra
Fas trepidat—

ait Horatius *lib. 3. carm. od. 29.*

Larva, seu cranium in tholo suspensum. Ejusmodi porrò Larvam sive cranium in ipso tholo sive Cœnatione aut stibadio Domitiani Cæsaris verisimile fuit pependisse, quod mortis admoneret. Sic enim Martialis:

Mica vocor, quæ sim, cernis. Cœnatio parva.
Ex me Cæsareum suspicis inde tholum.
Frange thoros, pete vina, rosas cape, tingere nardo.
Ipse jubet mortis te meminisse Deus.

Cœnatio. Quo loco parvam illam Cœnationem, ob exiguitatem, *Micam* appellat. Cœnationi autem non multum fortè dissimile fuit *Cœnaculũ.* Cœnaculum: quod erat Conclave in superiori contignatione domus Nobilium, quod inquilinis elocabatur, nec aliunde ad id, quam per scalas extra domum positas ascensus dabatur. Ita namque apud Livium, „Consul rogat socrum, ut aliquam „partem ædium vacuam faceret, quò Hi„spala im̃igraret. Cœnaculum supra ædes „datum est, scalis ferentibus in publicum obseratis, adituque in ædes verso, &c. Inde est, quòd Cœnacula quandoque *scalæ* *Scala.* fuerint appellata. Sic enim illud Justiniani *in Novella 159.* erit accipiendum, ubi legatum legitur fuisse Hierio suburbium cum omnibus prætoriis, & omnibus scalis. *Prætoria* quæ dicantur: Ulpianus explicat *in l. Urbana 198. ff. de verb. signif.* At per *Scalas*, Cœnacula intelligi, vel ipse etiam Juvenalis docet, *Satyr. 7.*

—quo tibi lapso
Figantur virides, scalarũ gloria, palmæ.

Habitabant enim Causidici & Oratores in Cœnaculis propter paupertatem, ut ipse ibi conqueritur; ut & de se Martialis scribit:

Et Scalis habito tribus, sed altis.

Quam in rem exstat jocosum Lucilii epigramma, ita ab Alciato latinè redditum.

Hesternâ ad cœnam fuerim cum luce vocatus,
Cœnacli ad summum demum hodiè applicui
Longum adeò in Scalis iter est: nec scandere quissem
Deniq; nunc, asini me nisi cauda trahat.

dicebantur verò scalæ, quoniam in cochleæ formam effingebãtur, & figura orbiculata rotundebantur, quas etiam *cochlides* dixeris, quia per circuitum scandebãtur: sicuti torcularia ad cochleæ similitudinẽ substructa, *cochleas* nominamus, ut Lud. Cœlius Rhodig. explicat *lib. 6. lect. antiq. c. 12. circ. fin.* *Scalarum forma à cochleis.* Porrò qui Cœnacula ista elocabant, ii & *Cœnaculariam facere,* & *Cœnacularii* in jure nostro dicuntur. *l. si verò 5. §. 1. ff. de his qui deiec. vel effud. l. solutũ 11. §. solutam ff. de pignor. act.* *Cœnaculariam facere. Cœnacularii.* Quod nomen iis quoque accommodari poterit, qui Scholasticis conclavia dant, & insuper eis curant obsonia coqui, ligna & sal præbentes: quomodo Parochi Magistratibus iter facientibus, sicuti illud Horatii,

—& Parochi quæ debent ligna salemque.

Alciatus interpretatur *lib. 4. parerg. c. 12.* Et ea quidem, quæ Magistratibus Reipub. causa peregrè proficiscentibus necessaria parochi lege ita suppetitabãt, græcis uno nomine vocabantur πάροχα, quod Gellius *præbenda* vertit *lib. 15. Noct. Atticar. cap. 4.* de quo videatur Gualtherius ad Horat. *Satyr. 5. lib. 1.* *Præbenda.*

DE IIS, QVI OLEVM, VINVM, ET ALIA LIQUAMINA AD MENSURAM VENDEBANT. TIT. LII.

Vendebant Romani oleum, vinum, acetum, mel, & alios liquores ad mensuram, in cornu quodam, unam, duas, aut tres libras continente. Idque foris circumeunte signabant lineâ, quæ libram denotabat. In medio verò Vncias mensuræ, & nō ponderis signabant: Metiebantur enim liquamina, nō vero librâ aut unciatenus ponderabant: ut Galenus *tradit lib. 1. de Composit. medicam. secund. spec. istud in tota Vrbe Roma ita usurpatum fuisse dicens. Quo pertinet illud* Horatii *lib. 2. Ser. Satyr. 1.*

— Cornu ipse bilibri
Caulibus instillat veteris non parcus aceti.

ubi Acron.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

CORnu bilibri.) Intelligit capsulam è cornu factam, & duas libras continentem: vel ut alii volunt, Sextarium, memorabile namque est ex Galeno *lib. 1. & 2. de compos. medic. & libr. 13. meth.* veterum quoque Medicorum instrumenta fuisse cornea: Cornibus enim liquores mensurabant: cornibus in scarificatione, pro cucurbitulis (modò ex aurichalco vel etiam vitro conflatis) utebantur: cornibus Clysteria administrabant: cornibus denique, ceu saluberrimis poculis usi fuerunt; ut & Langius adnotavit, *Ep. medicinal. 29.* & Hieron. Mercurialis *lib. 1. Gymnast. & lib. 1. variar. lection.* Similiter cornu contentum fuit oleum illud, quo Salomonem à Sadoche Sacerdote unctum legimus *3. Reg. vers. 39.* quem admodum & Pater ipsius David à Samuele unctus prius fuerat; *1. Reg. 16. vers. 13* & ante hunc quoque ipsemet Saul. *1. Reg. 10.* Atq; ejus quidem Olei sancti, quod in tabernaculo adservabatur, præparationem Deus Opt. Maxim. præscripsit *Exod 30. vers. 23. & seq.* & nec immeritò id inter sanctissima mysteriorum à Justiniāo recensetur *in l. certissimè.* *34. § 3. C. de episc. audient.* Etsi autem hic inungendi ritus proprius Regibus Judæorum diu perseveravit, ut ait Lactantius *lib. de vera sapient. c. 7.* adeò ut Reges illi omnes Christi, id est, uncti fuerint appellati (ut *Psal. 105.* Nolite tangere Christos meos) à Christo videlicet, qui Rex Regū est, & Dominus dominantium *Apoc. 19.* quem Deus unxit oleo lætitiæ abundantius, quam consortes ipsius: quoniam dilexit justitiam, & odio habuit iniquitatem. *Psal. 45.* Mos tamen iste ad alias quoque gentes posteà diimanavit. Nam & Ulyssem reducem ab Eurynome domi suæ primùm lotum, deindè oleo unctum fuisse, priusque perpulchrè vestiretur, Homerus indicat, cum ita canit;

Εὐρυνόμη ταμίη λοῦσεν καὶ χρῖσεν ἐλαίῳ.

Etenim χρίειν, est Unxit. Unde & Chrisma deduxere veteres, scilicet à latione salutifera Reges ungere, & tanquam stellarum rore caput linire, sapientiæ sedem oleo dignam, quod Minervæ iidem consecrarunt, quanquam Unctionis istius etiam alia dari potest ratio, quòd Regem non modo adversus hostes, sed etiā domi contra scelera & insidias pugnare deceat: ideoque par sit, eum oleo inungi, veluti obluctan-

Veterum instrumenta cornea.

Oleum sanctum.

Regibus Iudaorum ungendi proprium.

Post & ad alios deriuatum.

Reges cur uncti. 1.

2.

luctantem & arduum athletam in sacris priscorum ludis, qui Jovi vel alii cuipiam Numini, aut Manibus per inferias edebantur. Unde apud Virgilium:

Exercent patrias oleo labente palestras
Nupti socii.

Stephan. Forcatul. *lib. 6. de Gallor. Imper. & Philosoph.* Ac quoniam de Oleo hîc nobis sermo est: non dissimulandum putavi, quòd licet in stricti juris judiciis Usuræ regulariter non debeantur, nisi & per stipulationem, & sub certa quantitate fuerint promissæ: ne quidem si in continenti interposita fuerit conventio *l. prima & tertia C. de Usuris. l. si tibi decē. de pactis.* (quæ alioquin in continenti subsequuta actionem parit, *l. Iuris gentium. 7. §. quinimò. d. t.* (cum rei per se odiosæ obligationem sine magna cautione admittendam esse, Veteres non putârint: Oleo tamen ut & frumento mutuo dato, contrarium videamus constitutum. In his enim rebus in quibus, usura pro usu intervenire potest, ut est olum, atq; frumentum, graviores, quàm in cæteris, usuras stipulari permittitur: propter incerti pretii rationem istarum rerum, quæ mutuæ dantur. Aliter enim vix fiat, ut non alioquo incommodo afficiatur Creditor, qui pro magni precii rebus cogatur interdum accipere alias minoris multò precii, nisi adversus hoc periculum cautionem majorum usurarum prospiciatur. *l. oleo. C. de usuris.* Sed & omnem in his accessionem ex nudo etiam pacto præstandam esse placuit. *l. frumenti. C. d. titulo.* Favetur enim Creditori frumentum vel oleum mutuanti, si aliquid accedere velit supra sortem, ne damno aliquo afficiatur, dū propter variam commutationem æstimationes earum rerum accidere potest, ut minori æstimatione eas posteà recipiat à debitore, quamvis eâdem mensurâ. At verò rerum earum quàm varia sint precia, non modò per singulas civitates, & regiones; sed etiam iisdē in regionibus, per singula propè momenta, omnibus notum est. Quamobrem etiam in iis Arbitraria actio. De eo quod certo loco, inducta. *l. ideo ff. de eo quod certo loco.* Hugo Donellus *tract. de Usuris c. 3. & 4.* Illud verò de oleo valdè memorabile putandum, quod pro antidoto & venenorū hoste, seu alexipharmaco fuerit habitum; eò quòd à venenis, omnibusque corruptionib. aliis tueri soleat, sive intro sumatur, sive topicè extra inducatur inlitum. Et ideò veteres olim proceres corpus inungebant ad sanitatem fovendam: sicut athletæ ad robur conciliandum. Idcircò enim oleum Anacharsis Scytha *insaniæ pharmacum* esse dicebat, quoniam eo peruncti athletæ invicem magis insanirent. Estq; scitum illud Democriti; qui interrogatus, qua ratione homo omnium optimè posset perfectè valetudinē tueri, vitamq; diu prorogare? *si* inquit *intus melle, extra oleo utaris.* Joseph. Quercetā. *lib. 2. diatet. polyhistor. cap. 8 fol. 353* Sed in eo Democriti pronūciato Lud. Cœl. Rhod. pro *melle, vinum* reponit: dū Naturæ providentiam liquores duos humanis corporibus gratissimos cōtribuisse scribit, intus vini: foris olei. *lib. 6. lect. ant. c. 6.* Ubi de oleo multa lectu digna invēies: sicuti & de ejusdem viribus, natura & usu apud Joan. Bruyerin. *lib. 10. Dipnosoph. c. 18. 19. & 20.*

Oleo mutuo dato graviores usuras licet stipulari.

Et omnis accessio præstatur etiam ex nudo pacto.

Olei commoditas.

Etsi autem Sextarius, quod mensuræ quoq; genus erat, & cujus initio Naturam hujus capitis memini, non oleo tantum & vino, atq; item aliis quoque liquaminibus dimetiendis conveniebat, ut docet Cœlius Calcagnin. *lib. 14 ep. fol. 442. & 445.* Frumenti tamen mensurandi Modium esse proprium cotidianus docet usus. & varias ejus species recenset Volustiu Metuanus. At instrumentum illud, quo mensuræ etiamnum radentur, veteres *Hostorium* dicebant, ab hostire, quod æquare signi-

Sextarius.

Modius.

Hostorium. re significat: ut ita Hostorium, pro rutro illo sive radio atque bacillo rotundo accipiendum sit, quo in mensuris frumenti cumuli æquantur. Sicut post Petr. Crinitũ *lib. 23. de honest. discipl.* tradit Brechæus *ad l. hostes 118. de verbor. signif. in pr.* Unde proverbium sanè quàm elegans: *sine radio cumulare, seu absque hostorio*: quod est affluenter, & ultra mensuram congerere. Plautus:

Dii deæq; omnes tantam nobis lætitiam
Tot gaudia, sine radio cumuletis.

Lud. Cœl. Rhodigin. *libr. 10. lection. antiq. cap. 4.*

DE MORIBUS IN BELLO USURPATIS. TIT. LIII.

1. Vexillum Equitum cæruleum. 2. 3. Peditum roseum. 4. Virumque quadratum. Ligno opertum. Crux. Legionis cohortes. Millenaria cohors. Aquila. Alfiero. Draco. Leo. Ursus. Dextra coniuncta. Labarum.

In expeditione exercitus, Veteres duo duntaxat habebant vexilla: alterum pro † *Equitibus, coloris* † *cærulei quo in Neptuni, Maris Dei, honorem utebantur: eò quòd* † *Athenis nomen impositurus, Equorum usum mortalibus incognitũ introduxerit. Ideoque eo tinxerunt colore, qui maris undæ quam simillimus esset. Alterum,* † *quod Peditum erat* † *vexillum, roseum repræsentabat colorem, ut* Servius *docet ad principium libr. 8. Æneid. quia scilicet Rosa in terra nasceretur, & odorifera esset. Vexilla ista non eam habebant formam, quam nostra signa militaria: sed erant quadrat: a quoniam* † *in quatuor Legionibus peditum senis millibus plusminus constitutis, ut* Plutarchus *refert, in vita Romuli. Atq; hoc vexillum erat argenteum: quanquam Dio ex auro fuisse scribit. Ideoque operiebant quandoque in ligneam immittentes aditulam, ne à nimbo offenderetur. Cæteroquin in hastæ summitate ad Crucis nostræ formam facta, id gerebant. quod Legionis Christianæ signum est militare. Inventum id fuit à C. Mario primùm, postea pro armis sive insignibus Imperii usurpatum. Cuiuslibet Legionis decem erant cohortes: harum singulæ, 555. Peditum: prima tamen excepta, quæ 1105. peditibus constabat. Unde &* Millenaria, *vel, ut alij legunt, Militaria dicta, Aquila in hac ferebatur cohorte: & qui hanc ferebat,* Aquilifer *dicebatur, quem nos corrupto verbo* Alfiero *nũcupamus. Reliquæ cohortes militaria habebant signa ad similitudinem. Lychnuchorũ sive Ceroferariorum; qui cereos ferentes crucem comitantur: Candelas enim Cruci superimponimus militantem Christi Ecclesiam denotantes & hostis illis* Dracones *ex argentea tela texto habebãt impositos: qui vento à tela cõcepto, quasi moveri videbantur. Quædam* Leonis, Ursi, *aut alterius cujusdam animalis caput habebant insitũ: quædam dexteras mutuò coniunctas, quæ concordiã exercitus significabant Nostri ex coloribus & insignibus vexilla excogitarunt. Nec enim militaria ista signa amplius in usu sunt, nisi quòd in templis vestigia horum conspiciantur. Imperator* Labaro *utebatur, quod vexillum militare quadratum erat, undique contextum; & hastæ alligatum, ante Imperatorem gestari solebat. Quemadmodum enim hodie cornicinibus conspe-*

ctis,

ctis; ita tum temporis Labaro viso, non procul abesse Imperatorem conjiciebatur.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Neptuni & Minervæ contentio.

1. NEptunus Athenis nomen impositurus, Equorum usum introduxit.) Sic Servius ad Virgil. *1. Georgic.* Litem ait fuisse inter Neptunum & Minervam, de nomine Atheniensium Urbi imponendo. Itaque Diis duodecim præsentibus Jove medio, Neptunum tridente saxa percussisse: indeq; exsiliisse equum. Pallada postea sua quoq; cuspide terram percusisse; atque inde olivam cum baccis prodiisse: quæ quoniam utilior Diis visa esset, Minervam Deorum judicio Civitatum suo nomine nuncupasse Athenas. *Minervam* enim Græcis *Athenam* dici. At Servium reprehendit Baptista Pius, gravissimè eos labi asserens, qui in contentione illa Equum enatum putant: cum non Athenis, sed in Thessalia, aut in terra Thracia Neptunus (ut Lactantius scribit) cum ignotus esset Equorum usus mortalibus, & horum animalium naturâ egeret terra, tridente terram percusserit, equique duo subitò prosilierint, Scyphus & Arion. Atque eo respexisse Virgilium, credendum est, cũ Neptunum ita invocat:

—tuq; ô cui prima frementem
Fudit equũ magno tellus percussã tridẽte,
Neptune.

In quam sententiam etiam concessisse videtur Lucanus *lib. 6. de bello civili.*

Primus ab æquore percussis cuspide saxis
Thessalicus sonipes, bellis feralibus omen
Exiliit, primus Chalybem, frenosque momordit,
Spumavitque novis Lapithæ domitoris habenis,

Neptunus Equorum domitor.

Sanè Neptunum equos domuisse, artemque equitandi ab eo traditã, ex quo *Hippicos* sit appellatus, Diodor. Siculus prodidit *lib. 6.* At quòd in sua illa cũ Minerva contentione Equum produxerit Neptunus, id verò pernegat Baptista Pius; lacum falsum contrà ab ipso in Arcem immissum scribens. Emanante (inquit in Athenarum arce aquarum scaturigine, eodemque fortè loco enatâ olivâ arbore, certi fuerunt à Cecrope Rege missi homines, Apollinis oraculum sciscitaturi, ut si quid illo ostento Dii minitarentur, rationem edíscerent. Quibus responsum est: non ad alicujus calamitatis significationẽ factum ostentum; sed Deorum duorum inter se certantium, uter eorum Athenis nomen imponeret, per undam enim, Neptunum; per oleum, Minervam significari. Quare liberum & integrum esse Atheniensibus; utrius Dei nomine nuncupandam vellent civitatem, decernere. Quæ cum à Legatis Cecropi renunciata essent; & mares & fœminas (nam tum & mulieres publicis consultationibus intererant) ad ferenda super hoc suffragia convocavit. Maribus igitur pro Neptuno; fœminis pro Minerva in suffragia euntibus, cum plures essent fœminæ vicerunt: Et quod usu venire videmus, vicit meliorem partem numerosior, qua de re indignatum Neptunum, tantam aquarum vim effudisse ferunt, ut Atheniensium terram omnem occuparit maris facies; quem ut placarent, triplici mulieres sunt affectæ supplicio: primùm, ut ne quis Athenas eas vocaret, tum deinde, ut nulla fœminarum posthac ferret suffragia, denique, ut nullus nascentium materno nomine censeretur. Aquarum illam scaturiginem significasse quoque videtur Ovidius 6. *Metamorph.* illis versibus:

Mulierum triplex supplicium.

Stare Deum pelagi, longoq; ferire tridente
Aspera saxa facit, medioq; è vulnere saxi

clarum posteris documentum est traditū, præstare belli tempore, ut dimidiā peditum hostis partem habēs, equitatu omnino prævaleas, potius quàm ut paria cum illo habens in aciem descendas. ut bene monet Polybius *lib. 3. cap. 117*. Nec enim dubium est, Equites tum hominis prudētia imanibusque, tum equorū velocitate & viribus, si velint, uti posse: ut nulli planè animalium, quàm Hippocentauris (si modò uspiam fuerint) rectiùs eos cōparare queas, qui nunc equitis, nunc peditis vicē sustineāt, ubiq; strennè dimicantes. Nihil itaq; mirum, quod Equitibus, etiā si filiifamiliâs adhuc, & in patris potestate sint cōstituti, hoc à Jure concessum videamus, ut ubi primùm equestri militia exornati fuerint, & in comitatu principum retenti, & cingi confestim jussi, testamentum de castrensi peculio facere possint *l. filius familias 43. ff. de testam. milit*. Sed & Equites constat, cū Equestri militia mitterentur, in Equestrē ordinem dignitatemq; fuisse assumptos: atq; ita hos Senatorio ordini, inter quē & plebem, medii erant constituti dignitate quàm proximos exstitisse. Ex Equestri quippe ordine ad Senatoriū fuit transitus. Unde Alexander Romanorum Imperator dice solebat, *Seminariū Senatorum* equestrem locū esse, quinimò tanta affinitate uterq; ordo fuit conjunctus, ut C. Grachius Tiberii frater, & non multò post Livius Drusus Tribu, plebis utrumq; confundere decreverint. Nec alia causā est cur Equites fuerint *Iudices* vocati, quam quod ex Equestri ordine Judicum decuriæ deligerentur, ut Budæus annotavit *ad l. ult ff. de Sēnator*. Quo etiā sensū Varro scribit, Equites quosdam appellatos fuisse Pedarios *in Satyra Menippea*: quibus eos significare videtur, qui nondū à Censoribus in Senatum lecti, Senatores quidē non erant; sed quia honoribus populi usi erant, in senatū veniebant, & sententiæ jus habebant. Hinc apud Ciceronem ad Atticum *libr. 1. epist. ultim*. Raptim in eam sententiam Pedirii ierunt. Et notæ sunt locutiones illæ: In sententiam ire, In sententiam pedibus ire. de quibus videatur Gellius *lib. 3. Noct. Atticar. cap.* 18. Nec tamen omnes, qui Equites Romani erant, judicabant; sed qui ex equestri ordine condecuriabantur, ut Budæus doctè explicat *ad l. ult. ff. de Muneribus & honor*. Tradit tamen Polybius, Thessalorum equitum impetum, quando *turmatim*, aut justa acie pugnant, sustineri non posse: ad pugnandum extra aciem pro loco & tempore *viritim* inhabiles esse ac lentos *lib. 4. cap. 8*.

Equites Hippocentauris assimilati.

Senatoribus proximi.

Equites cur Iudices dicti.

Pedarii.

Thessalorum equites.

Sed ab Equitibus ad Pedites nos convertamus: qui etsi dignitate & ordine Equitibus pares non sunt, ut ex illa Ducis ad Equites apud Livium facta cohortatione colligitur: *Agite juvenes, præstate virtute peditem ut honore atq; ordine præstatis*. Negari tamen non potest, ita Peditatum adjunctum esse Equitatui, ut alter ab altero separari nequeat. Quam in rem celebris est Iphicratis, nobilis illius Atheniensium ducis sententia; qui Pedites manibus similes esse dicebat; Equites pedibus; ipsam aciem pectori; capiti ante Imperatorem. Planè quòd equites peditibus præstare diximus, id & Lipsius *de pugna* nō nimis negat; negat de *bello* universo: in quo peditatum præponit. Nam ad oppida propugnanda aut expugnāda quis equitū magnus usus? quis etiam in montanis locis aut impeditis? Ex quo intelligitur, magis necessarios Reip. pedites, qui possunt ubiq; prodesse, ait Veget. *lib. 21. c. 11*. Laudatus à Lipsio *lib. 5. politic. c. 7*. quem vide. Peditatus autem, auctore Æliano de *instruēd. acieb.* in tres ordines distribuebatur: in Armatos, Velites & Peltatos. *Armati* gravissimis armis utebantur: scutum amplissimum, & rotundum gerebant, & hastam

Pediten.

Peditatus & equitatus quando præstet.

Armati. Peltati.

Velites.

hastam longiorem. *Velites* omnium levissimè armabantur, non loricam induti, nō ocreâ muniti; non clypeum, aut scutum grave gerentes: telis tantum, aut sagittis utebantur, jaculis, lapide aut ex funda, aut ex manu. Iidemque velites, *tyrones* erant, & minimam in exercitu operam præbebant: neque sua vexilla neque suos centuriones habebant. Livius hastas, gladium parmamq; iis tribuit *lib.31. & lib.38.* cùm tamen jacula non hastas, quo primum tempore sunt instituti, septena habuissent, ut idem Livius *lib.36.* ostendit, solebantque ii, tanquam aliâs parum utiles, sarcinis in itinere onerari, ut notat Paulus Manutius *ad Ciceron. ep.20. libr.9. Peltati* locum inter Armatos & Velites tenebant: armaturæ genus levius, quàm Armati; & gravius, quàm Velitis, Pelta enim scutum parvum & leve erat: conti eorum longè sarissis breviores. Reliquas verò species, sive peditum, sive equitum hîc ut recenseam, instituti mei ratio non postulat, exstante præsertim non indiligenti harum descriptione apud Robertum Valturium *lib.8. de Re Militari,* & Gulielmū Choul, quem ex Gallico latinum fecit Ludovicus Camerarius. Eos, præter Lipsium accurate quoque de his differentem Lector adire poterit. Illud hic loci dissimulandum non putavi, quòd aliâ in Equites delinquentes pœna; aliâ item in pedites videā animadversum. Illi enim *Gradus dejectione*; hi *Militiæ mutatione* plectebantur. Gradū dejicitur, qui ex loco digniore in minus dignum transcribitur. Ecce enim Claudius Imperator Equestres militias ita ordinaverat, ut post Cohortē, Alam; post Alā, Tribunatum Legionis daret. Suetonius *in ipsius vita.* Eos ego militiæ gradus ita accipio, ut qui cohorti præerat, minor esset eo, qui Legioni: atq; ita, qui à præfectura Legionis in Cohortem traducebatur, gradu dejectus dici poterat. Gradus

Tyrones

enim honorē impartitur. Isto planè modò latū est Romæ ex Appii Claudii sententia senatus consultum, quo omnes, qui à Pyrrho Rege Epirotarum capti, & posteà ab eo ultro remissi erāt; ii quidem, qui Equo meruissent, Peditum numero militarent: qui Pedites, Funditorum auxiliis adscriberentur. Sic à Modestino responsum legimus. Eum qui stationis munus derelinquit, pro modo delicti aut castigandum, aut gradu militiæ dejiciendum. *l. desertorem.3. §. qui stationis. ff. de re mil.* qui aliena arma subripuit, gradu militiæ pellendū *d.l.3. qui alt* Ita & Arrius Menander respondit; Equitem qui in pace deseruit, gradu disturbandum esse. *l. non omnes.5. §.1. ff. d.t.* si plures deseruerint, deinde intra certum tempus reversi fuerint, gradu pulsos in diversa loca distribui debere: sed tyronibus tamen in hoc parcendum, qui si iteratò hoc admiserint, pœna competēti adficientur. *d.l.3 §. si plures.* Rectè autē dixi, *Qui in pace deseruit:* Nam in bello idem admissum capite erit puniendum *d.l.5.§.1.* nisi Desertor ille à patre fuerit oblatus. Hunc enim Divus Pius in deteriorem militiam dari jussit; ne videatur pater ad supplicium filium obtulisse. *leg. miles 13. § fin ff. eod.* Idemque & de eo filio Menander interpretatur, quem pater militiæ, belli tempore, subtraxit. Nam & hunc, si à patre posteà fuerit exhibitus, in deteriorem militiam dandum esse pronunciavit *in l. qui cum uno.4. § qui filiū ff. d.t.* Quibus ex locis Dd. communiter colligunt, paternum illum affectum, & singularem amorem, quem erga liberos pater gerit, inter alia etiam hoc operari, ut si filium pœnæ mortis ex delicto obnoxium pater Judici offerat, non debeat filio ordinaria mortis pœna, sed mitior aliqua irrogari, quod multis Doctorum auctoritatibus confirmat Arius Pinellus *ad rub. C. de Bonis matern. part.2. nū 32.33.* quinimò cō-

Pater filium judici exhibens.

cedit

cludit Aymo Cravetta, Filium ejusmodi nulla omnino pœna esse afficiendū. *consil.* 309. *n.* 3. A cujus tamen sententia meritò discessit Menoch *lib.* 3. *de arb. jud. cent.* 4. *casu* 347. Cæterum de variis Desertorū pœnis videatur Claudius Coteræus *lib.* 3. *de iure Militū c.* 3. Nunc de Militiæ mutatione dicāus. Quæ etsi gradus dejectioni nō plane absimilis est: at gravius tamen aliquantò punitur, qui militiā mutare cogitur, quàm qui gradu deiicitur. Coteræus *d. l.* 3. *c.* 16. Ideoq; si quis capite plecti meruerit, ac judex cum eo humanè velit agere, militiam tantū mutabit, verbi caussa, qui agmen excessit, capite punitur: at si ex causa; vel fustibus cæditur, vel mutare militiam solet. *d. l. desertorem.* 3. §. *in bello. ff. de re mil.* Sic qui in bello arma amisit, vel aliena vir miles, capite plectitur: humanè militiā mutat. *d. l.* § *miles.* Idem erit, si pedes in pace deseruerit. *l. non omnes.* 5. §. 1. *ff. eo* Sed & per vinum aut lasciviā lapsis capitalis pœna remittenda est, & militiæ mutatio irroganda. *l. omne delictum* 6. §. *per vinum. ff. d. t.* At cur militis lapsum vino comissum tam severè punitum putē? cum tamen Imperiali rescripto is, qui temulētiā turbulentus Imperatori male dixerit, nō tantùm nulli pœnæ subjugetur, verùm etiam miseratione dignissimus judicetur. *l. un. Cod. si quis Imper. maledixer.* & alioquin etiam ebrietatem constet veniæ facilitatem indulgere: siquidem per ebrietatem delinquens nō tam proposito, quā impetu deliquisse videatur. *l. perspiciendum.* 11. §. *delinquitur. ff. de pœnis.* non secus ac furiosus *l. infans.* §. *sanè ff. ad L. Cornel. de sicar. l. illud.* §. *sanè de iniuriis*, qui non intelligit, quod agit. §. *furiosus. Inst. de inutil. stip.* & cujus nulla voluntas est. *l. furiosi. de reg. iur.* ut non immerito damnum ab eo datum non aliter æstimādum sit, ac si quadrupes id fecisset. *l. sed &* §. 1. *ff. ad l. Aquil.* aut casu aliquo absq; facto personæ cōtigisset *l. ult. in fi. ff. de ad. ministr. tutor.* quod plurib. disputat Ferdinand. Vasquius *lib.* 3. *Illust. controver. c.* 96. *n.* 31. Jul. Clarus *lib.* 5. *sent.* §. *fi. v. præterea quæro.* Ant. Gom. *lib.* 3. *variar. resolut. c.* 1. *n.* 73. Didac. Covarr. *in Clem. si furiosus de homic. part.* 3. *n.* 3. & 4. Jacob. Menoch. *de arbitr. jud. lib* 2. *cent.* 4. *casu* 316. Equidē hoc in bello & militia singulariter ita constitutum credo: ut cū sobrietas eo tempore quàm maximè necessaria sit, Ebrietatem jura nequaquam impunitā esse voluerint: cotidianâ præsertim plusquam satis, & quidem non absq; summo Reip. incommodo attestante experientia; Eos qui meracius & amplius biberint, & audacius loqui, & castrensia secreta facilius reserare: ut verè Theognis dixerit, Aurum igne, hominis ingenium vino detegi ac deprehendi. Quib. adde, quæ suprà à me commemorata sunt, Tit. de Cellis fol. 80. Hinc Carthaginensium lege cautum fuisse, Plato scribit *lib.* 2. *de Legib.* ut nemo militum in castris gustare vinū auderet; sed tantùm aquam expeditionis tempore biberet. Hoc ipsum & Pescennius Niger Imp. edixit, Ne quis miles in expeditione vino uteretur: sed omnes aceto contenti essent. Idem pistores sequi militiā prohibuit, buccellatum panem (quem hodiè vulgò *Biscotto* sive biscoctū dicimus) existimās satis esse. *Spartian. in vita Pescenn.* Liberalior hoc paulò fuisse videtur Constātinus Imperator, qui milites suos ab antiquo consuevisse ait percipere duob. dieb. frumentū buccellatū, tertio die panem; uno die vinū, altero acetum; uno die lardum, aliis duobus carnem vervecinam. *l.* 1. *C. de erogat. mil. annon. lib.* 12. Ubi buccellatum haud dubiè intelligitur id, quod ad usus diuturnitatē excoctum est, à bucca, quod frustulū panis denotat, sic dictū. Idq;, ut modo memini, ēt *Biscoctū* appellamus. Bis n. coquitur, ut perduret, minusque sitū sentiat. Fermēto nullo hunc retineri, sunt

Militiæ mutatio.

Ebrietas an pœnam mitiget.

Vinum militibus interdictū.

Pescennius Niger.

Constantinus.

Buccellatū.

Biscoctum.

Panis Nanticus.

neri, sunt qui existimēt. Ejus generis quoque est panis *Nauticus*, Plauto *rubidus*, vel ut alii legunt, *ruvidus* dictus *in casina. act. 2 scen. 5.* Qua præcipuè utūtur vincti, atque ad Scalmum adacti in triremibus. Quin etiam in longis navigationibus eo coguntur vesci nautæ, militesque navigiis impositi; cibo mehercule ingratissimo, nisi iis, qui famelici sunt, vel meliorū inopia premuntur. ut Johan. Bruyerin. asserit *lib. 6. de re cibaria, c. 10.* Divus quoq; Adrianus fertur inter Manipulares vitam militarem egisse, ac cibis castrensibus in propatulo libenter usus, hoc est, larido, caseo & posca: exemplo Scipionis Æmiliani, & Metelli, itemq; auctoris sui Trajani; ut idē Spartianus in vita ipsius prodidit: cui *Posca* potus erat aceto & aquâ permixtus: quo maximè remiges utuntur. Tantùm igitur abest, ut accurationes cōviviorum & apparatus Militibus permissi fuerint, ut ipsimet etiam nobilissimi Duces tenuissimè victitârint. Nam & Scipionem & Alexandrum simplici pane in itinere cum amicis cōtentos fuisse tradunt: & Masinissam Pop. Rom. amicum centesimum vitæ annum agentem, stantem vel ambulantem meridie ante tabernaculum solidum cibos sumere novimus. Pompejus verò cum adversâ valetudine laboraret, & ut turdo vesceretur Medicus suaderet, illumq; Sui frustrà quærerent (erat enim præter anni tempus) ac diceret quidam, fore ut apud Lucullum penes quem integrum annum alerent, turdi invenirentur: Ergo, inquit, ni Lucullus studeret deliciis, vivere Pompejus non posset? ac dimisso medico paratu, facilimis vilibusque cibus usus est. Pompejū in hoc quoq; vicisse videtur Jul. Cæsar: cui tanta circa victum fuit facilitas, ut cùm appositis asparagis pro oleo unguentum instillaretur, quam primum id animadvertisset, facilè commanducarit, atq; eum increpuerit, qui molestè tulisset: Robertus Valturius *de re militari lib. 7. c. 17.* Frugalitatis verò maximè illustre exemplum exhibuit Synesius in Carino, Romanorum duce adversus Arsacidam contumeliosum in Romanos belligerante: qui cū Armeniam superasset; priusquam adoriretur regionem hostilem, cibi eum capiendi cupiditas incessisse dicitur. Advenisse tum tradunt Legatos hostium: atq; hos arbitratos fuisse, adventum primum suum delatum iri in congressum eorum, qui plurimum apud Imperatorem valerent, atque adeò occursuros se clientibus & interpretibus horū aliquibus, ut Legatis post multos vix dies responsum daturus esset Imperator. Incidisse autem eos in ipsum fortè Imperatorem epulantem. Nondum enim (ait Synesius) tantū ab reliqua expeditione seiunctum erat satellitium, quidam exercitus eximius, juvenes universi, universi grandes, flavo & prolixo capillo,
„ *Atq; caput nitidi semper, facieq; venusti,*
gestantes clypeos argento, & hastas auro insignes. Quos quotes cernimus, signum nobis datur, adesse Imperatorem, quemadmodum, ut videtur, splendore antecedente, solis ortus significatur. Sed tum omnes ordines suo officio fungentes, satellitium erat & Imperatoris & Imperii. Illorumque Imperatorem simplex erat habitus, qui non ornatu, sed animo se esse Imperatores declarabant, & à multitudine bonis differebant interioribus. Externam autem similitudinem cum gregariis præ se ferebant: Quo habitu & Carinum à Legatis illis conspectum fuisse perhibēt. Tunica erat punicea: ipse super gramine accumbebat: dapes erant pulmentum futile pisi, inq; hoc frustra salsamenti carnis suilæ, vetustatis valde conscii, Imperatorem autem Legatos conspicatum, neque exsiliisse, neque commutasse quicquam: ferunt accersitisque illis dixisse, ita ut assederat,

Adrianus. *Poscæ.* *Veterum in victu militari facilitas.* *Scipionis & Alexandri, Masinissæ.* *Pompeji.* *Cæsaris.* *Carini.*

sederat, scire se, quòd se convenire vellent, seque Catinum esse: nunciarēt adolescēti Regi suo, illo die ni frugi esse vellet, expectandum ipsi, ut aspiceret cuncta nemora, cunctosque campos una nocte læviores factos, quàm esset Carini caput; interq; hæc verba simul exhibuisse caput, detracto pileo, in quo nihilo plus pilorū esset, quam in galea apposita. Quod si esurirent, concedere ipsis, ut unà secum manum in ollam injicerent: sin hoc ipsis opus non esset, jubere se eo ut momento discederent, & extra Romanum vallum se reciperent, cum jam perfuncti essent Legatione. Atque his relatis ad multitudinem hostium & Ductorem ipsum, quæq; vidissent, quæque audissent, horrorem & formidinem invasisse universos accepimus: Dimicandum esse cum talibus, quorum Imperator is esset, qui & Imperator & Calvus non vereretur apposita olla cōvivas invitare. Et tertium illum gloriosum Regem, cum tiara & ornatu Persico advenisse tum ajunt, paratum facere omnia quæ imperasset ille in vilis lanæ tunica cum pileo. Quæ ex Synesii oratione *ad Arcadiū Theodosii filium, de Regno, id est, officio Imperatoris sive Regis*, quam ocellus Eruditorum, & Germaniæ nostræ lumen Joachimus Camerarius pater ex Græno in Latinum traduxit sermonem; huc adscribenda putavi, quod veteris illius continentiæ & frugalitatis verum exemplum & fructum simul repræsentare videbantur. Quibus non absimilia ut adjungerem plura, in proclivi quidem erat, ni vererer, ne ob profligatam hodiè & à castris exsulantem militarem disciplinam parum momenti essent habitura; obrepente præsertim, & velut succidanea substitutâ libidine atque omnis generis luxu, præsentissima Militiæ peste: quæ omnium ferè animos ita occupavit, ut nulla prope ope, nulla vi rursum exstirpari posse videatur. Lubet tamen doctissimi Germanorum poëtæ Epigramma adscribere, quo ille Militum hujus seculi perditissimores graphicè depinxit, & detestatus est.

Ioach. Camerarius.

Militaris disciplina laxata.

Lotichii.

Pudor Deorum, opprobriumque seculi,
Pestis, luesque militaris ordinis,
Qui perciti furore mentis ebria,
Licentiaq; perditorum temporum,
Abominandis involui vestibus.
Fas omne rumpunt, eruunt Rempublicam,
Heu dira imago! heu barbarū spectaculū.

3. *Vexillum cæruleum & roseum*) Desumta hæc sunt ex Servio, qui ad Virg. *lib. 8. Æneid.* tria olim fuisse tradit militiæ genera: Sacramentum, Tumultū, & Evocationem. Sacramentum, legitima erat militia, cum singuli milites jurabant. Tumultus erat, verbi caussa, bellum Jtalicū vel Gallicū: in quibus ex periculi vicinitate erat timor multus: & quoniam singulos interrogare non vocabat, qui convenerant, simul jurabant: & dicebatur ista militia Conjuratio. Qui enim ducturus erat exercitum, ibat ad Capitolium; & exinde proferens duo vexilla, (unum *Roseum*, quod pedites evocabat; & unum *Cæruleum*, quod erat Equitum) dicebat: Qui Rempublicam vult salvam esse, me sequatur. Erat & Evocatio: cum ad diversa loca diversi cogebantur exercitus. Servium laudat & explicat Gulielmus Budæus *ad l.1.§.1. ff. Depositi.* quem vide.

Militia tria genera.

Sacramentum.

Tumultus.

Evocatio.

4. *In quatuor Legiones exercitum dividebant*) Jmo sub Julio Cæsare triginta Legiones fuisse videntur in Romana Republica: quarum diversa signa expressit eleganter ex Numismatibus antiquissimis Hubertus Goltzius, in eo libro, quem de C. Julio Cæsare fecit. Quælibet autē Legio decem habebat cohortes. Primā cohortem *Militariam* fuisse testatur Vegetius, in quam censu, genere, literis, forma, virtute pollentes milites mittebantur. Reliquæ cohortes, inquit idem Vegetius

Legio.

Militaria cohors.

Hujus signũ, Aquila.
In qualibet Legione.

tius, prout Principi placuisset, à Tribunis vel à Præpositis regebantur. In prima autem cohorte singularum Legionum Aquila constituebatur. Quot igitur Legiones, tot Aquilæ. Unde manavit Ciceronis jocus post pugnam Pharsalicam cum jam Pompejus fugisset. Nonio enim quod dicente, superesse adhuc *novem Aquilas* (hoc est, totidem Legiones) hortanteque ut bono animo esset: Bene, inquit Cicero, moneres, si nobis bellum foret cum graculis, Plutarch. *in problem.* Sed & A. Hirtius, cum Pompeii acies tredecim Aquilis constitutas scribit; tredecim Legiones intelligit. Nam ut Josephus *lib. 3.* pro-„didit, Aquila omni legioni apud Roma-„nos præest, quòd & universarum avium „regnum habeat, & sit valentissima. Unde etiam imperii signum ipsis est, & velut omen victoriæ in quoscunque eunt: Adeò autem Aquilæ Romanis in usu fuère, ut has notas, & propria Romanorum signa dicat Lucanus:

Aquila an Roman. propria.

Vi nota fulsère Aquilæ Romanaq; signa:

Sive quòd ipsimet Aquilæ, ut & Lupi, Minotauri, Equi, Apri (cujusmodi rapacia animalia in pugnas aut raptum nata bello conveniunt) effigies, de quibus postea dicemus, & primi in signa adsumserint & prætulerint: sive quod vicinorum exemplo id fuerint imitati. A primordio namque Orbis (ut rem altius paulò repetam), convenientes simul homines ex sylvestri vita, primum carnibus humanis vescebantur, belligerabanturque invicem, eo cui plus virium inerat superante: tum injuriis potentiorum imbecilles urgẽte necessitate edocti, acie facta signũ animalis sibi ex his, quæ postea consecrata fuerint, „præposuère aliquod; postmodũ congregati infirmiores adversus aliorum injurias se tuebantur, quo factum est, ut animali, „quod salutis caussâ fuisse putabatur, honores tribuerentur. Sic Ægyptios veteres, „apud quos nulla militaris erat disciplina, „quum à vicinis sæpius bello vexarentur, „excogitasse ferunt aliquod insigne, quod Milites sequerentur. Figuras igitur animalium, quæ nunc colunt tabulis fictas, „Duces eorum in bello tulisse: eaque ex recognito servatoque sub quo quisque militaret ordine, victoriam consequutos. Rober. Valturius *de re militari. l. 10.* Sunt qui ipsum etiam Jovem scribant Aquilam militiæ insigne habuisse. Nam & Cæsar in Arato refert, Aglaosthem dicere, Jovem, „cum ex insula Naxo adversus Titanas proficisceretur, & sacrificium faceret in litore, Aquilam ei in auspicium advolasse, „quam victor bono omine acceptam tutelæ subjugârit. Et Diodorus auctor est, Thebæos Aquilam inprimis honorare, tũ quòd Regia videatur avis, tum quod Jove digna putetur. Stephanus Forcatulus Aquilæ Castrensis inventum Cyro Persarum Regi incunctanter attribuendũ censet: utpote qui pro signo potissimo eam auream in longa hasta extensam habuerit: & sua ætate in Perside talem à se visam in magnis expeditionibus Xenophon commemorat *lib 7. de Cyripædia.* Forcat. *lib. 6. de Gall. Imp. & Philos.* Quod loco notandum est, Aquilam illam Cyri aureã fuisse Xenophonti: ut & Romanorum, Arriano in Dissertationibus Epicteti: Signa selecti exercitus (id est, Legionum, ut Lipsius interpretatur) Aquilæ imagines principum, vexilla omnia aurea, extẽsa in hastis argentatis, quanquã negari non potest, eadẽ etiam quandoq; ex argento fuisse. Sic enim Portius Latro *in declamatiõe contra Catilinam*: Aquilam, *inquit*, argẽteam præferri cõtinuò jussisti, præclaram auspicem ac gubernatricẽ furoris tui: Et argentea quidem signa veteribus usitatiora fuisse Plinius ex eo ostendit, quod calor argento clarior esset magisque dici similis; & ideò (inquit) militaribus signis familia-

Aquila Jovi usurpata.

Thebæis in honore.

Cyro etiam pro signo.

Aquilæ aureæ.

Item argenteæ.

Pelta sive hasta insidens.

familiarior, quoniam is longiùs fulget. Aquila igitur illa sive aurea, sive argentea, summæ hastæ insistebat, pinnas extendenti similis, ut Curtius describit *lib.3.* Quan-

In ædicula.

doque etiam ædiculâ sive sacello occulebatur, ut Auctor noster monuit, ex Dione fortassis, qui *lib.40.* de Crassi expeditione disserens: Aquila, inquit, exigua quædam est sacelli effigies: inque ea Aquila aurea est collocata. Qui locus etsi dubium nonnihil & fluctuantem facit Pipsium *lib. 4. de Milit. Roman. c.5.* putat tamen aut mutatam fuisse Aquilæ formam, infimo illo Dionis ævo: aut aquilam, cum in hybernis esset, in sacello fuisse repositam, atq; inde motam cum educenda. Quam sanè signorum repositionem in usu fuisse consentientibus multorū auctoritatibus cō-

Terra quoq; infigebatur.

firmat. Hastam verò illam in castris terra figi solitam, idem Dio monet his verbis: Eam aquilam hastæ impositam unus quidam vir portat: cujus hastæ pars ima præacuta est, ut in solum defigi possit. Inprimis verò ominosum putabatur, si difficulter ea è terra refrigeretur. Id quod Crasso obvenisse idem Dio prodidit: cum quo una ex Aquilis Euphratem transire noluit; sed perinde ac si terræ adnata esset, ita infixa hæsit, donec tandem à multis circumstantibus vi evulsa fuit invitaque comitata est suos. Præter Aquilam, Romanos etiam Lupos, Minotauros, Equos itemque Apros pro signis usurpasse, Plinius docet *lib. 10. c.4.* De quibus singulis videamus.

Lupus.

Et quidem Lupi effigiem inter signa militaria propterea extitisse putatur, sive quòd lupæ lacte Martii pueri nutriti sunt, ut est apud Livium: sive quod in tutela Martis id animal fuerat, eique dedicatum. Etenim Lupus, rapax animal, vorax, suapte natura ablata consumens, maximeque id tempus aprū rapiendo pecori, quod milites in capiendis urbibus solent, observans; quod est antelucanum. Reddunt & aliam caussam animalis hujus Ægypti fabulosiorem tamen. Nam cum Isis unà cum filio Oro contra Typhonē esset bello dimicatura, ferunt Osiridem lupi forma ab inferis auxilio uxori & filio venisse. Victores itaque Typhone interfecto, honorem ei animanti impendisse, cujus interventu subsidioq; victoria parta esset. Nec desunt, qui agros Ægyptiorū incursantes Æthiopes dicant, à lupis facta acie usq; ad civitatem Elephantiam repulsos: qua ex re sit & locus ille dictus Lycopolis, & eis belluis honos à posteris habitus. Delphis quoq; cultum fuisse lupū vel ideò tradunt, quòd aurū sacrum è fano lectum ablatumque, & in monte Parnasio defossum, indicio suo detexerat, dum fortè terra vesceretur, *Ælian. lib. de anima lib. 12. cap.40.* quòd illi crebrò accidere in summa fame Plinius asserit *lib.8. cap.22.* Præsertim verò Lupocervario, qualē è Gallia deductum Pompejus Magnus in Arena plausibiliter exhibuit, arduam feram, & Marti consecratam. Quid, quod & Athenienses Lupum in Apollinis gratiam coluisse feruntur, & damnationis lege promulgata sanxisse, ut qui fortè animal id interfecisset ea pararet, quæ ei funerando forēt necessaria: ut ita Magistratus, quòd sui juris esset, officium executi viderentur, & religione Respublica solveretur. Eam hujusce cultus caussam nonnulli memorant, quòd Latona prægnans per duodecim dies in lupum transmutata, Delum se contulerit, ubi illi facultas pariūdi fuit, quapropter Lupas certa anni dimensione omnes intra dierum XII. spacium parere, ut Joann. Pierius prodidit, *lib. Hieroglyph.* forsan, ut tot pariundi, quot coeundi dies iis constitutos intelligamus. Siquidem Plin. dies Lupis, quibus coeant, toto āno nō amplius XII. esse scribit *d. l.8. c.12.* quo loci tamē monet, Homines in lupos verti, rursumq; restitui sibi, falsum esse,

confidenter existimare nos debere, aut credere omnia, quæ fabulosa tot seculis comperimus. quanquam *nullum tam impudens mendacium est, ut teste careat.* Et poterunt hanc in rē videri, quæ suprà *ad Tit. de Equis*, diximus. Atque hæc quidem de Lupis. Minotaurum verò quod attinet: sciendum est ejus effigiem tunc efferi solitam, cum secretò & tacitè rem gerendam admonerentur. Ostendebat enim Hieroglyphicum id, consilia Ducum nō minus occulta esse debere, quàm fuerit Minotauri sedes, quippe Labyrinthus: quæ ratio à Festo adsignatur, *dictione Minotaurus*. Hinc ille sapiēs eorum Imperator Q. Cæcilius Metellus Macedonicus percunctantibus Tribunis, quonam Exercitum huc illuc agitaret? Si putarem, inquit, tunicam meam meorum esse consiliorum consciam, eam actutum absciderem, combureremque. Tutissimū enim: ait Vegetius, in expeditionibus creditur, facienda nesciri, quod Joh. Pierius retulit *lib. 5. Hierogly.* Quæ quidem bellè dici putat Lipsius; sed ūde rusticulis illis Romanis Minotaurus, & fabella hæc iñotuerit, dubitat. Unde veretur, ne non *Minotaurus*, sed *Taurus* fuerit, robustum ac ferox animal, atque aptum pugnæ & bellicosis viris maximè congruū, propter ingenium dimicationem amplectens. Spargit siquidem in altum arena, coque stimulo ardescens de Imperio certat, cornibus in procinctu manentibus, dum adversarius accinctus duello, ut Stephan. Forcatulus explicat *lib. 6. de Gallor. Imper. & Philos.* Superest ut de Equo & Apro dicamus. Equi igitur effigiem insignis prætulisse Romanos arbitror, quòd per hujusmodi animantis speciem, cùm bello intersit, plurimumque valeat, Martis commoditatem designare voluerint: tum quia præsagit hoc animal pugnam, & gloriæ atq; victoriæ cupidum est: tum quia armatos vehit: tum quia velox nonnunquam est, ut Martem decet, ac impetu ac furore maximè plenum. Marti autem sacrum inprimis esse Equum, ex eo constat, quod Decembr. Idibus illi Equus, qui à dextera victor fuisset, immolabatur. Dextera enim masculina censeri, alibi traditur, & mares animos Marti passim videmus attributos. Unde apud Horatium:

Tyrtæusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit.

Decet enim eos, qui Marti se consecrarunt, masculum & virilem animum gerere, neque muliebriter quicquam meditari aut facere. Apri denique, ut Plinius scribit, vel, ut Festus, Porci effigies inter militaria signa locum obtinebat: quia confecto bello, inter quos pax fieret, cæsâ porcâ fœdus firmari solebat: à quo qui resiliret, non aliter ac porca lapidibus crudeliter obruta, necaretur. Unde & instructæ aciei rationem figuramq; quandam, *Porcinam frontem* appellabant, ut Joh. Pierius prodidit *lib. 9. Hierogly.* Sed quatuor ista signa, Lupos scilicet, Minotauros, Equos, & Apros, C. Marius in totum abdicavit, sola Aquila retenta, quam Romanis Legionibus in secundo consulatu suo proprie dicavit, ut Plinius scribit *lib. 10. cap. 4.* Legimus tamen Romulum etiam fæni manipulos repentino tumultu excitatum hastis illigasse, & pro signis habuisse: reque benè gesta boni inde ominis caussa Manipulos instituisse. Docet hoc Ovidius, cum ita canit:

Illa quidē fœnum: sed erat reverētia fœno.
Quantā nūc Aquilas cernis habere tuas.
Pertica suspensos portabat longa maniplos.
Unde Maniplaris nomina miles habet.

Monet etiam auctor noster, quandoque dexteras mutuò conjunctas in exercitu pro signis fuisse habitas, atque eas exercitus concordiam denotasse. Nam & prisci mortales morem hunc induxerunt, ut firmandæ

Minotaurus. Pro Minotauro Taurus. Equus. Aper. Porcus. Manipulus fæni. Dextera manus.

Dexteræ junctæ firmandæ fidei.

mandæ fidei copularent dexteras: quo perfectus numerus, hoc est denarius perficeretur, quinis scilicet utrinque junctis. Dextram autem Fidei sacram, ex trivio notum: & fœdera dexteris peractis feriri solita non ignorant, qui vel extremis labris antiquitatem degustarunt. Sic veteribus in numis frequentes duæ dextræ junctæ: cum epigraphe illa: Fides publica, Fides exercituum: Fides provinciarum. & in ipso Fidei simulacro, quod marmoreũ hodieque Romæ exstat, duæ sunt personæ dexteras jungentes, in medio Amor. Georgius Remus in Notis *Themistii orat. 2.* Nec dubium est, semper in rebus magni momenti, tutelis, pactionibus transactionibus, sponsalibus dextras jungi solitas, tanquam evidens symbolum ac signum perfecti consensus, perfectæ pactionis, perfectæ concordiæ & majoris fidei per text. *in capit. 1. in fin. extra de sponsa duor. gl. in c. fundamenta verb. dexteras. de electione in 6.* Tiber. Decian. Respons. *n. 14. vol. 3.* Alexand. ab Alexand. *libr. 2. Genial. dierum cap. 19 & lib. 5. cap 3.* Quo spectat illud Ovidii *6. Metam.*

Ut signum fidei dextras utrasq; poposcit,
Inter seq; datas junxit.

In eo tamen typo, quem Justus Lipsius, & ante hunc Gulielmus Choul exhibuit, non quidem conjunctas manus, sed dexteram explicatam video: quo ipso fœdus significatum fuisse puto, ut in illo Pythagorico; *Non esse unicuiq; dexteram porrigendam*, hoc est, non temerè quempiã in amicitiæ familiaritatisque fœdus admittendum. Id enim symbolum in hanc sententiam Plutarchus citat in commentario, quod de multorum amicitia conscripsit, & Solonis dictum illud in primis fertur: *Amicos ne citò compares: quos autem acquisieris, ne reiicias contemnasve.* Quia verò fides in fœderibus quàm maximè expetitur, receptum inde est, ut per dexteram & fides significaretur. Ita enim apud Virgilum Dido exclamat:

—en dextra fidesq;
Quę secũ patrios aiũt portare penates, &c.

Atq; hoc est, quòd Achimenidi Anchises.

Dat dextram, atq; animum præsenti pignore firmat:

quanquam in militaribus quoque allocutionibus, sublata manus, consensus & approbationis Hieroglyphicum esse Johan. Pierius docuit *lib. 35.* Cur autem ora manusque, & dextræ potius quam sinistræ conjungantur, ex Livio & Xenoph. explicat Cœl. Rhodigin. *lib. 1. lect. antiq. c. 39.* Atq; hic mihi venit in mentem illud Gorgiæ Rhetoris, qui cum pulcherrimum librum de concordia, Græcis inter se diffidentibus, recitasset Olympiæ; Respondit Melantius inimicus: *Hic nobis de concordia præcipit, qui se, uxorem, & ancillulã, tres in una domo concordare non potuit:* ut ex Johanne Saris. *6. lib. de Nugis Curial. capit. 11.* recenset. Ventura de Valentiis *in Parthenio litigioso lib. 3 c. 4. in fin.* Sed hæc quidem de Peditum signis dicta sint. Nũc ad vexilla devenio: quæ & Flamulæ dicuntur, & propriè Equitum fuerunt. Erant autem modica quædam vela, & quadra, ad hastam expansa. Docet id Georgius Cedrenus his verbis: *Vexilla passim panni seu vela è purpura & auro, in quadratam formã effecta. Hæc adaptãtes longis hastis, circũ Principes in orbem euntes eos tegũt. Sunt autẽ illa, quæ nunc Flamula dicũtur, &c.* Tale etiam fuisse videtur Draconis signum: quod purpureum Amianus Marcellinus vocat, & summitati hastæ longioris aptatum fuisse scribit, velut senectutis pendentis exuvias. Et pompam describens, quam Constantius Imperator Urbem ingrediens duxit; Erant (inquit) & Dracones hastarum aureis grammatisq; summitatibus illigati; hiatu vasto perflabiles; (alii legunt perflatiles) & iidẽ velut ira-

Cur ut dextra, non etiã & sinistra juncta.

Vexilla Equitum.

Dracones.

ira perciti sibilantes, caudarumque volumina relinquentes in ventum. Hinc Claudianus *in Panegyrico III. Consulatus Honorii* ita canit:

Hi volucres tollunt Aquilas: hi picta Draconum
Colla levant: multusque tumet per nubila serpens
Iratus, stimulante Noto.

Et in VI. consulatu ejusdem dubitat

—quid fissa Draconum
Ora velint, fluitēt ventis, an vera minētur
Sibila, suspensum rapturi dentibus hostē.

ubi pro *fixa*, *fissa* etiam Alciat. legit *lib. 5. parergon. cap. 13.* Picti igitur in velis ferebantur Dracones: quorum rotundum & inane corpus erat, ita textum, ut vento per oris hiatū & guttur admisso turgesceret. Id pulchrè explicat & veluti oculis subjicit Sidonius, illis versibus:

—jam textilis anguis
Discurrit per utramque aciem, cui guttur adactis
Turgescit Zephyris, patulo mentitur hiatu
Iratam pictura famem; pannoq; furorem
Aura facit, quoties crassatur vertile tergū
Flatibus, & nimium jam non capit alvus inane.

De origine autem & caussa, ex qua Dracones in militaribus vexillis haberi cœperunt, variè disputant Robert. Valturius *lib. 10. de re militar.* & Just. Lipsius *lib. 4. de Milit. Romana. c. 5.* quos vide. Sanè nō in signis tantùm Dracones sive serpentes militibus usui fuisse constat, sed & vivos etiam pugnatoribus sociis auxilium non contemtibile præstitisse. Legimus enim Annibalem monstrasse Antiocho navali prælio pugnaturo, ut in hostium classem vascula jacularentur viperis plena, quarum metu perterriti hostes à dimicatione & nauticis ministeriis impedirentur. Idē cùm Brusias, jam cedēte classe sua, fecisset, victor evasisse dicitur. Joh. Pierius *lib. 15.*

Serpentum usus in bello.

Hierogl. sub Serpente. Sed ad vexilla revertamur. In his igitur præcipuum Romanis, inferioris tamen seculi signum fuisse dico *Labarum*: quod Imperatorē præcessisse, & à militibus adorari consuetum, Sozomenus auctor est *lib. 1. histor. Eccles. cap. 3. & 4.* idq; Constantini Magni jussu gemmis ad Crucis effigiem decoratum, simul atque ipsi contra Maxentium bellaturo in somnis de cœlo Crucis signum astulisset, voce simul auditâ, victoriam pollicente. Niceph. *lib. 7. c. 29.* quanquam signum illud non crucis, sed nominis Christi fuisse *Becmanus* contendat; Nam ut scribit Eusebius *αὐτόπτης de vita Constantini lib. 1. cap. 22.* figuram retulit hastilis erecti, cujus fastigio affixa corona & quasi cornu mediū hastilis obliquè (*χιαζομένου τ̄ ῥ κατὰ τὸ μεσαίτατον*; quæ verba, erat litera *ρ.* inserta in medio literæ *χ.* perperam ab interpretibus versa, occasionem dederunt pingendi signum aliter, quam descripsit Eusebius) intersecabat: adeò ut duas Græcas literas exprimerent *χ.* & *ρ.* quæ cū primæ essent nominis Christi literæ, nomen Christi signo illo Constantino significatum est. Addit Eusebius, se audisse à Constantino dejerante, paulò post meridiem visum sibi idem trophæum in cœlo latè splendore circumdatum: eo fretum cunctationem exsuisse, & cum Maxentio Herculii filio conflixisse ad pontem Milvium: quo Deo permittente, repentè soluto, mersus toto flumine, eodemque sepultus, sævus justitiæ & pii Cæsaris hostis intercidit. Forcatulus *lib. 6. de Gallor. Imper. & Philosoph.* Labari etiam apud Prudentium mentio *libr. 1. contra Symachū*, hoc versu:

Christus purpureū gēmanti textus in auro
Signabat Labarum.

Labarum.

Eodemq; verbo & Ambrosius utitur: & Septimius Florens in Apologetico *c. 16.* ita scribit: *Si para illa vexillorū & Labarorum*

rerum stolæ Crucium sunt. Et Arnobius: & signa ipsa (ait) & cantabra, & vexilla castrorum, quid aliud, quàm inauratæ Cruces sunt & ornatæ; quo tamen loco pro *cantabra* legendum esse vel *contabra* à conto sic dicta, vel potius *Labara*, Adrianus Turnebus non improbabiliter conjicit *lib. 15. Adversf. c. 16.* Vexilli autem varius fuit usus. Nam & pugnandi signum eo dabatur, & in repentino tumultu prælii inopinati, ad arma concurrendi. Sic apud Cæsarem *lib. 2. de Bello Gallico*: Cæsari omnia uno tempore erant agenda, vexillum proponendum, quod erat insigne, cum ad arma concurri oporteret, signum tuba dandum. Tollebat & signum, quod vexillum erat, qui rapidè celeriterque milites contrahebat. Virg *lib. 8.*

Vexillum tollere.

Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit.

Sed & ad præsidium non parandũ, & spem ostendendam, confirmandosq; animos signum tolli, Cicero pro Marcello innuit his verbis. Et his omnibus, ait, ad bene de omni Republica sperãdum, quasi signum aliquod sustulisti. Illud quoque à veteribus constitutum video, ut ex Donatio, quod milites consequebantur, dimidia pars apud signa sequestraretur, ibidemq; militibus servaretur, ne à contubernalibus per luxum absumi posset, inaniumq; rerum comparationem, & ut interim annona publica sustentati, eorum fieret locupletius castrense peculium: scientesq; fortunarum suarũ partem apud signa sua depositam, de deserendo nihil cogitarẽt; sed magis diligerent signa & pro illis in acie fortiter dimicarẽt, more humani ingenii, ut pro illis habeant maximam curam, in quibus suam vident esse positam substantiam. Deniq; decẽ folles, hoc est, decem sacci, per cohortes singulas exponebantur, in quibus hæc ratio condebatur. Addebatur enim saccus undecimus, in quem tota legio particulam aliquã conferebat, sepulturæ scilicet caussa. Et ideò signiferi nõ solùm fideles, sed etiam literati homines legebantur, qui & servarent deposita, & scirẽt singuli reddere rationem. quæ ex Vegetio *lib. 2. c. 20.* Budæus refert *in l. ult. ff. de Iure immun.* Quemadmodũ autem annonæ illius miltaris, ut & armorum, equorum, vestium curam ad Præfectum Legionis pertinuisse idem Vegetius testatur: Ita & militaris æris cura ad Primipilarem spectabat, simulatq; pecuniæ publicæ, & stipendiorum militum: ut ea pro cujusque meritis Primipilaris (quem cùm Veteranus miles ad id munus semper eligeretur, verisimile fuit singulorum militũ virtutem perspicuè novisse) distribueret. Horum omnium rationẽ reddere eũ Imperatori oportebat: ex qua si debitor Reipublicæ supererat; voluit Lex publicis favens necessitatibus, *l. 1. C. de condict. ex leg.* ob recepta militum stipendia & æs militare (quod omne apud se Primipilarẽ habuisse, ambigendum non est) ob noxia esse in subsidium, non dotalia tantùm uxoris bona, *l. satis notũ 4. C. in quib. cau. pignus tacit. contr.* quæ tamẽ quodam̃odo ipsius mariti sunt: *l. doce ancillã. C. de rei vend.* sed & liberorum quoq; facultates; etiamsi heredes patris nõ exstiterint, pro illos fisco teneri. *l. 4. C. de Primip. l. 12.* cũ tamen alioqui nec filius pro patre, nec uxor pro marito cõveniatur, *t. t. C. ne filius pro patr. & ne uxor pro mari.* At hoc casu ideo: quoniã fraudatio hæc Primipilaris ad totius Reip. eversionẽ quodam̃odò spectare videtur, privatis suis stipendiis militib. quorũ operâ Resp. defenditur, permanet, & conservatur, Joh. Coras. *lib. 5. Miscell. c. 4.* cum exploratum sit, solere Primipilaris neglectum aut interversionẽ vel minimã, maximas interdũ in Militibus corporum & animorum remissiones facere, ut non immeritò Primipilaris cura & admini-

Sequestratio apud signa

Signiferi literati.

Primipilaris.

Vxoris & Liberorum bona fisco pro Primipilari obligata.

Et quare.

ministratio omnibus rebus potior & antiquior esse debeat. Hugo Donellus *in tr. de pignorib. cap.5.* Atq; ex his non obscurè deprehenditur, quantæ auctoritatis signa olim fuerint: quippe apud quæ magna stipendiorũ, & potissima æris militaris pars (ut dixit) fuerit deposita, & in quę tanquā sacrosancta Milites juraverint. Nō leve igitur crimen fuit ejus, qui signa deseruisset. Antiqui certè Romani fustuarium mereri dicebant eos, qui signa reliquissent. Livius *lib.5. Decad.1.* Et anno ab Urbe condita 283. Centurionibus, quorum Manipuli fugerant, & Antesignanorum quicunque signa amisissent, securibus colla abscisla sunt: & alii fustibus percussi periêre & decimus quisq; quem sors poposcisset, coram aliis moriebatur. Ea enim erat Romanis in Desertores aciei, signave abjicientes patria punitio. *Dionys. Halicarnass. lib.9. Antiquit.* Marcell. contra Annibalem pugnans, cùm turbata tota acies prorsus fusa esset, Centuriones Manipulorum, quorum signa amissa fuerant, districtis gladiis discinctos destituit: & Cohortibus, quæ signa muliebriter amiserant; hordeum dari jussit. Livius 7. *Decad.3.* At Appius Caudius in Volscos populos missus, signiferos, qui signa amiserant, & Ordines reliquerant, virgis cæsos securi percuti jussit idem Livius *lib.2. Decad.1.* Cur igitur vel signa reliquisse (quod durius est) vel arma perdidisse (quod tolerabilius) gravissima non sint crimina? cum Paulus JCtus decidat; grave admodum crimen esse, si quis arma alienaverit: in quo minor culpa inesse videtur. Verum ea Desertioni exæquata est. Et si non tota alienaverit, sed partē eorum, idem est *l. qui commeatu. §. arma ff. de re militari.* quinimò jure cautum legimus, Militē, qui arma amiserit vel deseruerit, capite puniendū: quanquam si humanius cum eo agatur, militiam mutabit: *l. desertorem. §. miles. ff. d. t.* Hinc non immeritò Spartani Archilochum poëtam civitate expulerunt, quòd melius esse scripsisset, Arma abiicere, quàm mori. Versus Archilochi sic habent:

Signa deserere.

Arma perdere, vel alienare.

Archilochus.

At carnisse armis, quàm mortem occumbere præstat.

Ægide pro jacta mox melior dabitur.

De quo Plutarch. *in Apophtheg.* & Claud. Coteræus *de iure militum. lib.3. cap.9.* Et Erasm. Rhoterod. *Chil.2. cent.2. adag.97.* ubi Archilochi istud distichon ab Aristophante relatum ita explicat.

Scuto aliquis gaudet Saius, ego, quod benè pulchrum

Deserui nolens inter opaca rubi.

Notat enim interpres, Sajos esse Thraciæ populos adversus quos bellans Archilochus, fugerit abjecto Clypeo, cujus exemplum postea secutus est Demosthenes, addicendum quam pugnandū instructior. Fuit quidem *Archilochus*, quem ipse etiam Plato sapientissimum vocat *lib. 2. de Repub.* excellens poëta, si quis auferat obscænitatem & verborum virulentiam. Quam ob virulentiam ingenii, & dicacitatem solam libris ejus à Lacedæmoniis urbe sua interdictum legimus; ne illorum lectione quippiam de veneno honestis illorum moribus instillaretur, quando ad benedicendum natus homo est, non ad infigendum atrocis linguæ vibrantem aculeum optimo cuique; non ad inspergendam factis alienis labem: dum ore fervit rabido, viperinis orbibus, at tincta facie, pumicatis dentibus insitum spargens venenum. Sicut amarulentiam illam detestatur Lud. Coel. Rhodig. *libr.15. c.25. juncto c.14. lib.11 lect. antiq.* Eundem tamen Archilochum *Musis amicum* appellatum fuisse testatur Eusebius; eidemque fatis jam concedenti, per Musas bene volentiæ testimonium præbuisse Apollinem ferunt: non secus ac Pindaro inter vivos etiam

Ejus virulentia.

Commendatio.

Pindarus.

ab Apolline quam factus. etiamnum existenti: quem ita adamasse Apollo fertur, ut illi oblatorum portiunculam impertiretur: quin à Sacerdote ad cœnam cum Deo in sacrificiis subinde vocaretur: ut idem Rhodig. commemorat *lib. 15. cap.* 11.

DE MORIBUS EXERCITUS TIT. LIV.

Exercitus † *cornua tubasque æneas inflabant, ut ait* Vegetius, *&* Virgilius:

Æreaq; assensu conspirant cornua rauco.

Vsurpabant etiam Buccinas, circa orificium quidem, per quod vox immittebatur, angustas; in ima verò parte, ex qua sonus egrediebatur, latas. Erantq; oblongæ ad similitudinem Buccini, *quod purpuræ genus est. Vnde & caussa nomini. Nostri* tympanis *utuntur; quæ & Gallis in usu erant, & in sacrificiis Bacchi frequentabantur. Vltima ætate Imperii Romani cohortes egregium quoddã dictum* † Scutis *habebant inscriptum: de quo in libro de Magistratibus imperii Romani prolixè disserui. Antiquitus etiam Ducem nomina inscribebantur. Nam ut* Zonaras *ait, præsidiarii Cleopatræ nomen ipsius scutis suis inscripserant. Idemque & hastis inscriptum fuisse* Plutarchus *in vita C. Marii tradit,* Thoraces *quoque ex lino, vino acri macerato & cocto faciebant, ut ab omni ictu immunes essent, quemadmodum* Nicetas *in vita Angeli Isaaci Imperatoris Græci scribit. Horum & magna utilitas; & nec ita graves, neque etiam impedimento illis erant, ut ferrei. Sed hi quoque in desuetudinem iverunt. Gestabant autem eos tantùm muniendi pectoris ergo. Ideoque thoraca dicebant, qui Græcis pectus significat, Servio illum* Virgilii *locum lib.* 11. *Æneid. ita interpretante:*

---thoraca indutus ahenis
Horrebat squamis

Conficiebant verò hos, duobus aut tribus anuletis, quos inaurabant, filo connexis: subtus verò unam atque alteram pellem taurinam gerebant. Vnd Virgilius *in* 5.

---Quam nec duo taurea terga,
Nec duplici squama lorica fidelis & auro
Sustinuit.

De Arietibus, Catapultis, Pluteis, Vineis, & Balistis *fulminantibus nihil dicam. quandoquidem, tanquam res minus necessaria, non amplius in usu sunt, substitutis harum in locum* Bombardis, *& tormentis bellicis. Sed nec* Currus falcati *hodie fabricantur, dum commodiores his creduntur æneæ illæ canna & sclopeti, quibus procul ferire possis.*

Marginal notes: † *Buccinæ.* *Tympana.* † *Scuta.* *Thoraces.* *Machinæ bellicæ.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

1. Cornua, tubas, buccinas, &c.) Horum singulorū, ut & lituorum forma graphicè à Lipsio describitur, & eorū simul differentia indicatur *lib. 4. de Milit. Rom. c. 10.* Inter classica autem illa instrumenta primas tenuit Buccina; quippe quę in semetipsam æneo circulo flexa, ornamētum erat (ut Vegetius ait) totius legionis ingressu cōflictus, & ejus reditu. Hinc tralatione eleganti Buccinator usurpatur pro Laudatore, ac præcone. Sic enim Cicero filius ad Tyronem patris libertum: " Quod polliceris, te buccinatorē fore ex- " istimationis meæ, firmo id constantiq; a- " nimo facias licet. Poëtæ buccinatorem Neptuni fingunt Tritona, buccino (quod Conchæ genus est Plinio *lib. 9. c. 36.*) canentem, & immani tubæ clangore aquas increpantem. Virgilius in *Ætna*:

Buccina.

Triton Neptuni buccinator.

Nam veluti resonante diu Tritone canoro
Pellit opes collectus aqua, victusq; movetur
Spiritus, ut longas emugit buccina voces.

Quod & Ovidius imitatus, ita exprimit, *Metam.*

Caruleum Tritona vocat, conchaq; sonāti
Inspirare jubet, fluctusq; & flumina signo
Iam revocare dato.

Quo tamen in loco pro concha *sonanti*, legendum esse *sonaci*, Phil. Beroald. notat: idque elegantius, tersius, nitidius esse ait, qua dictione & L. Apulejum usum esse video *lib. 4. Transformation.* ubi ita scribit: Jam passim maria persulcantes Tritonum catervæ, hic concha sonaci leniter buccinat; ille serico tegmine flagrātiæ solis obsistit inimici; alius sub oculis Dominæ speculū prægerit, currus bijuges alii subnatant. Tubæ autem sive buccinæ illius forma apud eundem habetur Ovidium:

—cava buccina sumitur illi
Tortilis in latū qua turbine crescit ab imo.

Concham enim illam curiosè contemplantibus, figura apparet turbinatiore. Tiberio principi nunciavit Olyssiponensium legatio, visum auditumque in quodam specu concha canentem Tritonem qua nascitur forma: cujus

Tritonis forma.

Frons hominē prafert, in pistrin desinit alvus.

Romani in Saturniæ ædis fastigio Tritonas tubicines imponebant, caudis abditis & absconditis; id scilicet eo hieroglyphico significantes, quòd historia gestarum rerum ab Saturni commemoratione ad nostram usq; ætatem in obliteranda celebritate, nota, clara, & quasi vocalis esset: quę verò ante Saturnū gesta fuerint, obscura & incognita in tenebris delitescere. Joh. Pierius *lib. 47. Hieroglyph. sub Tuba.* Marti autem classica illa instrumenta cōsecrata fuisse mirum non est; cum perpetuus hic quasi mos fuerit in acie,

Hieroglyphicum.

Ære ciere viros Martemq; accēdere cātu.

Cantus enim ille modulis suis & numeris, nō tantùm institutio erat ad ingenuos animi mores ratione moderādos: sed & stimulus quidam ad eum concitandum, & ad impetum quasi furentem atq; strenuū inducendum. Non improbaliter enim creditum est, audientiū animos ad quoslibet Musicorum cōcentuum modos disponi: alios quidem compositè & mediocriter, ut ad *Doricum*, quem fatentur omnes constantem ac firmum esse, moremq; continere virilem prudentiæ ac castitatis auctorem: ad alios violenter, ut ad eum qui *Phrygius* est, qui & ita excitat, distrahit, rapitq; animū ad pugnas, votumq; furoris inflammat, ut vix apud sese videatur: quemadmodum de Pythagora scriptum est, qui violentos ac debachātes adolescentes sub hujusmodi sono incitatos, Spondæo succinente, ad compositæ mentis tranquillitatem redegerit. Nā cum mulieris cujuspiam dilectæ domū vellēt amburere, foresq; perfringere: ubi Pythagoras intellexit tibiarū Phrygiiq; modi sono ado-

Musici concentus quanta vis.

Pythagoras.

no adolescentes captos furere, & multorũ persuasionib. cœptis nolle desistere, mutari modũ præcepit, atq; ita tarditate modorum furentẽ illorum petulantiam consedasse. Quod pluribus exemplis demonstrat Robertus Valturius *lib. 2. de re milit. c. 4.* & à nobis quoq; ostensum fuit in Tit. de Musica fol. 30. Cæterũ Tympanorum usum Romanis fuisse nullum, Auctor noster rectè monuit, & Lipsius probat *d. l. 4. cap. 10.* Horum descriptio apud Suidam exstat: qui Tubarum loco Indos flagellis uti ait, quibus aërem & tympana verberantes, horribilem quendam bombum edunt. Et in verbo *Tympana* scribit: Indi Tubæ loco flagella quatiebant, habebant & tympana horribilẽ quendam bombum edentia: quæ sic confecta erant. In abietis (Lipsius, *palmæ arboris*, interpretatur,) stipitem excavatũ nolas sive tintinabula ex orichalco inserebant, & os deinde vasis taurino corio obtegebant, atque ita tympanum id in altum ferebant, concutiebantque in acie. Tum quæ in eo erant tintinnabula, & multa & magna, atque intus in operto sonantia, obscurum & inconditum edebant sonũ, mugitui non absimilem. Fuit ergo tympanum illud infra rotundum, suprà planum, atque ibi corio obductum, quod bacillis pulsabatur: qualia sunt hodiè equestria nostra tympana, quanquam etiam ligno cavo ex utraque parte pellem obductam fuisse scribat Isidorus, id tamen instrumenti genus non tam tympanum; quàm *Symphoniã* appellas. Illud non imeritò mirari possis, quòd si altera pars tympani lupinâ, altera ovillâ pelle obducta fuerit; tum pulso tympano ilico rumpatur ovilla, & quod magis est, si duo fuerint tympana, alterum lupino corio, & ovillo itidẽ alterũ obtectum. Lupino enim illo separatim percusso, ovillum planè obmutescere, Alciatus putavit, in eleganti illo Emblemate, quod adscribo:

Tympanum.

Symphonia. Antipathia inter Lupum & Ovem.

Cætera mutescent, coriumq; silebit ovillũ;
Si confecta lupi tympana pelle sonent:
Hãc mẽbrana oviũ sic exhorrescit, ut hostẽ
Ex animis quãvis, non ferat exanimẽ.
Sic cute detracta Ciscæ in tympãa versus,
Bohemos potuit vincere Pontifices.

Tanta quippe inter utrumque istud animal est antipathia, ut ne morte quidem finiatur; sed vel tum quoq; Lupus Ovi formidolosus exsistat. Ideoque Lupinas fides si jungas agninis, illa dissilire scribit Martinus del Rio *lib. 1. Disquisit. Magic. c. 4. q. 4. fol. 20.*

Ne morte quidem finitur.

2. *Scutis habebant inscriptum.* Scuta à Clypeis distincta fuisse vel Livius docet *lib. 8.* his verbis: Clypeis autem Romani usi sunt: deinde postquã facti sunt stipendiarii, Scuta, pclypeis fecêre. Quo ex loco nisi quis manifestam utriusq; differentiam deprehenderit, necessum fuerit, eum ab ipso sensu aberrare. Erat autẽ Clypeus rotundus, ut Virgilio auctore colligi potest, qui 3. *Æneid.* prægrandem Cyclopis oculum Clypeo Argolico comparat:

Scuta à Clypeis diversa.

Clypei rotundi.

Argolici clypei, aut Phœbææ lãpadis instar.

Oculi autem figuram rotundam esse, ecquis inficiabitur? Scutum contrà formæ oblongæ erat, & majus clypeo: quippe quod & clypei & loricæ loco esset, & totũ corpus protegeret. Unde idem Poëta *l. 8.*

Scuta oblongiora.

—Scutis protecti corpora longis.

& Scutum Græci θυρεὸν vocant, quod referat similitudinem foriũ, quæ longiores solent esse, q̃uàm latiores. Turneb. *lib. 11. Advers. c. 27* Apud Majores fortiũ virorũ picta erant scuta: econtrà inertiũ & tyronum pura erant: Hinc ille apud Virgiliũ.

Quando picta.

—parmaque inglorius alba.

id est, non picta. Scutis etiã, qualibus apud Trojam pugnatum est cõtinebantur imagines: unde & nomen habuere Clypeorum; non ut perversa Grammaticorum subtilitas voluit, à cluendo. Cluere enim antiqui pugnare dicebant. Plinius

lib. 35. Clypeorum autem sive scutorum facturam etiam ex materia commendari videas Pœni enim ex auro factitavere. M. Aufidius docuit, majores suos argenteos clypeos habuisse. Alexander Judæorum Rex octo millia pugnatorum Ptolomæo opposuit, quos Hecatomachos appellabat, quasi contra centum pugnantes, eò quòd clypeis æneis uterentur. Numidæ è coriis elephantorum, scuta fecisse traduntur, impenetrabilia quidem jaculis: sed quæ casu tamen inutilia fierent, quandoquidem corii ea natura sit, ut imbrẽ spongiæ modo ebibat: quo pondere pressa circumferri nequeant. Commendantur & lignea scuta. Sed iis faciendis præstare dicuntur ligna frigida, aquis innutrita, ac levia: quorum plaga contrahit se, protinusque claudit suum vulnus, & ob id contumaciùs transmittit ferrum. Robert. Valtur. *lib. 10 de re militar. cap. 3.* Planè tantæ olim dignationis Scutum fuit habitum, ut qui id alienasset, non tantùm grave commisisse crimen, sed & Desertori similis judicaretur. *l. qui commeatus. §. arma ff. de re militari.* Sic & Græcorũ Leges mulcta damnabant militem, non tam qui ensem aut lanceam; quàm qui clypeum mittebat: cum oporteat Militem magis curare, ut non accipiat, quàm ut det incommodum, Plutarch. *in vita Pelopid.* Videas etiam passim ignominiosè notatos milites, qui plus salutis & spei in clypeo, quàm in gladio posuissent. Et notum est Scipionis dicterium, cum militem, quid clypeum eleganti ùs ornaverat, ita allocutus fertur: Non miror, quòd clypeum tanta ornâris cura, in quo plus præsidii statuas, quàm in gladio. Exprobrat ei scillicet, quòd potiorem clypei integrè servandi, quàm gladii adversus hostẽ fortiter stringendi curam habuerit. Lacædemonii sanè populorum omnium bellicosissimi ac strenuissimi, ex Lycurgi sui legib. pueros in scutis alusse dicuntur, & turpissimum existimasse, si quis clypeum in prælio amisisset. Hinc Lacedæmonia illa mater filium, in bellum euntem, clypeo tradito ita fertur allocuta: τέκνον ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τᾶς, id est, Fili, aut clypeum hunc è pugna referto, aut in eo tibi salvo ipse refertor, morte pro patria fortiter oppetita. Id quod Ausonius eleganter expressit isto Epigrammate:

Mater Lacæna clypeo obarmans filium,
Cum hoc, inquit, aut in hoc redi.

Magnanimitas verò & Laconicæ fortitudinis egregium nobis exemplum præbet Thrasibuli pater, filii mortem constantissimè ferens; quod idem Ausonius Epigrammate isto celebravit:

Excipis adverso quòd pectore vulnera septem,
Arma super veheris quòd Thrasybule tua
Nõ dolor hic patris: Pitãa sed gloria major
Rarum, tam pulchro funere posse frui.
Quem postquã mœsto socii posuere feretro,
Talia magnanimus edidit orsa Pater.
Flete alios: natus lachrũis nõ indiget ullis,
Et meus, & talis, & Lacedæmonius.

Thoraces quoque) Thorax munimentum erat pectoris: in quo defendendo & muniendo non immeritò laborârunt veteres, qui sapientiæ sedem in eo scirent collocatam, quia igitur thorax universum corpus ambiens, vitalia defendit; rectè pro munimento & invictis usurpatur armis. Possunt quidem ensis & clypeus excuti atque amitti: at pectoris sive sapientiæ arma firma sunt & stabilia, eaq; in militibus potissimum spectanda. Nam qui animos suorum, non numerum metiri velit, is certè plus fiduciæ ex eorum paucitate, quàm metus ex hostium multitudine conceperit. Nec enim ignotum est, quoties exigua manus ingens victoria decus acquisiverit. E diverso eam aciem contemni potiùs, quàm metui debere, dux belli strenuus noverit, quàm non militum robur, sed vulgus inerme cõstruxerit, ut est

Ex materia varia.

Scutum plurimi factum.

Lacedæmones.

Thorax.

Sapientia sedes in pectore.

apud Saxon. Grammaticum *lib. 14. histor. Dac. fol. 251.* virtute scilicet non numero bella gerere oportet, ut idem monet historicus *lib. 8. fol. 134.* eaque non mendaciis; sed armis meditanda *lib. 14. fol. 284.* Adeò autem in pectore sedem habet sapientia, ut pro hac pectus ipsum aliquando ponatur. Sic enim Horatium intelligo, de Tibullo ita scribentem:

Virtute non numero.

Non tu corpus eras sine pectore.

Lorica.

Thoraci non absimilis fuit Lorica, quam Midas Messenus reperisse dicitur: quæ propriè erat tegmen de loro factum: quo Majores dolo uti consueverant. Varroni *lib. 4. de lingua latina*, dicitur Lorica à loris, quo de corio crudo pectoralia faciebãt, posteà succuderant Galli è ferro sub id vocabulum ex anulis ferream tunicam. Hæc tãtùm pectora primùm, posteà universum corpus tegebat. Hinc apud poetã:

—triplici servantur pectora ferro.

& alibi. *Nam tergo tunc nullus erat metus.*

Et Lucanus *lib. 7.* ita canit:

(nasci
Quarit iter, qua torta graves lorica cathe-
Opposuit, toq; sub tegmine pectus.

Loricæ autem pro divitiis, materia vel opere preciosæ erant: ut Maximiani adolescentis: & Ptolomæorum Regum aureæ: quædam æneæ; communes, ferreæ.

Machina bellica.

De Arietibus, Catapultis, &c.) De Machinis, tormentis bellicis & telis, extat doctissimus commentarius ad historiarum lucem editus à Justo Lipsio, quam Poliorceticω̃ nomine indigitavit. Scripsit eadem de re & Robert. Valturius *lib. 10. de re militari c. 4.* Eos si Antiquitatis studiosus lector perlegerit, non exiguum operæ faciet precium. De Bombardis vero & Sclopetis noviter excogitatis *lib. 2.* à me dicetur.

DE CORONIS QUÆ DABANTUR MILITIBUS TIT. LV.

Strenuis Militibus variæ dabantur Coronæ. Prima & nobilissima erat Civica; *seu quernaqua ei dabatur, qui è manibus hostium vitam civis eripuisset. Fiebat ea ex quercu Iovi sacra, & glandes proferente, quibus veteres vixitesse, fama est.* Murali *corona, quæ aurea erat, donabatur, qui primus murum subierat, inque opidum hostium per vim ascenderat. Idcirco quasi muri pinnis decorabatur.* Vallaris, *itidem aurea, ei dabatur, qui primus hostium vallum fuisset ingressus.* Rostrata, *similiter aurea, ei qui primus hostium Naves conscendisset, conferebatur; eaque Rostri navis formam repræsentabat. Qui horum aliqua coronatus erat, perpetuo ea uti poterat. Ludos ineunti semper adsurgi, etiam ab Senatu, in more erat: ut & sedendi jus in proximo Senatui: Vacatio denique munerum omnium, ut* Plinius *recitat. lib. 19. cap. 4.*

Corona civica.

Muralis.

Vallaris.

Rostrata.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

NEmini dubium esse debet, ad robur & virtutem militum excitandã, præmia & pœnas plurimum posse. Romani in hoc mirifici! de quib. Polybius peritus in omni re bellica & civili scriptor, *lib. 6. c. 37.* qui & pœnas & præmia militaria tanta cura ac studio dispensant, merito quoties bella suscipiunt, lecto atq; illustri fine ea terminant. Et de pœnis quidem veluti gradus dejectione, & militiæ mutãtione supra *tit. 53. de morib. in bello usurpatis*, aliquid commemoravimus. Nunc de præmiis

Præmia & pœna in bello.

mus nonnihil lubet adjicere: cùm constet Romanos, non solum altiores ordines militibus assignasse à virtute: sed & publicè laudes eorum cumulasse & honores: donasseque pro concione hastas, phaleras, coronas. Hac autem stimulatione, *ait Polybius*, non eos tantum qui præsentes audierunt, ad pericula certatim & cum æmulatione adeunda excitabant: sed eos etiam, qui domi erant. Nam qui domi hoc genus donabantur, præter gloriam, qua fruebantur inter legiones, & famã, quam domi statim cõsequebãtur; hoc amplius, reversi in patriam, festorum ludorumque solemnia insignes cultu agitabant. Nam ejusmodi ornamenta gestare solis licebat iis, qui virtutis causa ab Imperatore fuerant iis honestati: Iidem spolia defigebant in maximè conspicuis etiã suarum locis, ut essent monumenta ac testimonia suæ virtutis. Verissimum utique est, quod Saxo Grammaticus prodidit: plerunq; virtus aut præmiis, aut laudib. excitatur *lib. 2. Histo. Danic. fol. 27.* Nam quis impotentem Martis hedera redimivit, præmiis victricibus decoravit? *Virtute non ignaviæ palma tribuitur*: Gloriâ infelicitas caret. Illam quippe triumphus laudis; hanc aut finis iners, aut vita deformis insequitur. Ut idẽ Saxo præclarè *lib 3. fol. 43.* Ac quoniam Pancirollus peculiari hoc titulo de coronis differit; nostrum quoque erit, de iis sigillatim dispicere, quas inter primum se offert *civica corona* quam etiam quernam dici video: quòd ex quercu fieri solebat. Cujus instituti plures enumerantur causæ. Alii Arcadibus honorem hunc attributum dicunt, quos Oracula solita sint ob vetustatis honorem glandiphagos appellare. Alii ea de caussa, quòd facilem & promptuarium cibum Quercus militibus adferre consueverit. Alii, quia Jovi sacra sit, in cujus tutela sunt Civitates; congruensque haberi, ut qui civem servasset, ea coronaretur fronde, quæ civitatum omnium tutelari Deo dicata esset. Nec verò temerè dabatur civica; sed his demum legibus: ut Civis, qui servatus esset, servatum se esse fateretur: aliter testes in eo negotio nihil proderant: neq; si quempiam alium quàm Romanum civem servasset, quantumvis Regem. Ciceronem civica donandum L. Gellius censuit, quod ejus operâ esset atrocissima Catilinæ conjuratio detecta vindicataque; atque ita non civis unus, sed universa Romana civitas servata: meritoque, ut ait ille:

Corona civica.

Roma patrẽ patriæ Ciceronẽ libera dixit.

Quomodo data.

Et quidem singulari commemoratione vel ob hoc dignus judicari debet Antoninus Pius, qui, ut Capitolinus auctor est, Scipionis recolendam sententiam crebrò usurpabat, dictitans, se malle unum civem servare, quàm mille hostes occidere. Hanc verò consuetudinem cives coronâ decorandi Athenienses introduxerunt, honorem illum, quod uberrimum virtutis alimentum est, Pericli primum conferentes, quem dignum censuerunt, à quo talis muneris dandi posteritas potissimum initium caperet. Valer. Maxim. *lib. 2. cap. 6. num. 5.*

Muralis. Vallaris, sive Castrensis.

Muralis, Vallaris & Rostrata coronæ descriptionem Auctor noster desumsit ex Gellio: qui tamen Vallarem etiã Castrensem vocat: quod hac cum Imperator donabat, qui primus hostium castra pugnãs introierat. Ea corona insigne valli habebat. Rostratam autem Gellius Navalem appellat, quod ea donari soleret, qui maritimo prælio primus in hostium navem vi armatus transilierat. Erat & *Obsidionalis* corona, quam ii, qui liberantur obsidione, ei Duci dabant, qui liberaverat. Et corona graminea erat; observariq; solitum, ut fieret è gramine, quod in eo loco generatum esset, intra quem clausi erant, qui obsidebantur. Hãc S.P.Q.R. Fabio Maximo

Rostrata, qua & Navalis.

Obsidionalis.

Cur graminea.

ximo dedit bello Pœnorum secundo, quòd Urbem Romam obsidione liberasset. Plinius *lib. 22. cap. 4.* rationem adfert, cur Graminea corona nulli à Senatu decerneretur; sed ab universo Exercitu suprema desperatione servato. Cæteras Imperatores dabant: hanc solam Imperatori milites, viridi è gramine decerpto inde, ubi obsessos servâsset aliquis. Namque, inquit, summum apud antiquos signum victoriæ erat, herbam porrigere victos, hoc est, terra & altrice humo, & humatione etiam cedere, quem morem etiam tum apud Germanos durasse fatetur. Ipse etiam Pompejus Festus notat, Herbam ab eo dari solitam, qui se victum fatetur: quod est, inquit, antiquæ & pastoralis vitæ indicium. Nam qui parato cursu, aut viribus contendebant; cum superari erant, ex eo solo, in quo certamen erat, decerptam herbam adversario tradebant. Nemo enim poterat dici victor, nisi priùs is; quem vicisset, se victum fateretur, & victorem agnosceret. Unde Ennius, ut est in fragmentis Servii;

Herbam porrigere

Qui vicit, nō est victor, nisi victus fatetur.

Hederacea.

Erat denique & *Hederacea* corona (nam de Triumphali & Ovali posteà commodiùs dicetur, *Tit. de Triumphis*) quæ poëtis conferebatur, non secus atque querna in Agone illo Olympico: de quo supra diximus, ita tamen ut hedera unà cum lauro coronam istam perficeret. Cujus rei caussa fuit, non tam perpetuus utriusq; viror, qui diuturna poëtarum opera significaret; quàm ut ostenderetur, eos qui digni hederis evasissent, Lauream que meruissent, & ingenio & arte præcelluisse. Per Laurum enim insitam utriusque vim, ac venæ fecunditatem Apollinis irradiatione locupletem intelligebant: per hederam verò artem & industriam pervigili labore partam. Cujus rei id est indicium, quod hedera suapte vi admodum imbecilla humi semper reperet, neque se unquam attolleret: pertinaci tamen labore, artificiosoque conatu pervincit, ut vel arboribus vel parietibus adhærescens, paulatim irrepens supra omnium fastigia victrix evadat & supremo in vertice dominetur. Utroque enim opus est, si quis velit excellere: nisi verò excelluerit, nihil quicquam proficiet: quia

Cur Lauro conjuncta.

—Mediocribus esse poëtis
Non homines, non Dii, non concessere columnæ.

Quare sapienter ait Horatius,

—ego quid studium sine divite vena
Nec rude quid possit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amicè.

Quibus planè congruit, quod Poëtæ non fieri, sed nasci quidem dicantur: quod si tamen ad naturam ars & exercitatio accesserit, tum nescio quid præclarum, imò divinum soleat provenire, qua de re videatur Cicero *in Oratione pro Archia poeta.* Inque hanc sententiam Pindarus hymnorum suavitatem & elegantiam per mel candido lacte commixtum intelligi voluit in Nemeis: ubi Lac, quod à natura est, genium & venam indicat: Mel verò artem & diligentiam, quoniam hoc non absque magno Apum labore conficiatur, Unde ipsemet de se testatur Horatius, quòd

Mel lacti commixtū.

—Apis matinæ more modoque,

scribundis versibus laborem & diligentiam soleat adhibere. E contra reprehendendum esse ait carmen illud,

—quod non
Multa dies & multa litura coercuit, & (quod
Perfectū decies non castigavit ad unguem.

Idque pluribus exsequitur Johan. Pierius *libr. 26. Hieroglyph sub. Ape. & lib. 51. sub Hedera.*

DE ARMAMENTARIIS, QUÆ HODIE ARSENALI DICUNTUR
TIT. LVI.

Armamentarium. *Habebatur Romæ publica quadam Aula, multi jugo armorum genere instructa, ut cùm necessitas ita exigeret, aut tumultui esset occurrendum, populus armari inde posset, teste* Cicerone *in Orat. pro C. Rabirio. Cujus rei caussa* *Arsenale.* *Venetiis quoque amplissimum Armentarium exstat, quod vernacula lingua* Arsenale *nuncupatur.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

LAudabile fuit Veterum institutũ qui in benè munitis urbibus certum sibi locum elegerunt, in quo cujuslibet generis arma essent disposita: ut si vel in expeditionem adversus hostem progrediundum, vel intra mœnia exorto tumultui occurrendum esset, haberent unde & arma depromere, & ubi, bello atq; tumultu isto sedato, rursum ea possent recondere. Hinc armamentum sunt, qui ita definiri posse autumant, ut sit munimentũ, muris turribusq; contra vim instructũ: inde machinæ, tormenta, si quando usui aut belli necessitas expostit, proferantur, tela & arma militi atq; sociis, distribuente Tribuno, aut præfecto suppeditutur. Cujus Ichnographiam quandam habes apud Hadr. Junium *in Batavia historia cap. 10 fol. 113.* *Arma privatim habere, an utile.* Ut verò domi suæ quilibet arma haberet pro arbitrio; id è re & utilitate Civium esse, nequaquam putârant. Et revera enim unde tot Civium cædes? unde tot oppidorum, urbium, Rerumpublicarum eversiones, nisi ex promiscua armorum libertate atq; licentia? cum præsertim facilius quodammodò sit, vel ipsi Herculi clavã, quam furiosæ plebi semel capta arma extorquere: quæ ut rationis plerumque eget, ita & ratione non facilè gubernatur,

> *—si quando coorta est*
> *Seditio, sævitque animis ignobile vulgus*
> *Jamque faces, & tela volant, furor arma ministrat:*

ut est apud principem poetarum Virgilium. Saluberrima itaque sanctio illa putanda est, qua omnibus armorum usu, inscio principe, interdictum legimus. Nulli prorsus (ait Imperator) nobis insciis atq; inconsultis, quorumlibet armorum movendorum copia tribuatur *leg. un. C. ut armor. usus inscio princip. interdict. sit lib. 11.* Rectè ait, nobis insciis: Solet enim quandoque caussa cognita nobilioribus viris, quorum maximè explorata fides est, armorum usus cõcedi *arg. l. ult. C. de Præpos. sacri cubiculi. lib. 12.* quem tamẽ si cuilibet permiseris, futurũ est, ut promptiores sint animi hominum ad bella, ad seditiones, ad cæteras calamitates, quibus vel affliguntur civitates, vel corruunt. Est enim manifestum, nullam tam perniciosam pestem esse, quæ non homini ab homine nascatur. Idcirco sapienter Romani eum lege Julia de vi publica teneri voluerũt, qui arma, tela domi suæ, in agrove, aut villa

villa præter usum venationis, vel itineris, vel navigationis, coëgerit, aut promercii caussa habuerit, hæreditateve ei ob venerint. *l. 1. & 2. ff. ad L. Jul de vi publ.* Neq; verò antiquatam eam legem putes: utpote quæ Romæ, Venetiis, ac tota penè Italia tam religosè observetur, ut nonnunquã videas hujusmodi arma ferẽtes nunc in carcerem conjici, nunc in quæstionem tolli; nunc auro argentove numeratis pœnam ita redimere, ut summum jus summam esse injuriam perspicias. Quod si hæc Armorum prohibitio in laicis, quos vocãt, incunctanter vera est: multò magis in Clericis obtinebit: quorum arma, non pila ferrea, non alia item munimenta dicuntur: sed dolor, fletus, orationes & lachrymæ. *can non pila. & can. conveniet. 23. quæst. 8.* quo fit, ut Clerici arma portantes excommunicentur. *capit. 2. Extr. de vita & honestate cleric.* & de privilegio clericorum nullum debeant habere subsidium, præsertim, si à prælatis suis tertiò commoniti militaria noluerint arma deponere *c. audientia. 25. & c. contingit. 45. Ex. de sentent. excommun.* Debent enim Clerici exemplum Christi imitari; qui in Ægyptum ab Herodis metu fugiens, & lapidibus Judæorum cedens non arma armis, sed fugam persequentibus docuit opponi. *23. quæstio 3. §. 1.* Et decet Ecclesiam, cum à paganorum & incredulorum furore impugnatur, corporalia nescire arma; sed solum Dominum & propugnatorem suum, quando ei placuerit misereri, patienter exspectare. *can. porro. 16. quæst. 3.* Luc. de Penna *ad rubr. C. Vt armor. usus inscio princip. interdict. sit. libr. 11.* Porrò ut non omnibus sine differentia permittunt Leges arma portare: ita etiam non cuivis curam, opusve fabricandorum armorum Justinianus concessit, *in Authentic. de Armis.* Nam ad id operis vel potius artificii eos solos vocari vult, qui publicis, ut dicunt, fabricis alligati erant, quos à fabricandi peritia ac non vulgari industria conficiendorum armorum *Fabricenses* appellat: quorum etiam brachiis notas vel stigmata instigenda Arcadius & Honorius censuerunt *in l. stigmate 3. C. de Fabricens lib. 11. & c. si Iudex 12.* ibi ex stigmate *de sentent. excommunic. in sexto.* Didacus Covarruvias *de sponsal. & Matrimon. part. 2. cap. 7. §. 3. num. in fin.* fortè ut, si cæterorum Artificium esset in Republica confusio, horum tamen aliquod exstaret discrimen, quo periti ab imperitis, industrii à minùs eruditis discernerentur. Nam quis nescit, inter Artifices longam esse differentiam & ingenii, & naturæ, & doctrinæ institutionis? *l. inter artifices. 21. ff. de solution.* tum armorum confectionem, quibus se ipsa tuetur civitas & obfirmat, quis imperio committendam censeat? Quis non Pistiam Atheniensem, quo cum disputasse memoratur Socrates, arma tam solerter fabricantem, eaque inconcinno corpori tam concinnè aptantem, ut nihilominus expeditus miles videretur, etiam si modò curvari, modò erigi esset necesse, imperito cuivis Artifici, aut è vulgari plebe quæsito non præferat? Itaque si Civitatis commoda, si utilitatem, si decus quæsieris: nemini dubium, quin optimos Artifices, quo longius absis à periculo, quo tutior sit Respublica corpusque tuum munitius, præeligas. Xeno. *lib. 3. Memor. factor. & dictor.* Claud. Coteræus *libr. 3. de iure milit. cap. 25.* Cæterum ferream fabricam Cyclopes invenisse Plinius scribit *lib. 7. cap. 56.* non modò ad belli usum, sed etiam ad agriculturam. Mortales enim ut ait Lucretius,

Clericis armorum usus interdictus.

Armorum fabrica.

Fabricenses stigmata compuncti.

Fabricenses optimi eligendi.

Fabrica ferrea inventores.

Ære prius terras tractabant, æreq; belli
Miscebant fluctus.

Arma ærea & aurea.

Testatur & Homerus passim, ærea fuisse Heroum arma, quanquam potentiores etiam auro se quandoque muniebant, ex eo arma sibi fieri curabant, ut splendidiùs morerentur. Sic enim Turnus ille Virgilianus.

—auro squalentem, alboque orichalco
Circumdat loricam humeris. Et alibi:
—rutilum thoraca indutus, ahenis
Horrebat squamis, surasq; incluserat auro.

Ferrum tam prodest, quam obest.

Nec verò eruti ferri nomine, quod Natura solers abstruserat, Cyclopes propterea insimulandos putem, quod certissima pestis humano generi inde proveniat. Nā & auro, quod nihil inviolatum sinit, sed omnia penetrat, non corporibus tantùm, sed & animis dira vulnera infligi certum est: nec quisquam ibit inficias, suam etiam ferro utilitatem esse, & tam id prodesse, quàm nocere mortalibus: quibus nihil usque adeò boni Natura elargita est, quod aliquando non sit noxium: ne Sole quidem excepto, dum plantas & segetes nimius exurit, aut tabem & ægritudines ferventes alit. Præterea sanè, quæ de ferri commoditate & necessitate diximus *sup. in Tit. de Azzalo Indico fol. 34.* constat utique ex Cassiodori sententia *lib. 7. variar.* arma in bellis necessaria esse, in pace decora, ac denique imbecilles, fragilesque mortales cunctis belluis efficere fortiores. Et quidem arma benè construere, est salutem hominum velle custodire; quia prima facie ipsis terretur inimicus, & incipit animo cedere: si se cognoscit similia non habere: alias ita fiat, ut non de pugna, sed de fuga cogitent, qui in acie nudi exponuntur ad Vulnera. Vegetius *lib. 1. de re militar. c. 20.* Atqui nec nudi decernere, nec inermes inimicis nos debemus exponere. *can. oportet 3. q. 2. c. 1. Dūr estitut. spoliatur in 6.* etsi nudos olim pugnasse Gallos accepimus, patefactis artubus, gladiatorio ritu, quasi in palæstra certandum esset, oleo delibutis, non in campis ad cædem patentibus. Forcatul. *lib. 3. de Gallor. Imp. & Philos.* Quid quòd armis omnia parere, & in armis jus dicitur esse positum? Docent id simulachra armis ornata: à Græcis præsertim, qui Deos omnes in universum ferro accinctos fingere consueverunt, ut auctoritatem atq; vim armorum eo indicarent. Hinc etsi Milites sive arma propter Leges in tuto collocantur: ipsas tamen Leges armorum præsidio conservari Justinianus putavit, *in epist. de Iustinian. Codice confirm.* quanquam parū proficient arma, quæ per sententiam non fuerint administrata. Nam stulto præcipitique ingenio Imperatores, quot & quantas cum sibi, tum Reipublicæ calamitates attraxerint, ut alia dissimulem, clades illæ insignes ad Trebiam, ad Thrasimenum, ad Cannas acceptæ, facile ostenderunt. Hinc Pallas armata, aut hastiam immanibus gerens, quid aliud, quàm ingenii vim atque promtitudinem innuit? Unde apud Martianum legas:

Armorum commendatio.

Galli nudi pugnarunt.

Leges armis, arma legib. conservantur.

Arma sapienter administranda.

Hasta etiam viorum penetrabile monstrat acumen.

Et magnanimiter.

Arma absque animo, nulla.

Sed & præter sapientiam illam etiam *audacia sive animi magnitudo* adsit oportet. Nisi enim præsens atque ardens adfuerit animus, omnem tunc apparatum bellicum frustratorium & inanem fore, multi rectè putarunt. Idque *per cervum magnis insurgentem cornibus* adumbrari consuerunt. Naturam enim, inquiunt, Cervo animali admodum degeneri cornua magnitudinis adeo spectandæ, ac aspiritatis horrificæ contribuisse, ut argumento esset, eos qui audacia & fiducia ipsi nulla forent; frustrà ullum apparatum & instrumenta bellica comparare. Antisthenes dicere solebat, *Bona omnia à Diis optāda esse hostibus præter unam Fortitudinē.* Illa enim,

Cervus.

Antisthenes.

nium, quotquot essent; non esse possidentium; sed eorum qui armis præstarent, & viribus pollerent. Nam nisi ad opes & potentiam præsens acerque animus adjiciatur, facilè vel ipsam Fortitudinem infringi. Hinc egregium illud Chabriæ Atheniensium Ducis dictum; quod & Philippus usurpare solitus: *Formidabiliorē esse Cervorum exercitum, Leone duce; quam Leonum, duce Cervo.* Tantùm is animorum vigori, quo Dux ipse polleret, tribuebat: idque multis stratagematum exemplis apud Rerum scriptores passim verū comperiri Joh. Pierius refert *lib. 7 Hieroglyph. sub. Cervo.* Quibus planè convenit, quod Vegetius *d. c. 20.* scriptum reliquit; Necessum esse, ut dimicandi audaciam quoque sumat, qui munito capite & pectore non timet vulnus, *fac. tex. in l. servus. 4. § sed si armorum fiducia. C. de his qui ad Eccles. confug. Luc. de Penna ad rubr. C. de Fabricensibus lib. 11.*

Chabrias.

Cæterùm ad Armamentariū non modò Peditum Equitumque ad certum numerum tela & arma; itemque tormenta, machinæ, pulvis, & quæ talia juvandis viribus hæc aut prior ætas invenit, referenda sunt: Sed & Naves & instrumentum omne nauticum; si Regio illa maritima & portuosa. Nam subitò ista ægrè parantur: & semel parata non solùm in bellū valent, sed ne sit bellum. Nemo enim provocare audet aut facere injuriam ei regno aut populo, quem intelligit expeditum atque promptum ad vindictam. Et qui desiderat pacem, præparet bellum; ut est apud Lipsium *libr. 5. Politicor. cap. 6.* Quam ob rem meritò commendari debet Venetorum illud Armamentarium, sive *Arsenale*, ut suæ vocant lingua. Præterquam enim quod ob armādo terrestri exercitui, quovis armorum & machinarum genere satis est; videas ibi Triremium & aliarum Navium quarumlibet tantum apparatum classicum, ut instructissimum & pulcherrimum totius orbis Navale mecum id rectè æstimaturi sint, quibus perlustrandi facta fuit copia. Nec enim desunt, qui nihil eo in terrarum orbe nec magnificētius, nec opportunius, nec Christiani nominis hosti formidabilius aut esse, aut excogitari posse scribunt: quippe in quod sexcenta circiter aureorum millia singulis ferè annis impenduntur, pro construendis triremibus, ac cæteris bellicæ armaturæ apparatibus. Ideoque vel solum hoc Venetorum armamentariū sufficere posse putatur, ad reprimendos Turcicæ classis impetus: quibus nec omnes Christianorum principes satis esse possent, quantumvis arctissimo simul fœdere colligarentur, triremesque omnes etiam Romanas & Hetruscas, & Ligures & Hispanas, Siculas, & Melitenses congregarēt. Solus quoq; ibi qui asservatur apparatus bellicus satis esse creditur ad resistendū cuicūque pedestri exercitui, vel quingentis hominum millibus constanti. Si Hieronymo Vandrameno credimus *in disquisitione Controversiarū inter Paulum V. Pontif. & Venetam Rempubl. vertentium mihi fol 359.* Inter alia autem videre ibi est prægrandem & amplam, atque vectorum illustrium magnificentiæ convenientem illam Navem, *Bucentaurum* quam vocant. Eam quotannis die festo, qui est Christo in cœlum plausibiliter ascendenti sacer, & ideò magis triumphis idoneus, dux Venetus magno Procerum comitatu stipatus, unà cum Urbis Præsule scandit, & per eam ita apparatu lucujento & lætitiâ cumulatam, velut ex composito ventis suaviter spirantibus, in intimum mare delatus, annulum aureum in medias undas projicit; verbisque conceptis eo munusculo mare in manum sibi convenire, justæ sponsæ loco, veteri ritu declarat: cum annulus arrhæ loco sæpè daretur, & vir atque uxor

Arsenale Venetorum.

Omnibus armamentariis totius orbis præferendum.

Bucentaurus.

Dux Venetus mare sibi despondet.

invicem se coëmerent. Ad quem coëmendi ritum respexisse videtur Virgilius, ita Augustum alloquens, 1.*Georgic.*

——tibi serviat ultima Thule,

Teq; sibi generũ Thetis emat omnib. undis.

Sed anniversariam illam annuli jactandi cæremoniam non est, quòd ostentationi aut fortunæ ludibrio servire putes: qualis fuit Polycratis Samiorum tyranni jactus, qui nihil unquam triste passus, sed assiduo gaudio diffluens, navigio in altum provectus, Annulum mersit Sardonyche gemma inclusa preciosum, quem posteà piscis eximiæ magnitudinis, escæ vice raptum, ad ostentum fortunæ insidiantis in præcordiis, domino, cujus cœnæ parabatur, retulit: quem beatulum jactatorem annuli Orontes Darii Prætor paulò pòst in crucem egit, & pari cruciatu præteritam lætitiam abundè pensavit. Plin. *lib. 37. c. 1.* & Cic. *lib 5. de Finib. bonor. in fin.* quẽ quidem vitæ exitum vaticinatus ei fuerat Amasis Rex Æpypti, & Filiæ somnium. Videbatur enim sibi cernere, patrem in aëre sublimem esse, qui à Jove quidem lavaretur; à sole autem inungeretur. Quam filiæ visionem suspensus exsolvit Polycrates. Nam à Jove, cum plueret, lavabatur, à sole autem exudante è membris abdomine, ungebatur. Sicut Herodotus interpretatur *in Thalia, sive lib 3. c. 124 & seq.* Verùm preciosi istius jactus, quem à Veneto Duce quotannis fieri dixi, & cujus festivam solennitatem año 87. magnificè peractã, ipsummet me *Gundole* (navicula ea usitatissima est, qua hinc inde commeari solet) tum insidentem coram inspectasse memini; hanc rationem assignari posse Forcatulus censet, quòd circularis annuli formam Mare appositè referat, utpotè quo universa terra sit circumdata: quæ nõ minùs, quam Venetia, insula dici mereretur, undiq; cincta Oceano, idq; & Homerum innuere, cùm Achillis clypeum describit.

Filia Polycratis somnium.

Oceanum Vulcani artificio in margine habentẽ. Steph. For. cat. *lib 3. de Gall. Imp. & Philos.* Alij jactum istum annuli, & dominationis esse indicium, & in memoriã recensent fieri navalis illius victoriæ quæ Veneti, *Duce Sebastiano Ziano*, vicêre filium *Friderici Ænobarbi Othonem*, captumque obtulere Alexandro IV. Pontifici, qui Venetias profugerat: Tum enim Ziano Pontificem annulum de manu sua detractum obtulisse, *his ferè verbis*: Auctoritate mea hoc annulo fretus Oceanũ tibi subiicies: & quotannis tibi posterisque eo die quo hanc victoriam pro Ecclesiæ defensione obtinuisti, despondebis mare, uti sciant omnes, maris tibi dominium concessum, quia sedis Apostolicæ tuendæ curam & studium fideliter suscepisti. Sit hoc tibi quasi pignus benedictionis & secundæ sortis in futurum. Sabellic. *Decad. 1. lib. 7.* & Villamontanus *lib. 1. peregrin. suæ cap. 34.* Martin del-Rio *Magic. disquis. tomo. 2. lib. 3 cap. 2. quæst. 6. sect 4. fol. 168.* Quamvis autem Alexander IV. Pontif. Rom. Venetis aliquãdo controversiam super hoc mare moverit, titulum curiosè flagitans: argutè tamen legatus Venetus eum elusit, petendo editionem instrumenti super *D. Petri patrimonio* cujà tergo sit adscripta concessio Maris Hadriatici, Veneris facta, referẽte Philippo Camerario *l. 1 subcis. c 61.* & poterat huic quoq; regerere Legatus, quod Paulus III. quærenti, quo jure tot provincias teneret? Respondit: *ò te hominem ignarũ*, qui de juris quæris, quod contra omnium vim tot annos possidemus. Clapmar. *libr. 2. de Arcan. Rerumpubl 15.* Sunt enim Veneti in notoria possessione libertatis, ut Jason docet *in l. ex hoc iure. nũ. 26. & seq. ff. de iust. & iure.* Nec est quod de dominio urbis Venetæ, insulæ imposito quisquam dubitet, cum Veneti sibi hoc ædificatiõis jure merito vindicent. *l. adeo. 7. §. cum in suo.*

Alia interpretatio projecti à Duce annuli.

Patrimoniũ D. Petri.

Veneti unde Domini dicantur Maris Hadriatici.

suo & l. ergo si insula 30. §. fin. ff. de acquir. rer. dom. quod enim ex meo fit, omni jure meum efficitur. *l. de eo 12. §. si quis ad exhib.* maxime cum non tantum jure Magistratus, ut personæ publicæ id fecerint Veneti *l. bona civitatis 15. cum. 2. seqq. ff. de verb. sign.* sed etiam quia ipsius soli alveique, in quo sita est urbs, proprietatem sibi arrogant. Joan. Dauth: *in hypothyp. sect. 3.* Unde Venetorum angulum jam dudũ vocavit Livius *lib. 5 Decad. 1* quem hodie *Gulphum de Venetiis* dicunt. Hinc domina maris Hadriatici vocatur Venetia; ita ut jure suo possit omnes per Gulphũ suũ navigãtes impedire: possit item navigãtib. gabellas imponere, mercesq; contra statuta Venetorum conductas confiscare: quod pulchre ostendit Joh. Gryphiander *in tr. de Insulis c. 20. n. 65. & seqq.* Dicta verò navis illa *Bucentaurus à Bu.* quod magnum aliquod significat, & à Centauro, antiquo Navium insigni: alii *Ducentaurum* appellatam putant, quasi ducentorum hominum navigium capax: sive à Duce, quo ille publicè vehitur. Talis autem machina instituta sub *Sebastiano Ziano* principe dicitur, in adventu *Imperatoris Friderici Barbarossæ.* an. Domini MCLXXVII. cum ille pro componenda pace cum Pontifice & Senatu Venetias accessisset. Alii recentiorem esse navigii ejus structuram asserunt. Sicuti Philipp. Camerarius prodidit *cent. 2. operar subcisiv. cap. 27.*

Bucentauri nominatio. *Exstructio.*

De Navali autem bello, & quæ ad nauticum apparatum, ac maritimam expeditionem sunt necessaria, accuratè & diligenter scripsit Robertus Valturius *libr. 11. de Re Militari*, quem cupidus Lector adire poterit.

DE TRIUMPHIS TIT. LVII.

Primus triumphasse dicitur Bachus: *Romæ verò* Romulus, *qui missis ante se hostibus, ipsemet eos pedes sequebatur: ipsum verò Exercitus.* Tullus Hostilius, *eques triumphavit.* L. Tarquinius Priscus *currum conscendit quadrigis actum.* M. Curius Camillus *quatuor equis albis fuit usus: quod posteà omnes sunt sequuti. Dies ille triumphalis festus per totam agebatur urbem, templis omnibus apertis, & Nobilibus ita Mensas instruentibus, ut de cibo & potu Militibus inde suppeteret: Senatus triumphanti obviam procedebat usque ad portam Capenam, per quam ille ingrediebatur: posteà in Capitolium se conferebant. Sequebantur tubicines & buccinatores, Classicum, ut in conflictu usurpârant, occinentes. Posteà ducebantur Currus spoliis hostium devictorum onusti. Ferebantur & statuæ, & tabulæ aneæ aut eburneæ: item turres res & simulachra Urbium expugnatarum, ipso etiam modo, quo cum hostibus conflictum erat, repræsentato. Dein sequebatur Æs, argentum & aurum hostibus ereptum, unà cũ statuis, mensis, patinis, orbibus, candelabris, pelvibus, & aliis vasis ex auro & argento conflatis. Item Gemmæ, purpura, vestes auratæ & pretiosæ, coronæ aureæ & argenteæ triumphanti donatæ. Tum omne armorum genus hostibus ereptum, verbi caussa gladij, lanceæ, secures, scuta, thoraces, galeæ, brachialia & id genus alia. Postea donaria ferebantur, aurum puta & argentum, ab aliquot hominum millibus collatum. Inde alij tubicines: quos ad sacra facienda quinquaginta aut centum plus minus boves sequebantur*

Triumphi solennitates.

quebantur, sertis ornati, & cornua inaurati. Hos pueri, argentea & aurea vasa ad sacrificiorum usum portantes comitabantur. Ministri omnes vestibus auro, serico & purpurâ textis erant induti, tum agebantur currus Regum aut Ducum devictorum, armis & diadematibus eorum onusti. Pone sequebantur ipsi Reges aut Duces, cum liberis, uxoribus, fratribus: & aliis cognatis ac familiaribus: itemque alii hostes capti, manibus post terga ligatis; quorum, & quidem nobilium duntaxat & honoratiorum, multa erant millia. Tandem ipse Triumphator aureo insidens curru, instar turris fabricato, quatuor candidis vehebatur equis. Hic purpuream gerebat vestem, auro intertextam; dextera manu ramum è Lauro, sinistra sceptrum eburneum tenebat. Hunc antecedebant Lictores purpurati cum fascibus & securibus. Quaqua versum suaviter canebant Tibicines, & Citharœdi aureas in capite coronas gestantes, & purpura vestiti. quorum in numero quidam aurea ad talos usque indutus veste, scurriles jocos & scommata in hostes conjiciendo, risum populo movebat.

Triumphanti fumigationes fiebant, & suavissimi adurebantur odores: ac servus publicus auream coronam gemmisque ornatam sustinebat, hoc etiam atq; etiam subinde subiiciens: Respice futura, & hominem te esse cogita. Ideoque in curru isto campanula & flagellũ pendebat, ut meminisset Triũphans, posse scilicet in ea se incidere tempora quibus & ipse flagellis cædi, aut etiam capite plecti posset. Qui enim decapitandus erat, campanulam gerebat appensam, ne tanquam sacer & contaminatus à quoquam tangeretur. Filij in patris triumphantis curru, ut & fœmellæ quandoque sedebant: proximi verò cognati equis adhærebant, eosdemque interdum quasi triumphaturi conscendebant. Triumphum agente Augusto, Marcellus dextrum conscendit equum, Tiberius sinistrum. Reliqui consanguinei juxta equos incedebant. Soli parentes equis vehebantur: præter hos, alij omnes pedites ingrediebantur. Currum sequebantur Triumphantis ministri & scutiferi: posteà omnes Duces cum exercitu ordine incedebant, ramum e Lauro in manu, & Lauream coronam in capite habentes. Si quis verò præmium aliquod, verbi caussa aureas coronas, armillas, hastas, scuta & id genus alia obtinuerat, tum ea manu præ se ferebant, in Triumphantis laudem pæana canentes, & multa simul ridicula immiscẽtes

Postquam hac cum pompa in forum deventum esset, Triumphans potissimum quendum captivorum internecioni dandum, carceri mancipabat. Post annunciatâ captivi illius, & in carcerem nuper detrusi morte, tauros sacrificabant, Iovi spolia quædam conferentes. Exin sub ipsis Capitolij porticibus cœnabant, usque dum advesperasceret. Tum enim tibiis & variis instru-

mentis

mentis Musicis Triumphantem domum comitabantur, atque ita festivam istam solennitatem finiebant. Durabat quandoq; duos aut tres dies Triumphus ille, amplius præsertim spoliis reportatis. Idq; à T. Flaminio, L. Paulo Cn. Pompejo & Augusto factitatum legimus. † *Nulli triumphandi potestas decernebatur, nisi qui vel millia quinque hostium saltem profligasset & occidisset, atque insuper Imperium quoque Romanum adampliasset. Solennitas & pompa ista ex* Dionysio Halicarnasseo *colligitur lib. 2. & 5.* Valerio Maximo *lib. 2. c. 8.* Josepho de Bello Judaico *lib. 7 c. 24.* Plutarcho *in vita Pauli Æmilii,* Appiano Alexand. *de bello Lybico, & aliis.*

2 Triumphus cui decretus.

Triumphabant & illi, qui mari victoriam reportârant, præmissis scilicet Navium & Triremium captarum rostris, anchoris, & aliis instrumentis maritimis. Omne istud aurum, argentum & spolia Populi Romani erant, & in Ærarium deponebantur, deductis tamen expensis Triumphi.

Illi, qui hostes fugassent absq; sanguinis effusione; aut etiam inferioris status homines, ut servos, vicissent; ovabant, hoc est, Urbem Romam equo ingrediebantur, Equitibus, amicis & exercitu comitati; & purpurea toga auro intertexto vestiebantur: & mactatis ovibus in Capitolio sacrificabant. Atque hic minor appellabatur Triumphus.

Ovatio.

Numerantur trecenti quinquaginta triumphi & ovationes à Romulo usq; ad Belisarium, qui postremum sub Iustiniano Imperatore Constantinopoli triumphavit. Cæteroquin paucis sub Imperatoribus triumphandi potestas fuit concessa, quanquã triumphalia ornamẽta iis fuerint conservata, verbi caussa, Laurea, Trebea, & Sceptrum eburneum; quibus publicis in locis utebantur.

Triumphalia ornamenta.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

DE triumphandi solenni ritu, jure & privilegiis, diligenter & ordine pertractavit Rob. Valtur. *lib. 12 de Re milit.* quem adire, Lector, è re tua fuerit. Interea autem, ne te vacuum planè & inanem hinc dimittam, paucula hæc ad textus nostri explanationem ex optimis Auctoribus captim libata, en accipe. Primus autẽ triumphasse dicitur Bachus, post Indos devictos, multis jam spoliis in patriam reversus. Unde & θρίαμβος sive triumphator dicitur Diodoro Siculo *libr. 4. rerum antiquar. cap. 2* ἀπὸ τῶ θριαμβεῖν quod accinere sive acclamare est; καὶ ἰαμβίζειν, id est, maledicere: quod in bellicis triumphis conviciantes multis Anapæstis uti consueverant *Syntag. 8. Histor. Deor.* De Acclamatione illa etiam Varro attestatur *lib. 5. de Ling. Latina:* Ubi triumphare appellatum ait, quòd cum Imperatore milites redeuntes clamitant per Urbem in Capitoliũ eũti *Io triumphe, Io.* De conviciatione verò fidem facit Zonaras: quãquam à Thriis, quæ ficulna folia sunt, Triumphi nomen factum putat. Priusquam enim personas Scenici excogitassent, ficulnis foliis facies velati dicteria versibus Jambicis proferebant. Eandem (inquit) & Milites in victoriæ festivitate licentiam, eodem ornatu in victores usurpabant: atq; hinc Triumpho nomen esse factum autumant. Alii verò ex eo, quod tribus constet ordi-

Bachus primum triumphavit. Triumphi notatio.

lib. 35. Clypeorum autem sive scutorum facturam etiam ex materia commendari videas Pœni enim ex auro factitavere. M. Aufidius docuit, majores suos argenteos clypeos habuisse. Alexander Judæorum Rex octo millia pugnatorum Ptolomæo opposuit, quos Hecatomachos appellabat, quasi contra centum pugnantes, eò quòd clypeis æneis uterentur. Numidæ è coriis elephantorum, scuta fecisse traduntur, impenetrabilia quidem jaculis: sed quæ casu tamen inutilia fierent, quandoquidem corii ea natura sit, ut imbrē spongiæ modo ebibat; quo pondere pressa circumferri nequeant. Commendantur & lignea scuta. Sed iis faciendis præstare dicuntur ligna frigida, aquis innutrita, ac levia: quorum plaga contrahit se, protinusque claudit suum vulnus, & ob id contumaciùs transmittit ferrun. Robert. Valtur. *lib. 10. de re militar. cap. 3.* Planè tantæ olim dignationis Scutum fuit habitum, ut qui id alienasset, non tantùm grave commisisse crimen, sed & Desertori similis judicaretur. *l. qui commeatus. §. arma ff. de re militari.* Sic & Græcorū Leges mulcta damnabant militem, non tam qui ensem aut lanceam; quàm qui clypeum mittebat: cum oporteat Militem magis curare, ut non accipiat, quàm ut det incommodum, Plutarch. *in vita Pelopid.* Videas etiam passim ignominiosè notatos milites, qui plus salutis & spei in clypeo, quàm in gladio posuissent. Et notum est Scipionis dicterium, cum militem, quid clypeum elegantiùs ornaverat, ita allocutus fertur: Non miror, quòd clypeum tanta ornâris cura, in quo plus præsidii statuas, quàm in gladio. Exprobrat ei scillicet, quòd potiorem clypei integrè servandi, quàm gladii adversus hostē fortiter stringendi curam habuerit. Lacædemonii sanè populorum omnium bellicosissimi ac strenuissimi, ex Lycurgi sui legib. pueros in scutis aluisse dicuntur, & turpissimum existimasse, si quis clypeum in prælio amisisset. Hinc Lacedæmonia illa mater filium, in bellum euntem, clypeo tradito ita fertur allocuta: τέκνον ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς. id est, Fili, aut clypeum hunc è pugna referto, aut in eo tibi salvo ipse refertor, morte pro patria fortiter oppetita. Id quod Ausonius eleganter expressit isto Epigrammate:

Ex materia varia.

Mater Lacæna clypeo obarmans filium,
Cum hoc, inquit, aut in hoc redi.

Magnanimitas verò & Laconicæ fortitudinis egregium nobis exemplum præbet Thrasibuli pater, filii mortem constantissimè ferens; quod idem Ausonius Epigrammate isto celebravit:

Excipis adverso quòd pectore vulnera se-(ptem,
Arma super veheris quòd Thrasybule tua
Nō dolor hic patris: Pitāæ sed gloria major
Rarum, tam pulchro funere posse frui.
Quem postquā mæsto socii posuere feretro,
Talia magnanimus edidit orsa Pater.
Flete alios: natus lachrÿmis nō indiget ullis,
Et meus, & talis, & Lacedæmonius.

Scutum plurimi factum.

Lacedæmones.

Thoraces quoque) Thorax munimentum erat pectoris: in quo defendendo & muniendo non immeritò laborârunt veteres, qui sapientiæ sedem in eo scirent collocatam, quia igitur thorax universum corpus ambiens, vitalia defendit; rectè pro munimento & invictis usurpatur armis. Possunt quidem ensis & clypeus excuti atque amitti: at pectoris sive sapientiæ arma firma sunt & stabilia, eaq; in militibus potissimum spectanda. Nam qui animos suorum, non numerum metiri velit, is certè plus fiduciæ ex eorum paucitate, quàm metus ex hostium multitudine conceperit. Nec enim ignotum est, quoties exigua manus ingens victoria decus acquisiverit. E diverso eam aciem contemni potiùs, quàm metui debere, dux belli strenuus noverit, quàm non militum robur, sed vulgus inerme cōstruxerit, ut est apud

Thorax.

Sapientiæ sedes in pectore.

apud Saxon. Grammaticum *lib. 14. histor. Dac. fol. 251.* virtute scilicet non numero bella gerere oportet, ut idem monet historicus *lib. 8. fol. 134.* eaque non mendaciis; sed armis meditanda *lib. 14. fol. 284.* Adeò autem in pectore sedem habet sapientia, ut pro hac pectus ipsum aliquando ponatur. Sic enim Horatium intelligo, de Tibullo ita scribentem:

Virtute non numero.

Non tu corpus eras sine pectore.

Thoraci non absimilis fuit Lorica, quam Midas Messenus reperisse dicitur: quæ propriè erat tegmen de loro factum: quo Majores dolo uti consueverant. Varroni *lib. 4. de lingua latina*, dicitur Lorica à loris, quo de corio crudo pectoralia faciebāt, posteà succuderunt Galli è ferro sub id vocabulum ex anulis ferream tunicam. Hæc tātùm pectora primùm, posteà universum corpus tegebat. Hinc apud poetā:

Lorica.

—triplici servantur pectora ferro.

& alibi. *Nam tergo tunc nullus erat metus.* Et Lucanus *lib. 7.* ita canit:

Quærit iter, qua torta graves lorica catheNas
Opposuit, toq; sub tegmine pectus.

Loricæ autem pro divitiis, materia vel opere pretiosæ erant: ut Maximiani adolescentis: & ptolomæorum Regum aureæ: quædam æneæ; communes, ferreæ.

Machinæ bellica.

De Arietibus, Catapultis, &c.) De Machinis, tormentis bellicis & telis, extat doctissimus commentarius ad historiarum lucem editus à Justo Lipsio, quam Poliorcetic[on] nomine indigitavit. Scripsit eadem de re & Robert. Valturius *lib. 10. de re militari c. 4.* Eos si Antiquitatis studiosus lector perlegerit, non exiguum operæ faciet precium. De Bombardis vero & Sclopetis noviter excogitatis *lib. 2.* à me dicetur.

DE CORONIS QUÆ DABANTUR MILITIBUS TIT. LV.

Strenuis Militibus variæ dabantur Coronæ. Prima & nobilissima erat Civica; *seu quernaqua ei dabatur, qui è manibus hostium vitam civis eripuisset. Fiebat ea ex quercu Iovi sacra, & glandes proferente, quibus veteres vixisse, fama est.* Murali *corona, quæ aurea erat, donabatur, qui primus murum subierat, inque opidum hostium per vim ascenderat. Idcirco quasi muri pinnis decorabatur.* Vallaris, *itidem aurea, ei dabatur, qui primus hostium vallum fuisset ingressus.* Rostrata, *similiter aurea, ei qui primus hostium Naves conscendisset, conferebatur: eaque Rostri navis formam repræsentabat. Qui horum aliqua coronatus erat, perpetuo ea uti poterat. Ludos ineunti semper adsurgi, etiam ab Senatu, in more erat: ut & sedendi jus in proximo Senatui: Vacatio denique munerum omnium, ut* Plinius *recitat. lib. 19. cap. 4.*

Corona civica.

Muralis.

Vallaris.

Rostrata.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

NEmini dubium esse debet, ad robur & virtutem militum excitandā, præmia & pœnas plurimum posse. Romani in hoc mirifici: de quib: Polybius peritus in omni re bellica & civili scriptor, *lib. 6. c. 37.* qui & pœnas & præmia militaria tanta cura ac studio dispensant, merito quoties bella suscipiunt, lecto atq; illustri fine ea terminant. Et de pœnis quidem veluti gradus dejectione, & militiæ mutatione supra *tit. 53. de morib. in bello usurpatis*, aliquid commemoravimus. Nunc de præmiis

Præmia & pœna in bello.

ximo dedit bello Pœnorum secundo, quòd Urbem Romam obsidione liberasset. Plinius *lib.22.cap.4.* rationem adfert, cur Graminea corona nulli à Senatu decerneretur; sed ab universo Exercitu suprema desperatione servato. Cæteras Imperatores dabant: hanc solam Imperatori milites, viridi è gramine decerpto inde, ubi obsessos servasset aliquis. Namque, inquit, summum apud antiquos signum victoriæ erat, herbam porrigere victos, hoc est, terra & altrice humo, & humatione etiam cedere, quem morem etiam tum apud Germanos durasse fatetur. Ipse etiam Pompejus Festus notat, Herbam ab eo dari solitam, qui se victum fatetur: quod est, inquit, antiquæ & pastoralis vitæ indicium. Nam qui parato cursu, aut viribus contendebant; cum superari erant, ex eo solo, in quo certamen erat, decerptam herbam adversario tradebant. Nemo enim poterat dici victor, nisi priùs is; quem vicisset, se victum fateretur, & victorem agnosceret. Unde Ennius, ut est in fragmentis Servii:

Herbam porrigere

Qui vicit, nō est victor, nisi victꝰ fatetur.

Hederacea.

Erat denique & *Hederacea* corona (nam de Triumphali & Ovali posteà commodiùs dicetur, *Tit. de Triumphis*) quæ poëtis conferebatur, non secus atque querna in Agone illo Olympico: de quo supra diximus, ita tamen ut hedera unà cum lauro coronam istam perficeret. Cujus rei caussa fuit, non tam perpetuus utriusq; viror, qui diuturna poëtarum opera significaret; quàm ut ostenderetur, eos qui digni hederis evasissent, Lauream que meruissent, & ingenio & arte præcelluisse. Per Laurum enim insitam utriusque vim, ac venæ fecunditatem Apollinis irradiatione locupletem intelligebant: per hederam verò artem & industriam pervigili labore partam. Cujus rei id est indicium, quod hedera suapte vi admodum imbecilla humi semper reperet, neque se unquam attolleret: pertinaci tamen labore, artificiosoque conatu pervincit, ut vel arboribus vel parietibus adhærescens, paulatim irrepens supra omnium fastigia victrix evadat & supremo in vertice dominetur. Utroque enim opus est, si quis velit excellere: nisi verò excelluerit, nihil quicquam proficiet; quia

Cur Lauro conjuncta.

—Mediocribus esse poetis
Non homines, non Dii, non concessere columnæ.

Quare sapienter ait Horatius,

—ego quid studium sine divite vena
Nec rude quid possit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amicè.

Quibus planè congruit, quod Poëtæ non fieri, sed nasci quidem dicantur: quod si tamen ad naturam ars & exercitatio accesserit, tum nescio quid præclarum, imò divinum soleat provenire, qua de re videatur Cicero *in Oratione pro Archia poeta.* Inque hanc sententiam Pindarus hymnorum suavitatem & elegantiam per mel candido lacte commixtum intelligi voluit in Nemeis: ubi Lac, quod à natura est, genium & venam indicat: Mel verò artem & diligentiam, quoniam hoc non absque magno Apum labore conficiatur, Unde ipsemet de se testatur Horatius, quòd

Mel lacti commixtū.

—Apis matinæ more modoque,

scribundis versibus laborem & diligentiam soleat adhibere. E contra reprehendendum esse ait carmen illud,

—quod non
Multa dies & multa litura coercuit, & (quod
Perfectū decies non castigavit ad unguem.

Idque pluribus exsequitur Johan. Pierius *libr.26. Hieroglyph sub. Ape. & lib.51. sub Hedera.*

villa præter usum venationis, vel itineris, vel navigationis, coëgerit, aut promercii caussa habuerit, hæreditateve ei ob venerint. *l. 1. & 2. ff. ad L. Iul de vi publ.* Neq; verò antiquatam eam legem putes: utpote quæ Romæ, Venetiis, ac tota penè Italia tam religiosè observetur, ut nonnunquã videas hujusmodi arma ferẽtes nunc in carcerem conjici, nunc in quæstionem tolli; nunc auro argentove numeratis pœnam ita redimere, ut summum jus summam esse injuriam perspicias. Quod si hæc Armorum prohibitio in laicis, quos vocãt, incunctanter vera est: multò magis in Clericis obtinebit: quorum arma, non pila ferrea, non alia item munimenta dicuntur: sed dolor, fletus, orationes & lachrymæ. *can non pila. & can. conveniet. 23. quæst. 8.* quo fit, ut Clerici arma portantes excommunicentur. *capit. 2. Extr. de vita & honestate cleric.* & de privilegio clericorum nullum debeant habere subsidium, præsertim, si à prælatis suis tertiò commoniti militaria noluerint arma deponere. *c. audientia. 25. & c. contingit. 45. Ex. de sentent. excommun.* Debent enim Clerici exemplum Christi imitari: qui in Ægyptum ab Herodis metu fugiens, & lapidibus Judæorum cedens non arma armis, sed fugam persequentibus docuit opponi. *23. quæstio 3. §. 1.* Et decet Ecclesiam, cum à paganorum & incredulorum furore impugnatur, corporalia nescire arma; sed solum Dominum & propugnatorem suum, quando ei placuerit misereri, patienter exspectare. *can. porro. 16. quæst. 3.* Luc. de Penna *ad rubr. C. Vt armor. usus inscio princip. interdict. sit. libr. 11.* Porrò ut non omnibus sine differentia permittunt Leges arma portare: ita etiam non cuivis curam, opusve fabricandorum armorum Justinianus concessit, *in Authentic. de Armis.* Nam ad id operis vel potius artificii eos solos vocari vult, qui publicis, ut dicunt, fabricis alligati erant, quos à fabricandi peritia ac non vulgari industria conficiendorum armorum *Fabricenses* appellat: quorum etiam brachiis notas vel stigmata instigenda Arcadius & Honorius censuerunt *in l. stigmate 3. C. de Fabricens. lib. 11. & c. si Iudex 12.* ibi ex stigmate *de sentent. excommunic. in sexto.* Didacus Covarruvias *de sponsal. & Matrimon. part. 2. cap. 7. §. 3. num. in fin.* fortè ut, si cæterorum Artificium esset in Republica confusio, horum tamen aliquod exstaret discrimen, quo periti ab imperitis, industrii à minùs eruditis discernerentur. Nam quis nescit, inter Artifices longam esse differentiam & ingenii, & naturæ, & doctrinæ institutionis? *l. inter artifices. 21. ff. de solution.* tum armorum confectionem, quibus se ipsa tuetur civitas & obfirmat, quis imperio committendam censeat? Quis non Pistiam Atheniensem, quo cum disputasse memoratur Socrates, arma tam solerter fabricantem, eaque inconcinno corpori tam concinnè aptantem, ut nihilominus expeditus miles videretur, etiam si modò curvari, modò erigi esset necesse, imperito cuivis Artifici, aut è vulgari plebe quæsito non præferat? Itaque si Civitatis commoda, si utilitatem, si decus quæsieris: nemini dubium, quin optimos Artifices, quo longius absis à periculo, quo tutior sit Respublica corpusque tuum munitius, præeligas. Xeno. *lib. 3. Memor. factor. & dictor.* Claud. Coteræus *libr. 3. de iure milit. cap. 25.* Cæterum ferream fabricam Cyclopes invenisse Plinius scribit *lib. 7. cap. 56.* non modò ad belli usum, sed etiam ad agriculturam. Mortales enim ut ait Lucretius,

Clericis armorum usus interdictus.

Armorum fabrica.

Fabricenses.

stigmata compuncti.

Fabricenses optimi eligendi.

Fabrica ferrea inventores.

Ære prius terras tractabant, æreq; belli Miscebant fluctus.

Arma ærea & aurea.

Testatur & Homerus passim, ærea fuisse Heroum arma, quanquam potentiores etiam auro se quandoque muniebant, ex eo arma sibi fieri curabant, ut splendidiùs morerentur. Sic enim Turnus ille Virgilianus.

—auro squalentem, alboque orichalco
Circumdat loricam humeris. Et alibi:
—rutilum thoraca indutus, ahenis
Horrebat squamis, surasq; incluserat auro.

Ferrum tam prodest, quam obest.

Nec verò eruti ferri nomine, quod Natura solers abstruserat, Cyclopes propterea insimulandos putem, quod certissima pestis humano generi inde proveniat. Nā & auro, quod nihil inviolatum sinit, sed omnia penetrat, non corporibus tantùm, sed & animis dira vulnera infligi certum est: nec quisquam ibit inficias, tuam etiam ferro utilitatem esse, & tam id prodesse, quàm nocere mortalibus: quibus nihil usque adeò boni Natura elargita est, quod aliquando non sit noxium: ne Sole quidem excepto, dum plantas & segetes nimius exurit, aut tabem & ægritudines ferventes alit. Præter ea sanè, quæ de ferri commoditate & necessitate diximus *sup. in Tit. de Azzalo Indico fol 34.* constat utique ex Cassiodori sententia *lib. 7. variar.* arma in bellis necessaria esse, in pace decora, ac denique imbecilles, fragilesque mortales cunctis beluis efficere fortiores.

Armorum commendatio.

Et quidem arma benè construere, est salutem hominum velle custodire: quia prima facie ipsis terretur inimicus, & incipit animo cedere: si se cognoscit similia non habere: alias ita fiat, ut non de pugna, sed de fuga cogitent, qui in acie nudi exponuntur ad Vulnera. Vegetius *lib. 1. de re militar. c. 20.* Atqui nec nudi decernere, nec inermes inimicis nos debèmus exponere. *can. oportet. 3. q. 2. c. 1. De restitut. spoliator. in 6.* etsi nudos olim pugnasse Gallos accepimus, patefactis artubus, gladiatorio ritu, quasi in palæstra certandum esset, oleo delibutis, non in campis ad cædem patentibus. Forcatul. *lib. 3. de Gallor. Imp. & Philos.*

Galli nudi pugnarunt.

Quid quòd armis omnia parere, & in armis jus dicitur esse positum? Docent id simulachra armis ornata: à Græcis præsertim, qui Deos omnes in universum ferro accinctos fingere consueverunt, ut auctoritatem atq; vim armorum eo indicarent. Hinc etsi Milites sive arma propter Leges in tuto collocantur: ipsas tamen Leges armorum præsidio conservari Justinianus putavit, *in epist. de Justinian. Codice confirm.*

Leges armis, & arma legib. conservantur.

Arma sapienter administranda.

quanquam parū proficient arma, quæ per sententiam non fuerint administrata. Nam stulto præcipitique ingenio Imperatores, quot & quantas cum sibi, tum Reipublicæ calamitates attraxerint, ut alia dissimulem, clades illæ insignes ad Trebiam, ad Thrasimenum, ad Cannas acceptæ, facile ostenderunt. Hinc Pallas armata, aut hastiam immanibus gerens, quid aliud, quàm ingenii vim atque promtitudinem innuit? Unde apud Martianum legas:

Hasta etiam vibrans penetrabile monstrat acumen.

Et magnanimiter.

Arma absque animo, nulla.

Sed & præter sapientiam illam etiam *audacia sive animi magnitudo* adsit oportet. Nisi enim præsens atque ardens adfuerit animus, omnem tunc apparatum bellicum frustratorium & inanem fore, multi rectè putarunt. Idque *per cervum magnis insurgentem cornibus* adumbrari consuerunt. Naturam enim, inquiunt, Cervo animali admodum degeneri cornua magnitudinis adeo spectandæ, ac aspiritatis horrificæ contribuisse, ut argumento esset, eos qui audacia & fiducia ipsi nulla forent; frustrà ullum apparatum & instrumenta bellica comparare.

Cervus.

Antisthenes.

Antisthenes dicere solebat, *Bona omnia à Diis optāda esse hostibus præter unam Fortitudinē.* Illa enim,

nium, quotquot essent; non esse possidentium; sed eorum qui armis præstarent, & viribus pollerent. Nam nisi ad opes & potentiam præsens acerque animus adjiciatur, facilè vel ipsam Fortitudinem infringi. Hinc egregium illud Chabriæ Atheniensium Ducis dictum, quod & Philippus usurpare solitus: *Formidabiliorē esse Cervorum exercitum, Leone duce; quam Leonum, duce Cervo.* Tantùm is animorum vigori, quo Dux ipse polleret, tribuebat: idque multis stratagematum exemplis apud Rerum scriptores passim verù comperiri Joh. Pierius refert *lib. 7. Hieroglyph. sub. Cervo.* Quibus planè convenit, quod Vegetius *d. c. 20.* scriptum reliquit; Necessum esse, ut dimicandi audaciam quoque sumat, qui munito capite & pectore non timet vulnus, *fac. tex. in l. servus. 4. § sed si armorum fiducia. C. de his qui ad Eccles. confug. Luc. de Penna ad rubr. C. de Fabricensibus lib. 11.*

Chabrias.

Cæterùm ad Armamentariū non modò Peditum Equitumque ad certum numerum tela & arma; itemque tormenta, machinæ, pulvis, & quæ talia juvandis viribus hæc aut prior ætas invenit, referenda sunt: Sed & Naves & instrumentum omne nauticum; si Regio illa maritima & portuosa. Nam subitò ista ægrè parantur: & semel parata non solùm in bellū vallent, sed ne sit bellum: Nemo enim provocare audet aut facere injuriam ei regno aut populò, quem intelligit expeditum atque promptum ad vindictam. Et qui desiderat pacem, præparet bellum, ut est apud Lipsium *libr. 5. Politicor. cap. 6.* Quam ob rem meritò commendari debet Venetorum illud Armamentarium, sive *Arsenale*, ut suæ vocant lingua. Præterquam enim quòd ob armādo terrestri exercitui, quovis armorum & machinarum genere satis est; videas ibi Triremium & aliarum Navium quarumlibet tantum apparatum classicum, ut instructissimum & pulcherrimum totius orbis Navale mecum id rectè æstimaturi sunt, quibus perlustrandi facta fuit copia. Nec enim desunt, qui nihil eo in terrarum orbe nec magnificētius, nec opportunius, nec Christiani nominis hosti formidabilius aut esse, aut excogitari posse scribunt: quippe in quod sexcenta circiter aureorum millia singulis ferè annis impenduntur, pro construendis triremibus, ac cæteris bellicæ armaturæ apparatibus. Ideoque vel solum hoc Venetorum armamentariū sufficere posse putatur, ad reprimendos Turcicæ classis impetus: quibus nec omnes Christianorum principes satis esse possent, quantumvis arctissimo simul fœdere colligarentur, triremesque omnes etiam Romanas & Hetruscas, & Ligures & Hispanas, Siculas, & Melitenses congregarēt. Solus quoq; ibi qui asservatur apparatus bellicus satis esse creditur, ad resistendū cuicūque pedestri exercitui, vel quingentis hominum millibus constanti. Si Hieronymo Vandrameno credimus *in disquisitione Controversiarū inter Paulum V. Pontif. & Venetam Rempubl. vertentium mihi fol. 359.* Inter alia autem videre ibi est prægrandem & amplam, atque vectorum illustrium magnificentiæ convenientem illam Navem, *Bucentaurum* quam vocant. Eam quotannis die festo, qui est Christo in cœlum plausibiliter ascendenti sacer, & ideò magis triumphis idoneus, dux Venetus magno Procerum comitatu stipatus, unà cum Urbis Præsule scandit, & per eam ita apparatu luculento & lætitiâ cumulatam, velut ex composito ventis suaviter spirantibus, in intimum mare delatus, annulum aureum in medias undas projicit; verbisque conceptis eo munusculo mare in manum sibi convenire, justæ sponsæ loco, veteri ritu declarat: cum annulus arrhæ loco sæpè daretur, & vir atque uxor invicem

Arsenale Venetum.

Omnibus armamentariis totius orbis præferendum.

Bucentaurus.

Dux Venetus mare sibi despondet.

suo & l. ergo si insula 30. §. fin. ff. de acquir. rer. dom. quod enim ex meo fit, omni jure meum efficitur. *l. de eo 12. §. si quis ad exhib.* maxime cum non tantum jure Magistratus, ut personæ publicæ id fecerint Veneti *l. bona civitatis 15. cum. 2. seqq. ff. de verb. sign.* sed etiam quia ipsius soli alveique, in quo sita est urbs, proprietatem sibi arrogant. Joan. Dauth. *in hypothyp. sect. 3.* Unde Venetorum angulum jam dudũ vocavit Livius *lib. 5 Decad. 1* quem hodie *Gulphum de Venetiis* dicunt. Hinc domina maris Hadriatici vocatur Venetia; ita ut jure suo possit omnes per Gulphũ suũ navigãtes impedire: possit item navigãtib. gabellas imponere, mercesq; contra statuta Venetorum conductas confiscare: quod pulchre ostendit Joh. Gryphiander *in tr. de Insulis c. 20. n. 65. & seqq.* Dicta verò navis illa *Bucentaurus* à *Bu.* quod magnum aliquod significat, & à Centauro, antiquo Navium insigni: alii *Ducentaurum* appellatam putant, quasi ducentorum hominum navigium capax: sive à Duce, quo ille publicè vehitur. Talis autem machina instituta sub *Sebastiano Ziano* principe dicitur, in adventu *Imperatoris Friderici Barbarossæ.* an. Domini MCLXXVII. cum ille pro componenda pace cum Pontifice & Senatu Venetias accessisset. Alii recentiorem esse navigii ejus structuram asserunt. Sicuti Philipp. Camerarius prodidit *cent. 2. operar. subcisiv. cap. 27.*

Bucētauri nominatio

Exstructio.

De Navali autem bello, & quæ ad nauticum apparatum, ac maritimam expeditionem sunt necessaria, accuratè & diligenter scripsit Robertus Valturius *libr. 11. de Re Militari*, quem cupidus Lector adire poterit.

DE TRIUMPHIS TIT. LVII.

Primus triumphasse dicitur Bachus: *Romæ verò* Romulus, *qui missis ante se hostibus, ipsemet eos pedes sequebatur: ipsum verò Exercitus.* Tullus Hostilius, *eques triumphavit.* L. Tarquinius Priscus *currum conscendit quadrigis actum.* M. Curius Camillus *quatuor equis albis fuit usus: quod posteà omnes sunt sequuti. Dies ille triumphalis festus per totam agebatur urbem, templis omnibus apertis, & Nobilibus ita Mensas instruentibus, ut de cibo & potu Militibus inde suppeteret: Senatus triumphanti obviam procedebat usque ad portam Capenam, per quam ille ingrediebatur: posteà in Capitolium se conferebant. Sequebantur tubicines & buccinatores, Classicum, ut in conflictu usurpârant, occinentes. Posteà ducebantur Currus spoliis hostium devictorum onusti. Ferebantur & statuæ, & tabulæ aneæ aut eburneæ: item turres res & simulcahra Vrbium expugnatarum, ipso etiam modo, quo cum hostibus conflictum erat, repræsentato. Dein sequebatur Æs, argentum & aurum hostibus ereptum, unà cũ statuis, mensis, patinis, orbibus, candelabris, pelvibus, & aliis vasis ex auro & argento conflatis. Item Gemmæ, purpura, vestes auratæ & pretiosæ: coronæ aureæ & argenteæ triumphanti donatæ. Tum omne armorum genus hostibus ereptum, verbi caussa gladij, lanceæ, secures, scuta, thoraces, galeæ, brachialia & id genus alia. Postea donaria ferebantur, aurum puta & argentum, ab aliquot hominum millibus collatum. Inde alij tubicines: quos ad sacra facienda quinquaginta aut centum plus minus boves sequebantur*

Triumphi solennitates.

mentis Musicis Triumphantem domum comitabantur, atque ita festivam istam solennitatem finiebant. Durabat quandoq; duos aut tres dies Triumphus ille, amplis præsertim spoliis reportatis. Idq; à T. Flaminio, L. Paulo Cn. Pompejo & Augusto factitatum legimus. † *Nulli triumphandi potestas decernebatur, nisi qui vel millia quinque hostium saltem profligasset & occidisset, atque insuper Imperium quoque Romanum adampliasset. Solennitas & pompa ista ex* Dionysio Halicarnasseo *colligitur lib. 2. & 5.* Valerio Maximo *lib. 2. c. 8.* Josepho de Bello Judaico *lib. 7 c. 24.* Plutarcho *in vita Pauli Æmilii,* Appiano Alexand. *de bello Lybico, & aliis.*

2 Triumphus cui decretus.

Triumphabant & illi, qui mari victoriam reportârant, præmissis scilicet Navium & Triremium captarum rostris, anchoris, & aliis instrumentis maritimis. Omne istud aurum, argentum & spolia Populi Romani erant, & in Ærarium deponebantur, deductis tamen expensis Triumphi.

Illi, qui hostes fugassent absq; sanguinis effusione; aut etiam inferioris status homines, ut servos, vicissent; ovabant, hoc est, Urbem Romam equo ingrediebantur, Equitibus, amicis & exercitu comitati; & purpurea toga auro intertexto vestiebantur: & mactatis ovibus in Capitolio sacrificabant. Atque hic minor appellabatur Triumphus.

Ovatio.

Numerantur trecenti quinquaginta triumphi & ovationes à Romulo usq; ad Belisarium, qui postremum sub Iustiniano Imperatore Constantinopoli triumphavit. Cæteroquin paucis sub Imperatoribus triumphandi potestas fuit concessa, quanquã triumphalia ornamẽta iis fuerint conservata, verbi caussa, Laurea, Trebea, & Sceptrum eburneum; quibus publicis in locis utebantur.

Triumphalia ornamenta.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

DE triumphandi solenni ritu, jure & privilegiis, diligenter & ordine pertractavit Rob. Valtur. *lib. 12 de Re milit.* quem adire, Lector, è re tua fuerit. Interea autem, ne te vacuum planè & inanem hinc dimittam, paucula hæc ad textus nostri explanationem ex optimis Auctoribus captim libata, en accipe. Primus autẽ triumphasse dicitur Bachus, post Indos devictos, multis jam spoliis in patriam reversus. Unde & θρίαμβος sive triumphator dicitur Diodoro Siculo *libr. 4. rerum antiquar. cap. 2* ἀπὸ τῆς θροεῖν, quod accinere sive acclamare est; καὶ ἰαμβίζειν, id est, maledicere: quod in bellicis triumphis conviciantes multis Anapæstis uti consueverant *Syntag. 8. Histor. Deor.* De Acclamatione illa etiam Varro attestatur *lib. 5. de Ling. Latina.* Ubi triumphare appellatum ait, quòd cum Imperatore milites redeuntes clamitant per Urbem in Capitoliũ eũti, *Io triumphe, Io.* De conviciatione verò fidem facit Zonaras: quãquam à Thriis, quæ ficulna folia sunt, Triumphi nomen factum putat. Priusquam enim personas Scenici excogitassent, ficulnis foliis facies velati dicteria versibus Jambicis proferebant. Eandem (inquit) & Milites in victoriæ festivitate licentiam, eodem ornatu in victores usurpabant: atq; hinc Triumpho nomen esse factum autumant. Alii verò ex eo, quod tribus constet ordi-

Bachus primum triumphavit. Triumphi notatio.

ordinibus, senatu, populo, & militibus unà incedentibus, literarum in Græco vocabulo θρίαμβος nonnulla mutatione facta. Zonaras *tom. 2. Annal.* Etsi autem & Isidorus à tripartito illo judicio, quod solitum erat eum qui triumphans Urbem ingrederetur, ab Exercitu primùm, deinde à Senatu, tum denique à Populo honorari; Triumphum fuisse nominatum, ex Tranquillo censet *lib. 18. c. 2.* Græcam tamen & priorem illam notationem magis sibi placere Gualtherius fatetur *ad Horat. lib. 4. Od. 2.* Et quidem in more fuisse positum constat, ut à militibus & abjectissimis quibusque triumphalem currum sequentibus diversis Triumphantes conviciis incesserentur: ne prospera illa fortuna plus justo insolescerent, vel, ut cum Scaligero loquar, ne ex nimia gloria νεμέσιν τι & invidiam paterentur. Ideò servus publicus à tergo ad se redire, & supra hominem nihil sapere admonebat. *In notis ad Senecæ Hippolitum vers. 820.* Hinc enim illud in Cæsarem triumphantem dicterium:

Triumphantes conviciis excipiebantur.

Cæsare.

Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem.

Item illud: Urbani servate Uxores, Mœchum calvum adducimus. Sic & Ventidium Bassum, humili quidem loco natum, & comparandis mulis atque vehiculis præbendis Magistratibus, qui sortiti provincias forent, ægrè ac sordidè victum sibi quærentem priùs, pòst verò in altissimum dignitatis gradum evectum, & de Parthis, quos tribus jam præliis fuderat fugâratque, triumphantem convicianti-bus hisce Jambis impetitum fuisse legimus.

Ventidius Bassus.

Concurrite omnes Augures, Aruspices:
Portentum inusitatum conflatũ est recens.
Nã qui fricabat Mulos Consul factus est.

de quo videatur Gellius *lib. 15. Noct. Attic. c. 14.* Nec desunt huic rei exẽpla propè infinita: quibus manifestum fit, præstantissimos quosque viros, quo altiori in gradu fuerunt collocati, eò magis quoque Invidorum malevolentiæ fuisse expositos. Ea enim Livoris natura est, ut velut ignis ardua & alta semper petat, ut est apud Petrum Crinitum. Adeò verum est, quod Ovidius cecinit:

Livor.

Sũma petit Livor, perflant altissima vẽti,
Sũma petũt dextra fulmina missa Iovis.

Indeque factum opinor, quod Triumphantes, non secus atque prætextati pueri, Bullam à pectore cordetenus dependentem, & cordis figuram habentem gestarent, tanquam amuletum quoddam Invidiæ. Bulla siquidem ista in se ea continebat remedia, quæ adversus Livoris stimulos & invidiæ morsus arbitrarentur maximè profutura, quanquã satis esse debet præclaris Viris conscientia rectè factorum: & oportet profectò eos, qui ad rerum gubernacula sedent, maximis in rebus & Rerumpub. administrationibus non penitus invidiam reformidare: sed magno animo ad præclarissima quæque admitti, & virtutis ac potentiæ magnitudine invidiam superare, ut est Plutarchi præceptum *in comparatione Niciæ & Crassi fol. 233.* cum & Deum multi sugillent, interdum etiam nefariè diffiteantur. Attamen ipse beatus, sempiterno & dulci ævo fruitur, nec promeritis impios ulciscitur, aut gigni prohibet. Quo fit, ut ad Dei culmen quam proximè accedentes Imperatores, facta sibi convicia, & maledicentiam quàm facillimè tulisse legamus. Theodosius certè tantæ erga omnes humanitatis fuit, ut ad Rufinum præfectum prætorio Constitutionem suo filiorum Cæsarum nomine emiserit: qua ignosceret iis, qui improbo petulantique maledicto Imperatorum nomina lacessissent. Quoniam, inquit, si id ex levitate processerit, contemnendum est: si ex insania, miseratione dignissimũ: si ab injuria, remittendum. *l. un. C. si quis Imp. maled.* Quod postremum verbum

Livoris amuletum. Bulla in pectore.

Intellect l. un. C si quis Imp. maled.

etsi

cetsi Accursius *ibi*, & Aymo Crauetta *consil. 6. num 71.* & alii ita accipiunt, ut injuriosus ejusmodi obtrectator ad ipsummet Imperatorem remittendus sit: ne ab ordinario Judice loci, vel pro verbis durius ille plectatur, vel ob pœnam forsan molliorem occasio præbeatur aliis, Imperatoriā majestatem contemnendi: Sed potius, ut ipse qui læsus fuit Imperator, de hoc etiam statuat: Magis tamen est, ut, quod Cujacius & Menochius, duo illa theoriæ & praxis lumina, rectè putârunt, verbum illud REMITTENDUM perinde interpretemur, atque *Condonandum*, vel nullam rationem Maledicentiæ illius habendam esse. Cujacius *in paratit. C. eod.* Menochius *de Arbitrar. quæstion Iudic. centur. 4. casu 377. num. 9.* Et quidem hanc verbi hujus Remittendi genuinam significationem esse JCtus docet *in l. omne delictum, § per vinum ff. de re militari:* & in promtu sunt cùm Imperatorum, tum Regum, Principum, aliorum exempla illustria. Inprimis verò celebre est illud Davidis impunitatem Semei scelerauissimo homini promittentis *1. Samuel. 19.* Sic Antigonus Asiæ Rex audiens à Militibus convicia in se jactari, qui eum abesse putabant, patefacto virgâ tentorio: Flebitis, inquit, nisi longiùs remoti posthac malè nobis dicetis. Antisthenes quoque Philosophus apud Laërtiū ait: Regium esse, malè audire, cū benè feceris, quod tamen dictum etiam Alexandro Magno quidam adscribunt: quemadmodum & patrem ipsius Philippum eodem ferè sensu dixisse ferunt, *Principum esse, bene & male audire.* Sed & Augustum ita Tiberio rescripsisse legimus: Noli ætati tuæ, mi Tiberi, in hac re indulgere & nimium indignari, quēquam esse, qui de me malè loquatur. Satis enim est, si hac habemus, ne quis nobis malefacere possit. Nec obliteranda, sed potiùs aureis literis consignanda videtur Titi *apud Xiphilinum* sententia: Nemo, inquit, me injuria adficere, aut insequi contumelia potest; propterea quòd nihil ago, quod reprehendi mereatur: Ea vero, quæ falsò de me dicuntur, prorsus negligo. Nam ut Seneca dicebat, Magnanimi est propriū, placidum esse tranquillumque, & injurias atque offensiones semper despicere. Hinc Demetrius, Calumniantium & Imperitorum voces non magis se æstimare jactitabat, quàm crepitum ventris. Nihil enim ferè interesse, utrum sursum an deorsum sonus turpiter emittatur. Quod dictum ego Obtrectationibus meis velim repositum; inprimis verò nasutis quibusdam Aristarchis, & horum palponi (*Morioni penè dixeram*) cuidam nupero, novitio, musteo: inquam non tam ætate quidem, quàm eruditione & scientia, quam satis teneram & adhuc in herba ei esse mecum fatebuntur, qui hominem norunt. Ii igitur censoriam sumentes virgulam, qua tamen ob inscitiam rectè uti nequeunt, subsecivos hosce, ut & alios labores meos capere, & Theonino dente arrodere nimis immaturè, & præcoci sanè ingenio fuerūt aggressi: nulla quidem, ut par erat, subjecta ratione; nulla quoque judicii, quo in hoc studii genere destituuntur, dexteritate adhibita; sed calumniandi potiùs vitio, quo laborant & tantum nō toti sunt inquinati. Quorū tamen nomina non dissimularē, ni vererer ne vel ipsi inde innotescere, vel mea hæc pagina obscurari hoc modo magis posset. Quòd si quis iis, ut *asino illi Æsopico*, Leonis pellem vellet detrahere; nullo ferè labore effecturum eum crediderim, ut Midæ aures illæ latitātes illicò in propatulo, & omniū conspectu sint futuræ. Et cur in Midæ familiam eos non transscribam? cum dictus putetur Midas, quasi μηδὲν εἰδὼς, hoc est, nihil sciens: quem perperam judicasse ferunt contra Apollinem, sponsione facta

Maledicentia non curata.

Davides.

Antigonus.

Antisthenes.

Alexander & Philippus.

Augustus.

Titus.

Seneca.

Demetrius.

In Curiones & Aculeones.

Midæ aures asininæ.

cum Marsia de tibiarum melo certantem: Ideoq; asininis cum auribus insignitum, quarum tamen notam soli tonsori patefecisse fingitur.

Sic cōmissa ferēs avidus reserare minister,
Fodit humū, Regisq; latētes prodidit aures
Concepit nam terra sonum, calamiq; loquentes
Invenēre Midā, qualem cōceperat index.

quos Petronii Arbitri sanè quàm elegantis poëtæ versus doctissimos invenias apud Fulgentium, *lib 3. Mytholog. c. de Apolline.* Omninò, quemadmodum Solon eos demum benè imperare existimabat, qui ipsi serviissent: ita & ii de eruditis rectè pronunciare putandi sunt, qui ipsi vel æquè benè, vel meliùs cōposuerint. Nam qui nihil aliud, quàm merus Criticus est, is ex Alciati sententia, ut phreneticus meritò insputatur. Alciat. *in proœm. l. 2. Dispunct.* sed cesso Triumphatoribus istis, si Diis placet, plura occinere. Saltem Anticyras eos navigare velim, ut pectoribus Elleboro purgatis, & deposito crasso illo ignorantiæ atque obtrectationis morbo, ad saniorem tandem Æsculapio favente, mentem redeant. Sicuti ego ad propositam Maledicis pœnam (qua de agendum erat) me nunc converto. Neq; enim est, ut ob singularem Imperatorum ac Regum, quos diximus, facillitatē illam, cujus exempla quædam illustria etiam à Ludov. Cœlio Rhodigino censentur *libr. 21. lection. Antiq. cap. 28.*) quisquam maledicæ suæ linguæ in Principes vibratæ impunitatem polliceri sibi debeat. Nam & Theodosius *in d. l. un. C. si quis imper. maled.* nō simpliciter ait, crimen illud REMITTENDUM, id est, condonandum esse: sed addit, Unde integris omnibus hoc ad nostram scientiam referatur, ut ex personis hominum dicta pensemus, & utrum prætermitti, an exquiri debeat, censeamus. Quibus ex verbis manifestò colligitur, integrum esse Principi in Maledicos istiusmodi ex arbitrio animadvertere: quantumvis Judici coram tribunali per sententiam non liceat. Atque eam quidem animadversionem nō in ipsorum dūtaxat Principum personis; sed & in Consiliariis, & aliis ordinariis Magistratibus obtinere censent Tib. Decian. *lib. 7. tractat. criminal. cap. 50. num 36.* Jaco. Menochius *de arbit judic. quæstion lib. 2. centur. 3. casu 263.* & Julius Clarus *lib. 5. Sentētiar §. Læsæ Majestatis. num. 5.* Et quidem graves atque prægnantes subsunt caussæ ob quas neq; iis, qui ex proposito & per injuriam neq; etiam aliis, qui ex levitate & linguæ lubrico Principibus suis, aut etiam præcipuis horū Consiliariis & Magistratui obtrectant, ignoscendū. Præterquam enim, quòd obtrectatio & Maledicētia ista verbo divino expresse est prohibita. *Exod. 22 & Actor. 23: Diis non detrahes; & Principi populi tui non maledices:* constat etiā, Magistratū injurias & maledicta ejuscemodi tolerando, duas illas potissimas Imperii habenas, *Amorem scilicet & Timorē* amittere. Nisi enim quis Magistratum odio haberet, benè potiùs, quàm malè de illo loqueretur. At si eundem metueret, vereretur utique malè de ipso loqui. Cui consequens est, quòd si Magistratus & Officiales in nulla auctoritate sunt, nullius quoque momenti futura sint ipsa Mandata. Si Mandata flocci fiunt; ipsum etiam imperium haud quaquam poterit consistere, sed omnia pessum eant oportet. Ut taceam, quòd ex hujusmodi contemtu, in dissitis præsertim provinciis, facilè quivis motus & seditiones possint exoriri. Si quis enim cum iis conversetur subditis, qui seditionem alunt in pectore; nulla ei commodior offerri potest occasio, aliorumque animos explorandi & commovendi, quàm si quosdam ex his gravia jactare palam audierit maledicta. Tum enim animum

Rursum de intellectu L. 2 C. si quis Imp. maled.

Cur Maledicentia in principes impunita esse non debeat.

Amor & Timor habena imperii.

mum ipsius hæc subit cogitatio: si licitum huic est, Magistratum suum palàm & absque pœnæ metu maledictis proscindere; audebit hic utiq; maledica & seditiosa sua verba, occasione data in effectum aliquãdo deducere. Sic veniet, ut facilè in suas eũ partes possit attrahere. Proinde ut perniciosissimo huic malo tempestivè occurratur, prudenter monuit Gregor. *homilia quadã in Ezechielem*, his verbis. Hi, quorum vita in exẽplo mutationis est posita, debent si possunt, detrahentium, verba compescere. Etsi enim lubricum linguæ ad pœnam facilè trahi nõ debet. *l. famosi. 7. §. hoc tamen. ff. ad L. Iul. Majestat.* quæ tamen ex certa animi destinatione proficiscitur conviciandi temeritas, compescẽda omninò est, ut pœna illius aliis terrorem incutiat. *cap. 1. Ex. de Maledic.* quibus non ineptè accommodari poterit, quod Leo Imperator rescripsit *constit. 96.* Quæ delicta, ait, sola animi nequitia cõmittuntur, nullaque naturali necessitate excusantur, his neq; venia tribuenda, neque inferendæ pœnæ effugium concedẽdum est. Quocirca etiã sinceriores Theologi factum Davidis, maledico illi Semei impunitatem jurantis, nequaquam probant. Inter alios enim P. Martyr *ad 19. c. 1. Sam.* ita scribit, Promittere homini scelerato, qui legem Domini violavit, impunitatem, non est justum. Quod ergò juravit David, præstare non debuit. Sunt enim hæc de genere illarum rerum, quæ malũ semper exitum habent, quocunq; te vertas. Si non præstas, malè jurasti: si præstas, BIS PECCAS. Mirum igitur nõ est, si postea monuit Salomonem, ut hoc malum corrigeretur. Sed in delicto tamen hoc puniendo princeps clementiæ & misericordiæ, in verbo divino tantoperè commendatæ, nequaquam obliviscatur. Propè enim est (inquit etiam Seneca) ut iniquè puniat, qui nimis. Et Nulli Regi gloria est ex sæva animadversione. Elephantes & Leones transeunt, quæ impulerunt. Ignobilis bestiæ pertinacia est. Nõ decet Regem sæva nec inexorabilis ira. Item: Excogitare nemo quisquam poterit, quod magis decorum regenti sit, quàm clementia: quocunque modo is, & quocunque jure præpositus sit cæteris. Eterna sanè commemoratione dignum circumfertur Diocletiani Imperatoris dicteriũ; qui *Iustitiã fine misericordia crucem esse dicebat.* Verè enim furentis & sanguinem humanum anhelãtis est, præcipitem in supplicia ferri, qua de re videatur, quæ Marius Salomonius prodidit *lib. 3. de Principatu.* & quæ à me scripta fuerunt *sub tit. de Fibula f. 159.* Quib. omninò addendum est, Bracteatũ illud, & auro contra non æstimandum Senecæ, quẽ nunquam sine elogio nominandum censent viri magni. Adhibenda est, *inquit,* moderatio, qua sanabilia ingenia distinguere à deploratis sciat: nec promiscuam habere clementiam oportet, nec abscissam. Tam omnib. ignoscere re crudelitas est, quam nulli. Idque optimè explicat Clariss. & doctiss. Georgius Remus in elucubratissimis Notis *ad Themistii orationem 4 fol. 176. & seq.*

Num David rectè impunitatem Semei promiserit.

Clementia ratio in pœnis habenda.

Diocletianum.

Seneca dictũ aureum.

De Romanorum autem moribus in triumphis peragendis adhibitis (nam ex diverticulo tandem in viam nobis redeundum censeo) consentanea Auctor noster scripsit iis, quæ Zonaras *lib. 2. Annalium*, de Triumphi solennitate literis cõmendavit. Quòd autem Triumphantes purpurea indutos veste ait; id non de simplici purpura, sed palmata intelligo. Palmatam enim, quæ palmam, certissimum victoriæ symbolum, habebat intextam, Triumphantium vestem fuisse ostendi ad Titul. de Habitu Imperatorum. Hanc verò etiam pictam fuisse nuncupatam, ex Plutarcho & Macrobio *lib. 3. Saturnal. cap.*

Triumphantes purpura induti.

Palmata.

Sive picta.

*cap.*13. probat Adrian. Turnebus *lib.*5.*advers.c.*9. Et consulendus in hoc omninò erit Paulus Manutius *ad Cicer. Ep.*21.*lib.*9. Addit Auctor, Triumphantem quoq; ramum è lauro manu dextera tenuisse. Sed & laurea eum redimitũ fuisse scribit Zonaras. Cujus rei variæ adsignantur rationes: vel quia inter armatos hostes Laurus quietis indicium, Romanis præcipuè lætitiæ victoriarumq; nuncia fuerit: vel quia perpetuò vireat: vel quia pacifera: vel quia in gremio Jovis optimi maximique deponeretur, quoties lætitiam nova victoria attulisset: vel, quæ potior videtur ratio, quòd spectatissima in monte Parnasso: ideoque & grata Apollini, adsuetis eò dona mittere jam & Regibus, & Romanis, teste L. Bruto: fortassis etiam in argumentum, quòd ibi libertatem publicam is meruisset, lauriferam tellurem illam osculatus ex responso: & quia manu satarum receptarum in domos fulmine sola non jacitur. Nec obscura sunt arboris hujus circa Augustum eventa, digna memoratu: ob quæ etiam triumphis hanc usurpatam crediderls. Namque Liviæ Drusillæ gallinam conspicui candoris sedenti Aquila ex alto abjecit in gremium illæsam: intrepideque miranti accessit miraculum, quoniam teneret rostro laureum ramum baccis suis onustum. Asservari hanc alitem & sobolem jussere Aruspices, ramumq; eũ seri ac ritè custodiri, quòd factum est in villa Cæsarum fluvio Tiberi imposita juxta nonum lapidem via Flamina, quæ ob id vocatur AD GALLINAS cãdidas: mireque sylva provenit. Ex ea triumphãs postea Cæsar laurum in manu tenuit, coronamque capite gessit: ac deinde Imperatores Cæsares cuncti: traditusque mos est, ramos, quos tenuerunt, serendi. Et durant sylvæ nominib. suis discretæ, fortassis ideò mutatis triumphalibus. Plinius *lib* 15. *cap.*11. Atque hæc fortassis Gallina ea esse potuit, cui Livia (Plinius Juliam Augustam vocat *lib.*10.*c.*55.) primâ suâ juventâ Tiberio Cæsare ex Nerone gravida, cùm parere virilem sexum admodum cuperet, ovum incubanti subduxisse fertur, exploratura scilicet, an esset marem paritura. Hoc enim usa dicitur puellari (*quid si pullari legas?*) augurio, Ovum in sinu fovendo, atq; cum deponendum haberet, nutrici per sinum tradendo, nec intermitteretur tepor. Nec falsò, ait Plinius, augurata proditur, quanquam pullum illum inde exclusum non tantùm sexum in Tiberio portendisse, quàm etiam salacitatem & procacitatem eam, qua ille mox famosissimus fuit, Joh. Pierius conjecturatur *lib.*24.*Hieroglyph. de Gallo*. Quia igitur lauru redimiri solebant Triumphãtes; factum inde est, ut laurea illa corona Triumphalis fuerit dicta. De qua Tertullianus *lib. De Corona Milit.* Laurea ista Apollini vel Libero sacrata est: illi, ut Deo telorum; huic, ut Deo Triumphorum. Primum enim triumphasse Bachum sive Liberum, in principio hujus Tituli significavi. Sed de corona hac idem Tertullianus clariùs ibidem disserit, cum ita scribit: "Triumphi laurea foliis struitur: hanc ad "verbis lemniscis, inauratur lamnulis, un-"guentis delibuitur, &c. Quo in loco quid sibi velit verbum *Adverbis*, Beatus Rhenanus ingenuè fatetur, se nescire. Cogitabam, an non *Adumbras* legi possit. Erant enim Lemnisci fasciolæ, ut Sextus ait, coloriæ, dependentes ex coronis. De quib. Plinius *lib.*21.*c.*3. ubi de coronis loquitur, quæ ex foliis aureis & argenteis constabant: Accesserunt quoque inquit, & Lemnisci, quos adjici ipsarum coronarum honos erat, propter Hetruscas, quibus jungi nisi aurei non debebant. Hinc Lemniscatæ coronæ, & palmæ, quæ in nobiliori victoria Lemniscis ornatæ victoribus dabantur. Ausonius:

Et lauro redimiti.

Gallina cum lauri ramo.

Triumphalis corona laurea.

Lemnisci.

Lemniscata corona, & palma.

Et quæ jam dudũ tibi palma poëtica pollet,
Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.
Sed meliùs id Sidonius exprimit, cum ita canit:

Hic mox præcipitæquus Imperator,
Palmis serica, torquibus coronas
Conjungi & meritum remunerari.

Nam coronis torques, & palmis serica, hoc est sericatos lemniscos, quo ex Festo fasciolas diximus, conjunctos fuisse innuit, ut Scaliger interpretatur *lib. 1. Auson. lection. cap. 10.* Diversa à Triumphali corona fuit Ovalis, quæ ex myrto Veneri sacrâ contexta iis dabatur, qui Urbem intrabant ovantes, quando bellum leviter & sine cruore perfecissent, deditione facta; aut cùm bella non rectè indicta essent, nec cum justo hoste gesta, aut cũ hostium nomen humile esset, ut servorum aut piratarum. Myrteam autem fuisse ovalem hanc coronam idem Tertullianus innuit, his verbis: Quanquam ex myrto ait Mili-
» tes redimiri solere. Veneris enim myrtum
» matris Æneæ (subaudi *esse*) non laurum,
» etiam aniculæ (*hoc est amasia*) Matris, per
» Iliam & Romulus Romani. Sego ego Venerem non credo ex hac parte cum Marte Romanam, quâ pellicis dolor est. Quorum verborum sanè sub obscuriorum, hic sensus est: Non est mirum, Romanos milites myrto coronari solitos olim, quum hæc arbor Veneri sit consecrata; quæ non solùm Trojana est, propter filium Æneam ex Anchise conceptum; verum etiam Romani Matris amica, qui Romuli & Remi sit pater. Verùm ego, jocans inquit Tertullianus, non arbitror. Venerem eatenus esse valde Romanam, sive amare Romam, quatenus pellicis Iliæ dolor est. Fit enim verisimile, Venerem, quæ sola amasio suo Marte potiri cupiebat, non parum offensam Iliæ concubitu, unde Romulus & Remus progeniti conditores Urbis Romæ. Sic enim textum istum rectè emendavit & interpretatus fuit Rhenanus. Nec verò ignorandum est, Ovalem illam Coronam ab ovatione sic appellatam: & hanc ab Ovium mactatione, quæ in ovationis solennitate peragebatur, nomen fuisse sortitam. At in solennibus & majoribus Triumphis Boves immolabantur, cornua in aurata præferentes. Hinc Virgil. 10. Æn.

Ovalis corona myrtea.

Ovalis ab ovatione.

Ovatio ab ovium mactatione.

In triumphis immolabantur Boves.

Et statuam ante aras aurata fronte Iuvēcum Candentem.

Ovidius indutam cornibus aurum victimam appellat:

—blandis induta cornibus aurum
Conciderant ictæ nivea cervice Iuvencæ:

quas Juvenalis frontem coruscare dixit, propter scilicet cornua aurata. Atque hic mos etiam Græcis fuit usurpatus. Nam & Homericus ille Nestor, Minervæ rem divinam facturus, accersiri jubet Laërcem aurificem, ut Bovis cornibus aurum circumfunderet, priusquam ad solenne epulum iretur. Observatum quoque fuit sacrificantibus, ut quæ

Hostibus à domitis Hostia nomen habet,

adducta sisteretur nihil reluctans: alioquin amovenda, tanquam invito quoque Deo offerretur: si quando scilicet

Discussa fugit ab ara
Taurus:

Non reluctantes.

ut est apud Lucanum. Idque Ammianus disertè docet, cum *lib. 34.* ita scribit: Abundèratus post hæc Julianus prosperitate similes adventare, cõplures hostias Marti parabat Ultori: & ex Tauris pulcherrimis decem, adhoc perductis, nondum aris admoti voluntate sua novem procubuêre tristissimi: decimus verò, qui diffractis vinculis lapsus, ægrè reductus est, mactatus ominosa signa monstravit. in mactandis autem victimis adhibebantur *popa*, qui velari lino, ut apparet ex illo Virgilij *lib. 12. Æneid.*

Popæ.

—pura in veste Sacerdos.

Et Propertius *lib. 3. Eleg. 3.*

Illa.

Illa dies hornis cædem denunciat agnis
Succinctiq; calent ad nova sacra Popæ.

Victimarius. Quorũ qui victimas mactabat, *victimarius* dicebatur: qui verò jugulabat mactatas, *Cultrarius*: qualem sacer ille Caligula occidisse diciturSuetonio *cap. 37.* Admotâ altaribus victimâ, succinctus poparum habitu, elato alte malleo cultrarium mactavit. Gualtherius *ad Horat. Od. 20. lib. 3.*

Cultrarius.

Lacones Gallum sacrificabant. Aliud tamen in hoc fuit Lacedæmoniorum institutum: qui, dum vi aperta hostem superassent, Marti gallum sacrificabât; dum Imperatoris arte, dolo aut persuasione, Bovem. Etsi enim bellicosissimum genus apud omnes fuerint habiti: ampliora tamen magisque homine digna judicabant: quæ ratione ac prudentia, quam quæ vi aut fortitudine patrabantur. Plutarch. *Institut. Lacon.* Atque eo haud dubiè allusit Atticus Socrates apud Platonem in Phædone, in fin. dum cicutâ epota moriturus, post apertum certamen contra vitæ illecebras & Judicum malignitatem mandavit Critoni, ut Gallum Æsculapio debitum redderet: perinde ac si victorem se innueret ac prædicaret cælo vitam redintegraturum. Jam enim sanitatem se recuperare putabat, cùm exiret è corpore, à quo omnes animi morbos scatere pullulareque intelligebat. Cæteroquin Marti sacrum fuisse Gallum, indubitatum est: vel propter militum vigilãtiam (solet enim pervigil Gallus surgenti Soli quibusdam quasi hymnis applaudere, & reditum ejus prænunciare: unde & à Sybaritis, gente ad omnes mollitudinis numeros natâ, in urbe esse fuit prohibitus, ne nocturni somni quietẽ interpellaret:) vel propter pugnacitatem; cum in confesso sit, Gallum pugnæ amore nulli cedere; sæpe etiam in ea commori: adeò ut de redintegrantibus certamen proverbiali usurpetur sententia: *Gallus insultat*; atque ideò Martis pullus dicatur ab Aristophane in avibus: vel propter Alectryonis fabulam, Martis satellitis, in eam avem conversi, ut in ejus nominis festivo libello Lucian. scribit, & Auson. Poëta uno ferè versu attigit:

Socratis gallus.

Gallus Marti sacer. 1.

2.

3.

——ter clara instantis Eoi
Signa canit serus deprenso Marte satelles.

4. vel denique, quod ex pugnace illo animali Gallo, etiam agnostica sibi milites pararent. Nam in illius ventre lapides repertos, in ore aut brachio gestos robur virtutemque pugnantibus addere credebant. Sicuti ex Julio Africano, Pierio & aliis notat Philipp. Camerarius *cent. 2. c. 89. in fi.*

Triumphalis cœna. 1. *Exin sub ipsis Capitolii porticibus cœnabant.*) Triumphator quidem ipsos etiam Consules ad hanc cœnam de more invitari faciebat, sed postea rogari, quo minùs venirent: ne celebritatis illius diei majore quispiam imperio fructum sive locum sibi præoccuparet. Aliis autem omnibus domi conviviorum instructi erant apparatus: sicque omnium plausu ultra omnem consuetum honorandi modum; hunc faustum & felicem diem ob Rempubl. auctam, Imperiumque Populi Rom. propagatum, & malorum civilium finem, urbs Romana celebrabat. Illud admiratione dignum, quod non tantum in cœnæ triumphalis unguenta minium additum, sed, & triumphantium corpora eo illita fuerint, ut ætherei coloris viderentur. Sic enim Camillum triumphasse scribit Plinius *lib. 33. c. 7.*

Minium.

Triumphi decernendi conditiones. 2. *Nulli triũphandi potestas, &c.*) Quoniam Triumphus rerum omnium militarium supremus habebatur honos: ideò nõ passim aut indistinctè cuilibet decernebatur; sed iis demum, qui nõ minùs, quàm quinque millia hostium unâ acie superassent, quod si quis super interfectorum numero mentiretur, in hunc pœna à Lege erat constituta. Ideo Triumphantes Urbem ingressi, de Veritate apud Censores jura-

jurabant. Oportebat etiam eum, qui triumphare volebat, vel Dictatorem, vel Prætorem, vel Consulem res gessisse; & non instaurâsse tantum, sed & imperium auxisse; & regionem insuper de qua triumphaturus erat, successori pacatam reliquisse. De quibus conditionibus videre est apud Dionem *lib 37.* & alibi passim, præsertim verò Chassanæum *in Catalogo Gloriæ Mundi, part. 1. consider 30.* ubi etiã plurimi enumerantur, quibus Triumphus fuerit decretus. Paucis enim hunc sub Imperatoribus præsertim, concessum fuisse, Auctor noster sub finem hujus tituli rectè monuit: Nã cum omnia bella Principis auspiciis gererentur; Legatis, prætoribusq; vel Ducibus qui hostes superâssent, Triumphos decerni non poterat: quia alienis auspiciis vicerant. Unde repertum, ut saltem triumphalia ornamenta, quibus in publico uti poterant, iis decernerentur: verbi causa, Laurea, Trabea, Tunica palmata seu picta, sceptrum eburneum, & cætera: de quibus apud Suetoniũ & alios. Concessit tamen Belisario Justinianus, ut de Parthis triumpharet; quamvis non suis auspiciis vicisset. Alciat. *ad l. speciosas* 100. *in fin. ff. de verb. signif.* Zonaras *l. 3. Annal. fol 95.* Ex illa autem Triumphantium gloria & honore, multorum animos tanta belligerandi incessit cupiditas, ut spreto aureæ pacis bono, bellum ei longè præferant, & de propriis parum solliciti, aliena impensè adfectent & consectentur. Talis erat *Pyrrhus Epirotarum Rex*: qui plurimum Macedonibus, plurimum Græcis molestiarũ exhibuit; tandem & Romanis satis negotii facessit. Et cùm multos sæpè devicisset populos, nunquam contentus; quæ præsens haberet atque occupasset, in eos, quibus nõ imperaret, solum animum oculosque, novis semper inhians imperiis, conjecit. Igitur bellum è bello serenti, nullaque ratione quiescenti, in medio

Triumphalia ornamenta.

Pyrrhus.

victoriarum cursu perire jure contigit, ut est apud Themistium *orat. 5. de pace.* Inquietissimi certè fuit ingenii. Et pacem, quod Plutarch. ait *in ejus vita*, colere nequit. Bis vicit Romanos: tandem victus, & Italia expulsus, ignobili (ut ille apud Liv. *lib. 29.* loquitur) atque inhonesta morte, temerè noctu Argos ingressus occubuit. Hinc Argos, non vetere fama magis quam morte Pyrrhi nobilitatos, idem Liv. *lib. 1.* prodidit memoriæ. Tegulæ jactu læsum, & ab hostib. deprensum occisum esse, auctor est *Plutarchus*. Justinus ex *Trogo 25.* Orosius *cap. 1. & seqq.* Habent principes unde pacem sectari præ bello, innumerisq; triumphis potiorem esse discant. Finis enim virorum sanguinum, quos sic Psaltes vocat, est pessimus: ut sic à morte ad Generum Cereris vix millesimus descendat. Quod piè monuit Georgius Remus in doctiss. notis ad Themistium *loco s. citato fol. 109. circa fin.* Rectè igitur Herodotus nullum adeò inconsideratum esse existimat, qui bellum præ pace eligat, *in Chio.* Ideòque pacem justam & nec honestari aut libertati exitiosam, præ bello expetendam monet Polybius *libr. 4. cap 31.* *justam & honestam* signetè dixit: qua nihil præclarius, nihil utilius esse censet: sicut ea, quam vel ignavia, vel servitus infamet, nihil neq; turpius neque magis noxium. Id quod diligenter considerandum erit in pactione ineunda, à qua pacis nomen est appellatum *l. 1. in pr. ff. de pact.* quoties inter se Duces belli quædam paciscuntur *l. conventium. § 1. d. tit.* Pacem autẽ communem ab omnibus vindicandum esse Imperator sancit *in l. 2. C. de offi. præf. prætor. Africa*: siquidem quod belli calamitas introduxit, hoc pacis lenitas sopiat *l. 1. C. de caduc. toll.* Quo nomine laudatur inprimis Frotho ille Danorum Rex: qui cũ patratis latè cædibus, insignes utique victorias edidisset; coram omnibus erogare consti-

Pax bello præoptanda.

Iusta imprimis.

Omnibus vindicanda.

constitutis, ut pacis jucunditas, bellorum atrocitati succederet, & cladis finis, salutis initiũ foret, ut est apud Saxon. Grammat. *lib. 6. Histor. Dan. fol. 86.* Pacis enim indipiscendæ gratia bellum suscipitur & ponitur. Post tranquillo eius nomine excolitur celebrata in civitate justitia, ut Lud. Cœlius Rhodig. dicebat *lib. 17. lect. antiq cap: 19.* Cujus justitiæ filiam Pindarus effingit pacem *in Pythiis.* Quæ quidẽ pax & justitia, juxta Regiũ Psalten, mutuò se osculantur; ut si amicam pacis non ames justitiam, non te vicissim amet ipsa pax, neque ea ad te veniat, ut Augustinus hoc explicat. Ad hanc verò nos exhortatur Euripides elegantissimis hisce versiculis à Polybio *lib. 12. cap. 14.* laudatis, atque ita à Casaubono latinè redditis.

Pax justitia filia.

Ejus deprædicatio.

O Pax alma, datrix opum,
O pulcherrima cælitum,
Quàm te mens sitit ò moram!
Obrepat metuo mihi
Ætas ne mala, Te prius
Suavem ô quam tuear diem
Plausus, undiq; cum strepent,
Cantusq; & chori, amicaq;
Commessatio floribus.

Adhæc similimum ait bellum quidem morbo: pacem autem sanitati per hanc siquidem, & qui ægrotent, refici; per illud etiam sanos interire, & quæ sequuntur. Consideremus præterea dubium illum belli eventum, & ancipitem Fortunæ aleam. Incertã enim semper esse victoriam, ipsemet fatetur Tullius *lib. 6. ep. ad Fam.* Cùm fieri nonnunquam possit, ut & victi vincant. Quoniam ut Maro canit,

Belli eventus anceps.

Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.
Ex quo Cato ille Romanus:
Victorem à victo superari videmus.

Taceo, victoria quandoq; nihil esse miserius, quæ etiamsi ad meliores venerit; tamen eos ipsos ferociores, impotentioresque facit, ut idem innuit Sapiens *lib. 6. ep. 9.* Nihil enim successu magis insolentiam nutrit, nec ullum prosperitate efficacius superbiæ incitamentũ est, ait Saxo Grammaticus *lib. 3. Histor. Danic. fol. 43.* Et fit sæpe numero, ut pacis & belli nominibus, tanquam numis utamur, non ad justitiam, sed ad commoditatem; tunc meliores, cum apertè bellum inferre fatemur, quàm cum injuriarum cessationem Amicitiam vocamus. Ut Plutarchus conqueritur *in Pyrrho fol. 177* Nec enim omnes victoria rectè utuntur: *Scis vincere, Hannibal sed nescis victoria uti*, dicebat ille apud Livium. Atque victoria benè uti præstat, quàm vincere, ut est apud Polybium *lib. 10. cap. 33.* Et eo quoque insolentiæ Duces belli nonnunquam evadunt, ut victricibus signis prosilire & armorum atrocitatem non in hostes ostendere; sed contra vicinos, & forsitan etiam adversus miseros colonos, quos procurandos susceperant, convertere audeant. *l. licet. 35. C. de loca. & cond.* Quid quod *bellum quasi minimè bellum* vel *beluinum* potius perpetuo appellari videas *lachrymosum, impetuosum, hominibus perniciosum, acerbum & malum?* Bello enim vita periculo exponitur, uxores viduantur, violentæ contributiones inducuntur, cõmercia impediuntur, subditi ad paupertatẽ rediguntur: & quis singulas belli incommoditates enumeret? Quarum tamen aliquot Ventura de Valentiis commemorat *in Parthenio litigioso lib. 1. c. 6. nu 23.* & proh dolor! nõ absque insigni clade & damno hactenus plus satis expertus est *Palatinatus hic noster.* Ideoq; votis omnib. contendimus, ut Bellona illa Homero *Urbiperda* cognominata, quã alii matrem, alii sororẽ Martis autumãt, & ad insaniam homines adigere, censent, oris ab his nostris tandem facessat, dirutâ & prostrictâ columnâ belli indice, quam ante templum ipsius, quod ante portam Carmentalem fuisse perhibetur,

Victoria quandoq; nihil miserius.

Victoriæ abusus.

Belli detestatio.

Bellona.

betur olim collocatam tradit Rhodigin. *lib.16.lection antiq.cap.25.in fin.* Contra verò

——*Pax optima rerum*

Quas homini novisse datum est, pax una Innumeris potior triumphis

ut à Silio describitur, nos rursum invisat, & in regione hac nostra perennet!

DE LEGATIS TIT. LVIII.

Veteres Legatis viaticum hoc est, via sumptus, & aureum annulum de publico largiebantur. Annulum illum in publico gerebant, eòque posteà deposito, ferreo intra domos utebantur, ut Plinius *memorat lib.33.cap.1. Sed hoc primis quidem Reipubl. annis ita fuit observatum: quo tempore nemo præter Legatos, quos diximus, aureos gestavit annulos. Posteà & Senatores gesserunt, à quibus ad Equites; & inde ad omnes Ingenuos, usus hic promanavit. Cum Principem aliquem Legati accederent, ipsis iuxta se potestatem sedendi, honoris caussa faciebat: quemadmodum* Nicetas *refert in vita Angeli Isaaci Imperatoris.*

Legati annulo aureo honorabantur.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Legati sancti.

IN ore ferè est omnium, sanctos & inviolabiles esse Legatos. Id ostensurus Marcianus JCtus, rem altiùs repetit *in l. sanctum 8.ff.de rer.divis.* Sanctum ait dictũ esse à sanguinibus, herbis quibusdam, quas Legati populi Romani ferre solebãt, ut argumentum essent, eos Legatos esse; itaq; consequerentur jure Legationis, ne quis eos violaret. Quomodo & Cicero *pro Archia poeta* scripsit Ennium jure suo sanctos appellare poëtas: quòd inquit, quasi Deorum aliquo dono atq; munere commendati nobis videantur. Deorum dono, quasi imperio & sanctione? commendati, ut sint nobis inviolabiles. Hugo Donellus *lib.4.Comment.jur.civil.cap.1.* Proinde Platonem ajunt, admonuisse, ne quis hominem poëtam sibi faceret inimicum. Et Horatius *genus irritabile vatum* dixit: Quemadmodũ enim si cicadam natura garrulã, ala prehendas, clarius obstrepit; ita si poëtico homini præbeas occasionẽ simultatis, nõ modo non tacebit, sed clarius obstrepet, & omnem bilem chartis illinet atris. Erasm. Rothero. *Chil.1, centur.9. Adag.28.* Marciani etymologiam confirmat Festus, qui sagmina vocari ait verbẽas, id est, herbas puras: quia ex loco sancto arcebantur à Consule, Prætoreve, Legatis proficiscentibus ad fœdus faciẽdum, bellumque indicendum. Cum quo planè consentit Servius, qui ad illum Virgilii versum 12 *Æneid.*

Poetæ non irritandi.

Sagmina Verbena.

Velati lino & verbenâ tempora vincti.

Verbenam, ait, propriè esse herbam sacram, sumptam de loco sacro Capitolii, qua coronabantur Feciales & Pater patratus, fœdera facturi, vel bella indicturi. Ex quibus omnibus apparet, sagmina & Verbenas idem significare. Idque ex Nævio Festus probat, his verbis: *Struppos atque verbenas sagmina sumpserunt.* Quo in loco etsi vulgares Codices habent *Scabos vel scapos:* Melchior tamẽ Guilandin. vir doctissimus, *Struppos* rectè emẽdavit, vocabantur enim Struppi, eodẽ Festo auctore, in pulvinarib. falciculi de verbenis facti, qui pro Deorum capitibus ponebãtur, Plinius quoque Sagmina & verbenas promiscuè usurpat *lib.22.c.2* cũ ita scribit: Auctores imperii Romani conditoresque, immensum quiddam & hinc sumsere:

Struppi.

fere: quoniam non aliunde Sagmina in remediis publicis fuêre, & in sacris Legationibusque verbenæ. Certè utroque nomine idem significatur, hoc est, gramen ex arce cum sua terra evulsum: ac semper & Legati cùm ad hostes, clarigatumq; mitterentur, id est, res raptas clarè repetitum, unus utique Verbenarius vocabatur. Verbenam verò idem etiam *Verbinacam* appellat *lib. 25. cap. 9.* Verbenaca, inquit, est quam Legatos ferre ad hostes indicavimus. Hac Jovis mensa verritur, domus purgantur lustranturque. Sagminum autem sive Verbenarum veterē illum usum, in feriendis præsertim fœderibus, Livius docet *lib. 1. ab Urb. cond.* Jubesne me Rex cum patre patrato populi Albani fœdus ferire? Jubente Rege: Sagmina, inquit, te Rex posco, Rex ait: puram tollito. Fetialis ex arce graminis herbam puram attulit: ita posteà Regem interrogavit: Rex, facisne me tu Regium nuncium, populique Romani Quiritium, vasa comitesque meos? Rex respondit: Quod sine fraude mea, populique Romani Quiritium fiat, facio. Et *lib. 30. ad finem secundi belli Punici* scribit: Ut privos lapides silices, privasq; verbenas secum ferrent: uti Prætor Romanus his imperaret: ut fœdus ferirent: sibi illi Prætorem sagmina poscerent. Herbæ id genus ex arce sumtum, dari Fecialibus solet, &c. Hinc sagmina illa à sanciēdo quoque, id est confirmando, dicta putat Festus ex Nævio: Jus sacratum Jovis jurandum sagmine. Atqui ex his liquidò constare poterit, cur Legati dicti fuerint sancti; à sagminibus scilicet sive verbenis illis: quibus non herbæ tantùm puræ sive sacræ, ut modò diximus; sed & sacræ frondes, Servio auctore significantur, ut est laurus, oliva, myrtus, &c. Ejusmodi igitur frondes sive virgulas Legati ad hostes ferentes, argumento eo fidem faciebant, se Legationis jure hoc consequutos, ut sacri essent & inviolabiles.

Verbenæ etiam Verbenaca.

Sagminum aut Verbenarum usus.

Unde sancta Legatorū corpora Varro nominat, *lib. 3. de Lingua Latin. Et sanctum populis per secula nomen* Statius Papinius *2. Thebaid.* Quod nomen ad omnes nationes sanctum inviolatumque semper fuit ut ait Cæsar *lib. 3. de bello Gall. c. 9.* & ejusmodi esse debet, quod non modò inter sociorum jura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur. Cicero *Verrin. 3.* Cujus hæc quoq; esse potest ratio: quia legatorum & literarum missione inter hostes sublata, omne commercium humanitatis sublatum est; omnis via ad pacis conditiones concupiendas interclusa atque intercisa est. Conradus Rittershus. in doctiss. notis *ad Gualther. Ligurinū lib. 9. c. 11. num. 9* Hinc justa & acerba illa Hannonis querela *apud Livium lib. 21. Legatos ab sociis & pro sociis venientes bonus Imperator vester in castra non admisit: jus gentium sustulit.* Unde & hostium jus Tacitus appellat *lib. 1. Annal.* Hostium quoque jus, *inquit*, & sacra legationis, & fas gentiū rupistis Joh. Brantius *ad Cæsar. lib. 3. de bello Gallico c. 9.* Quòd si quis Legatos pulsasset, contra jus gentium id commisisse existimabatur. Itaque hostibus, quorum illi Legati erant, is dedebatur ex Q. Mutii sententia, quam Pomponius laudat, *in l. ultim. ff. de legation.* Qua se veritate etiam in Manlium & Minutium, pôst & Fabium atq; Semproniū animadversum legimus. Hos enim Romani vinctos hostibus dediderunt, quòd vel minimum Legatos violassent. Qua igitur pœnâ plectendi erunt, qui Legatos non pulsârunt tantùm; sed & nefariè ac crudeliter occiderunt? id quod à Tyriis factitatum constat, dū Alexandri Tyrum obsidentis Legatos ad pacem ineundam ipsos adhortantes, contra jus gentium occisos ex alto præcipitarunt. Q. Curtius libr. 4. Crudelior tamen his etiam Achillas ille, qui Dioscoridem & Sera-

Legati inviolabiles.

Hos violantium pœna.

Violarunt autem Tyrii.

Achillas.

Serapionem Cæsaris Legatos, cùm in cõspectum ejus venissent, priusquam eos audiret, aut cujus rei caussa missi essent, cognosceret; corripi ac interfici jussit. Cæsar *lib. 5. Belli civil.* Sed fœditate illa & perfidiâ omnes ferè superavit Helena Russiorum regina: cujus nuptias cum Rex Prutenorum peteret, ipsa Legatos viventes ac spirantes terrâ obrui jussit: ac priusquam ad hostes fama perveniret, digniores Legatos ad se mitti petiit, quod cùm obtinuisset, hostium quinquaginta principes, ac summæ inter ipsos auctoritatis ad se missos, uno cremari & eodem incendio mandavit. Pòst etiam pacta matrimonium, convivii specie, hostium quinque millia, quos inebriari curaverat, trucidari jussit: postremò seipsam aquarum voragine immersit. Joh. Bod. *lib. 5 de Rep. c. 6.* At quot civitatum eversiones in Legatos cõmissa perfidia, & juris gentiũ violatio pepererit; id verò exemplis numero q̃ multis docent historiæ. Corinthum certè ideò à Romanis eversam, quod Legati Romanorum à Corneliis durius appellati fuissent, Cicero refert *in Orat. pro L. in Manlia.* Idemq; eo nomine Romanos hortatur, ut Pompejum eligãt adversus Mithridatem, à quo Legati Romani, qui inter hostes incolumes esse debuerant, fuissent occisi. Sed & Illyricis bellum aliquando indictum legimus, propter unum ex Legatis, quem Romani ad eos miserant, occisum. L. Florus *Epit. 20.* Taceo, quod Suidas adnotavit, Lacones pestilentiâ conflictatos, quod Xerxis Persarum Regis Legatos, aquam & terram postulantes Urbe expulissent, & civium aliquem, qui Regi parêre suaserat, lapidibus obruissent. Nec verò etiam vulgaris honor iis exhibebatur, qui Legatione obita interiissent. Nã, qui ab hostibus populi Romani occisi erant Legati, iis statuæ in publico erigebantur, ut per interitum in honorem æternum venirent. Sic enim quatuor illorum Legatorum, quos Laertes Tolumnius Rex Vejentum interemerat, statuas in Rostris longo pòst tempore stetisse, Cicero testatur *in Philip. 9.* non secus ac si in acie mortui fuissent, aut pro Republica cecidissent: qui in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. *§. Filii autem. Inst. de excusat. tutor.* ut adeò verum sit, quod Horatius cecinit,

Helena Russiorum regina.

Rursum de pœna.

Regetis violatus status ...

Pro patria mori.

Dulce & decorum est pro patria mori:

quippe quæ rebus omnibus, imò etiam charitate liberorum parentibus Romanis antiquior fuisse dicatur *in l. postliminiũ. 19 §. filius. ff. de captiv. & postl. revers.* cùm ex Platonis sententia non nobis solùm nati simus, sed ortus nostri partem patria vendicet, partem amici. Nec verò absque summa ratione: cùm certum sit, quòd eversa domo, Reip. status manere sæpè soleat; at verò Urbis ruina penates omnes secum trahat. Quam in rem exstat elegans Epigramma Johan. Girardi J.Cti & poëtæ festivissimi:

Non solùm nob. natos nos, dicimus omnes,
Patria præcipuũ vendicat ista locum.
Pro patria facio, quod me fecisse necesse est:
Pro patria vivo? pro patria morior.
Quid dixi morior? Mors hac clarissima vita est,
A morte æternùm vivere Musa facit.

Sed admonendos tamen Legatos Bodinus censet, ne securitate publica Legationis specie abutantur: neve principum ac populorum majestatem, verborum arrogantiâ violare sibi fas esse putent. Nec enim omnibus fortassis integrum aut impune erit, eam audaciam dicam an temeritatem usurpare, qua Pompilium Romanorum legatum usum fuisse Livius scribit. Is enim ad Antiochum magnum Asiæ Regem, ut Ptolomæum armis lacessere desineret, missus, cum ei populi Romani mandata explicasset; virga locum, in quo

Legatorum officium.

Rex stabat, circũscripsit, ab eoq; responsum, priusquàm pedem inde moveret; exigere non dubitavit. Et priùs, inquit, quã hoc circulo excedas, da responsum, Senatui quod referã. Hic Livius; *Obstupefactus est Rex tã violento imperio.* Nec tamẽ Pop. Ro. cujus anteà potestatem fuerat expertus, offendere videretur; cùm hæsitasset parumper, Faciam, inquit, quod censet Senatus. Liv. *Deca. 5. lib. 5. &* Val. Max. *l. 6. c. 4.* Nec immeritò videtur Philippus Macedonum Rex, Romanorum legatum liberiùs quàm debebat, se alloquentem increpuisse. Cùm enim Legatus Philippum interrogâsset, Num Abydeni (inquiens) tibi intulerunt arma? insueto vera audire ferocior oratio visa, quàm quæ habenda esset apud Regem. Hic Philippus: Ætas, inquit, & forma, & Romanum nomen te ferociorem facit. Et quidẽ temeritatis ac petulantiæ punitæ exemplũ nobis illustre præbent Legati Persici, ad Amyntam Regem Macedonicum à Dario Aquam & terram petitum missi. Nam cũ Amyntas Persicã potentiam metuens, placidè respondisset, & Persas in cõvivium vocâsset; tum Barbari superbè petierunt, etiam nobiles mulieres adduci; & inter convivas collocari: Iidemque ebrii jam, & basia dabant honestis mulieribus, & attrectabãt sinus. Hæc cùm non injuriâ ægrè ferrent pater Amyntas, & filius Alexander, filius patrẽ hortatur, ut ex convivio discedat dormiturus. Qui cùm abiisset, simulabat hilaritatem Alexander, ac aliquanto pòst hortatur, cõcedant Mulieribus, ut aliquantisper surgant Mox enim redituras ait. Mulieribus itaque dimissis, jubet adolescentes nobiles totidẽ induere earum vestes, & gladios sumere abditos sub vestibus; & cùm Persæ eos attrectarent, ipsos contodere. Atque ita lasciviæ & petulantiæ pœnas Legati justas dederunt. Philipp. Melanthon *lib. 2. Chronicor. sub Dario,* quib. adde, quæ in hanc rem doctè & sapienter scripsit Joh. Bodinus *lib. 5. de Repub. c. 6.*

Legatorum temeritas & lascivia punita.

Monet etiam Claudius Coteræus in Legationibus illud inprimis animadvertendum esse, ut eos maximè mittamus, qui vel astu, vel multarum rerum cognitione, hostium integumenta & callida consilia possint evolvere. *libr. 2. de Iure Militum. c. 23.* Quibus non dissimilia scribit Nicephorus Gregoras *lib. 4. Histor. Rom.* sub Patriarcha Johanne Sozopolitano: ubi Eos, qui Legati ad exteras nationes proficiscuntur, non tantùm oportere ait rerum usum habere; sed & prudẽtiæ doctrinæq; copiâ, tam divinarum quàm humanarum rerum, Græcarumq; literarum cognitiõe excellere: ut linguis ab omni parte instructi, in quovis disputationum genere palmam obtineant. Sed & Legatorum quoq; dignitas quàm maximè erit inspicienda. Hannibal enim Romanos pace respuere dixit, quòd parum dignitatis in Legatiõe eorũ conspiceret, eaq; de caussa ipse pacẽ curiosius appetebat, ut est apud Liv. *lib. 10. secundi belli Punici,* quin imò Lucas de Penna *in rub. C. de legat. lib. 10.* viginti requisita sive virtutes recenset, quibus præditum vult esse Legatum 1. ut gratus & acceptus sit ei, ad quẽ mittitur. 2. ut fidelis vel integræ fidei. 3. ut Orator & prudens. 4. ut justus. 5. ut verax. 6. ut discretus & doctus. 7. ut sobrius. 8 ut ætate provectus. 9. ut fortis & laborum tolerans. 10. ut eloquens & facundus. 11. ut nobilis, vel amplis usus honoribus. 12 ut non indignus eo, ad quem ablegatur. 13 ut in verbis & actionibus circumspectus. 14. ut solicitus & solers. 15. corpore benè compositus. 16. moderatus. 17 plurium linguarum gnarus. 18. moribus gravis 19. benignus & jucundus. 20 L. denique auri non cupidus. Quæ singula diligenter examinavit Lucas de Penna: quem qui volet, consulere poterit.

Legatio quales mitti debeant.

Via-

Viaticum Legativum.

r. *Viaticum, hoc est, viæ sumptus*) Viaticum id è publico ærario Legatis erogari solebat. Unde & Legativum id dicebatur. *l. ult §. legati. 12. ff. de mun. & hon.* & iis præsertim adnumerabatur, qui gratuitam susceperant legationem *l. 2. in fin ff. de legat.* cujus quidem contemplatione prohibitum non erat, eundem plures simul legationes suscipere & obire, si scilicet viatici sive sumptuũ ratio & itineris compẽdiũ hoc fieri suasisset, hoc est, ut Budæus interpretatur, si minore dispendio plures simul obiri legationes, quàm separatim & sigillatim possent. *l. eundem. 16. ff. d. t.* Viatici verò privilegium est, ut si quis in munere legationis, antequam ad patriam revertatur, decesserit, sumptus qui proficiscenti sunt dati, non restituantur, sed ad Legati hæredes transeant, *l. Legatus. 10 in fi ff. eo t.*

Verum Legatus sibi donata, Domino teneatur restituere.

Quid autem si quid Legatis dono à Principibus, ad quod mittuntur, datum fuerit; num proprium hoc ipsorum erit, an verò Dominis id cogentur restituere? Et quanquam Legati in Legationis actu non privatas suas personas, sed Dominũ à quo mittuntur, repræsentare videntur: unde & his non secus atq; Domino mittenti honor exhiberi solet, non tã legatorum, quàm mittentium ratione habita. *arg. c. postulastis Ex de concess. præb* atque ita donatio illa Legationis contemplatione intervenisse putanda est, & exinde Domino restituenda *arg. l. evicta. ff. de petit. hæred. & l. si forte. ff. de castr pecul.* Putavit tamen Bartolus *in l. si vero §. itẽ quicquid ff. sol. matr.* id quod Legatus etiam Legationis contemplatione dono cepit, restituere non teneri. Idq; satis probari ait *per text. in l. socium. 60. in fin ff. pro socio*, ubi etsi quid donatur socio societatis occasione: quia tamen personæ, & non societati facta fuit illa natio; responsum est, id quod donatum fuit, soli donatario cedere, non verò etiam societati: sicuti econtra si socius ejusdem societatis contemplatione damnum fecisset, sibi id soli non verò & societati posset imputare. Ergò nec compendiũ (ait Pomponius) quod propter societatem ei contigit, in mediũ venire debet: veluti si propter societatem hæres fuerit institutus aut quid ei donatum sit *d. l. Socium 60. in fin.* Quæ sentẽtia & eo juvatur, quòd Legationis munus personale cùm sit, ab invito etiam quandoq; suscipiatur. *l. ult. §. Legati de munerib. & honor.* atq; exploratum sit, Legatos interdum sæva incurrere pericula, & vitæ quodammodo renunciare. *l. Principes. C. de Princip. agent in rebus lib. 12.* quod vel tum quoq; fieri intelligitur, cùm vel navigãdum illis est, vel per insidiosa loca eundum, aut etiam ætate fessi sunt. Hæc enim omnia instans periculum demonstrant. *l. 3. 4. 5. 6. de mort. causs. donat l. si non fuerint. 29. §. ita coiri. ff pro socio.* Ideoq; remuneranda hæc eorũ pericula, quinimò & præmiis exhortanda meritò placuit *l. semper. 5. §. Negotiatores. ff. de jure immũ.* tantum abest, ut donis illis Legati sint defraudandi; ut potiùs, cũ ex una parte gravẽtur inviti, ex altera in hoc revelãdos eos putem, ut quod donatũ habent restituere non cogantur. *arg. l. eum qui 30. in pr. ff de jure jurando.* Luc. de Penna *in l. 1. C. de castrensi peculio mil. lib. 12.* Sed in hac tamẽ re ipsius Donatis mens erit inspicienda, utrum donatam rem ipsis Legatis, an verò Domino mittenti præcipuã esse voluerit. Id verò ex qualitate rei donatæ facilè dijudicari posse Panormitan. censuit *in c postulastis Ex. de concess. præb.* & Petr. Costalius probat *in l. qui proprio. 46. §. procurator. ff. de procur* quib. addendum est, quod multis in hanc rẽ congestis, scriptũ reliquit Jac. Menoch. *de præsumpt. lib. 3. præs. 27.* & Joseph. Mascard. de probation. *Conclus. 564. donatio alicujus rei nu. 8.* Sanè historiarum monumentis laudabiliter prædica-

prædicantur Q. Fabius Gurges, C.N. Fabii Pictores. Q. Ogulnius: qui legati ad Ptolomæum regem missi, munera quæ ab eo privatim acceperant, in ærarium, & quidem prius, quàm ad Senatum Legationem referrent, detulerunt: De publico scilicet ministerio, nihil cuiquam præter laudē benè administrati officii, accedere debere judicantes. Nam, ut Cicero dicebat, nihil præter laudem bonis innocentibus, neq; ab hostibus, neq; à sociis reportandū. *lib. 3 de legib.* Et talia quidem exempla virorum illustriū, quæ memoratu & scripturâ digna existimata fuerunt, sunt etiā imitatione dignissima. Quia demum ii penates, ea civitas, id regnum æterno in gradu facilè steterit, ubi minimum virium Veneris pecuniæq; cupido sibi vendicaverit. Nam quò istæ generis humani certissimæ pestes penetraverint, ibi injuria dominatur, infamia flagrat. Sed tamē data sunt Legatis (ait Valerius) quæ in ærarium reposuerant, nō solùm Patrum conscriptorum decreto; sed etiam populi permissu: eaq; Legatis. Quæstores promptè unicuiq; distribuerunt. Ita in iisdem Ptolomæi liberalitas, Legatorum abstinētia, Senatus ac populi Romani æquitas debitam probabilis facti portionem obtinuit, ut graviter scribit Valerius Maximus, *lib. 4. c. 3. in pr. & nu. 9* De legatis porrò plura videri poterunt apud Petrum Aerodium *lib. 10. Rerū ab omni antiquit. judicat. tit. 15* Inprimis verò elegantem illum *Alberti Scipionis de legationibus.* Commentariū: quem magno illi Britanniarum Oratori *Philippo Sydnæo* nuncupavit: utpote in quo uno vivam perfecti legati imaginem & excellentem formam inveniri & ostendi posse confidit. Atque hunc omnia sic habere censuit, quæ ad summum Oratorē constituendum requiruntur, ut cumulatiora etiam habeat & ampliora.

Philippus Sydnæus.

Annulorum origo.

2. *Aureum annulum*) Annuli originem quidam ad Promethea referunt quem Saturni lege perpetuis vinculis ab Jove damnatum, quòd Parcarum sortem de Thetidis filio, qui patre major & clarior futurus esset, patefecisset, atque ita Jovem ab ejus congressu deterruisset, ne se præstantior filius nasceretur, ea mox conditione liberatum ferunt, ut inde annulum lapide & ferro compactum gestaret, ne omninò exsolutus pœna videretur: inque annulorum usum propagatum. Sed hoc fabulosum videtur Plinio, qui *lib. 33. cap. 1.* Pessimum (inquit) vitæ genus fecit, qui annulum primus induit digitis. Nec hoc quis fecerit, traditur. Nam de Prometheo omnia fabulosa se arbitror, quanquam illi quoque ferreum annulum dederit antiquitas; vinculumq́ id, non gestamen intelligi voluerit. Rectè ait *vinculum*: quādoquidem tota Annuli originatio ab An particula, quæ Circum significat, desumatur: atque ideò Annulus vinculum denotet, aut compedum manicarumve oppressionem. Quo pertinet Pythagoræ symbolum illud, quo nos arctum annulū gestare vetat. Eo ipso enim, ex D. Hieronymi interpretatione, non esse anxiè vivendum admonet: quippe cavendum, ne nos in eam servitutem conjiciamus, quæ dura sit & incommoda. Joan. Pierius *lib. 36. Hieroglyph.* Sed quæcunq; sanè annuli origo sit constat utiq; veteres eo ferreo fuisse usos. Longo sanè tempore, ait Plinius, ne Senatum quidem Romanum habuisse aureos, manifestum est. Docet id Juvenalis illis versibus.

Annulus cur vinculum.

Arctum annulum negerito.

Annulus primum ferreus.

—ille fruatur
Vocibus obscenis omniq; libidinis arte.
Qui Lacedamonium pitismate lubricat orbem.

hoc est, qui lubricat annulum sputo. Per hunc enim ditiorem quendam intelligit,

Per cujus digitos currit levis annulus.

ut Martialis ait. Est scilicet ditior nimios, dum

dum otiosi sedent, annulos volvere, eosq; sæpè extrahere & reponere; digitosque ut id factu sit facilius, sputo irrorare. Ptysma autem, ut & pitysma sputum significare, à πτύζειν, quod spuere est, sic dictum, Perottus docet. Lacedæmonium verò orbem cum dicit, ferreum significat annulum: siquidem suo etiam tempore Lacedæmonios ferreo tantum usos fuisse idem Plinius testatur; Quæ quidem interpretatio quanquam non improbanda videbatur doctissimo Christiano Becmanno, viro ob singularem eruditionem mihi lōgè charissimo: idem tamē me monuit, ut miram hic lectionem varietatē; ita varias interpretum expositiones itidem reperiri: alii enim, dicebat, & multi quidem legunt pitysmate: alii pedemate: alii pede nudo: alii pitylismate; alii popysmate: alii pptysmate: alii pygilsmate alii petteumate: oēs verò suæ sententiæ sive etiam conjecturæ rationes asserunt non negligendas. Videtur, *ait tandem* poeta non abs re saltationem Lacedæmoniorum spectare.

—pytismate lubricat orbem.

hoc est, ejus triclinii aut stibadii pavimētum preciosis Tænarii Marmoris orbibus refulget: superiori verò interpretationi de annulo ferreo, illud etiam addit Plin. Romæ non fuisse aurum, nisi admodum exiguum, longo tempore: siquidem iis tantum, qui legati ad exteras gentes ituri essent, Annuli publicè dabantur: credo, quoniam ita exterorum honoratissimi intelligebantur. Neque aliis uti mos fuit, quàm qui ex ea causa publicè accepissent: vulgoque sic triumphabant, quanquam hi quoque, qui ob Legationem acceperant aureos, in publico tantùm utebantur eis: intra domos verò ferreis. Mos adeò promiscuum id esse cœpit, ut cum servitiis quoque communicaretur. Constat enim servos non ferreo tantùm, sed & aureo, cui ferreum inesset capitulum, fuisse usos. Idque Annulorum genus Samothracium nuncupant. Sic n. Lucret. *lib. 6.* de Magnete ferrum alliciente disserens ait,

Exultare etiam Samothracia ferrea vidi.

Samothracia dicebantur à loco. In Samothrace enim id genus inventum, quo ferrum cingebatur auro, ut ferrum loco gemmæ esset. Sed nec auro cingebatur tantùm, verum etiam totum è mero fabricabatur auro. Plinius hoc docet *d. lib. 33. c. 1* his verbis: Necnon & servitia jam ferrum auro cingunt: alia per sese mero auro decorant: cujus licentiæ origo nomine ipso in Samothrace id institutum esse declarat. E mero autem ferro Samothracia quoq; fuisse, ex allegato Lucretii versu satis probat Adrianus Turnebus *lib. 20. Adversf. c. 20.* Sed ferreum tamen annulum deponebant servi, aureo assumto, cum ingenuitatis jura consequebantur, quod fiebat; cùm servitute liberati, jus aureorum annulorum ab Imperatore impetrassent. Tunc enim & pro Ingenuis, salvo tamen patronatus jure habebantur: & Equestrem dignitatem, vel beneficium equestri dignitate compar. censebantur adepti. Nam cum hos gestare nulli, quàm equestris ordinis hominib. fas olim esset; quippe qui iis pro insigni, quo à plebe distinguerentur, utebantur, ut ex Plinio docet Gulielmus Budæus *ad L. ult. ff. de Senator.* meritò concessa aureorum annulorum usurpatione, ipsam quoque ordinis dignitatem Princeps concessisse videbatur, facit text. *l. falsa demonstratione. 33. § sed si cui. ff de condit. & demonstr* ubi si quis annulos ab Imperatore acceperit, honorem ejus augeri JC. respondit Libertinis igitur dato jure annulorum aureorum, Equestris dignitas collata censetur. quæ res efficit, ut in multis juris partibus donati annulis Libertini pro ingenuis habeantur. Tacitus certè; Equestri dignitate donare, & annulis honorare

Pytisma.

Annulus Legatorum aureus.

Samothracium annulus.

Aurei annuli concessio Libertis Ingenuitatem conferebat.

Vel equestrem dignitatem.

promiscuè usurpat *lib. 18. Annal.* Postulāte exercitu, inquit, ut libertū suum Asiaticum equestri dignitate donaret; honoravit annulis. Et Lamprid. scribit, Alexandrum Severum Libertinos nunquam in equestrem locum redegisse, id est, nunquam honorasse annulis aureis: ne equestris ordo libertinis commacularetur, ut est apud Suetonium. Idq; Cujacius pluribus exsequitur *lib. 7. observ. c. 14. & ad tit. ff. de iure aureor. annul.* Cæterū de ferrei illius annuli depositione attestatur Papinius *lib. 3.* (*questres,*

Atq; idem, in cuneos populos cum duxit e-
Mutavitq; genus, lævaq; ignobile ferrum
Exsuit

Annulus cur in sinistra manu. Rectè ait, Lævæ exsuit. Etsi enim annulus olim gestabatur, ut quisque vellet, quacunque manu, quolibet digito: postea tamen, cum usus luxuriantis ætatis signaturas pretiosis gemmis, quæ aureis inserebantur annulis, cœpit insculpere; & certatim hæc omnes imitatio lacessivit, ut de augmento precii, quo sculpendos lapides parassent, gloriarentur: factum inde est, ut usus annulorum exemptus dexteræ, quæ multum negotiorum gerit, in lævam relegaretur, quæ otiosior est: ne crebro motu & officio manus dexteræ, pretiosi lapides frangerentur. Macrob. *l. 7. Saturnal. c. 13.* *Et digito qui minimo proximus.* Eandemque ob causam digitum quoq; sinistræ manus, qui minimo sit proximus, tam veteres Græcos, quam etiam Romanos elegisse, atque ei annuli gestādi munus (unde & *Annularis* fuit nuncupatus (demandasse ferunt, ne aurum tam facilè obtereretur. Ignavissimum enim esse eum inter omnes digitos; & sine aliorum comitatu exporrigi nō posse certum est. Quo fit, ut cum attritui minùs sit obnoxius, ad auri & gemmarum incolumitatem aptior videatur. Joh. Pier. *lib. 41. Hieroglyph.* Alii hujus rei hanc causam dicūt, quod in sectis apertisq; humanis corporibus ut mos in Ægypto fuit, quas Græci ἀνατομὰς appellant, repertum est, Nervum quendam tenuissimum ab eo uno digito, de quo diximus, ad cor hominis pergere ac pervenire. Propterea non inscitum visum esse, cum potissimum digitum tali honore decorandum, qui continens & quasi connexus esse cum principatu cordis videretur. Gell. *lib. 10. Noct. Att. c. 10.* Macrobius *d. c. 13.* Alciat. *lib. 8. Parerg. c. 10.* *Annulo tantum unico uti licebat.* Porrò non plus quam unicum tantùm annulum habere olim licebat: quamvis laudatissimum illum morem, succrescente postmodum luxu & divitiarum ostentatione, delitiosi populi labes violarit. Scimus enim invidiosum Sergio cuidam, nobili alioqui viro *Orata* cognomen inditum, quod duob. annulis aureis & grandibus uteretur. *Orata.* Vulgus enim aurum pronuntiabat orum, ut Pierius notavit. Sed & observavit Turnebus, eò veterum excrevisse luxuriam & mollitiem, ut annulos habuerint duorum generum; æstivos & hyberos: & hybernos quidem majoris ponderis; levioris autem, æstivos. *Annuli æstivi & hyberni.* Hinc Juvenalis, *Satyr. 1.*

Ventilet æstivum digitis sudantibus aurū:
Nec sufferre queat majoris pōdera formæ.

Ex *Satyr. 7.* Annulos ejusmodi æstivos, atque hybernos, quos Paris histrio vatibus largiebatur, Semestres vocati:

Semestri vatum digitos circumligat auro.

Turnebus *lib. 2. Adversar. cap. 2.* At verò primitus neque in delitiis, neque ornatus causâ; sed tantùm in obsignandi usum Annulus habebatur. *Annulus olim signandi causa habebatur.* Unde & *Signatorius* fuit appellatus: quem Paulus negat inter ornamenta contineri. *l. Signatorius 74 ff. de verb. signific.* & Ulpianus *in l. argumēto. 25. §. ornamēta ibi, præter signatorios ff. de auro & arg. legat.* Mos erat olim, ut res quæq; ētiam minutissimæ annulo signarētur. Unde annulorum usus frequentissimus apud veteres, qui eo res obsignare solebant.

bant, ne furto interciperentur, Alciat. *lib.* 8 *parerg c. 21. in f.* idq; testatus est expressè Plin. *lib.* 33. *c* 1. his verb. Quæ fuit illa priscorum vita, qualis innocentia, in qua nihil signabatur? at nũc cibi quoq; & potus vindicantur annulo à rapinis. Eoque non dubium est, quin Valer. respexerit *lib* 7. *c.* 9. de M. Popilio ita scribens: Vnum et de multis qui assidebant, ultimo complexu & osculo dignum judicavit; videlicet ne quid ex hæreditate, quam non erat aditurus, amitteret, quo sensu & illud accipio, quod de clavibus & annulis majori natu filiæ traditis Papinianus scribit *in l. cum pater. 77 §. pater plurib. ff de legat. 2.*

Signa reb. alienis non imponenda. Cur autem passi non sint Imperatores, rebus alienis signa imponi *l. 1. C. ut nemini lic. sine jud. auctorit. sign. reb. impon. alien.* Hæc ratio proferri potest, quod signa rebus duntaxat propriis potuerint imponi quarũ numero non posse res litigiosas comprehendi tam palam est, ut hujus rei causa nullius ICti scholam intrandam censeat Jacob. Rævard. *lib. 5. variar. cap. 16.* Cæteroquin constat, Romanos solitos fuisse notas ac symbola quædam imprimere annulis, quæquidem Ulpianus χαρακτῆρα, hoc est, formam insculptamque signi imaginem vocat *in l. ad testium. 22. §. signum. ff. qui testam. fac. posse* Justinianus

Signa annulis impressa. sculptura, *Instit. de testam. ordinandis.* Sic Plinius scribit, se usum fuisse quadriga in annulo *lib. 10. Ep. 78.* memoriæque prodidit Capitolinus *in Clodio Albino*, Commodum signasse literas suas signo Amazonio. Et refert Valer. Max. propinquos è manu ignobilis Scip. Africani filii annulũ detraxisse, in quo caput Africanũ sculptũ erat: Ipseq; Plutar. *in Polit.* auctor est, Syllam cum devicisset Jugurtham, ejus imaginem in annulo, quem gestabat, insculpsisse.

Annulus Augusti. Legimus Augustum Sphyngis notam inter initia Imperii añulo signatorio impressam habuisse, donec lepore non infaceto eorum, qui quæ Rescripta & Edicta acciperent. Ænigmata vocabant, eò perductus est, ut Alexandri M. imagine signaret, & consultò opinor, non temerè. Scribit enim Trebellius Pollio, Macrinorum familiam id speciale habuisse, ut Alexandri Magni imaginem Viri in ære & argento: mulieres in annulis, & omni ornamentorum genere exsculptam haberent: qui dicerentur juvari in omni actu suo, qui Alexand expressum in ære gestarent vel argento. Francis. Juretus *in Notis ad Symmachum lib. 2. cap. 12.* Conradus Rittershusius *ad Plin. lib. 10. Ep. 75.* quib. addè Joh. Kirchman. de annulis ex professo tractantem, & multa notatu dignissima ex antiquitate eruentem.

Alex. M. imago.

Mecœnatis. Mecœnas Ranã sculptam sibi habuit: at in publicis annulo regio haud dubiè utebatur. Creditur n.

Mecœnas Augusti Cancellar. Augusti fuisse Cãcellarius ut ejus familiaris Horat. innuit, à frequente amico rogatus, ut apud Mecœnatem suff. ageretur: *Inprimat his, cura Mecœnas signa tabellis Dixeris Experiar: si vis potes.*

Dio Cassius addit, Augustum promiscuè sigillum præcipuum credidisse Mecœnati & Aggrippæ; & tantum tribuisse ambobus, ut literas ad Senatum scriptas vel aliò, impunè relegerent & immutarent. *libr. 51.* Planè Mecœnate mortuo constat Augustum ægrotantem in XI. Consulatu deplorata salute, ut credebat, postquam de Republica multa graviter disseruisset, Calphurnio Pisoni Consuli collegæ libellum dedisse, in quo scriptæ erant copię & reditus civitatis, tradito Agrippæ annulo, tanquam ipsi obsignandorum rescriptorum & libellorum curam injungeret, & Justitiæ solicitum præ cæteris judicaret, *Xiphilin. in Augusto.* adeò magnum habebatur, Regium custodire annulum! id est, post Principem in publica gubernatione prostare: quo nihil potest esse sublimius. Ideoq; Assuetus Rex inferius pro-

Assueri annulus.

 tervo

tervo Aman, ademit ipsi annulum, transferens in Mardochæum Esther conjugis suæ patruum, anteà ipsi Aman tantoperè invisum, & despicatum. *Esther. cap. 8.* De Cancellariatus autem, quo Mecœnatem functum fuisse diximus, summo honore, & dignitatis excellentia videatur Stephanus Forcatulus *lib. 7. de Gallor. Imper & Philosoph* & quæ ex Forcatulo, Budæo atque aliis non indiligenter collegit Filius *Decad. 1. Epigram. Legalium Ep. 2.*

Cancellariatus dignitas.

DE NUPTIIS TIT. LIX.

Nuptiarum augurium. Paranymphus. Cajus, Caja.

Longum nimis foret: singulas gentilium ceremonias recensere, in Nuptiis observatas. De præcipuis tamen dicam. Primùm ab avibus præter volantibus augurium quis sponsi nomine captabat, num ex re ipsius futura esset conjunctio: Isque Paranymphus *dicebatur. Atq; id ab alio quoque sponsæ nomine itidem fiebat. Vocabantur Sponsus & Sponsa,* Cajus & Caja; *à C. Cæcilia, celeberrima matrona, quæ in lana facienda & domu curanda parem habuit neminem.*

Aquæ & ignis tactio.

Moris quoque erat; ut uterque contrahentium Aquam & Ignem *tangeret: quo ipso significabatur; omnia inter ipsos ita debere esse communia, quemadmodum duobus illis elementis ad vitæ hujus sustentationem necessum haberent: Atque id veluti signum & arrha erat matrimonii contracti, quemadmodum hodiè annulus. Sponsa* Zona *cingebatur Lanea & innodata, quam præter Maritum, nemo poterat solvere. quo denotabatur, ipsos debere conjugatos perpetuo nodo esse connexos. Cùm ad Maritum deduceretur Sponsa, accensa fax præferebatur, ipsam scilicet Uxorem Mariti splendorem esse significans. Ingressuram primùm Mariti ædes sublevabant, ne limine tacto pedibus ipsa impingeret, & malum inde caperet augurium. Ungebant etiam Ianuæ cardines, ne strepitum ederent. Intrante ea Sponsi cubiculum, Nuces spargebant, hoc ipso innuentes, eos sub Iovis tutela esse, cui Nux erat consecrata. Aliunde eas spargi solitas dicunt, ut admonerentur novi conjuges, se non amplius esse pueros, quibus integrum esset, Nucibus ludere, denique hastâ discriminabant capillos Mariti, docentes hoc modo mortem ipsi subeundum potius, quàm committendum, ut Matrimonium separetur.*

Zona Linea. Fax accensa. Pedes sublati. Ianuæ cardines uncti. Nuces sparsæ. Capilli hastâ discreti.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Tres nuptiarum dies legitimi. 1. Dies Desponsalia.

DE Nuptiarum ritu & solennitatibus dicturus, Tres earum dies legitimos constituo. Primus a Græcis dicebatur ...: Scaliger pater *Desponsalia* reddidit: in eo enim despondebatur Virgo. Veteribus enim stipulari & spondere uxores futuras, moris erat. Hinc à spondendo Sponsi Sponsæque nomen: ut & Sponsalia ipsa, quæ Florentino sunt mutua repromissio (ita enim pro *mentio & promissio* doctissimus Hotomanus legit) nuptiarum futurarum. *leg. 1. & 2. ff. de Sponsalibus.* Eaque fiebant auspicatò; optimè à Turture & Cornice, si par

Sponsalia auspicatò fiebant. Turtur, Cornix.

inte-

integrè apparuisset: quia utrumque animal adeò sui conjugis sive comparis studiosum, ut eo morte affecto, superstes nullius præterea appetat conjunctionem. quin etiam dum in vivis sunt, mas nullam aliam adit, quam eam unam, qua cùm semel conjunctus fuerit: & identidem fœmina suum ipsa marem unum tantùm agnoscit. Quod quidem ex eo majorem affert admirationem, quod nullus adhuc hominum, neq; quidē ipse Paulus, ausus est legem Viduitatis præscribere: & tamē una inveniatur avicula, quæ nos spontè incontinentiæ moribus antecellat. Hinc Basilius: Audiant, inquit, Mulieres ipsæ, ut animalia rationis expertia viduitatis honestatem indecoro iterati cōnubii anteponant; si hæc avicula, recordatione consortis, conjugium alterius abnuit, suâ contenta solitudine. Sic & Tertullianus Columbam vocat avem non innocuam tantùm, verùm & pudicam, quam unam unus masculus novit. *lib. de Monogamia.* At quoniam honestæ matronæ & quibus pudicitiæ gloriæ cura erat, semel tantùm viro nubeant: ideò nuptiis quoq; in auspicium & votum singularis matrimonii pronubæ capiebantur. Univiræ: *Festus.* pronubæ adhibebantur, quæ semel nupserunt, causa auspicii ut singulare perseveret matrimonium. Quæ iterum nupsisset: pudicitiæ damnata, attingere pudicitiæ simulachrū prohibebatur. Quod pulchrè tradidit Joh. Meursius *in Mantissa ad lib. de luxu Romano c. 10.* Veterum autem fuisse consuetudinem, ut Auspices in nuptiis adhiberent, ex illo Valerii *libr. 2. cap. 1.* plusquam manifestè apparet. Apud antiquos, *ait*, non solùm publicè, sed etiam privatim nihil gerebatur, nisi auspicio prius sumpto. quo ex more nuptiis etiam nunc auspices interponuntur, &c. Ad quem morem Corn. Tacit. alludit *lib. 15. Annal.* ubi de Nerone loquens, qui Pythagoræ cuidam in in modum solemnium conjugiorum denupsisset: inditum, *ait*, Imperatori flammeū, missi auspices duo & genialis thorus & faces nuptiales. Sed & Sym̃achus *lib. 4. Ep. 14.* Cum filios nostros, *inquit*, jugali fœdere sociare vellemus, primam super hoc magnificentiam tuam meditatio nostra consuluit, ut cœpti felicis auspicium à parente publico sumeretur. In argumentum autem & pignus contractorum Sponsalium, à sponso sponsæ dabantur arrhæ, ut ex *l. si quis officium. 38. ff. de rit. nup. & l. 3. C. de sponsa.* colligitur: cujusmodi erat annulus, quem Tertull. propterea pronubū vocat *lib. de cultu fœmin.* Aurum, inquiens, nulla nôrat, præter uno digito, quem sponsus oppignorasset pronubo annulo. Inde Pontifex, sponsam per digitum fidei annulo insignitum despondere ait. Et annulum à sponso sponsæ dari Isidorus ait, relatus à Gratiano *in can. fœmina. 30. q. 5.* vel propter mutuum fidei signum; vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Etsi autem annulum istū Tertullianus etiam aureum fuisse innuit: eundem tamen ferreum, & quidem sine gemma sponsæ mitti ætate sua consuevisse, Plinius auctor est *lib. 33. cap. 1.* Gemma aberat, ut rei describeret simplicitatem. Materia ad constantiam spectabat. Forma annuli ad perpetuam vinctionē. *Scaliger.* Post auspicia ista, quæ dixi, sacra fiebant Diis Deabusq; pluribus: Sed

Iunoni ãte omnes, cui vincla jugalia curæ;

ut Virgilius canit *lib. 4. Æneid.* Hæc enim jungendis & conciliandis matrimoniis præesse censebatur. Hinc Papinius;

—dat Iuno verenda
Vincula, & insigni geminat cōcordia tæda.

Et Ovidius in Epist. Medeæ;

Conscia sit Iuno, sacris præfecta maritis;

& in Phillidis;

—thoris quæ præsidet alma maritis.

Columba. *Pronubæ univiræ.* *Auspices nuptiis adhibiti.* *Arrha.* *Annulus pronubus.* *Ferreus;* *Et absque Gemma.* *Iuno matrimonii præses.*

Unde Hypsipile, apud eundem:

Non ego sum furtim tibi cognita: pronuba Iuno.

Adfuit.

Hostiæ fel exemplum. In sacris autem istis faciendis, Hostiæ exemtum fel circa aram projici solitum: Cæteræ partes adoleri: quod expectationem faceret faturæ inter conjuges tranquillitatis. Fel enim iracundiæ & bilis putabatur sedes. Virgil. 8. *Æneid.*

Hic verò Alcidæ furiis exarserat atro
Felle dolor.

ubi tamen atrum pro subnigrescente poni Gualtherius notavit: quandoquidem atra bilis vix incendatur, sed facile sudet. *Pauperi & bono nubendum potius quàm diviti & malo.* utrum autem viro bono pauperi, an minus probato diviti elocãda sit filia, si quæsiveris, audias illud Themistoclis, etiam à Tullio celebratum. *Ego, inquid, malo virum qui pecunia egeat, quam pecuniam, quæ viro:* Cui illud Marci Imperatoris apud Herodianum non absimile factum: quod Angelus Politianus ita vertit: Filias cum adolevissent, optimis ex ordine senatorio viris nuptum collocavit; neq; enim qui longam generis seriẽ præferrẽt, ac ostentarent opes nimias: sed qui morum probitate atque modestia, vitæque innocentia præcellerent, eos sibi generos deligendos putabat. Hæc enim sola animi bona certè esse stabiliaque dicebat: uti locum istum concludit Georgius Remus *in notis ad Themist. fol. 140.*

II. Dies. Decubatio. Secundus dies dicebatur ἀπαύλια Latinè *Decubationem* non ineptè dixeris. Eo die sponsus in domum Soceri deducebatur à *Paramympho*, quasi Asseclam ejus dicas. *Paranumphus.* Hoc ita: si futura uxor Virgo esset. Sin vidua: deducebatur mulier ad sponsum à *Nyimphagogo* seu *Promnestria* *Nymphagogus. Promnestria.* quam Latini Pronubam nominant. In limine domus Ignis & Aqua ponebatur. *Ignis & aqua cur à sponsis tacta.* Utrumque sponsus & sponsa manu tangebat: ipsaq; nupta ejusdem aquæ adspersione lustrabatur. Hinc Uxor aqua & igni accepta apud Scævolam *in l. Seja. 65. §. 1. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Cujus rei ea potissima videtur ratio, quod prisci putarent. Aquam rerum omnium elementum esse, ignem verò formam. Quæ sententia & Varroni placuisse videtur, dum *l. 4. de ling. Latin.* Igitur ait, causa nascendi duplex, Aqua & Ignis, &c. ut ita rerum formas ex aqua per admixtionem Ignis produci Veteres rectè existimârint; & exinde Ignis atque Aquæ sacramento nuptiarum fœdera auspicatissimè sanciri. 1.

Sunt qui ex Aquæ atque ignis tactione Conjugii commoda significari putent, quæ ex uxoria consuetudine & unanimi concordia percipiuntur: cùm nihil ferè sit in rerum natura Igni jucundius, nihil utilius Aqua, quare Aquam Pindarus optimam, Homero etiam comprobante, nuncupavit, Ignem etiam ardorem auri pari elogio persecutus. Joh. Pierius *lib 46. Hieroglyph.* 2.

Taceo de Elementorum istorum necessitate: quandoquidem sine his vita hæc sustineri nequeat. Inde enim aquâ & igni interdictum fuisse damnatis, Festus notat, quod & Ovid. amplexus est 4. *Fastor.* 3.

An quod in his vita causa est, hæc perdidit exul?
His nova fit Conjunx; hæc duo magna putant?

Quanquam tactu illo etiam participationem & communionem bonorum & fortunarum omnium inter conjuges adumbratam fuisse, non improbabiliter quis dixerit: ut scilicet aliarum rerum omnium, non secus atq; ipsius Aquæ & Ignis usus communis ipsis esse debeat. Videtur id idem Festus quodammodo innuisse, cum ita scribit: Aquâ adspergebatur nova nupta, sive ut pura castaque ad virum veniret: sive ut Ignem & Aquam cum viro communicaret. Justinianus certè Nuptias 4.

prias definit viri & mulieris conjunctionem, individuam vitæ consuetudinem cõtinentem. *Inst. de pat potest.* Modestin. hoc amplius etiam consortium omnis vitæ & divini ac humani juris communicationẽ vocat. *l. 1. ff. de rit. nupt.* Et Gordianus Uxorem rei humanæ atq; divinæ domus sociam appellat *in l. adversus 4 C. de crim. expil. hæredit.* Et quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus sive prosperis sive adversis, Mulieris maritum vel Uxorem Mariti participem esse? ut gravis est Ulpiani sententia *in l. si eum dotem 22. §. si maritus ff. solut. matr.* Indeq; opinor est, quòd Uxori facta à conjuge donatio non valet: cum vitæ illa societas hanc Rerum mariti dominam quodammodo faciat *l. 1. ff. rerum amotar.* quod alibi diligentius sum prosequutus. Et quidem de ritu illo Ignem atq; Aquam tangendi, aliquando in amici cujusdam Nuptiis hoc lusi epigrammate, quod in ipsius gratiam adscribo:

Quærebam nova cur Nupta olim tangere flammam
Ardentẽ & liquidã jussa fuisset aquã?
Quærenti triplicem senior mihi Scævola causam
Reddidit, attollens triste supercilium.
Igneus humori mixtus calor omnia gignit,
Quæ terra, & pontus, vastus & æther habent.
Tangit Aquam, rutilos Ignes nova Nupta que tangit.
Fiat ut auspicio hoc fertile conjugium.
Ignis & ut purus censetur, puraq; Lympha:
Sic purũ ingreditur fœmina pura thorũ.
Tam, velut usus Aqua nobis communis, & Ignis,
Sic cõmune bonũ fœmina virq; tenent.
Scilicet omne bonum hoc melius, commune est quo.
Id quondam turis quod docuere Sophi:
Si tamen invitos nullos Communio cogit.

Cogimur UXORES *cur retinere* MALAS?
Sed cætera videamus, & quidem de sponsæ cultu primum Hujus comam hastâ discriminabant, quam Festus *Celibarem* vocat, quæ in corpore gladiatoris stetisset abjecti, occisique ut quemadmodum illa conjuncta fuerit cum corpore Gladiatori, sic ipsa cum viro sint: vel quia Matronæ Junonis Curitis in tutela sint, quæ it (?) appellabatur à ferenda hasta, quæ Curis dicta fuit veteribus, teste Ovidio. *1. Fastor.*

Sponsa comebatur hasta celibari.

Curis.

Sive quod hasta Curis priscis est dicta Latinis.

Atq; hunc morẽ et Arnobius perstringit *l. 2. advers. Gentes*; veteres quosdam ritus desuetudine sublatos recensens: Cum in " matrimonia, inquit, cõvenitis, toga ster- " nitis lectulos & maritorum genios advo- " catis; Nubentium crinem celibari hastâ " mulcetis. Quò & Ovid. allusit, ita canens:
Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas hastâ recurva comas.
Post virginis facies velo, quod *flammeum* dicebant, tegebatur. flammeum id *Huggitio* à flamma dicitur; vitra sive infula nuptiarum tenuis & rubra: qua utebantur nubentes ad designandam pudoris læsionem, operientis vultum cum ea. Unde & nuptæ dicta: ab obnubendo scilicet, quod velare significat, ut consentiens in unum omnium Grammaticorum fert opinio. & est text. *in can. nec illud 30. q. 5.* Id lutei erat coloris, ut ne virginis pudor proderetur; aut si quid animadverteretur in facie ruboris, is è velo color, non è genis emicare videretur. Hinc Claudianus *lib. 2.* de raptu Proserpinæ:

Velabatur flammeo.

Luteo.

—vultibus addunt
Flammea sollicitum prævelatura pudorẽ,
Et Martianus Capella *lib. 9. de nuptiis Philolog.*
Flammea virgineum qua obnubere sueta pudorem,

Regi-

sere: quoniam non aliunde Sagmina in remediis publicis fuêre, & in sacris Legationibusque verbenæ. Certè utroque nomine idem significatur, hoc est, gramen ex arce cum sua terra avulsum: ac semper & Legati cùm ad hostes, clarigatumq; mitterentur, id est, res raptas clarè repetitum, unus utique Verbenarius vocabatur. Verbenam verò idem etiam *Verbinacam* appellat *lib. 25. cap. 9.* Verbenaca, inquit, est quam Legatos ferre ad hostes indicavimus. Hac Jovis mensa verritur, domus purgantur lustranturque. Sagminum autem sive Verbenarum veterē illum usum, in feriendis præsertim fœderibus, Livius docet *lib. 1. ab Vrb. cond.* Jubesne me Rex cum patre patrato populi Albani fœdus ferire? Jubente Rege: Sagmina, inquit, te Rex posco, Rex ait: puram tollito. Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit: ita posteà Regem interrogavit: Rex, facisne me tu Regium nuncium, populique Romani Quiritium, vasa comitesque meos? Rex respondit: Quod sine fraude mea, populique Romani Quiritium fiat, facio. Et *lib. 10. ad finem secundi belli Punici* scribit: Ut privos lapides silices, privasq; verbenas secum ferrent: uti Prætor Romanus his imperaret: ut fœdus ferirent: sibi illi Prætorem sagmina poscerent. Herbæ id genus ex arce sumtum, dari Fecialibus solet, &c. Hinc sagmina illa à sanciẽdo quoque, id est confirmando, dicta putat Festus ex Nævio: Jus sacratum Jovis jurandum sagmine. Atqui ex his liquidò constare poterit, cur Legati dicti fuerint sancti; à sagminibus scilicet sine verbenis illis: quibus non herbæ tantùm puræ sive sacræ, ut modò diximus; sed & sacræ frondes, Servio auctore significantur, ut est laurus, oliva, myrtus, &c. Ejusmodi igitur frondes sive virgulas Legati ad hostes ferentes, argumento eo fidem faciebant, se Legationis jure hoc consequutos, ut sacri essent & inviolabiles. Unde sancta Legatorũ corpora Varro nominat, *lib. 3. de Lingua Latin. Et sanctum populi per secula nomen* Statius Papinius *2. Thebaid.* Quod nomen ad omnes nationes sanctum inviolatumque semper fuit ut ait Cæsar *lib. 3. de bello Gall. c. 9.* & ejusmodi esse debet, quod non modò inter sociorum jura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur. Cicero *Verrin. 3.* Cujus hæc quoq; esse potest ratio: quia legatorum & literarum missione inter hostes sublata, omne commercium humanitatis sublatum est; omnis via ad pacis conditiones concupiendas interclusa atque intercisa est. Conradus Rittershus. in doctiss. notis *ad Gualther. Liguriñ lib. 9. c. 11. num. 9* Hinc justa & acerba illa Hannonis querela *apud Livium lib 21. Legatos ab sociis & pro sociis venientes bonus Imperator vester in castra non admisit: jus gentium sustulit.* Unde & hostium jus Tacitus appellat *lib. 1. Annal.* Hostium quoque jus, *inquit*, & sacra legationis, & fas gentiũ rupistis Joh. Brantius *ad Cæsar. lib. 3. de bello Gallico c. 9.* Quòd si quis Legatos pulsasset, contra jus gentium id commisisse existimabatur. Itaque hostibus, quorum illi Legati erant, is dedebatur ex Q. Mutii sententia, quam Pomponius laudat, *in l. ultim. ff. de legation.* Qua se veritate etiam in Manlium & Minutium, pòst & Fabium atq; Semproniũ animadversum legimus. Hos enim Romani vinctos hostibus dediderunt, quòd vel minimum Legatos violassent. Qua igitur pœnâ plectendi erunt, qui Legatos non pulsàrunt tantùm; sed & nefariè ac crudeliter occiderunt? id quod à Tyriis factitatum constat, dũ Alexandri Tyrum obsidentis Legatos ad pacem ineundam ipsos adhortantes, contra jus gentium occisos ex alto præcipitarunt. Q. Curtius libr. 4. Crudelior tamen his etiam Achillas ille, qui Dioscoridem & Sera-

Verbenarum Verbenaca.

Sagminum aut Verbenarum usus.

Legati inviolabiles.

Hos violantium pœna.

Violarunt autem Tyrii.

Achillas.

Serapionem Cæsaris Legatos, cùm in cōspectum ejus venissent, priusquam eos audiret, aut cujus rei caussa missi essent, cognosceret; corripi ac interfici jussit. Cæsar *lib. 3. Belli civil.* Sed fœditate illa & perfidiâ omnes ferè superavit Helena Russiorum regina: cujus nuptias cum Rex Prutenorum peteret, ipsa Legatos viventes ac spirantes terrâ obrui jussit: ac priusquam ad hostes fama perveniret, digniores Legatos ad se mitti petiit, quod cùm obtinuisset, hostium quinquaginta principes, ac summæ inter ipsos auctoritatis ad se missos, uno cremari & eodem incendio mandavit. Pôst etiam pacta matrimonium, convivii specie, hostium quinque millia, quos inebriari curaverat, trucidari jussit: postremò seipsam aquarum voragine immersit. Joh. Bod. *lib. 5 de Rep. c. 6.* At quot civitatum eversiones in Legatos cōmissa perfidia, & jurisgentiū violatio pepererit; id verò exemplis numero quàm multis docent historiæ. Corinthum certè ideò à Romanis eversam, quod Legati Romanorum à Corinthiis durius appellati fuissent, Cicero refert *in Orat. pro L. in Manlia.* Idemq; eo nomine Romanos hortatur, ut Pompejum eligāt adversus Mithridatem, à quo Legati Romani, qui inter hostes incolumes esse debuerant, fuissent occisi. Sed & Illyricis bellum aliquando indictum legimus, propter unum ex Legatis, quem Romani ad eos miserant, occisum. L. Florus *Epit. 20.* Taceo, quod Suidas adnotavit, Lacones pestilentiâ conflictatos, quod Xerxis Persarum Regis Legatos, aquam & terram postulantes Urbe expulissent, & civium aliquem, qui Regi parêre suaserat, lapidibus obruissent. Nec verò etiam vulgaris honor iis exhibebatur, qui Legatione obita interiissent. Nā, qui ab hostibus populi Romani occisi erant Legati, iis statuæ in publico erigebantur, ut per interitum in honorem æternum venirent. Sic enim quatuor illorum Legatorum, quos Laërtes Tolumnius Rex Vejentum interemerat, statuas in Rostris longo pôst tempore stetisse, Cicero testatur *in Philip. 9.* non secus ac si in acie mortui fuissent, aut pro Republica cecidissent: qui in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. *§. Filii autem. Inst. de excusat. tutor.* ut adeò verum sit, quod Horatius cecinit,

Helena Russiorum regina.

Rursum de eadem.

Legatis violatis statuæ erectæ.

Pro patria mori.

Dulce & decorum est pro patria mori:

quippe quæ rebus omnibus, imò etiam charitate liberorum parentibus Romanis antiquior fuisse dicatur *in l. postliminiū. 19 §. filius. ff. de captiv. & postl. revers.* cùm ex Platonis sententia non nobis solùm nati simus, sed ortus nostri partem patria vendicet, partem amici. Nec verò absque summa ratione: cùm certum sit, quòd eversa domo, Reip. status manere sæpè soleat; at verò Urbis ruina penates omnes secum trahat. Quam in rem exstat elegans Epigramma Johan. Girardi J.Cti & poëtæ festivissimi:

Non solùm nob. natos nos, dicimus omnes,
Patria præcipuū vendicat ista locum.
Pro patria facio, quod me fecisse necesse est:
Pro patria vivo? pro patria morior.
Quid dixi morior? Mors hæc clarissima vita est,
Æ more æternùm vivere Musa facit.

Legatorum officium.

Sed admonendos tamen Legatos Bodinus censet, ne securitate publica Legationis specie abutantur: neve principum ac populorum majestatem, verborum arrogantiâ violare sibi fas esse putent. Nec enim omnibus fortassis integrum aut impune erit, eam audaciam dicam an temeritatem usurpare, qua Pompilium Romanorum legatum usum fuisse Livius scribit. Is enim ad Antiochum magnum Asiæ Regem, ut Ptolomæum armis lacessere desineret, missus, cum ei populi Romani mandata explicasset; virga locum, in quo

Rex stabat, circũscripsit, ab eoq; responsum, priusquàm pedem inde moveret; exigere non dubitavit. Et priùs, inquit, quã hoc circulo excedas, da responsum, Senatui quod referã. Hic Livius; *Obstupefact⁹ est Rex tã violento imperio.* Nec tamẽ Pop. Ro. cujus anteà potestatem fuerat expertus, offendere videretur; cùm hæsitasset parumper, Faciam, inquit, quod censet Senatus. Liv. *Deca. 5 lib. 5* & Val. Max. *l. 6. c. 4* Nec immeritò videtur Philippus Macedonum Rex, Romanorum legatum liberiùs quàm debebat, se alloquentem increpuisse. Cùm enim Legatus Philippum interrogâsset, Num Abydeni (inquiens) tibi intulerunt arma? insueto vera audire ferocior oratio visa, quàm quæ habenda esset apud Regem. Hic Philippus: Ætas, inquit, & forma, & Romanum nomen te ferociorem facit. Et quidẽ temeritatis ac petulantiæ punitæ exemplũ nobis illustre præbent Legati Persici, ad Amyntam Regem Macedonicum à Dario Aquam & terram petitum missi. Nam cũ Amyntas Persicã potentiam metuens, placidè respondisset, & Persas in cõvivium vocâsset; tum Barbari superbè petierunt, etiam nobiles mulieres adduci; & inter convivas collocari: Iidemque ebrii jam, & basia dabant honestis mulieribus, & attrectabãt sinus Hæc cùm non injuriâ ægrè ferrent pater Amyntas, & filius Alexander, filius patrẽ hortatur, ut ex convivio discedat dormiturus. Qui cùm abiisset, simulabat hilaritatem Alexander, ac aliquanto pòst hortatur, cõcedant Mulieribus, ut aliquantisper surgant Mox enim redituras ait. Mulieribus itaque dimissis, jubet adolescentes nobiles totidẽ induere earum vestes, & gladios sumere abditos sub vestibus; & cũm Persæ eos attrectarent, ipsos contodere. Atque ita lasciviæ & petulantiæ pœnas Legati justas dederunt. Philipp. Melanthon *lib. 2. Chronicor. sub Dario*, quib. adde, quæ in hanc rem doctè & sapienter scripsit Joh. Bodinus *lib. 5. de Repub. c. 6.*

Legatorum temeritas & lascivia punita.

Monet etiam Claudius Coteræus in Legationibus illud inprimis animadvertendum esse, ut eos maximè mittamus, qui vel astu, vel multarum rerum cognitione, hostium integumenta & callida consilia possint evolvere. *libr. 2. de Iure Militum. c. 23.* Quibus non dissimilia scribit Nicephorus Gregoras *lib. 4. Histor. Rom.* sub Patriarcha Johanne Sozopolitano: ubi Eos, qui Legati ad exteras nationes proficiscuntur, non tantùm oportere ait rerum usum habere; seu & prudẽtiæ doctrinæq; copiâ, tam divinarum quàm humanarum rerum, Græcarumq; literarum cognitiõe excellere: ut linguis ab omni parte instructi, in quovis disputationum genere palmam obtineant. Sed & Legatorum quoq; dignitas quàm maximè erit inspicienda. Hannibal enim Romanos pace respuere dixit, quòd parum dignitatis in Legatiõe eorũ conspiceret, eaq; de caussa ipse pacẽ curiosius appetebat, ut est apud Liv. *lib. 10. secundi belli Punici*, quin imò Lucas de Penna *in rub. C. de legat. lib. 10.* viginti requisita sive virtutes recenset, quibus præditum vult esse Legatum 1. ut gratus & acceptus sit ei, ad quẽ mittitur. 2. ut fidelis vel integræ fidei. 3. ut Orator & prudens. 4. ut justus. 5. ut verax. 6. ut discretus & doctus. 7. ut sobrius. 8. ut ætate provectus. 9. ut fortis & laborum tolerans. 10. ut eloquens & facundus. 11. ut nobilis, vel amplis usus honoribus. 12 ut non indignus eo, ad quem ablegatur. 13. ut in verbis & actionibus circumspectus. 14. ut solicitus & solers. 15. corpore benè compositus. 16. moderatus. 17. plurium linguarum gnarus. 18. moribus gravis 19. benignus & jucundus. 20 L. denique auri non cupidus. Quæ singula diligenter examinavit Lucas de Penna: quem qui volet, consulere poterit.

Legatio quales mitti debeant.

Via-

Viaticum Legativum.

r. *Viaticum, hoc est, viæ sumptus*) Viaticum id è publico ærario Legatis erogari solebat. Unde & Legativum id dicebatur. *l. ult §. legati. 12. ff. de mun. & hon.* & iis præsertim adnumerabatur, qui gratuitam susceperant legationem *l. 2. in fin ff. de legat.* cujus quidem contemplatione prohibitum non erat, eundem plures simul legationes suscipere & obire, si scilicet viatici sive sumptuũ ratio & itineris compẽdiũ hoc fieri suasisset, hoc est, ut Budæus interpretatur, si minore dispendio plures simul obiri legationes, quàm separatim & sigillatim possent. *l. eundem. 16. ff. d. t.* Viatici verò privilegium est, ut si quis in munere legationis, antequam ad patriam revertatur, decesserit, sumptus qui proficiscenti sunt dati, non restituantur, sed ad Legati hæredes transeant, *l. Legatus. 10 in fi ff. eo t.*

Verum Legatus sibi donata, Domino teneatur restituere.

Quid autem si quid Legatis dono à Principibus, ad quod mittuntur, datum fuerit; num proprium hoc ipsorum erit, an verò Dominis id cogentur restituere? Et quanquam Legati in Legationis actu non privatas suas personas, sed Dominũ à quo mittuntur, repræsentare videntur: unde & his non secus atq; Domino mittenti honor exhiberi solet, non tã legatorum, quàm mittentium ratione habita. *arg. c. postulastis. Ex. de concess. præb* atque ita donatio illa Legationis contemplatione intervenisse putanda est, & exinde Domino restituenda *arg. l. evicta. ff. de petit. hæred. & l. si forte. ff. de castr pecul.* Putavit tamen Bartolus *in l. si vero §. itẽ quicquid ff. sol. matr.* id quod Legatus etiam Legationis contemplatione dono cepit, restituere non teneri. Idq; satis probari ait *per text. in l. socium. 60. in fin ff. pro socio*, ubi etsi quid donatur socio societatis occasione: quia tamen personæ, & non societati facta fuit illa natio; responsum est, id quod donatum fuit, soli donatario cedere, non verò etiam societati: sicuti econtra si socius ejusdem societatis contemplatione damnum fecisset, sibi id soli non verò & societati posset imputare. Ergò nec compendiũ (ait Pomponius) quod propter societatem ei contigit, in mediũ venire debet: veluti si propter societatem hæres fuerit institutus aut quid ei donatum sit *d. l. Socium 60. in fin.* Quæ sentẽtia & eo juvatur, quòd Legationis munus personale cùm sit, ab invito etiam quandoq; suscipiatur. *l. ult. §. Legati de muner. rib. & honor*, atq; exploratum sit, Legatos interdum sæva incurrere pericula, & vitæ quodammodo renunciare. *l. Principes. C. de Princip. agent in rebus lib. 12.* quod vel tum quoq; fieri intelligitur, cùm vel navigãdum illis est, vel per insidiosa loca eundum, aut etiam ætate fessi sunt. Hæc enim omnia instans periculum demonstrant. *l. 3. 4. 5. 6. de mort. causs. donat l. si non fuerint. 29. §. ita coiri. ff pro socio.* Ideoq; remuneranda hæc eorũ pericula, quinimò & præmiis exhortanda meritò placuit *l. semper. 5. §. Negotiatores. ff. de jure immũ.* tantum abest, ut donis illis Legati sint defraudandi; ut potiùs, cũ ex una parte gravẽtur inviti, ex altera in hoc revelãdos eos putem, ut quod donatũ habent restituere non cogantur. *arg. l. eum qui 30. in pr. ff de jure jurando.* Luc. de Penna *in l. 1. C. de castrensi peculio mil. lib. 12.* Sed in hac tamẽ re ipsius Donatis mens erit inspicienda, utrum donatam rem ipsis Legatis, an verò Domino mittenti præcipuã esse voluerit. Id verò ex qualitate rei donatæ facilè dijudicari posse Panormitan. censuit *in c postulastis Ex. de concess. præb.* & Petr. Costalius probat *in l. qui proprio. 46. §. procurator. ff. de procur* quib. addendum est, quod multis in hanc rẽ congestis, scriptũ reliquit Jac. Menoch. *de præsumpt. lib. 3. præs. 27.* & Joseph. Mascard. de probation. *Conclus. 564. donatio alicujus rei nu. 8.* Sanè historiarum monumentis laudabiliter prædica-

prædicantur Q. Fabius Gurges, C.N. Fabii Pictores. Q. Ogulnius: qui legati ad Ptolomæum regem missi, munera quæ ab eo privatim acceperant, in ærarium, & quidem prius, quàm ad Senatum Legationem referrēt, detulerunt: De publico scilicet ministerio, nihil cuiquam præter laudē benè administrati officii, accedere debere judicantes. Nam, ut Cicero dicebat, nihil præter laudem bonis innocentibus, neq; ab hostibus, neq; à sociis reportandū. *lib. 3 de legib.* Et talia quidem exempla virorum illustriū, quæ memoratu & scriptura digna existimata fuerunt, sunt etiā imitatione dignissima. Quia demum ii penates, ea civitas, id regnum æterno in gradu facilè steterit, ubi minimum virium Veneris pecuniæq; cupido sibi vendicaverit. Nam quò istæ generis humani certissimæ pestes penetraverint, ibi injuria dominatur, infamia flagrat. Sed tamē data sunt Legatis (ait Valerius) quæ in ærarium reposuerant, nō solùm Patrum conscriptorum decreto; sed etiam populi permissu: eaq; Legatis. Quæstores promptè unicuiq; distribuerunt. Ita in iisdem Ptolomæi liberalitas, Legatorum abstinētia, Senatus ac populi Romani æquitas debitam probabilis facti portionem obtinuit, ut graviter scribit Valerius Maximus, *lib. 4. c. 3. in pr. & nu. 9* De legatis porrò plura videri poterunt apud Petrum Aerodium *lib. 10. Rerū ab omni antiquit. judicat. tit. 15* Inprimis verò elegantem illum *Alberti Scipionis de legationibus*. Commentariū: quem magno illi Britanniarum Oratori *Philippo Sydnæo* nuncupavit: utpote in quo uno vivam perfecti legati imaginem & excellentem formam inveniri & ostendi posse confidit. Atque hunc omnia sic habere censuit, quæ ad summum Oratorē constituendum requiruntur, ut cumulatiora etiam habeat & ampliora.

Philippus Sydnæus.

Annulorum origo.

2. *Aureum annulum*) Annuli originem quidam ad Promethea referunt quem Saturni lege perpetuis vinculis ab Jove damnatum, quòd Parcarum sortem de Thetidis filio, qui patre major & clarior futurus esset, patefecisset, atque ita Jovem ab ejus congressu deterruisset, ne se præstantior filius nasceretur, ea mox conditione liberatum ferunt, ut inde annulum lapide & ferro compactum gestaret, ne omninò exsolutus pœna videretur: inque annulorum usum propagatum. Sed hoc fabulosum videtur Plinio, qui *lib. 33. cap. 1.* Pessimum (inquit) vitæ genus fecit, qui annulum primus induit digitis. Nec hoc quis fecerit, traditur. Nam de Prometheo omnia fabulosa se arbitror, quanquam illi quoque ferreum annulum dederit antiquitas; vinculumq; id, non gestamen intelligi voluerit. Rectè ait *vinculum*: quandoquidem tota Annuli originatio ab An particula, quæ Circum significat, desumatur: atque ideò Annulus vinculum denotet, aut compedum manicarumve oppressionem. Quo pertinet Pythagoræ symbolum illud, quo nos arctum annulū gestare vetat. Eo ipso enim, ex D. Hieronymi interpretatione, non esse anxiè vivendum admonet: quippe cavendum, ne nos in eam servitutem conjiciamus, quæ dura sit & incommoda. Joan. Pierius *lib. 36. Hieroglyph.* Sed quæcunq; sanè annuli origo sit constat utiq; veteres eo ferreo fuisse usos. Longo sanè tempore, ait Plinius, ne Senatum quidem Romanum habuisse aureos, manifestum est Docet id Juvenalis illis versibus.

Annulus cur vinculum.

Arctum annulum ne gerito.

Annulus primum ferreus.

—ille fruatur
Vocibus obscænis omniq; libidinis arte.
Qui Lacedæmonium pitismate lubricat orbem.

hoc est, qui lubricat annulum sputo. Per hunc enim ditiorem quendam intelligit,

Per cujus digitos currit levis annulus.

ut Martialis ait. Est scilicet ditior minos, dum

dum otiosi sedent, annulos volvere, eosq; sæpè extrahere & reponere; digitosque ut id factu sit facilius, sputo irrorare. Pytisma autem, ut & pitysma sputum significare, à πτύζειν, quod spuere est, sic dictum, Perottus docet. Lacedæmonium verò orbem cum dicit, ferreum significat annulum: siquidem suo etiam tempore Lacedæmonios ferreo tantum usos fuisse idem Plinius testatur; Quæ quidem interpretatio quanquam non improbanda videbatur doctissimo Christiano Becmanno, viro ob singularem eruditionem mihi lögè charissimo: idem tamē me monuit, ut miram hic lectionem varietatē; ita varias interpretum expositiones itidem reperiri: alii enim, dicebat, & multi quidem legunt pitysmate: alii pedemate; alii pede nudo: alii pitylisimate; alii popysmate; alii pptysmate; alii pygismate alii petteumate: oēs verò suæ sententiæ sive etiam conjecturæ rationes afferunt non negligendas. Videtur, *ait tandem* poeta non abs re saltationem Lacedæmoniorum spectare.

Pytisma.

—pytismate lubricat orbem.

hoc est, ejus triclinii aut stibadii pavimētum preciosis Tænarii Marmoris orbibus refulget: superiori verò interpretationi de annulo ferreo, illud etiam addit Plin. Romæ non fuisse aurum, nisi admodum exiguum, longo tempore: siquidem iis tantum, qui legati ad exteras gentes ituri essent, Annuli publicè dabantur: credo, quoniam ita exterorum honoratissimi intelligebantur. Neque aliis uti mos fuit, quàm qui ex ea causa publicè accepissent: vulgoque sic triumphabant, quanquam hi quoque, qui ob Legationem acceperant aureos, in publico tantùm utebantur eis: intra domos verò ferreis. Mos adeò promiscuum id esse cœpit, ut cum servitiis quoque communicaretur. Constat enim servos non ferreo tantùm, sed & aureo, cui ferreum inesset capitulum, fuisse usos. Idque Annulorum genus Samothracium nuncupant. Sic n. Lucret. *lib. 6.* de Magnete ferrum alliciente disserens ait,

Annulus Legatorum aureus.

Exultare etiam Samothracia ferrea vidi.

Samothracia dicebantur à loco. In Samothrace enim id genus inventum, quo ferrum cingebatur auro, ut ferrum loco gemmæ esset. Sed nec auro cingebatur tantùm, verum etiam totum è mero fabricabatur auro. Plinius hoc docet *d. lib. 33. c. 1* his verbis: Necnon & servitia jam ferrum auro cingunt: alia per sese mero auro decorant: cujus licentiæ origo nomine ipso in Samothrace id institutum esse declarat. E mero autem ferro Samothracia quoq; fuisse, ex allegato Lucretii versu satis probat Adrianus Turnebus *lib. 20. Advers. c. 20.* Sed ferreum tamen annulum deponebant servi, aureo assumto, cum ingenuitatis jura consequebantur, quod fiebat; cùm servitute liberati, jus aureorum annulorum ab Imperatore impetrassent. Tunc enim & pro Ingenuis, salvo tamen patronatus jure habebantur, & Equestrem dignitatem, vel beneficium equestri dignitate compar censebantur adepti. Nam cum hos gestare nulli, quàm equestris ordinis hominib. fas olim esset; quippe qui iis pro insigni, quo à plebe distinguerentur, utebantur, ut ex Plinio docet Gulielmus Budæus *ad L. ult. ff. de Senator.* meritò concessa aureorum annulorum usurpatione, ipsam quoque ordinis dignitatem Princeps concessisse videbatur, facit text. *l. falsa demonstratione. 33. § sed si cui. ff de condit. & demonstr* ubi si quis annulos ab Imperatore acceperit, honorem ejus augeri JC. respondit Libertinis igitur dato jure annulorum aureorum, Equestris dignitas collata censetur. quæ res efficit, ut in multis juris partibus donati annulis Libertini pro ingenuis habeantur. Tacitus certè; Equestri dignitate donare, & annulis honorare

Samothracium annulus.

Aurei annuli concessio Libertini Ingenuitatem conferebat.

Vel equestrem dignitatem.

promiscuè usurpat *lib. 18. Annal.* Postulāte exercitu, inquit, ut libertū suum Asiaticum equestri dignitate donaret; honoravit annulis. Et Lamprid. scribit, Alexandrum Severum Libertinos nunquam in equestrem locum redegisse, id est, nunquam honorasse annulis aureis: ne equestris ordo libertinis commacularetur, ut est apud Suetonium. Idq; Cujacius pluribus exsequitur *lib. 7. observ. c. 14. & ad tit. ff. de iure aureor. annul.* Cæterū de ferrei istius annuli depositione attestatur Papinius *lib. 3.*

Atq; idem, in cuneos populos cum duxit equestres,
Mutavitq; genus, lævaq; ignobile ferrum
Exsuit.

Annulus gestabatur in sinistra manu. Rectè ait, Lævæ exsuit. Etsi enim annulus olim gestabatur, ut quisque vellet, quacunque manu, quolibet digito: postea tamen, cum usus luxuriantis ætatis signaturas pretiosis gemmis, quæ aureis inferebantur annulis, cœpit insculpere; & certatim hæc omnes imitatio lacessivit, ut de augmento precii, quo sculpendos lapides parassent, gloriarentur: factum inde est, ut usus annulorum exemptus dexteræ, quæ multum negociorum gerit, in lævam relegaretur, quæ otiosior est: ne crebro motu & officio manus dexteræ, pretiosi lapides frangerentur. Macrob. *l. 7. Saturnal. c. 13.* *& digito qui minimo proximus.* Eandemque ob causam digitum quoq; sinistræ manus, qui minimo sit proximus, tam veteres Græcos, quam etiam Romanos elegisse, atque ei annuli gestādi munus (unde & *Annularis* fuit nuncupatus) demandasse ferunt, ne aurum tam facilè obtereretur. Ignavissimum enim esse eum inter omnes digitos; & sine aliorum comitatu exporrigi nō posse certum est. Quo fit, ut cum attritui minùs sit obnoxius, ad auri & gemmarum incolumitatem aptior videatur. Joh. Pier. *lib. 41. Hieroglyph.* Alii hujus rei hanc causam dicūt, quod in sectis apertisq; humanis corporibus ut mos in Ægypto fuit, quas Græci *ἀνατομὰς* appellant, repertum est, Nervum quendam tenuissimum ab eo uno digito, de quo diximus, ad cor hominis pergere ac pervenire: Propterea non inscitum visum esse, cum potissimum digitum tali honore decorandum, qui continens & quasi connexus esse cum principatu cordis videretur. Gell. *lib. 10. Noct. Att. c. 10.* Macrobius *d. c. 13.* Alciat. *lib. 8. Parerg. c. 10.* *Annulo tantum unico uti licebat.* Porrò non plus quam unicum tantùm annulum habere olim licebat: quamvis laudatissimum illum morem, succrescente postmodum luxu & divitiarum ostentatione, delitiosi populi labes violarit. Scimus enim invidiosum Sergio cuidam, nobili alioqui viro *Orata* cognomen inditum, quod duob. annulis aureis & grandibus uteretur. *Orata.* Vulgus enim aurum pronuntiabat orum, ut Pierius notavit. Sed & observavit Turnebus, eò veterum excrevisse luxuriam & mollitiem, ut annulos habuerint duorum generum; æstivos & hyberos: & hybernos quidem majoris ponderis; levioris autem, æstivos. *Annuli æstivi & hyberni.* Hinc Juvenalis, *Satyr. 1.*

Ventilet æstivum digitis sudantibus aurū:
Nec sufferre queat majoris pōdera formæ.

Et *Satyr. 7.* Annulos ejusmodi æstivos, atque hybernos, quos Paris histrio vatibus largiebatur, Semestres vocati:

Semestri vatum digitos circumligat auro.

Turnebus *lib. 2. Adversar. cap. 2.* At verò *Annulus olim signandi causa habebatur.* primitus neque in delitiis, neque ornatus causa; sed tantùm in obsignandi usum Annulus habebatur. Unde & *Signatorius* fuit appellatus: quem Paulus negat inter ornamenta contineri. *l. Signatorius 74 ff. de verb. signific.* & Ulpianus *in l. argumēto. 25 §. ornamēta ibi, præter signatorios ff. de auro & arg. legat.* Mos erat olim, ut res quæq; ēt minutissimæ annulo signarētur. Unde annulorum usus frequentissimus apud veteres, qui eo res obsignare solebant:

bant, ne furto interciperentur, Alciat. *lib.* 8 *parerg c. 21. in f.* idq; testatus est expressè Plin. *lib.* 33. *c* 1. his verb. Quæ fuit illa priscorum vita, qualis innocentia, in qua nihil signabatur? at nūc cibi quoq; & potus vindicantur annulo à rapinis. Eoque non dubium est, quin Valer. respexerit *lib* 7. *c.* 9. de M. Popilio ita scribens: Vnum et de multis qui assidebant, ultimo complexu & osculo dignum judicavit; videlicet ne quid ex hæreditate, quam non erat aditurus, amitteret, quo sensu & illud accipio, quod de clavibus & annulis majori natu filiæ traditis Papinianus scribit *in l. cum pater. 77 §. pater plurib. ff de legat. 2.*

Signa reb. alienis non imponenda.

Cur autem passi non sint Imperatores, rebus alienis signa imponi *l. 1. C. ut nemini lic. sine jud. auctoris sign. reb. impon. alien.* Hæc ratio proferri potest, quod signa rebus duntaxat propriis potuerint imponi quarū numero non posse res litigiosas comprehendi tam palam est, ut hujus rei causa nullius ICti scholam intrandam censeat Jacob. Ræuard. *lib. 5. variar. cap. 16.* Cæteroquin constat, Romanos solitos fuisse notas ac symbola quædam imprimere annulis, quæquidem Ulpianus *χαρακτῆρας*, hoc est, formam insculptamque signi imaginem vocat *in l. ad testium. 22. §. signum. ff. qui testam. fac. posse* Justinianus

Signa annulis impressa.

sculptura, *Instit. de testam. ordinandis.* Sic Plinius scribit, se usum fuisse quadriga in annulo *lib. 10. Ep. 78.* memoriæque prodidit Capitolinus *in Clodio Albino*, Commodum signasse literas suas signo Amazonio. Et refert Valer. Max. propinquos è manu ignobilis Scip. Africani filii annulū detraxisse, in quo caput Africanū sculptū erat; Ipseq; Plutar. *in Polit.* auctor est, Syllam cum devicisset Jugurtham, ejus imaginem in annulo, quem gestabat, insculpsisse.

Annulus Augusti.

Legimus Augustum Sphyngis notam inter initia Imperii aūulo signatorio impressam habuisse, donec lepore non infaceto eorum, qui quæ Rescripta & Edicta acciperent. Ænigmata vocabant, eò perductus est, ut Alexandri M. imagine signaret, & consultò opinor, non temerè. Scribit enim Trebellius Pollio, Macrinorum familiam id speciale habuisse, ut Alexandri Magni imaginem Viri in ære &

Alex. M. imago.

argento: mulieres in annulis, & omni ornamentorum genere exsculptam haberent: qui dicerentur juvari in omni actu suo, qui Alexand expressum in ære gestarent vel argento. Francisc. Juretus *in Notis ad Symmachum lib. 2. cap. 12.* Conradus Rittershusius *ad Plin. lib. 10. Ep. 75.* quib. adde Joh. Kirchman. de annulis ex professò tractantem, & multa notatu dignissima ex antiquitate eruentem. Mecœnas Ranā

Mecœnatis.

sculptam sibi habuit: at in publicis annulo regio haud dubiè utebatur. Creditur n.

Mecœnas Augusti Cancellar.

Augusti fuisse Cācellarius ut ejus familiaris Horat. innuit, à frequente amico rogatus, ut apud Mecœnatem suffr. ageretur: *Imprimat his, cura Mecœnas signa tabellis Dixeris Experiar: si vis potes.*

Dio Cassius addit, Augustum promiscuē sigillum præcipuum credidisse Mecœnati & Aggrippæ; & tantum tribuisse ambobus, ut literas ad Senatum scriptas vel aliò, impunè relegerent & immutarent. *libr. 51.* Planè Mecœnate mortuo constat Augustum ægrotantem in XI. Consulatu deplorata salute, ut credebat, postquam de Republica multa graviter disseruisset, Calphurnio Pisoni Consuli collegæ libellum dedisse, in quo scriptæ erant copię & reditus civitatis, tradito Agrippæ annulo, tanquam ipsi obsignandorum rescriptorum & libellorum curam injungeret, & Justitiæ solicitum præ cæteris judicaret, *Xiphilin. in Augusto.* adeò magnum habebatur, Regium custodire annulum! id est, post Principem in publica gubernatione prostare: quo nihil potest esse sub-

Assueri annulus.

limius. Ideoq; Assuetus Rex inferius pro-

tervo

tervo Aman, ademit ipsi annulum, transferens in Mardochæum Esther conjugis suæ patruum, anteà ipsi Aman tantoperè invisum, & despicatum. *Esther. cap. 8.* De Cancellariatus autem, quo Mecœnatem functum fuisse diximus, summo honore, & dignitatis excellentia videatur Stephanus Forcatulus *lib. 7. de Gallor. Imper & Philosoph* & quæ ex Forcatulo, Budæo atque aliis non indiligenter collegit Filius *Decad. 1. Epigram. Legalium Ep. 2.*

Cancellariatus dignitas.

DE NUPTIIS TIT. LIX.

Nuptiarum augurium. Paranymphus. Cajus, Caja.

Longum nimis foret: singulas gentilium ceremonias recensere, in Nuptiis observatas. De præcipuis tamen dicam. Primùm ab avibus præter volantibus augurium quis sponsi nomine captabat, num ex re ipsius futura esset coniunctio: Isque Paranymphus *dicebatur. Atq; id ab alio quoque sponsæ nomine itidem fiebat. Vocabantur Sponsus & Sponsa,* Cajus & Caja; *à C. Cæcilia celeberrima matrona, quæ in lana facienda & domu curanda parem habuit neminem.*

Aqua & ignis tactio.

Moris quoque erat; ut uterque contrahentium Aquam & Ignem *tangeret; quo ipso significabatur; omnia inter ipsos ita debere esse communia, quemadmodum duobus illis elementis ad vitæ hujus sustentationem necessum haberent. Atque id veluti signum & arrha erat matrimonii contracti, quemadmodum hodiè annulus. Sponsa* Zona *cingebatur Lanea & innodata, quam præter Maritum, nemo poterat solvere. quo denotabatur, ipsos debere coniugatos perpetuo nodo esse connexos. Cùm ad Maritum duceretur Sponsa, accensa fax præferebatur, ipsam scilicet Vxorem Mariti splendorem esse significans. Ingressuram primùm Mariti ædes sublevabant, ne limine tacto pedibus ipsa impingeret, & malum inde caperet augurium. Vngebant etiam ianuæ cardines, ne strepitum ederent. Intrante ea Sponsi cubiculum, Nuces spargebant, hoc ipso innuentes, eos sub Iovis tutela esse, cui Nux erat consecrata. Alii ideo eas spargi solitas dicunt, ut admonerentur novi coniuges, se non amplius esse pueros, quibus integrum esset, Nucibus ludere, denique hastâ discriminabant capillos Mariti, docentes hoc modo mortem ipsi subeundum potius, quàm committendum, ut Matrimonium separetur.*

Zona Lanea. Fax accensa. Pedes sublati. Ianuæ cardines uncti. Nuces sparsæ. Capilli hastâ discreti.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Tres nuptiarum dies legitimi. 1. Dies Desponsalia.

DE Nuptiarum ritu & solennitatibus dicturus, Tres earum dies legitimos constituere. Primus a Græcis dicebatur [illegible]: Scaliger pater *Desponsalia* reddidit: In eo enim despondebatur Virgo. Veteribus enim stipulari & spondere uxores futuras, moris erat. Hinc à spondendo Sponsi Sponsæque nomen: ut & Sponsalia ipsa, quæ Florentino sunt mutua repromissio (ita enim pro *mentio & promissio* doctissimus Hotomanus legit) nuptiarum futurarum. *leg. 1. & 2. ff. de Sponsalibus.* Eaque fiebant auspicatò; optimè à Turture & Cornice, si par inte-

Sponsalia auspicatò fiebant. Turtur, Cornix.

integrè apparuisset: quia utrumque animal adeò sui conjugis sive comparis studiosum, ut eo morte affecto, superstes nullius prætereà appetat conjunctionem. quin etiam dum in vivis sunt, mas nullam aliam adit, quam eam unam, qua cùm semel conjunctus fuerit: & identidem fœmina suum ipsa marem unum tantùm agnoscit. Quod quidem ex eo majorem affert admirationem, quod nullus adhuc hominum, neq; quidē ipse Paulus, ausus est legem Viduitatis præscribere: & tamē una inveniatur avicula; quæ nos spontè incontinentiæ moribus antecellat. Hinc Basilius: Audiant, inquit, Mulieres ipsæ, ut animalia rationis expertia viduitatis honestatem indecoro iterati cōnubii anteponant; si hæc avicula, recordatione consortis, conjugium alterius abnuit, suâ contenta solitudine. Sic & Tertullianus Columbam vocat avem non innocuam tantùm, verùm & pudicam, quam unam unus masculus novit. *lib. de Monogamia.* At quoniam honestæ matronæ & quibus pudicitiæ gloriæ cura erat, semel tantùm viro nubeant: ideò nuptiis quoq; in auspicium & votum singularis matrimonii pronubæ capiebantur. Univiræ: *Festus.* pronubæ adhibebantur, quæ semel nupserunt; causa auspicii ut singulare perseveret matrimonium. Quæ iterum nupsisset: pudicitiæ damnata, attingere pudicitiæ simulachrū prohibebatur. Quod pulchrè tradidit Joh. Meursius *in Mantissa ad lib de luxu Romano c. 10.* Veterum autem fuisse consuetudinem, ut Auspices in nuptiis adhiberent, ex illo Valerii *libr. 2. cap. 1.* plusquam manifestè apparet. Apud antiquos, *ait*, non solùm publicè, sed etiam privatim nihil gerebatur, nisi auspicio prius sumpto. quo ex more nuptiis etiam nunc auspices interponuntur, &c. Ad quem morem Corn Tacit. alludit *lib. 15. Annal.* ubi de Nerone loquens, qui Pythagoræ cuidam in in modum solemnium conjugiorum denupsisset: inditum, *ait*, Imperatori flammeū, missi auspices duo & genialis thorus & faces nuptiales. Sed & Symachus *lib. 4. Ep. 14.* Cum filios nostros, *inquit*, jugali fœdere sociare vellemus, primam super hoc magnificentiam tuam meditatio nostra consuluit, ut cæpti felicis auspicium à parente publico sumeretur. In argumentum autem & pignus contractorum Sponsalium, à sponso sponsæ dabantur arrhæ, ut ex *l si quis officium. 38. ff. de rit. nup. & l. 3. C. de sponsa.* colligitur: cujusmodi erat annulus, quem Tertull. propterea pronubū vocat *lib. de cultu fœmin.* Aurum, inquiens, nulla nōrat, præter uno digito, quem sponsus oppignorasset pronubo annulo. Inde Pontifex, sponsam per digitum fidei annulo insignitum desponderi ait. Et annulum à sponso sponsæ dari Isidorus ait, relatus à Gratiano *in can. fœmina. 30. q. 5.* vel propter mutuum fidei signum; vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Etsi autem annulum istū Tertullianus etiam aureum fuisse innuit: eundem tamen ferreum, & quidem sine gemma sponsæ mitti ætate sua consuevisse, Plinius auctor est *lib. 33. cap. 1.* Gemma aberat, ut rei describeret simplicitatem. Materia ad constantiam spectabat. Forma annuli ad perpetuam vinctionē. *Scaliger.* Post auspicia ista, quæ dixi, sacra fiebant Diis Deabusq; pluribus: Sed

Iunoni āte omnes, cui vincla jugalia curæ:

ut Virgilius canit *lib. 4. Æneid.* Hæc enim jungendis & conciliandis matrimoniis præesse censebatur. Hinc Papinius:

—dat Iuno verenda
Vincula, & insigni geminat cōcordia tæda.

Et Ovidius in Epist. Medeæ;

Conscia sit Iuno, sacris præfecta maritis.

& in Phillidis:

—thoris quæ præsidet alma maritis.

Columba.

Pronubæ univiræ.

Auspices nuptiis adhibiti.

Arrhæ.

Annulus pronubus.

Ferreus; Et absque Gemma.

Iuno matrimonii præses.

Unde Hypsipile, apud eundem:

Non ego sum furtim tibi cognita: pronuba Juno.
Adfuit.

Hostiae fel exemplum. In sacris autem istis faciendis, Hostiae exemtum fel circa aram projici solitum: Ceterae partes adoleri: quod expectationem faceret futurae inter conjuges tranquillitatis: Fel enim iracundiae & bilis putabatur sedes. Virgil. 8. *Æneid.*

Hic verò Alcidae furiis exarserat atro
Felle dolor.

ubi tamen atrum pro subnigrescente poni Gualtherius notavit: quandoquidem atrabilis vix incendatur, sed facile sudet. *Pauperi & bono nubendum potius quàm diviti & malo.* utrum autem viro bono pauperi, an minus probato diviti elocāda sit filia, si quaesiveris, audias illud Themistoclis, etiam à Tullio celebratum. *Ego, inquid, malo virum qui pecunia egeat, quam pecuniam, quae viro:* Cui illud Marci Imperatoris apud Herodianum non absimile factum: quod Angelus Politianus ita vertit: Filias cum adolevissent, optimis ex ordine senatorio viris nuptum collocavit; neq; enim qui longam generis seriē praeferrēt, ac ostentarent opes nimias: sed qui morum probitate atque modestia, vitaeque innocentia praecellerent, eos sibi generos deligendos putabat. Haec enim sola animi bona certè esse stabiliaque dicebat: uti locum istum concludit Georgius Remus *in notis ad Themist. fol. 140.*

II. Dies. Decubatio. Secundus dies dicebatur ἀπαύλια Latinè *Decubationem* non ineptè dixeris. Eo die sponsus in domum Soceri deducebatur à *Paramympho*, quasi Asseclam ejus dicas. *Paranymphus.* Hoc ita: si futura uxor Virgo esset. Sin vidua: deducebatur mulier ad sponsum à *Nymphagogo* seu *Promnestria* quam Latini Pronubam nominant. *Nymphagogus. Promnestria.* In limine domus Ignis & Aqua ponebatur. *Ignis & aqua cur à sponsis tacta.* Utrumque sponsus & sponsa manu tangebat; ipsaq; nupta ejusdem aquae adspersione lustrabatur. Hinc Uxor aqua & igni accepta apud Scaevolam *in l. Seja. 65. §. 1. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Cujus rei ea potissima videtur ratio, quod prisci putarent. Aquam rerum omnium elementum esse, ignem verò formam. Quae sententia & Varroni placuisse videtur, dum *l. 4. de ling. Latin.* Igitur ait, causa nascendi duplex, Aqua & Ignis, &c. ut ita rerum formas ex aqua per admixtionem Ignis produci Veteres rectè existimârint; & exinde Ignis atque Aquae sacramento nuptiarum foedera auspicatissimè sanciri. 1.

Sunt qui ex Aquae atque ignis tactione Conjugii commoda significari putent, quae ex uxoria consuetudine & unanimi concordia percipiuntur: cùm nihil ferè sit in rerum natura Igni jucundius, nihil utilius Aqua. quare Aquam Pindarus optimam, Homero etiam comprobante, nuncupavit, Ignem etiam ardorem auri pari elogio persecutus. Joh. Pierius *lib 46. Hieroglyph.* Taceo de Elementorum istorum necessitate: quandoquidem sine his vita haec sustineri nequeat. Inde enim aquâ & igni interdictum fuisse damnatis, Festus notat, quod & Ovid. amplexus est 4. *Fastor.* 2. 3.

An quod in his vita causa est, haec perdidit exul?
His nova fit Conjunx; haec duo magna putant?

Quanquam tactu illo etiam participationem & communionem bonorum & fortunarum omnium inter conjuges adumbratam fuisse, non improbabiliter quis dixerit: ut scilicet aliarum rerum omnium, non secus atq; ipsius Aquae & Ignis usus communis ipsis esse debeat. Videtur id idem Festus quodammodo innuisse, cum ita scribit: Aquâ adspergēbatur nova nupta, sive ut pura castaque ad virum veniret: sive ut Ignem & Aquam cum viro communicaret. Justinianus certè Nuptias 4.

prias definit viri & mulieris conjunctionem, individuam vitæ consuetudinem cōtinentem. *Inst. de pat potest.* Modestin. hoc amplius etiam consortium omnis vitæ & divini ac humani juris communicationē vocat. *l. 1. ff. de rit. nupt.* Et Gordianus Uxorem rei humanæ atq; divinæ domus sociam appellat *in l. adversus 4 C. de crim. expil. hered.* Et quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus sive prosperis sive adversis, Mulieris maritum vel Uxorem Mariti participem esse? ut gravis est Ulpiani sententia *in l. si cum dotem 22. §. si maritus ff. solut. matr.* Indeq; opinor est, quòd Uxori facta à conjuge donatio non valet: cum vitæ illa societas hanc Rerum mariti dominam quodammodo faciat *l. 1. ff. rerum amotar.* quod alibi diligentius sum prosequutus. Et quidem de ritu illo Ignem atq; Aquam tangendi, aliquando in amici cujusdam Nuptiis hoc lusi epigrammate, quod in ipsius gratiam adscribo:

Quærebam nova cur Nupta olim tangere flammam
Ardentē & liquidā jussa fuisset aquā?
Quærenti triplicem senior mihi Scævola causam
Reddidit, attollens tristē supercilium:
Igneus humor mixtus calor omnia gignit,
Quæ terraq; & pontus, vastus & æther habent.
Tangit Aquam, rutilos Ignes nova Nuptaque tangit.
Fiat ut auspicio hoc fertile conjugium.
Ignis & ut purus censetur, puraq; Lympha:
Sic purū ingreditur fœmina pura thorū.
Tam, velut usus Aqua nobis communis, & Ignis.
Sic cōmune bonū fœmina virq; tenent.
Scilicet omne bonum hoc melius, communius est quo.
Id quondam auris quod docuēre Sophi:
Sit tamen invitos nullos Communio cogit.
Cogimur UXORES *cur retinere* MALAS?

Sed cætera videamus, & quidem de sponsæ cultu primum Hujus comam hastā discriminabant, quam Festus *Celibarem* vocat, quæ in corpore gladiatoris stetisset abjecti, occisique ut quemadmodum illa conjuncta fuerit cum corpore Gladiatori, sic ipsa cum viro sint: vel quia Matronæ Junonis Curitis in tutela sint, quæ ita appellabatur à ferenda hastā, quæ Curis dicta fuit veteribus; teste Ovidio. *1. Fastor.*

Sponsa comebatur hasta celibari.

Sive quod hasta Curis priscis est dicta Latinis.

Atq; hunc morē et Arnobius perstringit *l. 2. advers. Gentes*; veteres quosdam ritus desuetudine sublatos recensens: "Cum in matrimonia, inquit, cōvenitis; toga sternitis lectulos & maritorum genios advocatis; Nubentium crimen celibari hastā mulcetis. Quò & Ovid. allusit, ita canens:

Curis.

Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas hastā recurva comas.

Post virginis facies velo, quod *flammeum* dicebant, tegebatur. flammeum id *Huguitio* à flamma dicitur; vitta sive infula nuptiarum tenuis & rubra: qua utebantur nubentes ad designandam pudoris læsionem, operientis vultum cum ea. Unde & nuptæ dictæ: ab obnubendo scilicet, quod velare significat, ut consentiens in unum omnium Grammaticorum fert opinio. & est text. *in can. nec illud 30. q. 5.* Id lutei erat coloris, ut ne virginis pudor proderetur; aut si quid animadverteretur in facie ruboris, is è velo color, non è genis emicare videretur. Hinc Claudianus *lib. 2.* de raptu Proserpinæ:

Velabatur flammeo.

Luteo.

——vultibus addunt
Flammea sollicitum prævelatura pudorē.

Et Martianus Capella *lib. 9. de nuptiis Philolog.*

Flammea virgineum qua obnubere sueta pudorem,

Regia-

Regina deme pronuba.

Lutei verò coloris flammeum fuisse Lucanus docet *lib. 2.*

Non timidum Nupta leviter tectura pudorem

Lutea demissos velarunt flammea vultus.

Isidorus sponsas idcirco flammeo nubi tradit *lib. 2. cap. 19. de offic. Eccles.* ut se noverint semper maritis suis subditas esse & humiles. Idq; ex doctrina Apostoli 1. Cor. 14. & ex lege Dei *Genes. 3. & can. est ordo. can. manifestū. 23. q. 5.* Toga novæ nuptæ induebantur rectâ, qualem primum Caja Cæcilia texuit, ut Plinius scribit *lib. 8. cap. 48.* Atq; id ex felici textricis, optimæ matrisfamiliâs conjugio in usum venisse dubitandum non est: cum & nomē hujus in nuptialibus ritibus, boni ominis causa usurpatum fuisse constet; siquidem hæc solēnia in nuptiis verba sponsa proferebat: *Vbi tu Cajus, ego Caja.* Et Cajam in omnibus speciebus poni, ubi de Muliere agatur, auctor est Cic. *in Orat. pro Murena.* Joh. Coras. *lib. 5. Miscellan. c. 4. n. 4.* & Viglius Zuichem *in §. nominatim Inst. de exhared. liberor. n. 5.*

Induebatur toga recta.

Vbi tu Cajus ego Caja.

Cingebatur insuper nova nupta Cingulo quod & ex lana ovis erat contextum (ut sicuti illa in glomis sublata, conjuncta inter se est; sic vir suus secum vinctus cinctusq; esset, ut Festus interpretatur) & connexum nodo qui Herculanus vocabatur: propterea ꝙ Heros ille fœcundissimus ab antiquis creditum sit: quippe cui septuaginta liberi superstites fuissent: quippe qui septem diebus quinquaginta Thestiȩ filias è virginibus mulieres fecisset, eum igitur modum vir omnis gratia solvebat in lecto, ut & ipse felix esset in liberis suscipiēdis. Erasm. *Chil. 1. centur. 9 adag. 48.* Exornata hoc modo virgo, ferreum à sponso, ut dixi, accipiebat annulum & trium illorum assium, quorum unū in manu, alterum in pede, tertium in facciperio ferebat; primum sponso dabat, quasi eum sibi illo precio coemptum esset habitura; alterum in foco Diis Laribus deponebat, quem & igni luculento & corollis sua manu (aliâ non licebat) plexis, ut ait Plautus augebat: tertium in vicino compito fodiebat. Inde convivium & nuptialis cœna apparabatur: mox Hymenæus dicebatur cum choreis, quanquam Thalassionem quoque in nuptiis Romanos non secus, atq; Græcos Hymenæum inclamare consuevisse constat. Atque eum morem inde inolevisse Livius putat, quòd in Sabinarum raptu, virgo una longè ante alias specie & pulchritudine insignis, à globo cujusdam Thalassii rapta fuerit: multisque sciscitantibus, cui nam eam ferrent deducendam, ne quis eam violaret; Thalassio ferri calamitatum. Qua de caussa Thalassionis vocem, nuptialem factam, & ad posteros quoq; inde manasse, præter Plutarchum in Romulo, etiam Martialis innuit, iis versibus,

Cingebatur Nupta cingulo laneo.

Id Herculaneo nodo nexum.

Annulum accipiebat & tres expendebat asses.

Cœna. Hymenæus Thalassio. Choreæ.

Quid si me jubeas Thalassionem

Verbis dicere non Thalassionis.

Finita nuptiali illa Cœna, & ubi satis jam esset & cantuum & saltationum, Pronuba sponsæ manu apprehensa ad genialem lectum eam ducebat, genialem inde dictū, quod nuptiis solemnibus olim lectulus in Genii honorem accuratissime sternebatur. Cicer. *pro Cluentio*: lectulum illum Genialem, quem biennio ante filiæ suæ nubenti straverat, in eadem domo sibi ornari & sterni, expulsa & exturbata filia jubet, Juvenal. *Sat. 10.*

Sponsa à Pronuba vel pueris ducebatur ad genialē thorū.

—thorusq; palam genialis in hortis

Sternitur—

Lectus genialis.

Et Lucius Apulejus *lib. 10. Metamorph.* Et jam Thorus genialis sc. noster futurus accuratissimè desternebatur. Alii deductionem illam pueris patrimis & matrimis attribuunt. Nam ut Festus ait, Patrimi & matrimi pueri prætextati tres nubentem

tem deducunt: unus qui facem præferret ex spina alba quia noctu nubebant; duo, qui nubente tenerent, Unde Catull.

Mitto brachiolum teres,
Prætextatæ puellulæ.

Præeuntibus facifer is.

Pompam igitur hanc antecedebat prætextatus puer Facifer, facem ex spina (alii pinu legunt) præferent; quæ, si Plinio credimus, nuptiarum facibus auspicatissima fuit habita. Hinc Catullus:

Pelle humum pedibus, manu
Spineam quate tædam.

Spinæ certè arboris eam naturam esse Scaliger ait, ut ignem emittat neutiquam olidum fumiferumq;, quanquam misera admodum flamma inde eliciatur. Verisimile igitur est, plures adhibitas fuisse faces, Suadet hoc Claudiani carmen de Nuptiis Honorii & Mar.

——alii funalibus ordine ductis,
Plurima venturæ suspēdunt lumina nocti.

Et Papinius, Nuptiarum solennitatem quandam describens:

Fronde virent postes, & fervent compita flammis.

Et albis colum ac fusum præferentibus Sicut & mundum ac parapherna.

Faciferos istos comitabantur alii duo, qui colum cum lana, & fusum ferrent cum stamine; tanquam operis, in quo futura esset, auspicia. Erant & alii, qui Mundum muliebrem & alia, quæ præter dotem dicuntur JCto *in l. donatio. 31. §. 1. ff. de donat.* & parapherna *in l. si ego 9. §. cæterum. ff. de jure dot.* Quæ autem ad mundum muliebrem pertineant, ea diligenter enumerata sunt ab Ulpian. *in l. argumento. 25. §. ornamenta. ff de auro & argent. leg.* ubi inter Mundum & muliebria ornamenta eleganter distinctum videas: sicut etiam inter ipsam mulierem Mundam & Ornatam.

Munda & ornata fœmina.

Post enim (inquit Ulpianus) mulier esse munda, non tamen ornata: ut solet contingere in his, quæ se emundaverint lotæ in balneo, neque se ornavarint. Et contrà, est aliqua ex somno statim ornata, non tamen commundata. *d. §. ornamenta.* Quam in rem exstat lepidum Joh. Girardi Tetrastichon, quod ob venustatem adscribere placuit.

Quædam non ornata quidem, sed fœmina munda;
Immunda ornata est fœmina quædam alia.
Quæritis, ô Cives, quæ gratior? illa, vel illa?
Displicet ut mundus, sic mihi munda placet.

Sponsa à Sponso deducta.

Ad hunc igitur modum deducta Sponsa, à Sponso detegebatur: à quo etiam ejus detectionis causâ dona accipiebat, de quibus apud Cujacium in Feudis. Mox Pronuba, accepta una ex facibus, Lucernam cōjugalem pervigilem, pernoctemque futuram accendebat & cum dicto faces exstinguere mos erat. Eas verò ne sub lecto conderent, néve servatas ad rogum struendum deferrent, pro auspicatissima lege habebatur.

Lucerna pervigil & pernox.

Solebat etiam tum Pronuba sive Promnestria cunctabundæ puellæ zonam sive cingulum illud, quod ex ovis Lana textum diximus, duobus digitis solvere, atque Dianæ, ob id Cinxiæ cognominatæ, dicare. quanquam cingulum id à Sponso in ipso lecto solutum fuisse, Festus scribit. & Arnobius confirmat *lib. 3. adversus Gentes:* Nisi virginalia (inquit) vincula jam ferventes dissolverent atq; imminentes Mariti. Citaturq; à Nonio Marcello hic Varronis versus: *Novus maritus is solvebat cingulum.* quod & nos supra ex Erasmo comprobavimus. Hinc mulierculæ illius lamentatio illa apud Ovidium:

Pronuba Zonam solvebat.

Imò sponsus ipse.

Cum mea virginitas avibus libata sinistris
Castaq; fallaci Zona recincta manu?

Joh. Borcholt *ad C. Quæ sint Regalia n. 78 in fin.* Ubi omnia discessissent, Sponsus clausula janua disponebat custodes foris, quorum opera mulicularum importuna vel pietas, vel simulatio à foribus arceretur,

Custodes foribus additi.

 retur,

retur, si qua commemoratur virginis clamore, quum intus vim pateretur. Quemadmodum & in hunc finem nuces à novis maritis jaci & pueris spargi consuevisse putant, quod jactæ illæ quasi tripudium faciant, & earum strepitu virginis gemitus in illa vi obrui posse fuerint creditum. Hinc Virgilius:

Sparge marite nuces: tibi deserit Hesperus Oetam.

Et Catull. in Nuptiis Juliæ & Manlii:

Da nuces pueris, iners
Concubine: satis diu
Lusisti nucibus.

Alii hunc morem ideo observatum tradunt, quòd Nuces putamine, cute, testâ; corio medullâ tegunt: uti pari munimento à Conjugibus protegantur fœtus. Plin. *lib. 15 cap. 22.* Alii, quos Scaliger sequitur, ea id gratia factum opinantur, ut, se puerilibus omnibus ludis renuntiare, & juvenilia cuncta ludicra relinquere maritus eo indicio testaretur. Proinde Persius per illa verba

—*& nucibus facimus quæcunq; relictis*
Cum sapimus patruos:

ostendit è primori ætate egressionem: & omittendas animi Laxationes novaque Oeconomiæ studia auspicanda. Inter hos strepitus versus mollitie ac lascivia diffluentes, impuni licentia occinebantur, etiam à pueris prætextatis, deposita tamen in id tempus prætexta, ut superius annotavi *Titulo de Habit. & vestiment. veter.* Atque hi versus Fescennini vocabantur, sive quòd ex Urbe Fescennina allati essent; sive quòd fascinum arcere putabantur. Catullus:

Ne diu taceat procax
Fecennina locutio.

Seneca in Medea, choro primo:

Hinc illinc, Iuvenes, mittite carmina?
Festa dicax fundat convitia Fescinninus.

Hinc apud Horat. *lib. 2. Epist.*

Fescennina per hunc inventa licentia morem.

moris istius ea videtur esse ratio, quod virgines omnimodo verbis impudicis abstinebant, illisq; aures diligenter obturabant. Plautus Discolo: *Virgo sum, nondum didici verba nupta dicere.* Nupta vero dicebantur ab Antiquis, quæ virginem dicere nō licebat. *Festus:* Sic apud *Petroniū:* Violari aures meas obscœno sermone dolui, quibus contraria erant *prætexta:* quod prætextatis nefas erat obscœno verbo uti, ut modò diximus. *Varro Agathone:* virgo de convivio abdicatur, ideò quod majores nostri virginis acerbæ aures Veneris vocabulis imbui noluerunt. adeò ut essent, quæ filiæ virginis ab omni verbo spurco tuerentur aures. Idque ne verbis improbis virginalis pudor delibari videretur, ut ait Tertullianus *lib. de Spectac.* Injuriarumque tenebatur, qui turpibus verbis utebatur apud virgines. *Item apud Labeonem §. qui turpib. ff. de iniur.* Savaro *ad Apollinar. Ep. 5. lib. 1.* Atque hæc de secundo Nuptiarum die. Superest, ut de Tertio & ultimo quoque videamus. Enim Græci dicebāt ἐπαύλια: Latini à novis atq; iteratis epulis *Repotia.* Eo namq; die sponsi affines convivium instaurabāt: eodemque uxor in domum mariti deducebatur. tanquam in matrimonii domicilium *l. mulierem. 5. ff. de ritu nupt.* sive matrimonii Larem *l. 3. § domum & ibi Gothofred. ff. de liber. agnosc.* uxor enim domū domini sui, id est, mariti sequebatur, adeò ut deductione in domum mariti & non uxoris opus esse, Pomponius responderit *d. l. 5. de ritu nupt.* & probāt text. *in l. Seia 66. ff. de donat. inter vir. & uxor. & l. cum inter 6. C. de dōat. ante nupt.* ubi inter donationem ante vel post deductionem uxori factam, utrū ea valida necne sit, manifestè distinguitur. Sed in deductione illa observatum fuit, ut Nupta paternâ domo e-

Marginal notes: *Nuces spargere.* — *Fescennini versus.* — *Verba nupta.* — *Prætextata.* — *III. Dies.* — *Repotia.* — *Nupta ad Mariti domum deducebatur.* — *Non tangebat limen.*

mo egrediens pedes tolleret; ne limen attingeret. Religioni quippe habebatur, si in transgrediendo Mulier limen contigisset, Unde Catullus:

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes.

Et apud Lucanum Matrona deducta in domum Mariti;

Translata vitat contingere limina planta.

Quæritur hujus ratio.

Cujus rei variæ traduntur rationes à Plutarcho, Varrone, Isidoro, aliis. Mihi Scaligeri propior vero videtur, & ad rem quoque accommodatior: ne Magicis pharmacis lædi posset, quæ sub limine ad destruendam Conjugum vel concordiam, vel vim genitalem, defodi solent à veneficis. Hinc fortassis est, quòd Casina suspenso gradu limen admonetur transgredi apud Plautum;

Sensim super attolle limen pedes, nova Nupta:
Sospes iter incipe hoc; ut viro tuo semper sis superstes.

Pedum offensio.

Hinc illa Gentilium superstitio, qua pedum offensionem, quamvis sibi divinam iram prætendere contendebant, observatum hoc in *Tib Graccho* quem eo ipso, quo occisus fuit die domo egredientem ad limen gravissimè pedem offendisse scribit Valer. Max. *lib. 1. c. 4.* & Plutar. *in Gracchis*. Hoc idem Crasso infausti prælii die accidisse, ait idē Plutarch. *in ipsius vita.* Quo pertinet illud Laodomiæ de marito, apud Ovid. *in Heroid.*

Cum foribus velles ad Troiam exire paternis,
Pes tuus offenso limine signa dedit.
Vt vidi ingemui, tacitoq; in pectore dixi;
Signa reversuri sint precor illa viri.

Nec abludit illud Tibulli *lib. 1. Eleg. 3.*

O quoties ingressus iter, mihi tristia dixi
Offensum in porta signa dedisse pedem!

Et rursus illud Ovidii

Omnia sunt aliquid: nā cū discedere vellet
Ad limen digitos constitit illa Nape.

Sed superstitionem hanc ridet Mart. del Rio *disquisit. Magic. lib. 3 part. 2. q. fol. 91.* & uberius tractat Beroaldus *ad lib. 9. Apuleii mihi fol. 447.* & non leviter tāgit Joh. Meursius *in Mamissa ad lib. de Luxu Rom. cap. 9.*

Quandoq; & curru eo vehebatur.

Ditiores etiam curru nuptiali ad mariti domum vectas fuisse video. Et in eo quidem tres tantùm vectari solitos Pausanias tradit; Sponsam scilicet, quæ sederet in medio, tum sponsum, & deniq; Parochum, quem Paranymphum vocari, suprà ostendi. Ac in more fuit Græcis, ut nuptialis illius currus sive Rhedæ axis pro foribus combureretur, argumento constantiæ atque moderationis: ne conjunctionis alienæ, néve novi conjugii fluctuantem animum occuparet cogitatio: néve hac illac evagandi, quod vitium maximè est fœminis familiare, caperet impetus.

Cuius tamen axis combustus.

Quamobrem non immeritò commendantur apud Saxo. Grammat. Heroinæ illæ, quas à virorum latere nec viæ longinquitas, nec futuri periculi metus divellere poterat, affirmātes, ut plumam hirto, sic se maritis cohæsuras *lib. 5. histor. Dan. fol. 75.*

Munera nuptialia ei offerebantur.

Cōstitutæ ita in Mariti domo novę Nuptæ munera à cognatis & propinquis mittebātur: quæ ob id Nuptialia munera dicūtur Jurisconsl. *in l. 1. §. præterea. ff. de Tutel. & ration. distrah. l. tut. 13. ff. de admin. tut.* Quorum offerendorum pompam describit Erasm. *Chil. 4. cent. 2. adag. 71*, eaq; olim sportulæ nominabantur: de quarum divisione, Plin. *lib. 10. c.* 120. Qui virilem ait togam sumunt vel nuptias faciunt, vel ineunt magistratum, vel opus publicum dedicant, solēt totam bulen atq; ē à plebe non exiguū numerum vocare, binosq; denarios, vel singulos donare, &c. clarius id patet ex Symmach. *l. 3. ep. 24.* his verbis: Nuptialē sportulā dedisti. & *l. 4. ep. 4.* effectū in nuptialib. votis Deus pstitit. Nunc honor

Sportulæ.

Romanor. ritis erat integrum dummodo communi conjugum consensu divortium illud fieret, absque alia causa, ut colligitur *ex l. si constante C de repud.* At invito alterutro eorum, divertere non licebat, nisi justa & legitima subesset causa. Cujusmodi causæ enumerantur *in l. consensu. l. pen. & ult. C. d. tit.* Quod si absque justa causa divertens in corpus suum intra quinquennium peccaverat mulier, poterat ab eo à quo temerè diverterat, stupri accusari jure præcipuo. Quæ sententia est *l. si mulier 34. C. ad Iul. de adult.* quia quæ intra quinquennium non colit temperantiam, sed peccat, non tam videtur odio vel exsecratione mariti sui divertisse, quam appetitione alieni, ut animotenus jam in ipso matrimonio videatur peccasse: ideoque plane possit is, à quo divertit, perinde ac si maritus esset, adulterii eam jure præcipuo accusare. Quam rationem tradidit Cujac. *ad d. l. si mulier.* Nec verò circa hanc divortiorum materiam dissimulandum puto, quod *Antoninus Imperator*, Philosophus dictus, Faustinam suam de adulteriis diffamatam, ideo repudiare noluerit, quia & Dotem simul reddere, hoc est Romanè uti loquamur, se Imperio abdicare debuisset. Noverat enim probè quod juris fuerit constituti, soluto matrimonio dotē reddi, restitui oportere *l. 1. ff. solut. matrimon. dos. quom. petat.* Ad summum autem Imperium adspirasse occasione nuptiarum nonnullos, historiæ loquuntur. Estq; modus acquirendi [illegible] iis, quibus est propitior cæteris *Diva potens Cypri.* Georg. Remus *in Notis ad Themistiū pag. 51.* quemadmodum & *Hermuthruda* illa se & reginam esse gloriabatur, & quēcunque thoro suo dignata fuerit, Regem efficere; atque *ita Regnum secum complexibus dare*, ut est apud Saxonem Grammaticum *hist. Dan. lib. 4. fol. 52.* Sicut contra non rarò accidit, ut Marte quæsita Imperia Veneris fœditate fuerint amissa. quod exemplis testatum facit Steph. Forcatul. *lib. 6 de Gall. Imp. & Philos. fol. 911.* Plura de Nuptiarum solennitatibus videri poterunt apud Ant. Guibertum Costanum *in tract. de Matrim.* Jul. Cæsar Scaligerum *lib. 1. poetices cap. 101.* Barrabam Brissonium *de Ritu Nuptiarum libro singulari.* quorum ex scriptis fertilissimis, & vel ipsis hortis Alcinoi floridioribus, amœniora hæc pleraque delibavimus.

Nuptiis acquiri Imperium,

& Regnum.

DE VETERUM LUDIS TIT. LX.

Græci in Arcadia intra Pisam, & Elidem Græcia oppida, in regione Olympia, Ludos Olympio, *in honorem Iovis instituerant: quibus & Equi & Currus certatim in stadio decurrebant: & ipsi etiam pugiles seu palæstritæ cum cestibus pugnabant. Erat autem* Cestus *nihil aliud, quàm lorum ex corio bubulo manibus circumvolutum; plumbo insuper etiam adsuto, & ferro addito: hoc enim in altum sublato pugnabant, ut* Virgilius *lib. 5. describit. Certabant etiam* Saltu; *eo victore pronunciato, qui quàm maximè saliisset. Vi[ctores] flores & oleâ coronabantur; cuius ferax & fertilis erat regio: & à civilibus oneribus erant exempti; præterea & Salarium ipsis, quo ad viverent, de publico erat constitutum, ut* Tertullianus *eo prodidit libro, quem Scorpiacum indigitavit. His non absimilis ludi in Isthmo & apud Argos exercebant eaq; exercitia* Isthmia. Nemea, & Pythia *dicebant: & in effectu eadem erant*

Olympia. *Cestus.* *Saltus.* *Victorum præmium.* *Isthmia. Nemea. Pythia.*

erant cum illis, de quibus modò diximus. Quidam iaculis; *alii* disco *exercuisse se illos dicunt. Romani ludos excogitarunt magis horribiles. In amphitheatro enim* † *homines invicem pugnantes committebant; quod posteà ab Imperatoribus Christianis fuit prohibitum. Voluerunt etiam, ut illi, præsertim verò ad mortem condemnati, cum Leonibus, Ursis, Pardis & aliis bestiis certarent. Atque ad hoc mortis genus multi Christiani nominis, interque hos etiam Ignatius fuit condemnatus. Instituerunt etiam curruum* † *cursum in circo Maximo, ut suprà dixi: qui circum Metas septem acti, per duodecim immittebantur portas, quemadmodum prolixè Cassiodorus refert: & à me de singulis illis ludis alibi dictum est copiosius. Ideoq; hic non repeto: & prolixior sim, & aliis tædium pariam.*

1. Gladiator. pugna Ad bestias damnati.

2. Cursus.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Græcorum ludi quatuor.

FUerunt apud Græcos quatuor certaminum & ludorũ genera præ cæteris maximè celebrata & frequentata, Pythagorica distributione à quadruplici eorũ fine desumta, ut ex Græco apparet epigrãmate, quod Ausonius ita Latinũ fecit:

Quattuor ãtiquos celebravit Achaia ludos
Cælicolûm duo sunt, & duo festa hominum.
Sacra Iovis, Phœbique, Palæmonis, Archemorique:
Serta quibus pinus, malus oliva, apium.

Eorum præmia.

Sed præter ista præmia cuique certamini proprie destinata, omnibus Victoribus etiam palma tribuebatur, & magni præterea deferebantur honores. Sic enim Vitruvius *lib. 4.* Nobilibus athletis (inquit) qui Olympia, Pythia, Nemea & Isthmia vicissent, Græcorum Majores ita magnos honores instituerant: ut hi non modò in conventu stantes cum palma & corona ferant laudes; sed etiam cum reverterentur in suas civitates cum victoria triumphãtes, quadrigis & in mœnia & in patrias invehantur, & vectigalibus, à Republica toto vitæ spatio constitutis fruebantur. Quinimò parum abfuit, quin victores in Deorum quoq; gentem & familiam trãscriberentur. Eusebius certè *lib. 5. de præparat. Evangel.* scribit, Veteres eò superstitionis atque insaniæ perductos, ut victores, sive pugiles, sive athletas, sive alios concertatores in ordinem Deastrorum retulerint. Unde Horat. *Ode 1.* de Victoribus loquens, eos ait

——metaque fervidis
Evitata rotis palmaque nobilis
Terrarum Dominos evehit ad Deos.

De singulis autem istis ludorum generib. videantur, quæ ex reconditо divinæ eruditionis suæ penu depromisit, & literarũ monumentis consignavit Jul. Cæs. Scaliger *lib. 1. poetices c. 23. 24. 25. 26.* Præmia porrò illa, quæ Athletis, qui sacris certaminibus vicissent, pro coronis deberi diximus, consistebat *in annonis, obsoniis & pensitationibus*, & pro indepta victoria totius vitæ tempore præstabantur eis de publico, exinde quo in civitatẽ invecti fuissent, non per portam civitatis, sed dejecta parte muri, ut Suet. scribit *in Nerone c. 24.* ejusq; moris rõem reddidit Plutar. *in Symposiac.* quia existimarint eam civitatẽ non magnopere muris indigere, quæ tam fortes & strẽuos haberet cives, qui in certaminib. sacris victores extitissent. Tales enim urbi defensores sufficere posse sua virtute, etsi mœnia nulla haberet. Atq; eò re-

In quibus constiterint.

referendum est illud Trajani ad Plin. *lib. 10. ep. 120.* Opsonia certaminum, quæ Isolastica sunt, Athletis deberi ex die, quo in civitatem suam εἰσήλασαν, h.e. invecti sunt post palmam & victoriam. Unde nomen *Isolasticus præmiis* certaminibusque, quod ex die, quo victores, ut dixi, invecti essent in civitatem suam, ex publico tota vitâ illis opsonia & annona præstaretur. Conrad. Rittershus. *ad d. Ep. 120.* Tantæq; designationis existimata fuerunt præmia illa sive commoda, ut quamvis alias spei emptio venditio sit, (verbi causa, si quis aleam sive jactum retis emat) *l. 8. §. 1. ff. de cõtrah. empt. & l. si jactum. 12. de act. empt.* spes tamen illorũ, quæ dixi, præmiorũ oppignorari minimè possit: adeò, ut ne generali quidem bonorum obligatione ea comprehendantur *l. spem eorum 5. C. quæ res pig. & obl. poss.* Cum tamen dubiũ non sit, quin id quod vendi potest, et pignorari queat. At spei emtio venditio est: ergò & pignoratio, ut Cujac. argumentatur *in Recitat. solem. ad d. l. C. quæ res pig. obl. poss. & in paratit. n. 2.* Sed sciendũ est, privata pactione pignori obligari præmia ista nõ posse. At judicis auctoritate condemnato debitore cui sacra præmia debētur, ea jure pignoris in causam judicati capi placuit *l. commodis 40. ff. de re iud.* in subsidium sc. etsi alia bona non suppetant, ut notatur *in l. stipẽdia 4. C. de execut. rei iudic. & l. à divo Pio § sic quoq; ff. de re iudic.* Nec prætereundem hoc loco est de Rhodio Diagora celebrata historia, quam Gellius refert *lib. 3. Noct. Att. c. 15.* Is Diagoras tres filios adolescẽtes habuit: unum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem: eosq; omnes vidit vincere coronarique eodem olympiæ die. Et cum ibi eum tres adolescentes amplexi coronis suis in caput patris positis suaviarentur; cumque populus gratulabundus flores undiq; in eum jaceret; ibi in stadio, inspectante populo in osculis atq; in manib. filiorũ animam efflavit. Illud verò omnium penè fidẽ superare videtur, quod Pausan. *in Eliacis* refert, *Theogenem* 1040. coronas in sacris certaminib. accepisse. Quod & Gotofredus notavit *ad l. un. de Athletis lib. 10.* Non verò Grecis tantum; sed & Persis, Ægyptiis, Gallis, & Hisp. sui fuerunt ludi, quos tamen oẽs ita superarũt Romani, ut in hac una re cum reliquis omnib. contẽdisse merito videri possint. Hinc varia illa apud Plutarch. ludorum genera: plura et apud Tacitum, Lampridium, Jul. Capitolinum, Spartianũ, alios. Hinc et Pentathlum sive Quinquertium illud, quod Cursu, Lucta, Saltu, Jactu & Pugilatu cum Cestu constitisse diximus *Tit. de Palæstris.* Erant a. Cestus lora (κεστὸς n. cingulũ Græcis est) brevia initio; mox ne excussa exfuerẽtur in ictibus, tum cubito, tũ humero alligabãtur. Postremo ferrũ plumbũq; assutum est sævissimo spectaculo. Cerebrum n. ac guttur facilimè elidebant. Idcirco auriũ munimenta induebant. Tota ars, ictum vitare non fugâ, sed corporis inclinationib. & flexionibus. Tum autem excipere ictũ ictu, si sit fortior. Postremò ne inferre, ictum frustra: concidebant enim plumbi onere præcipites acti, si impensiùs niterẽtur verberare. Cestuum illorũ luculẽta descriptio exstat apud Virg.

In medium geminos immani põdere cæstus
Projecit, quibus acer Eryx in prælia suetus
Ferre manũ, duroq; intẽdere brachia tergo
Obstupuêre animi, tantorũ ingentia septẽ
Terga boum plumbo insuto ferroq; rigebãt.

Virgilium imitatus Papinius ita Cestus describit:

——ac dum nigrantia plumbò
Tegmina cruda boũ nõ mollior ipse lacertis
Induitur.——

Cæterùm Romanorum ludos ingeniosè & doctè explicat idem Jul. Cæs. Scaliger *lib. 1. Poet. c. 28. 29. & seqq.* ex cujus, ut & Jose-

Præmia Isolastica.

Obligari prohibita.

Diagoras.

Theogenes.

Romani omnes nationes Ludorum generibus exsuperarunt.

Cestus.

Josephi Filii, doctissimorum scriptorum lectione diligenti, magnam studiis tuis, Lector, accessionē feceris. Nec verò dissimulandum est, Justinianum insuper etiam quinque Ludos alios instituisse: Comonovolon, Comodaulomolo, Regindala, Cempon, Reipusara. *l. ut C de Religios. & sumptib. funer. & alea Lusu & aleator.* Quæ ludorum genera Alicatus *libr. 1. Prætermissorum* verbo *lusum alea* nusquā se legisse fatetur, & nec eas quidem voces in aliquo significatu. Proinde salebrosissimum illum locum ita emendandum cōjecturatur: & quidem pro *Comonovolon*, legendum *Corycovolon*, quod jactum pilæ significat, κώρυκον enim pilam esse eruditiores consentiunt: & hoc nomine Follis lusum significari etiam Turnebus putat, de Coryci ludo refertos esse Medicorum libros asserens *lib. 26. Advers. c. 33.* Unde proverbium, Coryco exerceri, de eo qui in cassum fatigatur. Erat enim pila coriacea, instar utriculi, quæ inflata vento plerumque lusorem male afficiebat. Quod sequitur *Comodaulomolo*, pro eo legi posse putat Alciat. *Comodiaulion:* quasi κῶμον δίαυλον, hoc est, lusum cursorium: suadente inprimis Suida, octo esse certaminum genera, inter quę δίαυλος, cū per duo stadia curritur. Rursus *Regindala* intelligit *Basilinda*; cùm ductâ sorte aliquis fit Rex, & is aliquid laboriosum ministro, qui sorte pariter obtigerit, imperat. Turnebus *Phrygindа* legit, & eum intelligit ludum, quo testulis levibus & politis intermanus sinistræ digitos positis, dextrâ numerosè testulas pulsabant. Sequitur *Cempos:* pro qua dictione forsan *Catampo* substituendum: quo Festus ludum quidem denotari scribit; sed qualis ille fuerit non explicat. Superest *Respusara:* Turnebus *Empusa* legit, spectrum interpretatur formas variè mutans, & aliam atque aliam subinde induens: & nihil vetare ait: eo nomine Ludum fuisse Alciatus dictionem illam corruptam esse, & ῥίψεις λαϊσίμας ῥίψεις scribi debere contendit, à decursu latrunculorum, hoc est, calculorum. Sed hæc omnia tamen, ut dixi, per conjecturam ab Alciato referuntur, nihil certi se habere ingenue fatente: atq; ipsomet etiam Turnebo non minùs candide affirmante si quis quid commodius excogitaverit, se omnium primum & laudatorem & approbatorem illius futurum. Alciati tamen sententiæ etiam Ant. Contius subscribit. Cæterùm Ludis illis permissis, etiam expensarum erogationem permissam esse constat, in tantum ut & Ludorum artifices multis privilegiis sed prærogativis videamus esse ornatos *l. un. C. de expensis Ludor. & tot. tit. C. de spectac. & scenic. lib. 11.* Hinc Arcadium & Honorium ita rescripsisse legimus: ut profanos ritus jam salubri lege submovimus; ita festos conventus Civium, & communem omnium lætitiam non patimur submoveri. Unde absq; ullo sacrificio atq; ulla superstitiōe damnabili exhiberi populorum voluptates, secundum veterem consuetudinem, ministrari etiam feste convivia, quando exigūt publica vota, decernimus. *l. ut profanos. 4. C. de paganis.* Illud autem de ludis cujuscunq; generis in universum tenendum est, eos neque semper admitti neque omnino prohiberi oportere. Sicut enim ludis prorsum interdicere, duriusculum, & à naturali lege humanitatis alienum fuerit: ita per causam occasionēq; permissi lusus, fenestram vitiis validiorib. aperiri proclive erit. Nihil profectò naturæ magis jucundum, quàm labori otium, & huic rursum laborem succedere. Danda est interdum remissio animis. Meliores acrioresq; requieti surget, dicebat Seneca *de Tranqu. c. ira. fi.* Hinc legum conditores festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publicè cogerentur, tanquam neces-

Marginalia: Lult. C. de relig. &c. — Corycovolon. — Coryco exerceri. — Comodiaulian. — Basilinda. — Phrygindа. — Catampo. — Empusa. — Ludorum expensa. — Ludi quatenus permissi.

necessarium laborib. interponentes temperamentum. Eranq; ludi illi non ad publicam tantum lætitiam & exercitationem virtutis introducti, verum ad privatam quoque recreationem: quibus etiam prudentes homines indulsisse quandoq; constat: adeò ut non erubuerint *Scipio & Lælius* concharum marinarum collectione se recreando certare; atque ipsum etiam Socratem equitasse in arundine longa cum pueris relatum sit, qua de re disserentem videre licet Petrum Heigium *par. 2. illustr. quæst. 10.*

1. Homines invicem pugnantes.) Intelligit Auctor Gladiatores illos Romanos: de quorum generibus & pugnæ commissione explicatè & doctè scripsit J. Lipsius *in Saturnalibus*, qui sanè liber non tantū lectu dignissimus est, ob historiam, quæ tristi admodum & funesto spectaculo fidem confirmat dicti Synesiani: *Calamitates gentium, epulum esse malorum Dæmonum*; sed & ob plurimos optimorum Auctorum locos rectè intelligendos cum primis utilis, & tantùm non necessarius meritò judicatur. De miserrimo autem illo omnium, quiunquam sub sole fuerunt, hominum genere, verissime aptissimeque usurpari potest Epigram. Palladæ, quod legitur Anthologias sub tit. *εἰς θάνατον lib. 1.* Id Joh. Ladislaus, ab excellenti doctrina & judicii acrimonia laudatissimus, ita Latinum fecit:

Omnes servamur letho, lethoq; nutrimur,
Porcorum ut temere Grex jugulate cadis.

Quanti autem facienda sint spectacula illa, Tertullianus docet, universam eorum paraturam ex idololatria constare, & immodestam ipsorum licentiam multam civium moribus obesse scribens: atq; adeò ab ipso etiā Diabolo spectacula ista mutuata adserens, quibus meritò adnumeratur, & cum ad mortem damnati Bestiis objiciuntur: qui ob hoc ad bestias damnati Modestino dicuntur *in l. ad bestias 31. ff. de pœnis.* Ex quo textu jam olim creditum est, propter summam peritiam artis, sontibus quamvis jam damnatis, pœnam relaxari. Ad bestias damnatos, inquit Modestinus, favore populi Præses dimittere non debet; sed si ejus roboris vel artificii sint, ut digniùs Populo Rom. exhiberi possint; principem consulere debet. Verbum enim illud *Exhiberi*, Oldradus, Albericus & alii interpretantur, *per gratiam relaxari*: atque hinc adnotandum existimarunt, ob excellentem alicujus virtutem favore populi id petentis, Principi pro criminis pœnæq; abolitione esse supplicādum, & interim executionem à Præside suspendendam. Quæ interpretatio etiam Jasoni probatur. *in l. jubemus C. de judiciis n. 15.* ob hominis excellentiam, à communi jure recedi affirmanti. *arg. l. sed & reprobari. §. hoc amplius.* ibi sanè valdè doctos. *ff. de excusat. tutor. & c. de multa 20. in fin. extr. de præbend.* Ac ipsemet etiam Dynus gloriatur, se ex textu *d. l. ad bestias* initiorem veniam impetrasse cuidam fabro, ob artis suæ peritiam: cui alioquin manus ex statuto erat amputanda. Jul. Clar. *l. 5. sentētiar. §. ult. q. 60.* Ob idq; etiamnum Bononiæ cōstans fama durat, Azonem magnum Juris nostri interpretē, cujus adeò illustre nomen fuit ut fons legum, Vas electionis, Lucerna juris appelleretur; & qui Legū ænigmata mortalib. aperuisset, obscura retexisset, dubia declarasset: Eum, inquam, Azonē ferunt, cū in disputatione ab Antisophista quodā suo provocatus cultro eum appetiisset; in carcerem protractum, & capitalis criminis damnatum, *Ad bestias, ad bestias*, sæpius exclamasse: significaturum scilicet ex Legis illius principio, se propter excellētem juris peritiam venia dignum. Cæterùm Judices, se ab eo tanquam belluas insimu-

Lipsii Saturnalia.

Gladiator miseria

Joh. Ladislaus.

Spectacula gladiatorū

Damnati ad bestias.

Intel. l. 31. ff. de pœn.

Excellens & peritia damnati an pœnam mitiget.

Azo.

simulari credentes; ideoq; iratos non destitisse, donec Azo summo supplicio afficeretur. Alciatus *lib. 9. pareg. c. ult.* & Joh. Corasius *de Arte Iuris part. 4. c. 18.* quanquam, si verum amamus, nihil in constitutione illa de pœnæ allevatione tractatur, sed solum de Rei damnati trāsductione. Cum enim ad bestias ex delicto damnati, sine permissu Principis, ex provincia in provinciam traduci nō possent in ipsismet provinciis, ubi judicati erant, bestiis obiiciebantur, & dilaniabantur: nec ad preces populi executionem Præses provinciæ morari debebat: nisi tamē ejus roboris essent atq; artificii, ut in spectaculis quæ Romæ fiebant, digni essent, qui exhiberentur. Quo casu principem consulendum JC. monet, An velit eos damnatos Romam mitti, ut in pop. Romani muneribus bestiis obiiciantur, atq; ita dignius præbeant spectaculū, quæ vera est Alciati interpretatio *lib. 2. parerg. c. 28.* quam & Joh. Corasius sequitur *d. loco*, & Didacus Covarruv. *lib. 2. variar. resolut. cap. 9. n. 6.* qui tamen existimat, etiam ipsum Judicē posse proprio judicio & sententia, ob personæ dignitatem & excellentiam, pœnam Legis ordinariæ minuere, & in mitiorem commutare. Quod ut verum quandoque esse haud illubenter largimur: ita ex Modestini lege *ad bestias 31.* id probari nequaquam concedimus. Illud inde colligeris rectius; Eos qui ad bestias damnati sunt, etiamsi unam aut alteram belluam superassent, non tamen dimissos, hoc est, pœnā fuisse solutos. Singulare igitur planè est, quod Gellius *lib. 5. cap. 14.* scribit, Androdum Consularis cujusdam viri servum rei capitalis damnatum, cum ad bestias datus esset; & à Leone atrocissimo servatus incolumis, cunctis petentibus dimissum fuisse, & pœna solutum; Leonemq; ei suffragiis populi donatum. Regulariter ergò, si Androdus pœna solutus dimissusq; favore populi non fuisset; Leone illo atrocissimo educto, alia confestim belua in conseptū caveæ immissa fuisset. Jacob. Ræward. *lib. 2. varior. c. 14.* Nō immerito igitur Imperatores ea ferarum spectacula appellarunt Lachrymosa *in l. ult. C. de feriis*, & proinde clericis sive Ecclesiasticis personis ad quodlibet istiusmodi spectaculum spectandi gratia accedere, interdictum legimus. *Novell. 123. de sanctissimis Episc. c. 10.* quandoquidem etiam gladiatorum sceleribus non minus cruore perfundatur, qui spectat, quam ille qui facit, ut est apud Lactant. *in Epit. c. 6.* Ideo cruēta spectacula *ait Constantin.* in otio civili & domestica quiete nō placent. Quapropter omninò gladiatores esse prohibemus *l. un. C. de gladiator. l. penit. tus tollend. lib. 11.* Hæc quippe spectacula (inquit Isidorus *Etymolog. lib. 18 cap. 59.*) crudelitatis & inspectio vanitatis non solum hominum vitiis sed etiam Dæmonū jussis instituta sunt. Proinde nihil debet esse Christiano cum Circensi insania, cū impudicitia theatri, cum Amphitheatri crudelitate, cum atrocitate arenæ, cum luxuria ludi. Quem locum in spectaculorū detestationem adducit Lucas de Penna *d. l. un. C. de gladiat. penit. tollend.*

Damnati ad bestias, etiamsi unam ex his superassent non tamen ideò liberabantur. Androdus.

Spectacula clericis interdicta.

2 *Cursum in Circo maximo*) De hoc dictum fuit suprà ad Titulum de Circo Maximo: quibus adde, quæ de duodecim portis Circi scripsit Josephus Scaliger *lib. 1. Ausonian. lection. c. 25. & lib. 2. cap. 23. 24.* Ac quoniam Agitatorum ibi facta à me fuit mentio; non dissimulandum putavi, in Circensibus illis ludis sive spectaculis; quæ à Romulo propter felicem Sabinarum raptum antiquitùs erant instituta; & in quibus quadrigæ septimo currebant circuitu, atque equos adversæ partis fregisse victoria erat, usitatum fuisse Agitatoribus, dæmoniacis quibusdam imprecationibus adversariorum equos impe-

Agitatores quidam malefici.

impediisse, & suos ad cursum incitasse, ita ut suis equis velocitatem, adversariorum verò tarditatem adferrent, ut est apud Arnobium *lib. 1.* Hieron. *in vita Hilarionis*, & Cassiodor. *lib. 3. Ep. 51.* quos refert Martin. DelRio *l. 2. Magicar. disq. fol. mihi 136.* Indeq; est, quod capitis pœnam in Maleficos ejusmodi agitatores videamus constitutam. Nam ut Valentinianus, Theodosius, & Arcadius rescripserunt: Si quis ex Agitatoribus alium quempiam aurigam sive agitatorem maleficiorum labe pollutum audierit, deprehenderit, occupaverit: illico ad publicum pertrahat, & Judicum oculis communis hostem salutis ostendat. Quòd si quisquam contra hoc interdictum venire tentaverit, aut clandestinis suppliciis etiam manifestum Reum maleficæ artis oppresserit; ultimum supplicium non evadat *l. ult. C. de Malefic. & mathemat.* de quibus videatur Jacob. Ræ vardus *lib. 5. varior. c. 14.*

DE DAMNATIS IN METALLUM

TIT. LXI.

Moris erat, Delinquentes, quos ultimo supplicio nolebant adficere, ad effodiendum metallum, sulphure & gypsum condemnare. Effodiendum autem ut plurimum id erat in Proconneso, *ut est in Iure civili,* * *& apud* Nicephorum *lib. 11. Hist. Eccl. Erat q; insula Propontidis, hodiè* Marmora *dicta, & metallorum inprimis ferax. Condemnabantur etiam in insulam Gypsum, mare rubrum & alia loca.*

Damnati in metall.

** §. quod autem in Auth. de Nuptiis.*

Erat id pœne genus admodum miserabile, ut D. Cyprianus *Epistola 25. conqueritur. Nunquam enim Solis lumen intuebantur, nec uspiam nisi in terra cubantes dormiebant, ac quasi transformati ferè incognoscibiles evadebant. Multi Christianorum, persequutionem paganorum experti, pœnam hanc subierunt: quæ tamen in usu postea esse desiit. quandoquidem Principes hodiè non amplius in metallum, sed ad* Triremes *condemnant Reos. Id quod Romani nunquam factitârunt, qui servorum remigio uti noluerunt. Emebant quidem Servos ad necessaria sibi munia expedienda: Sed antequam eos remigationi adhiberent, libertate donabant, quemadmodum factum ab ipsis legimus, cum Remigibus adversus Carthaginenses indigerent. Prudenter sanè. Sæpè enim numero Servi & mancipia nostra victoriam hostibus conciliarunt. Est quidem introductus hic usus minoris sumtus faciendi gratiâ, sed non absque ingenti periculo. Ideoq; Veteres Servorum opera nunquam in Triremibus usi fuerunt: tantum abest, ut ad remigandum eos coegerint.*

Damnat. in metall. pœna miserabilis.

Cui successit damnatio ad Triremes.

Servi à Romanis Remigio non adhibiti.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Metalli notatio.

Metallorum Græca videtur esse denominatio: cum dictum esse possit Metallum, quia *μετ' ἄλλα*, hoc est, aliud post aliud inveniatur. Id quod Plin. sensisse videtur *lib. 33. cap. 6.* Ubicunque, inquit, una inventa vena est, non procul

cul invenitur alia: hoc quidem & in omni materia: Unde metalla Græci videntur dixisse.

Eius genera.

Metalli autem nomine generaliter continetur, quicquid è terra gignitur & eruitur æs, alumen, creta, marmor, *l. sed si pecunia. 3. §. fin. ff. de reb. eorum qui sub tutel.* ibi: Si lapidicinas, vel quæ alia metalla pupillus habuerit,

Stypteria.

stypteriæ (*id est aluminis* παρὰ τὸ στύφειν, *quod potentissime adstringat*) vel cujus alterius materiæ: vel si cretifodinas, vel argentifodinas, vel quid aliud huic simile.

Sulphur.

Sulphur quoque, quod Apulejus vivax metallum appellat *lib. 9. de Asino aureo*; Ulpianus metallis disertè adnumerat, non secus atq; aurum, argentũ, æs, ferrum, & cætera: *in l. æquissimum §. proinde. ff. de usufruct.* quemadmodum &

Calx.

Calcem *in l. aut damnũ 8 § in calcarium. ff. de pœn.* In calcariam quoq; (ait) vel sulphurariam damnari solent: sed hæ pœnæ

Calcaria.

Metalli magis sunt. Quo in loco *Calcaria* (spreta Accursii ridicula interpretatione, existimantis per hanc opus calcandi terram intelligi, ad faciendum murum) Ulpiano locus est, ubi calx coquitur. Sed & lapis preciosus fossilis Plinio Metallum dicitur *libr. 38. cap. 9.*

Aurum potissimum metallum.

cui etiam omnium Metallorum potissimum aurum est: colore autem argento inferius. *lib. 38 c. 3.* quoniam (ait) argentum ad diei colorem magis accedit. Quæ tamen ratio Forcatulo *Necyoman. dial. 6. nu. 5.* displicet: eo quod causa diei sol est, cujus aurum colorem repræsentat. Atqui causa effectu est nobilior. Atq; hanc auri nobilitatem & illud ostendit, quod quanto igni magis excoquitur, tantò magis enitescit & fit purius.

Obryzum.

Unde & Obryzi, id est, multoties excocti nomen invenit. *l. unica. C. de veteris numis. potestate. lib. 11. & l. un. C. de oblat. votor. lib. 12.* Id enim ita excoctũ, omnes splendores ostendit, si Pindaro credimus *in Nemeis hymno 4.* vel ut cũ Plinio dicam, aurum id igni probatum, simile colore, quo ignis rubet. Quod autem damnatos in metallum attinet, de quib. hoc nostro tractatur titulo: sciendum est, aliud pœnæ genus esse in Metallum damnari: & rursum aliud, in opus Metalli. Inter eos, inquit Ulpianus, qui in metallum; & eos, qui in opus metalli damnantur, differẽtia in vinculis est: quod q. in metallum damnabantur, gravioribus vinculis premuntur: qui in opus metalli, levioribus. *l. aut dam. 8. § inter eos. ff. de pœnis.*

l. 2. §. inter eos ff de pœnis.

Sed unde hæc vinculorum differentia: Fortean,

Damnati in metallũ.

quia in Metallum damnati, fodinis inhærere cogebantur, metalla effodiẽtes. quod cùm fieret, non erat necessum, ipsos divagari, sed in illo, cui inhærebant loco, operari: Ideoq; absque laboris impedimento gravioribus vinculis onerabantur.

In opus metalli.

At qui in opus Metalli damnabantur, propterea levioribus astringebantur vinculis, quòd in massam Metalla reducerent, & circa varia exercitia essent occupati: quippe qui non assiduè in fodiendo morabantur, sed modò ad exportandum metallum, modò ad coquendum, reducendum, & alia hujusmodi servitia præstanda adigebantur, in quibus ob graviorum vinculorum onus facilè potuissent impediri. Sylvest. Aldobrandinus *in § Ius autem. Institut. quib. mod. ius patria potest. solvit. nu. 68.* Quanquam non in vinculis tantùm, sed & in pœna differentiam istam (quantumvis ea exigua & non diversa admodum Callistrato videatur *in l. cognitionũ. 5. in fin. ff. de variis & extraordinar. cognition.*) consistere certum est. Refugæ enim ex opere Metalli, in Metallum dantur; vel, ut Callistratus loquitur, pœnæ metalli subiiciuntur: At qui ex Metallo fugerint, graviùs, hoc est, morte coercentur. Hanc enim interpretationem Ulpiani responsum *in d. l. aut dam. 8 §. inter eos. ff. de pœn.* à Callistrato capit. *in d. §. fin. l. 5. de var. & extraor. cognit.* Longè vero mitius etiam

pœnæ

In Ministerium metallicorum.

pœnæ genus erat eorum, qui in metallicorum, h.e. damnatorū in metallum Ministerium condemnabantur. Quamvis enim hi idem, quod in opus damnati, operarentur; nullis tamen omninò vinculis constringebantur. Et huic quidem Ministerio etiam fœminas quandoque mancipatas fuisse, Ulpianus docet *in d. l. 8 §. in ministerium.*

Damnatio ad Triremes.

Cæterùm ista in Metallum, sive in opus Metalli damnatio, commutata hodiè est in damnationem ad Triremes, sive Galeras, ut vocant: quam qui sustinent, eos vivos videntesque dicas esse mortuos. Utris certè eos adnumeres, Vivis an mortuis, non immeritò dubites; cum certum sit, Eos vel mille expositos mortibus, vix tandem mori tamen: ut non absque ratione Vita ipsis supplicium; Mors solatium videri possit. *arg. l. quisquis 5. § 1. C. de L. Jul. Majestat.* Rectè tamen hoc loco observavit Auctor noster, Romanos Servis in Remigatione usos non fuisse, quibus etiam indecorum visum est, servum ad Statoris, vel ut alii legunt *Stratoris* munus admittere. Nam ut Ulpianus ait: Nemo pro consulum Stratores servos habere potest *l. observare. 4. ff. de offic. procons. & Legati.* Sic enim eo in loco Antonius Goveanus legit, *lib. 1. Variar. lection cap. 42.* quanquam Jac. Revard. non *Servos*, sed *Suos*, hoc est, domesticos legendum esse contendat. *lib. 1. Varior. cap. 12.* Quam lectionem etsi & Cujacius *lib. 11. observat. c. 1.* veriorem putat: nihilo tamen minus Suorum nomine non Domesticos tantùm, sed & Servos contineri ait, *ut in l. videmus. 11. ff. Locati.* ubi Suis, hoc est propriis & domesticis, sive etiam Servis, Hospites manifesto opponuntur.

Servi olim non remigabant. Nec statoris officio fungebantur.

Apparitores.

Erant autem Statores, iidem qui e *Apparitores*; per quos Budæus intelligit Magistratuum nuntios, sive ministro apparituram Magistratibus facientes; dum iis præstò sunt ad imperia capienda & exsequenda, quasi dixerit Ulpianus: si quò Proconsuli exeundum sit, nullos habebit domesticos Apparitores; sed milites ante eum ambulabunt. Quæ sententia tum quoq; erit integra, si pro Statoribus cum Cujacio legas *Stratoribus*. Nam & Stratores dicebantur, qui castra præibant, ut loca accommodatiora ad exercitum traducendum facerent. Atqui ejus modi actib. Servos immisceri, Veteres noluerunt. *l. generali 3. C. de tabularius, scrib. l. 10.* quēadmodum & ab omni militia eos à Marciano videmus prohibitos *in l. ab omni 11. ff. de re milit.* Cum Servis quoque pari in causa constituit Menander eos, qui de libertate sua litigantes, nec dum sententia lata, militiæ se dederunt. *l. qui de libertate. 29. ff. de liberali caus.* Et Ulpian. scripsit, Eos, qui status controversiam patiuntur, licet revera liberi sint, non debere per id tempus nomen militiæ dare, maximè lite ordinata: sive ex libertate in servitutem, sive contra petantur. Ac nec ii quidem qui ingenui bona fide serviunt. Sed nec, qui ab hostibus redemti sunt, priusquam se luant. *l. qui status 8. ff. de re mil.* Sed quæ pœna infligebatur servis, qui in militiam se adscribi patiebantur? Et quia grave crimen habetur, dare se militem cui non liceret: atque idipsum quoq; crimen dignitate, gradu, specie militiæ augetur *l. 2. in fi. ff. d. t.* non mirum, quòd capite id puniendum Marcianus responderit *in d. l. ab omn.* Quod ità tamen tēperandum censet Trajanus apud Plinium *lib. 10. Ep. 39.* ut scire referat, utrum servi inter milites reperti, voluntarii se obtulerint, an lecti sint, vel etiam vicarii dati. Lecti si sunt, (inquit) Inquisitor peccavit: Vicarii dati, penes eos culpa est, qui dederunt: Si ipsi, cum haberent conditionis suæ conscientiam, venerunt, animadvertendum in illos erit. Neque enim multum interest; quòd nondum

Stratores.

Servi non militabant.

Militantiū servorum pœna.

dum per numeros distributi sunt. Illi enim dies, quo primùm probati sunt, veritatem ab his originis suæ exegit. Veruntamen in hoc Belli necessitatem excipio. Nam & M. Antonius Imp. Servos ad militiam paravit, quos *Voluntarios* exemplo Volonum appellavit, teste Julio Capitolino *in vita Ant.* Atq; ipsum etiam Sextũ Cæsarem, cum civilia prælia essent inter Italos & Romanos, civitates adversantes obsedisse, & multos servos militiæ adscripsisse Appian. scribit, *lib. 1. de bello civili.* Quod tamen ita interpretor, ut antequam militiam sortirentur, Servi illi manumissi, & pro ingenuis fuerint habiti, ut ex Eutropio *l. 3. de gest. Rom.* colligitur, & ex illo Isidori: servos nunquam militasse cõstat, nisi servitute deposita *lib. 10. Etym. cap. 4.* firmare videtur Luc. de Penna *in l. super servis. 6. C. qui milit poss. vel non. l. 12.* Idq; vel tum maximè procedebat, cum Dominis scientib. militiæ nomen dederint servi. Eo ipso enim hos ingenuos fieri Justin. voluit: quemadmodum è diverso servos, qui dominis ignorantib. militiam meruerint, spoliatos militia à Dominis in dominiũ suum retrahi posse sancivit, *l. super servis. 6. C. qui mil. pos. l. 12.* Cæteroquin, si culibet servorum integrum fuerit arma capere, & militiæ sese accingere; q. d aliud Dominis sperandum inde erit, quam perniciosissimę conjurationes, & servilia bella perpetua? quæ quanto olim terrori & formidini fuerint, vel inde conjectura fit probabile, quod ne Romanor. quidem potentia, sine maxima civium clade coerceri ea potuerint. Eodem n. tempore in omnib. Italiæ Civitatib. præter Messanã, servi adversus Resp. conjuraverant. Pòst etiam Spartaco Duce sexaginta circiter millia servorum arma ceperant ac Romanor. tres exercitus fregerãt *Orosius & Plutarch. in Crasso.* Nam ubiq; servorũ numerus decies major fuit, quàm liberorum.

Necessitas tamen servos quando que admisit.

Bella servilia.

Servi plures quam liberi.

Et quidem Athenis censa fuerunt, uno tẽpore, peregrinorum decem millia: Civium viginti: Servorum aũt CCCC. millia. Unde cum aliquando in Senatu Rom. ageretur de commutandis servorum vestibus, ut à liberis hominibus notâ quadam secerni possent: Senator aliquis intercessit; ne, si seipsos servi numerare cœpissent, exitium Dominis intentarent, ad quos alioquin proclives videmus, przsertim si, aut duriùs ab his habiti, aut Syllam aliquem dictatorem fuerint nacti. Syllam enim dicunt libertatem servis Dominos prodentibus, mercedis nomine proposuisse in singula capita eorũ, quos ipse proscripsisset. Quo in metu Cives satis, diu sanè fuerũt, quoad cæsis sexaginta Civium millibus & quodamodo pacata Republica, servus aliquis ad extremũ Domini caput ad Syllam detulit: qui pactam libertatem dedit, sed manumissum de rupe Tarpeja præcipitem dari jussit. Joh. Bodin. *lib. 1. Repub. c. 5.* Adeò verum id fuit, quod proverbiali circũfertur sententia: DOMI TOT HOSTES ESSE QUOT SERVOS. Ac ne infinitus sim, satis nobis fuerit, vel unicum saltem singularis perfidiæ, qua servus de domino vindictam sumsit, exemplum commemorare. Servus, cùm acerbiùs tractaretur, Domino absente, ostia concludit: uxorem domini contumeliosè affectam vinculis constringit; ac tres ejus filios cõprehendit. Ubi dominum videt redeuntem, unum è tribus ex altissimo solatio præcipitem dat; deinde secundum: Pater tanta rei atrocitate obstupefactus, precibus & lachrumis servum exorare; ac modis omnibus placare conatur, ut tertium morti eripiat. Servus paciscitur salutem filii ea lege, ut dominus sibi ipsi nares præcidat. Naribus ex pacto amputatis, Servus cùm tantâ clade & contumeliâ Dominum ultus esset, tertium quoque dejecit: ac postremò ultionem de sei-

Servis proditoribus Dominorũ libertas proposita.

Tot hostes quot servi.

Memorabile exemplum servilis vindictæ.

se ipso quam dominus cogitabat, præcipiti casu cepit. Ita ex Pontano recenset Johannes Bodinus *libr. 1. de Republ. cap. 5.* Cui omninò addendum est, quod de bello civilis exortu, mirabili progressu & exitu eleganter scripsit Photius ex *Diodoro Siculo libro 34.*

* * *

DE EXEQUIIS MORTUORUM TIT. LXII.

Si quis præcipui nominis diem functus esset, septem dies domi detinebatur, octavo comburebatur, factis exequiis solennibus, quas Virgilius in 6. *describit:*

Principio pinguem tædis, & robore secto, &c.

ubi ait, struem lignorum erectam fuisse ex pinu & robore: quæ frondibus ornabatur. Postea erecta Cupressus splendidis defuncti arma induebatur. Ipsum verò corpus aqua ad ignem calefacta lavabant, & odorifero ungebant oleo. Inde plangebant defunctum; lecto imponebant, & pulcherrimis ac pretiosissimis, quæ habuerat, vestimentis amictum, super rogum intrinsecus vacuum & bene compositum ferebant, sparso prius in eum thure & oleo. Immittebant & Canem, Equum, aut servum, quem præ aliis charum habuerat. Postea ardentibus facibus undiquaque rogum aversi incendebant. Die nono cum jam ustum esset Corpus, & ut ait Virgilius:

Præterea si nona diem mortalibus almum
Attulerit:

*colligebant ossa, & vino lota in aneam aut fictilem condebant urnam. Dein ramo olea in aquam immerso circumstantes adspergebant credentes scilicet, Eos hoc modo purificatos iri. Mortuo verò ultimum illud VALE, & I, LICET, ingeminabant. Qui non urebantur, eos unguentis fricabant, odoriferis & gratis factis suffitibus. * Nobiles testamento mandabant, ut Liberti monumento assiduam lucernam attenderent, & sepulturam custodirent, * Eodem die nono, postquam fatis jam concesserat defunctus, in memoriam ejus ludos edebant, quos Novendiales nuncupabant. Unde* Horatius,

Dissipare novendiales pulveres;

dixit. Ludi isti erant, Equorum cursus, Bestiarum occisio sive confectio, & Servorum ac Gladiatorum in Amphitheatro pugna. De quibus superius à nobis dictum est, & Tertullianus *quoque libro De spectaculis, disserit. Sed & illo ipso, quem dixi, nono die Epulum populo in foro dabant, ut videre est apud* Dionem *libro* 40. *&* Ciceronem *in Oratione pro Murena. Quintus Tubero (inquit) cùm Epulum Quintus Maximus, Africani patrui sui nomine Populo Romano, daret, rogatus est à Maximo, ut triclinium sterneret; cum esset Tubero ejusdem Africani sororis filius. Atque*

Marginalia: *Pyra. Cupressus armis induta. Corpus lotum & unctum. Rogo impositum. Cum animalib. quibusdam & servo. Rogus ab aversis incensus. Ossa collecta. Adstantes purificati. Conclamatum. * l. & ideo 7. §. illud ff. de in rem verso. Lucerna perpetua. * l. Mavia ff. de manum test. Epulum populo datum.*

Atque ille stravit pelliculis hædinis lectulos Punicanos, & exposuit vasa Samia. Has sordes graviter tulit Populus Romanus. Itaque homo integerrimus, civis optimus, cum esset L. Pauli Nepos, P. Africani, ut dixi, sororis Filius his hædinis pelliculis Prætura dejectus est.

Quorundam corpora non comburebant sed una cum vestibus, itemq; Lacte & vino adspersis, extra Urbem sepeliebant. Imperatores exquisitis quibusdam solennitatibus sepeliebantur, quas Herodianus *libro* 4 *recenset. Inter alias vanitates, & ineptias concavam & quadratam lignorum struem erigebant, singulis lateribus porta addita, per quam defuncti cadaver conspiciebatur. Supra hanc alia item quadrata erat strues; sed strictior: quam ibidem adhuc alia magis stricta excipiebat; & quasi scalaribus gradibus adscendi posse videbatur: ut in Numis & toreumatibus etiamnum conspicitur. Erat ibi & Aquila, resti sive funiculo alligata: quæ funiculo isto unà cum corpore combusto, volabat in altum, & Imperatoris animam in cœlum dicebatur evehere. Atque ita in Deûm numero eum collocantes, Divi nomine indigitabant.*

Sepultura.

Aquila avolans.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

CONsentaneum veritati & observantiæ, imò indubitatū est sapientibus, quædam nobis cognata esse semina immortalitatis; cujus adeò appetẽtes simus, ut & sepulturæ prospiciamus, & nolimus cadaver nostrum malè haberi. Nec enim admittenda est væcordium quorundam sententia, Animam nostram à Corpore solutam interire existimantium; atque idcirco nos esse solicitos ejusmodi diuturnitatis. Sanè harum pecudum animi tam insipidi nunquam vixerunt ipsi cum suis sententiis. Humanum verò ingenium, quod animæ nostræ vis est, cum se sciat immortale; optat illud etiam, ut corpus ipsum quoque & omnes, & domicilium suum, quoad fieri possit, eadem felicitate perfruatur. Atqui jam Cadaver neq; sentit, neq; tuum est amplius. At fuit: at nunc sensus est mihi viventi earum commoditatum, quas passurum sit cadaver meum. Jul. Cæs. Scalig. *lib.* 3 *poetices c.* 20. Et quidem quãta vivis nobis sepulturæ cura esse soleat, tum cotidiana rerum experientia, tum etiam vitæ magistri docent historici. Nam & Ægyptiorum Reges ad vitam justam & honestam nihil tam adduxisse legimus, quàm, si secus facerent, Metum atque formidinem denegatæ sepulturæ, Diodor. *lib* 1. qua *Frotho Danorum Rex* carere etiam voluit cadaverum violatores Sancivit enim, ut si quis Vespillonum scelesta cupiditate id aroтasset, pœnas nõ solum sanguine, sed etiam inhonesto cadavere daret, busto & inferiis cariturus. Siquidem par esse credebat, ut alieni corruptor amoris nullo funeris obsequio donaretur, sortemque proprio referret corpore, quam in alieno perpetrasset. Saxo Grammat. *lib* 5 *histor. Dan. fol.* 79. Et cum virgines Milesiæ, quot tum ferè in ea civitate essent, repentè sine ulla evidenti causa, sed morbo quodam, qui in hominum animos interdum solet incidere, voluntatem cepissent obeundæ mortis, plurimæque jam suspensæ vitam amisissent: Milesiorum Senatus frequentius id accidere ratus, quàm è re & commodo Reipubli-

Immortalitatis omnes sumus cupidi.

Sepulturæ cura.

Et virgines Milesiæ.

publicæ diutius ferri atq; dissimulari posset; Decrevit, ut quæ virgines corporibus suspensu mortuæ deprehenderentur, hæ post hanc Legem, cum eodem Laqueo, quo prævinctæ & alligatæ essent, nudæ tota via publica ad sepulturam efferrentur. Post quod decretum virgines voluntariam mortem non concupisse dicuntur, pudore solo deterritæ tam inhonesti funeris. Sic evenit, ut vel ipsa cogitatione funeris ignominiosi vita retineretur amittere volentibus. Gell. *lib 15. Noct. Att. cap. 10.* & P. Ærodius *lib. 2. Decretor. tit. 39.*

Mezentius. Mezentius quoq; ille apud Virgilium non quidem Mortem deprecans, quippe qui scribat *Nullum in cæde nefas* esse; sed acerbam cadaveris sui tractationem metuens, unicam sepulturam rogat Æneam: *Unum oro*, inquit,

Corpus humo patiare tegi: scio acerbam eorum
Circumstare odia, hunc oro defende laborem
Et me consortem Nati concede sepulchro.

Turnus. Iisdemq; communis parentis nostræ, hoc est, Naturæ affectibus etiam Turnum, quamvis tanto robore, tali genere, tot rebus gestis clarum, moveri tamen videas, cùm exanimum corpus suum parentibus reddi rogat:

—seu corpus spoliatum lumine mavis;
Redde meis.

Quod si sepultura tanti æstimata fuit ab illis, qui ne carnis quidem resurrectionẽ unquam crediderunt: multò minùs profectò nobis erit negligẽda, qui caduci hujus corporis resuscitationem, & felicissimam in beatorum consortio vitam nullis seculorum finibus terminandam præstolamur: siquidem Corporibus nostris impensum ejusmodi officium, est quodammodo ejusdem fidei testimonium. *canon. non æstimamus. §. corpori 13. q. 2.* & pignus Resurrectionis. Theodor. Beza *ad 14. c. Matth. v. 12.* Hinc etiam est, quod de sepulchris & monumentis, quæ defunctorum domus Constantinus appellat *in l. 4. C. de sepulch. viol.* tam provide & religiosè multa in jure nostro sint prodita. *l. 1. ff. & C. de Religios. & sumpt. fun. De mortuo infer. & de sepulchr. viol.*

Sepulchra. *Sepulchrorũ & Monumẽtorum Religio.*

Nam & voluntas defuncti Monumentum sibi fieri disponentis, salva conscientia, & citra infamiã negligi nequit. *l. militis. 5. C. de relig. & sumt. funer.* uti nec ipsum monumentum obligari. *l. 2. C. d. t.* legari *l. monumenta. 14. C. de legat.* permutari. *l. 12. § 1. de religios. & sumt. fun.* aut alienari vel distrahi potest. *l. 2. & 9. C. d. t.* Etenim cùm monumẽta memoriæ servandæ gratia existant. *l. 1. § 6. ff. d. t.* satis inhumanum & durum fuerit, memorias vendere Mortuorum. *can. postquam. 13. q. 2.* Quo etiam fit; ut dispositio illa, qua quis monumẽtũ sibi adinstar ejus, quod Demetrii aut Damæ fuerat, fieri jussisse, & in nomine errasset; nihilominus tamẽ valeat: & ideò ob hunc nominis errorem vitiari non debeat. *l. in testamẽto. 27. de cond. & demon.* quia sc. Religionis interest, Monumenta exstrui & exornari. *l. 1 § interdictum. de Mortuo infer.* & ideò Papinian. asserit, se propter publicam utilitatem, ne insepulta cadavera jacerẽt, strictam rationem insuper habere *l. sunt personæ. 43. in fin. ff. de religios. & sumptib. fun.* id est, negligere, ut Cujac. interpretatur. *lib. 11. observat. cap 11. & lib. 3. c. 22.* (Quod enim insuper habemus, ejus quod superabundat loco reputamus, at quod abundat, plerunque solemus negligere. Jacob. Ræyard. *lib. 3 varior. cap. 3.*) cum summa sit ratio, quæ pro Religione facit. *d. l. sunt personæ* quemadmodum è diverso placuit ineptas defunctorum voluntates circa sepulturam non valere. *l. serv. 113. in fin. de legat. 1.* Unde si hæres hac conditione scriptus, *si reliquias testatoris in mare projecerit*, conditioni non paruerit: Modestin.

Insuper quid habere.

respondit, Laudandum esse magis quàm accusandum hæredem; qui reliquias testatoris non in mare secundum ipsius voluntatem projecerit, sed memoriâ humanæ conditionis sepulturæ tradiderit: Ideoque ab hæreditate eum non expellendum. Sed hoc inspiciendum potiùs, ne homo, qui talem conditionem posuit, neque compos mentis satis fuerit *l. quidam. 27. ff. de condit. institut.* Indeque esse opinor, quod tantos sumptus & impendia in monumentis exstruendis multi fecerint. Cur enim tam operosa Mausolea, tot prodigiosæ magnitudinis & firmitudinis Pyramides quorundam corporibus putem impositas, quàm ut si non universa temporum spacia æquare possent; aliqua tamen quàm maximè longinqua superarent? Interea autem, quod quis memoriæ caussa monumentum sibi posuit, violandum non esse, tralatitium est *t. t. ff. & C. de sepulchro violat.* Alciatus *lib. 10. parerg. cap. 4.* Menochius *lib. 2. de arbitrar. Judic. quæst. cent. 4. casu 387.* adeò ut contaminata defunctorum Religio pœnam sacrilegii habere dicatur. *l. pergit. audacia. 5. C. de sepulchro violat.* Quo nomine rectè ab Ulpiano responsum legimus: Justæ sepulturæ traditum, id est, terrâ conditũ Corpus, inquietandũ non esse *l. Divi 39 ff. de Religios. & sumpt. funer.* Videm autem terrâ conditum, & si in arca conditum sit hoc modo; ne alibi transferatur *d. l. Divi* Solebat scil. non terrâ tantùm, sed etiam in arca Lapidea, *l. is qui. 7. §. 1. ff. de r.* suprà terram positâ, Corpus perpetuæ sepulturæ tradendum plerunq; recondi. Quæ quidem Arcæ etsi olim plebejum sepulchri genus arguebant, ut ex illo Lucani:

Corpus terra conditũ.

& in Arca.

Da vilem Magno plebeii funeris arcam:

probat Cujacius *lib. 11. observ. c 21.* posteà tamen magno in precio habitæ, & à præstantibus quoq; Viris sunt usurpatæ: quippe cùm Arcarum beneficio, ut Theodoricus Rex graviter dicebat, cadavera in supernis humata, sint lugentium non parva consolatio: quoniam Animæ tantùm de mundi conversatione discedunt, Corpora verò dulces quondam superstites nõn relinquunt. Cassiodor. *lib. 3. Varior.* & Jac. Rævard. *lib. 2. Varior. c. 4.* Ac memini, me ejusmodi Arcas, & quidem marmoreas, cùm Accursii, Odofredi & Roffredi Bononiæ: tum aliorum alibi in Italia passim videre. Quanta autem sit sepulchri violati atrocitas, quæ item pœna: id explicatè tradit Tib. Decian. in praxi criminali *lib. 6. cap. 39. & seqq.* quem adire, Lector, è re tua fuerit. Jam ad Veterum ritus in defunctorum curatione observatos nos cõferamus. Et quidem auctor est Servius *lib. 5. Æneid.* apud majores moris fuisse, ut qui mortuus esset, domum suam referretur. Unde illud:

Prisci exequiarum ritus.

Sedibus hunc refer ante suis, & conde sepulchro.

antequam autem id fieret, aqua ablueretur, & per intervalla conclamaretur (cujus rei rationem tradit Plinius: quod interdum spiritus vitalis exclusus putetur, & homines fallat. Unde & dies septem cadavera servabantur, & post ultimam domum conclamationem comburebantur. Inde istud Terentii: *Desine: jam conclamatum est.* Tralatitium quippe est, eos qui deliquium animi patiuntur clamore & voce sonora quasi animari. Deinde cũ septem ibi dies fuisset, octavo die rogo daretur sive incenderetur: non sepeliretur: eoque Horatii pertinuisset:

Novendiales dissipare pulveres.

Dum itaque intus positus esset mortuus, forisve ferretur, sine fraude erat, vel ipsi mortuo coronam, quàm virtute pepěrerat, parentibusque ejus imponere. Virtute inquam pepererat, ex Cicerone optimo hujus moris interprete: Jam illa, ait, significatio est, laudis ornamenta ad

Mortuo corona imposita.

mor-

mortuos pertinere, quod coronam virtute partam, & ei qui peperisset, & ejus parenti sine fraude esse Lex impositā jubet. Quinimò si quis non virtute, sed pecunia aut pactione coronam acquisiverat; is ejusque pecunia Legi Decemvirali arguebatur. QUI CORONAM FACIT, ait Lex, IPSE PECUNIAQUE EIUS VIRTUTIS ERGO ARGUITOR, ubi virtutis ergò arguitur, qui virtuti fraudem fecit. Ita enim Legem istam apud Plinium *lib. 21. c. 3.* Jacob. Rævardus emendat, ablutus ita & conclamatus, sive defletus efferebatur; veluti ad sepulturam processurus. Nam, ut Plin. auctor est: ritu naturæ hominem capite gigni mos est; pedibus efferri. Hinc Persianum illud

In portam rigidas calces extendit—

Elatum autem ex ædibus cadaver eadem Decemviralis Lex erat in Urbe sepeliri aut uri. HOMINEM MORTUUM (ait) *in Urbe* ne sepelito, neve urito. Hoc, propter ignis periculum, ait Cicero: illud, ne sacra Civitatis funestentur, ut Paulus putavit 1. *Sentent. 21* aut quod perinde duco, ne sanctum municipiorum jus polluatur *l. Mortuorum, 12. C. de Religios. & sumt. funer.* vel, ne Urbanum cœlum fœdo cadaverum odore infectum, pestem civibus, qui spiritum ex eo ducerent, inferret. Itaq; moris fuit, ut pyræ cupresso circumdarentur, propter gravem ustrinæ odorem, ne populi circumstantis corona offenderetur: sicuti Hotomannus rectè adnotavit. Quò pertinet illud Senecæ, Non defunctorum causa, sed vivorum inventam esse sepulturam scribentis: ut corpora & visu & odore fœda amoverentur. *lib. 1. de Remed fortun.* Ideoque & JCto cautum fuit, ne quis in urbe sepeliretur. Hinc mos invaluit, ut in continentibus urbis humatio fieret. Ovidius

Inq; suburbano membra sepulta solo.

Ac cum SConsultum illud penitus antiquatum esset, Divus Hadrianus id restituit *l. 3. §. Divus Hadrianus de seq. viol.* Itemque ejus successor Antoninus Pius teste Spartiano, ut videre est apud Paulum *libro. 1. sentent. Tit. ultim. §. 2. & §. 3.* sed cum leges illæ conculcarentur, & omnes inter Ecclesias & urbes sepeliri vellent, id Imperatores Christiani vetuerunt. *l. 6. C. Theod. de sepulch. violat. & l. mortuorum 12. C. de religios. & sumpt. fun.* quod postea refixit Leo sapiens *Novell. 53* permittens cuique tam intra civitatem quàm extra mortuos sepelire. Priori aūt loco Lex Sepulturam ponit, tanquam vetustiorem Ustione: quæ tum demum fuit instituta, cùm hostilis immanitas etiam in Mortuos sæviret, cadaveraque eruerentur. Docet id Plinius *libro 7. cap. 54.* his verbis: Ipsum cremari, inquit, apud Romanos non fuit veteris instituti. terrâ condebantur, at postquam longinquis bellis obrutos erui cognovêre, tunc institutum. Cæterum in utroque hoc genere Decemviri, sumptus & lamentationes funeris ex Solonis lege minuendos voluerunt: & hoc amplius etiam ita interdixerunt: NE FACITO ROGUM ASCIA, NE POLITO. Vult igitur XII. tabularum Lex, ex incompositis impolitisque lignis, sine arte simul congestis Rogum fieri: Asciam adhiberi non vult: quæ fabrorum materiariorum dolabra est, & instrumenti genus, non solum poliendis lignis, sed etiam construendis connectisque aptum: quo in calcis maceratione Veteres etiam usos fuisse testatur Vitruvius *lib. 7. de Architect. c. 2.* Sed & tribus riciniis, & vinculis purpuræ, & decem tibicinibus funeris sumptus fuit extenuatus. Nam si Tullio credimus, voluerunt Decemviri, UT MORTUI TRIBUS RICINIIS, ET VINCULIS PURPURÆ DECEMQUE TIBICINIBUS EFFERRENTUR.

Sepultura & Ustio in Urbe prohibita.

Sepultura Ustione antiquior.

Sumptus funeris coercitus.

Ascia.

Rica. Ricinium. Rica Festo erat vestimentum quadratum, fimbriatum, purpureum. Inde Ricinium, quod & ipsum quadratum fuisse ait. quãquam XII. tabb. interpretes virilem dicant togam, qua Mulieres utebantur, prętextam clavo purpureo. Per tria igitur Ricinia, & vincula purpuræ, tres viriles togæ, tribus clavis purpureis prætextæ intelliguntur: quasi noluerint, Decemviri plures in funere quàm tres duntaxat fœminas tribus Riciniis esse indutas. Atque ea quidem Ricinia unà cum cadavere licuisse concremari, ex Liv. *lib.* 34. Hotomannus collegit, & ex Plutarcho quoq; confirmat, qui Solonem vetuisse scribit, plures tribus illis vestib. in sepulchrum condi cum mortuo. Nec enim infrequens fuit, ut quæcunque defunctus in deliciis habuerat, etiamsi preciosissima forent, in ignem unà cum ipso coniicerentur. quod posteà Lex, in immensum præsertim funeris sumptibus excrescentibus, ad certum quendam modum restrinxit: quemadmodum & Jure civili posteà diligenter cautum videmus, ut sumptus illi pro facultatibus & dignitate defuncti præstituantur: Item ne ornamenta cum corporibus condantur, quod homines (inquit Ulpianus) simpliciores faciunt *l. si quis 12 §. 3. l. 14. § 5. ff. de relig. & sumpt funer.* Veste tamen cadavera tegebantur, ut ex Cicerone *1. de legib.* constat. Et Matronis quidem fæcundis honoratior quædam vestis, quàm iis quæ nunquam pepererant, in funere concedebatur, ut ex illo Propertii *lib 4. Eleg. 12.*

Cadavera veste tegebantur, & honestiore quidem fæcunda.

Et tamen emerui generosos vestis honores.

Rectè colligit Adr. Turneb. *lib. 10. Adversar. c. 7.* vestimenta illa, quibus cadavera defunctorum vestita in sepulchro conduntur, Apulejus *feralia amicula* nominat *lib. 10. Miles.* Scribit præterea Plutarch. in problemat. mortui corpus *albis vestibus* fuisse indutum, ob puritatem: quippe color albus, solus sincerus ac purus minimeque infectus est. Sic & defunctus videtur esse factus quiddam simplex & purum, omniq; mixtura secretum. Unde & in luctu mulieres albis vestib. anteibant, ut Beroaldum ad illum Apuleji locum notavit. Hinc etiam est, quòd cùm infinito Tibicinum numero funera gravarentur, Decemviri plures in funere Tibicines, quam decem, prohibuerint. Quò respexisse videtur Ovidius *6. Fastorum.*

Veste alba.

Tibicines.

Cantabat fanis, cantabat Tibia ludis:
Cantabat mæstis tibia funebribus:
Adde quòd Ædilis, pompa qui funeris irent;
Artifices solos jussera esse decem.

Atque ii quidem Tibicines idcircò adhibebantur, ut ad funebres eorum tibias (quas Flamini audire nefas erat) næniæ mortui hominis laudandi causa canerentur, auctore Festo. Sed & Præficas quasdam Mulieres, à præficiendo sic dictas, idcò conductas fuisse, ut ante domum Mortui laudes ejus canerent, Varro *libr. 6. de ling. Latina* testatus est, citans illud Nævi: Hæc quidem hercle, opinor, præfica est; nam mortuos collaudat. Nec verò ad laudes defuncti duntaxat decantandas; sed ad planctum & fictas lachrumas conducebantur Præficæ: quæ, ut est apud Papinium *in Epiced. patris.*

Præficæ Mulieres.

—Pharios ficta pietate dolores;
Mygdoniosque colunt, & non sua funera plorant.

Et his quidem peculiare fuisse carmen, commune omnibus funeribus; quod privatum facerent mutatis nominibus defunctorum, atque familiarum, Jul. Cæsar Scalig. docet *lib. 1. poet. c. 55.* Solebant etiam Præficæ mulieres, cùm magnum simularent luctum suis quoque genis rasis sanguinem elicere. Sic enim Servius ad illud Virgilii *lib. 12.*

Lamentatio exhibita.

Et

Et roseas laniata genas.

Moris, inquit, fuerat, ut ante rogos humanus sanguis effunderetur vel captivorum, vel gladiatorum: quorum si forte copia non fuisset, laniantes genas suum effundebant cruorem ut rogis illa imago restitueretur. Sed muliebres illas tragœdias & vi expressas lachrumas ac lamentationes Lex ista sustulit: MULIERES GENAS NE RADUNTO, NEVE LESSUM FUNERIS ERGO HABENTO. Quo loci Radere idem erat, quod unguibus cruentare, digitisvè conterere. Lessum autem Lælius apud Ciceronem interpretatur quasi lugubrem ejulationem. Idque vel eò magis, quòd ejulatum & lamentationem ejusmodi Solonis Lex ibidem vetet. De Solone enim ita scribit Plutarchus: Lacerationes cædentium se, & ejulationes, alienisq; in sepulchris Lamẽtationes sustulit, &c. Et sanè testem huic rei satis idoneũ habemus ipsum Plautũ, quem Latinæ linguæ principem dicebat Gellius. Sic igitur in Truculento scribit. *act.4. sc.2.*

Genas radere.

Lessum habere.

——stultus es;

Qui facta infecta facere verbis postulas?

Thetis quoque etiam

Lamentando lessum fecit filio.

Quasi dicat Plautus: *Lamentis, gemitúq; & fœmineo ululatu filium deflevit Thetis;* & tamen suis illa lachrumis, quod factum erat, infectum reddere non potuit. Sic enim locum istum accipiendum esse evidenter *in lib. de Anima* docet Tertullianus: Planè, inquit, stygias paludes poeta tradit mortem diluentes. Sed & Thetis filium planxit. Idque & Taubmannus ibi adnotavit. Mirum tamen est, Solonem ipsum, qui Lessum, hoc est, Lamentationem, ejulationem & planctum istum tanto studio innubuerat, moriturum, jã longè aliter sensisse. Nam ejus, quantumvis sapientis hanc fuisse orationem, Cic. *lib.1. Tusculanar.* prodidit:

Solon.

Mors mea ne careat lachrumis: linquamus amicis

Mœrorem, ut celebrent funera cũ gemitu.

Ennius in hoc longè fortior, qui tale sibi conscripsit Elogium.

Ennius.

Nemo me lachrumis decoret, neque Funera fletum

Faxit. Cur? volito vivu, per ora Virûm.

meritò ille quidem. Si enim felices sunt mortui, injuria sit eorum mortem deflere: si miseri, quid fletus illis prodest? ut ex Cicer. *2. de legib.* argutatur Stephan. Forcatulus *lib.6. de Gallor. Imper. & Philos. fol.* 932. Ingemiscere nonnunquam (dicebat Cicero *lib.2. Tusculan.*) viro concessum est, idq; rarò; ejulare ne mulieri quidem. Hinc

Illa non virilis ejulatio,

apud Horat. *Epod. 10.* Signate autem neque *funera fletum* per se, quod vitiosum antea scriptum erat, neque *funera fletu*, autoritate Scaligeri reposui. Nam facere funera fletu, non est Latinum. At *funera* nominativus est fœminini, pro *muliere funerea*. Funereæ enim olim dictæ, ad quas funus pertinebat, ut mater, filius, soror, socrus, idque ad illud Virgilii

——nec te tua funera mater

Produxi, pressive oculos, nec——

Servius notavit, & ex eo Scaliger ac Becmannos noster *in originibus*, opere elaboratissimo, quos ego in re literaria non Antesignanos dicam, sed duces longe maximos intrepide secutus. Eodemque sensu accipio illud Strozæ patris *lib. 4. Erot. Eleg. de amica irata.*

Elatumq; thoro specula prospectat ab alta,

Cum tristes lachrymas funera turba dabat.

Ibi enim *funera turba*, p funerea manifeste ponitur: Quid quòd Justinianus Muliebrẽ lessum in funere, convertit in cantum? & præficarum loco Psaltrias substi-

Justinianus.

 tuit

tuit? In *Novell. 59.* enim meminit mulierum feretrum præcedentium & psallentium. In pandectis nulla hujus Romani moris supersunt vestigia: sed marito mortuo annus ad lugendum Mulieri viduæ solum præscribitur, & antè nubere alteri prohibetur: non tam ob luctum tamen, quam propter periculum turbandi sanguinis. non rectè igitur faciet nec in Domino, *ut cum Apostolo dicam*, nubet vidua, si, antequam eluxerit, alii nubat. Valebit, fateor, matrimonium: sed legis civilis pœnam dabit intereà. Idq; quia impune est; multæ ante paratum viro tumulum, alterius sibi thalamum parant, aut potius jam tum illo vivo pararunt. Raro enim absunt à suspicione stupri, aut veneficii festinatę istę & nimium properatæ viduarum nuptiæ. Tum sanguinis conturbatio fuit incertitudoque prolis fugienda: ne alienus filius secundo marito supponeretur. Sic enim fit ut non sui patris non justus sit hæres, & veri patris hæreditas defraudetur, quam ipsi jus naturæ & gentium deferebat. Quæ gravis est Francisci Connani sententia *lib 8. comment. jur. civil. cap 7. in fin.* Sed annuum istum luctus decem duntaxat mensibus terminari, Jac. Rævardus docet *lib. 1 Variar. c. 20.* De Mulierem autem continentia, & Viduitatis laude elegāter scripsit Joh. Coras. aureos illos Virgilii versus laudans, quibus Didonem ita introducit loquentem.

Annus Luctus.

Nuptiæ sceleratæ.

Viduitas.

Ille meos primus, qui me sibi jūxit, amores
Abstulit, ille habeat secum servetque sepulchro.

Porrò ad cohibendos funeris sumptus & luctum pertinet etiam illa Decemviralis Lex: Homini Mortuo ne ossa legito, quo post funus faciat. Vult enim Lex, ut postea quam crematum corpus est, ossa è cineribus legantur statimq; loco proximo in terram condantur. Quod ideo fuit institutum, ne si alium in locum sepeliendi causa deportarentur, ibiq; justa iterum fierent, & luctus duplicaretur & sumptus. Quanquam hoc sensu hominis potius, quam homini lecta intelligerentur: ex subtili quorundam distinctionē quibus hominis mortui ossa lege dicuntur, cum quæ dispersa sunt & non cohærent, simul colliguntur. At Mortuo homini leguntur ossa, cum ejus cadaveri aliqua ossa adimuntur, quod fit, vel cum digitus, quod membrum est duobus aut tribus ossibus constans, alicui abscinditur. Hinc Festus Membrum abscindi mortuo dicebatur, inquit, quum digitus ejus decidebatur, ad quod servatum justa fierent reliquo corpore combusto. Finge aliquem peregre vel in militia mortuum, ei digitum ademptum, & justis funeribus in patria faciendis adservatum; reliquum corpus apud peregrinos combustum fuisse. Lecta illi fuisse ossa, nemo negabit, nec tamen contra Legem id admissum dices. Cicerone enim interprete, Bellica & Peregrina Mors excipitur, ut sensus sit: Homini mortuo ossa legenda non esse, Extra quam si militiæ aut peregre mortuus sit. Hoc igitur casu ossa ei adimi & legi potuerunt, quò pòst funus fiat. Credo, quia molestum esset, ad eum locum amicos exequiarum causa evocare, ubi quis bello occubuisset, vel ubi Civis Rom. inter peregrinos mortem obiisset. Pertinet etiam ad sumptus minuendos alia XII tabb. Lex: Servilis unctura tollitor, omnisque circumpotatio. Sublata igitur est Unctura, sed servilis tantum. Nam & in servorum demortuorum funera impensas factas Ulpianus innuit, *in l. Iulian 13. § præterea 22. ff. de act. empt.* Non sublata autem erit Liberorum Unctura: cùm & in Pandectis eorū sumptuum probatam videamus rationem, qui in unguēto pro Mortui corpore compara-

Ossa legere.

Militaris aut Peregrina mors.

Unctura servilis.

parato sunt facti *l. funeris. 37. ff. de Religios. & sumpt. funer.* Ait Lex: *Omnisq; circumpotatio.* Antiquæ enim consuetudinis erat, ut uncto & delibuto cadavere, potatio circum illud institueretur, ordineque omnes invitarentur. Virgil.

Circumpotatio.

——ille agmine longo

Tandem inter pateras, & levia pocula serpens

Libavitq; dapes:

ubi per Dapes Servius ait Epulum intelligi, quod Silicernium dicebatur, quasi Silicœnium, super silicem scilicet positum. Etsi autem Hotomannus omnẽ Circumpotationem sublatam putat; probabilius tamen est, ut illa legis verba ob connexitatem de Servii duntaxat epulo seu potatione prohibita cum Rævardo accipiamus. Vetuit etiam Lex: Uti Ne Sumptuosa Respersio Fieret, Neve Murrata Potio Mortuo Inderetur: Neve Longæ Coronæ, Neve Acerræ Adhiberentur. Solebat enim cadaver & rogus preciosis liquorib. perfundi; & inter hos vino quoque murrato. Murratum igitur vinum tanquam sumtuosam potionem Decemviri prohibent. Cætero vino adspersionem fieri non vetant. Unde Virgil.

Silicernium.

Postquam collapsi cineres, & flamma quievit,

Relliquias vino, & bibulam lavere favillam,

Per Longas autem Coronas Rævardus intelligit, non quidem lemniscatas illas, quæ & ipsæ rotundæ esse poterant, sed quibus busta, sepulchra, sellæ curules, theatra, & currus triumphales exornari consueverunt. Non vult etiam Lex *Acerras* adhiberi. Id Festus explicat qui Acerram definit Aram, quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur, ut ita vetet Lex, Aras, quæ proximè sepulchra fierent, cum thure incensisq; odoribus obiri. Eademque sumtuum constringendorum ratione prohibitum videmus, Uti Plura Funera Ne Unifierent, Neve Lecti Plures Inferrentur. Id enim à quibusdam fuisse factitatum, Syllæ exemplo comprobatur, qui Lectorum sex millia habuisse dicitur. Et Augustus postea in honorem Marcelli Sororis suæ Octaviæ Filii, sexcentos lectos intrare civitatem jussit. Nam, ut Servius tradit, apud Majores gloriosum fuerat, quam plurimis lectis afferri. Ac tenuis quidem fortunæ homines capulis, sive feretris efferebantur; potentiores autem lectis. Sed in ea Lege additum fuisse Cicero testatur: Neve Aurum Addito: Ast Quoi Auro Dentes Vincti Erunt, Id Cum Illo Sepelire, Urereve, Sine Fraude Esto. Negat ergò Lex, aurum, ut & alias res preciosas unà cum Mortuo in rogum iniicienda esse. Ex quo instituto fluxit fortassis vetus illa consuetudo, qua Morientibus annuli detrahebantur: quam obiter attingit Plinius *lib. 33. cap. 1.* Excipitur tamen Aurum, quo nonnulli dentes sibi eburneos devinciunt: qualis illa fuit Ægle, de qua Martialis:

Longæ coronæ.

Acerræ.

Lecti.

Auro dentes vincti.

Sic dentata tibi videtur Ægle

Emptis ossibus, Indicoque cornu

Atq; hinc perspicuũ fit, Romanos in rebus ad sacra & religionem pertinentibus, quales Deorũ Manium fuerunt, mirabiliter anxios & summam superstitionem fuisse, ut ab Hotomanno rectè hoc loco fuit observatum: apud quem, ut & Jacobum Rævardum, plura de Exequiarum ritu & jure poterunt videri. Inde enim pleraq; hæc collegimus. Quib. adde quæ de Purgatione scribit Vaconius de Vacuna, Suffitionem id genus vocatum assetens, *lib. Declarat c. 18. nu. 7.* De hac illud etiam Virgilii exaudio *lib. 6. Æneid.*

Suffitio.

Idem

Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi, & ramo fœlicis Olivæ.

Aquila è rogo volas. De aquila verò è rogo volante, & defuncti animam in cœlum simul efferente, cujus ad finem Tituli nostri Auctor meminit, videatur Herodian. *lib. 4.* ubi ceremoniæ in Imperatorum funeribus adhibitæ singulariter & copiosè describuntur.

DE NOMENCLATORIBUS TIT. LXIII.

Nomenclatores. *Non erit extra propositum, antiquam hoc loco consuetudinem referre. Habebant enim Romani Servos quosdam, qui singulos Cives Romanos discerent cognoscere, & horum nomina memoria tenere, quæ prout quisque obvius fiebat, Dominis suis Candidatis, seu Magistratum aliquem ambientibus Servi illi suggerebant, ut suo quemque nomine compellare possent Domini, atque ita benevolentiam obviantium captarent. Nam, ut* Plutarchus *ait, majori voluptate adficitur, qui suo se nomine compellari audit; ejusq; animus appellanti magis conciliatur. Servi isti* Nomenclatores *nuncupabantur: quorum* Cicero *in Oratione pro Murena meminit, dum ipsum quoque M. Catonem ait Nomenclatorem habuisse, qui Civium obviam factorum nomina ipsi insusurrarit. Id enim frequenti in usu erat Candidatis Magistratum ambientibus: qui, posteaquam erant Designati, multò salutabant negligentius.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

VEtus sanè institutum Romæ fuit, ut diebus comitialibus, qui vel à Consule, vel alio magistratu, cui tum Comitia habendi jus erat, edicto promulgabantur, Populus Romanus in Campum Martium conveniret; ubi qui Magistratum *Candidati,* petebant, Candidati à toga candida, quæ gestamen erat Petitorum, dicti, Tribus circumbant, singulosque præhensantes, & suffragia precibus temporiaq; observantia emerebantur, unoquoque plebejorum ac popularium benignè & nomi- *Nomenclatores,* natim appellato. Quam ad rem faciliùs agendam Nomenclatores inventi sunt: qui singulorum nomina tenebant, Candidatisque suggerebant, ut quisque obvius erat. Quos quidem Nomenclatores, etiam Nomenculatores video dictos *in l. uts jurisjurandi 7. §. dabitur ff de oper. libert.* & *in l ult. in fin. de liber. caus.* Eos Festus Pompejus *lib. 6.* etiam *Fartores* dictos scribit, *Fartores.* quod clam veluti infarcirent nomina salutandorum in autem candidati: cujus etiam latus quandoque fodicabant, ut ex illo Horatii

Mercemur servum, qui dictet nomina,
Qui fodicet latus —

colligitur. Si autem nomen non succurreret, obvium honoris causa *dominum* appellabat. Docet hoc Seneca *in 3. ad Lucullum Epistola,* ubi obvios scribit, salutari à nobis Dominos, si nomen non succurreret. Ex quo doctis quibusdam videtur sensus Martialis cum scribit *lib. 1. Ep. 157. ad Priscum,*

Cum te non nossem Dominum Regemque vocabam:
Cũ bene te novi, jam mihi Priscus eris.

Et *lib. 5. Epig. 58. ad Cinnam.*

Cum voco te Dominum, nolo tibi Cinna placere
Sæpe etiam servum sic re saluto meum.

Quod

Quod Tranquillus adnotavit ad Alexan. ab Alexand. *lib. 2. Genial. dier c. 19.* Idem Festus: Honoris ambitus dici cœptus est, inquit, à circumeundo supplicandoque. Est enim Ambire, supplicare. Ambibant autem Romani, aut captantes populi suffragia, aut Judicum implorantes misericordiam. Ideoque tam hi, qui favorem & gratiam Judicum, quàm illi, qui Magistratum captabant, appellari solent ambitiosi. Unde & ambitiosa dicuntur decreta, vel ambitiosi jussus, tam qui gratis, quàm qui accepta mercede contra jus & æquum in alicujus favorem à Judicibus interponuntur. *l. servo invito. 65. §. 2. ff ad SCons. Trebellian.* Ræyard. *libro 5. Varior. capit. 6.*

Ambitus licitus.

Et quidem quantum etiam ad Magistratus Ambitus attinet: sciendum est, hunc *in Oratione illa contra Sallustiũ*, duplicem constitui: Unum popularem, concessum quidem atque etiam laudatum, cum aliquis Magistratum aut Curationem petendo, suam operam offert Reipublicæ; judiciumque de se faciendum populo permittit absque dolo malo. Hoc genus Ambitionis nullis legibus prohibetur, sed approbatum semper, & à maximis præstantissimisq; Viris exercitum est.

Ambitus illicitus.

Alterum autẽ Ambitus genus infame est, & Legum severitate notatum; quod aliquando vi, aliquando dolo committitur, & unde cædes, largitiones, & variæ corruptelæ nascuntur. De hujusmodi crimine variis temporibus variæ Leges latæ sunt.

Punitus L. Petilia.

Primùm anno ab Urbe condita 397. Lex Petilia: qua non largitiones, paupere tùm civitate; sed præpostera ambiendi ratio coercebatur: cum novi quidam homines, præter morem nundinas & conciliabula agerent, & favorem hominum sibi conciliantes, suffragia peterent. Livius *lib. 7.*

L. Calphurnia.

Deinde Lex Calphurnia, anno ab U. C. 687. Republ. jam Imperii dignitate, & opum magnitudine aucta; qua Lege præter alias pœnas, pecuniaria quoq; adjecta fuit, autho. Pedião Huic successit Lex Tullia, M. Tullio Cos ex Senatus decreto lata, quando cautum est, præter alia multa, Ne quis prãdia vulgo daret: alioquin Legis Calphurniæ reus haberetur. Adjecta etiam asperior pœna, quam anteà, nempe Exilium. nam antea damnati in Civitate remanebant

L. Tullia.

L. Pomp.

Fuit prætereà Lex Pompeja de ambitu severissima: quæ Cæsare in Gallii res maximas gerente, tum lata est, cùm Candidatis in Urbe insaniẽtibus, sic Ambitus arderet, ut populus in varia studia scinderetur, ferroque dimicaretur atque igni: & propterea, teste Appiano, octo mensibus Respublica Magistratibus caruerit. In quibus procellis & fluctibus, suadente Catone, solus C. Pompeius III. Consul ab Interrege creatus est: qui Ambitum in Campo Martio, sontibus punitis, non sine magna laude pepulit, quemadmodum ex Plinio refert Cl. Prevotius, *De Magistrat. Roman.*

Constitut. Trajani.

Trajanum quoq; lego apud Plinium repressisse Ambitum, Candidatis tertiam patrimonii partem in ea, quæ solo continentur, conferre jussis: ut similiter SCto fœneratores jubentur duas partes patrimonii in solo collocare; & confiscantur, qui dimidiam rei familiaris in pecunia habent, apud Suetonium *in Augusto.*

SCto.

Post autẽ ad instar L. Juliæ Ambitus coerceri cœpit in Municipiis, ubi Duumviri & Sacerdotes provinciarum creantur decreto populi vel Curiæ, & creabantur etiam Episcopi & Presbyteri: *leg. 49. C. Theodós. de decret* quorum Ambitio coercetur *l. si quemquam C. de Episcop. & Cleric.* Jãcob. Cujac. *ad L. Jul. de Ambitu. in Cod.*

L. I. de Ambitu.

Porrò Legem Juliam de Ambitu hodie in urbe cessare Modestinus ait; quia ad curam Principis Magistratuum creatio pertinet; non ad populi favorem. *l. 1 ff. ad L. Jul. de Ambitu.* Quæ Modestini verba

ex animi benignitate proficiscens, alteri collata & concessa. *l. donari. 39 ff. de donat. l donari. 82. de Reg. jur.* Davidi verò in absolutum seu merum; & modo quodam factum, hoc est, non merum. Azo *in summa. C. de dõat. quæ sub modo.* Illud propriè ac in specie donum: Hoc in aliud nomen transiens, Munus, quasi donum relatum appellari. *l. munus. 18. de verbor. significat.* Nec enim rarum est, ut generis nomen speciei significationem, quasi propriam induat. *§. 3. & ibi Dd Instit. de adopt.* Propriè & absolutè donum est, quod nullo alio intuitu donatur, quàm propter meram & absolutam liberalitatem ac benignitatem. *arg. l. 1. ff. de donat.* Donum modo quodam factum, quòd rectè Munus vocamus, illud erit, quod donatur respectu alicujus causæ vel rei: sicut quod relationem habet, nec meram respicit liberalitatem, sed caussam, aut quod conditionem vel modum secum trahit. *d. l. 1. §. 1. de dona.* Quæ divisio planè juvatur Martiani responso *l. munus. 214. de verbor. signif.* Munus propriè est, inquit, quod necessariò obimus lege, more, imperiovè ejus, qui jubendi habet potestatem. Dona autem propriè sunt, quæ nulla necessitate juris, officii, sed sponte præstantur: quæ si non præstentur, reprehensio est: & si præstentur: plerunque laus inest. Sed in summa in hoc ventum est, ut non quodcunq; munus, id & donum accipiatur: at quod donum fuerit, id munus rectè dicatur. Doni hujus relati exemplum est in donatione *mortis causa. tot. tit. ff. de mort. causa donation.* & in ordinatione *propter nuptias*, quam Sponsus facit sponsæ in dotis cõpensationem. *l. penul. & ult. C. de donat. ante nupt. Novell. de Æqualit. dot. & Novella. Vt sponsalit. largit.* Ejus etiam generis est Donum nuptalitium, quod Nuptiarum caussa patrono dederit Libertus; & amici novis nuptis in nuptiali festivitate.

Donum merum seu absolutum.

Donum relatum.

Nuptalitiū.

l. Iulianus ff. de bonis libertor. Terentius *in Phormione:*

Nam berilem filium ejus duxisse audio
Vxorem: ei credo munus hoc corraditur.

Item Natalitium, quod puerperis dum in lecto jacent, datur. Inde Alciatus *Cimelium* id dictum putat *lib. 9. parerg. c. 7.* adducens in hunc sensum illud Plauti, *in Truculento:*

Non audes aliquod mihi munus dare
Cimelium?
Lucrum hercle videor facere mihi, Voluptas mea
Vbi quippiam me poscis. PH. At ego, ubi abstuli.

Natalitium.

Quanquam Natalitium id quoq; dicatur, quod recens natis infantibus offertur. Terentius *in Phormione:*

Ferietur alio munere, ubi hera pepererit,
Porrò alio autẽ, ubi erit puero natalis dies,
Vbi initiabunt: omne hoc Mater auferet;
Puer causa erit mittundi.

& quod patrono, item viro & uxori in die natali aut anni principio mittitur. Etsi enim alioquin donatio inter conjuges est prohibita, *t. t. ff. & C. de don int. vir. & uxor.* ex ea fortassis ratione, quã supra adsignavimus *Tit. de Fabula.* Si tamẽ vir uxori munus Kal. Martiis, aut Natali die dedisset; valere donationem illam Pompon. respondit. *l. sed si vir. 31. §. si vir uxori. 8. ff. de donat. int. vir. & uxor.* Kal. Martiis ait; quia hæ fœminis solennes erant, in quibus Munera iis missitari solebant. Unde & *fœmineæ* dictæ Juvenali.

Munera fœmineis tractas secreta Calẽdis

Sic apud Plaut. in Milite: Da mihi, quod Kalendis mittam, Martiæ cùm venerint. Sic & Tibullus solicitus est, quondam Neæræ, Speratæ suæ Kal. Martiis, quæ novum inchoabant annum, munus mittat dum ita canit:

Kal. Martia.

Martis Romani festæ venere Calendæ,
Exoriens nostris hic fuit annus avis.

 Et

Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa
Perq; vias Urbis munera perq; domos.
Dicite Pierides, quonam donetur honore:
Seu mea, seu fallor cara Neæra tamen.

Quo ex loco etiam illud colligitur, primò, anni die, pro feliciori scilicet ipsius auspicio, passim quoque amicis munera fuisse oblata. Hinc Symmachus: Kalendas anni auspices, quibus mensium recursus aperitur, impertiendis Strenis dicavit antiquitas. *lib.* 10 *epist.* 20. Strenarum verò originem & notationẽ idem posteà subjungit *Epistol.* 28. Ab exortu penè Urbis Martiæ, *inquit*, Strenarum usus adolevit, auctoritate Tatii Regis: qui verbenas felicis arboris ex luco Streniæ, anni novi auspices primus accepit. Nomẽ indicio est, Viris strenuis hæc cõvenire ob virtutem: atq; ideò vobis DD Imperatores hujusmodi insigne deberi; quorum divinus animus magis testimonium vigilantiæ, quàm omen exspectat. Inscripta autem est epistola illa Valentiniano, Theodosio & Arcadio Imperatoribus: quib. ex multis jam retroactis seculis introducta consuetudine Strenæ, ut & natalitia munera solebant mitti: sicuti ex Suetonio Auctor noster rectè observavit. Non indiligẽter cum ex jure nostro, tum ex optimis quibusq; auctoribus explicavit filius *in Dissertat. juridico politica de natalit. veterum ritu.* Porrò quemadmodum Martiæ Kalendæ fœminis sacræ; ita & Decembres, quæ alio etiam nomine Saturnales dicebantur, Viris erant dicatæ: atque his Apophoreta iis mittebantur. Inde & Saturnalia hæc munera Martialis vocat.

Strenarum origo.

Kal. Decemb. Saturnales.

Saturnalia divitem Sabellum
Fecerunt, merito tumet Sabellus.

Unde Suetonius in Vespasiano, *cap.* 19. Sicut Saturnalibus dabat viris Apophoreta; ita & Kalendis Martiis, fœminis. Quæ autem propriè Apophoreta illa fuerint; ex Domitio Calderino ad Martialem, & Justo Lipsio *lib.* 1 *Saturnalium*, *capite* 16. rectius cognosces.

Apophoreta.

DE HORIS ET CLEPSYDRIS TIT. LXV.

Horæ inæquales.

Diversæ etiam veterum Horæ erant à nostris. Duodecim enim illi diei horas numerabant longas & breves, pro diei & noctis longitudine aut brevitate. Posteaquam verò inventus fuit Campanæ usus, diviserunt Diem & Noctem in horas XXIV. In hunc finem constituta habebant Solaria: *& si nubilum esset cælum* Clepsydra *utebantur: quod aqueum erat Horologium, ad hunc ferè modum factum. Capiebant vas quoddam vitreum, in cujus fundo angustum foramen erat, auro circumdatum ne ab aqua consumeretur. In altera vasis illius parte linea rectâ, XII. horas inscriptas habens, erat ducta. Postea vas aqua implebant, quæ per exiguum foramen illud guttatim emittebatur: ipsiq; etiam Aquæ suber immittebant, cui hastula seu virgula erat infixa: quæ apice & extremitate sua primam; mox emissa sensim & guttatim aquâ secundam & tertiam, & alias tangendo monstrabat horas. Atque hæc græca voce Clepsydra nominabatur, quasi Aquam eam surreptam dicas.*

Solaria. Clepsydra.

NOTÆ

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Scribit Plinius *lib. 7. c. 60.* & post hunc Censorinus *de die Natal. c. 19* & Varro *lib. 5. de ling. Lat.* horarum usum nomenque diuturnis temporibus latuisse apud Romanos: & id quidem CCC & eo amplius annis: nec usquam XII. tabb. Leges de horis fecisse mentionem. At primum quidem Ægyptios, pòst deinde Græcos Horologia composuisse tradunt: quæ etiam ab Antiquis Solaria dicta sunt & *σκιοθήρα*; & Horaria, & Horographia Vocaverunt etiam *Hydrologia* & *Clepsydras*, ob id, quòd ex aquæ cōmensuratione aliquādo componerentur, de quarum præparatione hoc titulo ab auctore disseritur. & eruditè id explicat Franciscus Philelphus *Epist. philol. à Melch. Heimsfeldio Goldasto* collectore. Nam & harū ὡρολογ. usum Romanis postea esse cœpisse, manifestū est quamvis antea Dies cōtinua serie numeraretur à nocte media præcedente ad mediam noctem subsequentem: tantùm Lex XII. tabb. has partes non tam diei, quam usuræ lucis, Mane scilicet, Meridiem, Occasum, & supremam tempestatem distinguebat. At postquam Horarum usus ad Romanos, ut dixi, post annos CCC ab Urbe condita pervenit; tum edocti scilicet Noctem à luce distinguere, duodecim nocti horas, totidemque Luci, quam Diem appellabant, tribuebant. Diurnæ itaque horæ ab ortu Solis ad occasum usque: Nocturnæ ab occasu usque ad ejusdem ortum numerabantur. Sic eveniebat, ut inæquales essent horæ illæ, pro diei & noctis nimirum longitudine aut brevitate: ut ab auctore nostro rectè fuit observatum. Eveniebat & illud, ut in Republ. Romana duplicis diei esset consideratio; Civilis scilicet & Naturalis. Civilis à Paulo describitur *in l. more 8. ff. de feriis.* More Romano, *inquit*, dies à media nocte incipit, & sequentis noctis media parte finitur. Media nox, prima dicebatur vigilia. deinde erat Gallicinium: post Diluculum sive aurora. deinde Mane, Meridies, Occasus, Vesper, Intempesta nox sive Concubium. Sicut ergò ab Urbis exordio, & tempore Legis XII. tabb. latæ, moribusque deinde sequentibus, in acie in castris militaribus hæc diei consideratio obtinebat: ita etiam in Urbe, rei militaris imitatione. At Naturalem diem idem Paulus definit *in l. 2. §. 1. ff. de verborum significat.* Cujusq; diei, *inquit*, major pars est horarum septem primarum diei non supremarum. Hic enim una cum horarum usu in Republica inventus, XII. constat horis diurnis: quarum septem primæ diei, major illius pars censentur, utilitate præsertim & commoditate laborandi agendique: cùm in confesso sit, Matutino tempore longè nos ad agendum promptiores, sagaciores, velociores esse. Civilis igitur dies noctem complectebatur: Naturalis non item. Illius usus præcipuus erat in negotiis, indifferentibus: hujus in negotiis tantùm diurnis. Illius computatio civilis erat; hujus naturalis, à momento scilicet in momentum. Qua de re plura videntur apud Alciatum, Brechæum, Fornerium, Goddæum, alios *in l. 2. §. 1. ff. de verb. signif.* quibus adde, quæ de exterarum gentium anni ratione, & cum Romano collatione scripta reliquit Joannes Lalamantius. De ipsis autem Horologiis peculiarem habebimus Titulum *in lib. 2.* ubi commodior de his dicendi erit occasio. Nunc cum Auctore nostro hic abjungo, & ad ea *quæ recens fuerunt invēta*, veteribus autem incognita, accingor. Sic igitur Pancirollus:

Horarium usus Romanis prius incognitus.

Horologia.

Clepsydra.

Dies Civilis.

Naturalis.

ATque hæc quidem mihi nunc occurrerunt, quæ de Artibus & moribus dicerentur; qui antiquitus quidem in usu fuerunt, nunc verò vel planè ignorantur, vel in desuetudinem iverunt. In quibus tamen recensendis, nec de veteri paganorum religione, ne rebus tam abominandis & vanis me intricarem; nec etiam de Legibus toties immutatis disserere volui, animadvertens scilicet, Materiæ hujus ubertatem peculiarem librum exigere. Nec dubito, quin omissa à me quædam sint, quæ & ipsa consideratione digna fuerint: sed satis fore putavi, si vel præcipua saltem ex his attingerem. Nunc ad Nostratia progrediemur, quæ Veteribus fuerunt incognita. Et primùm quidem de Novo Orbe dicemus.

FINIS LIBRI PRIMI.

LEGUM QUARUNDAM SENSUS HOC TRACTATU OBITER INDICATUS.

INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM.

A.

Ama-

tuit? In *Novell. 59.* enim meminit mulierum feretrum præcedentium & psallentium. In pandectis nulla hujus Romani moris supersunt vestigia: sed marito mortuo annus ad lugendum Mulieri viduæ solum præscribitur, & antè nubere alteri prohibetur: non tam ob luctum tamen, quam propter periculum turbandi sanguinis. non rectè igitur faciet nec in Domino, *ut cum Apostolo dicam*, nubet vidua, si, antequam eluxerit, alii nubat. Valebit, fateor, matrimonium: sed legis civilis pœnam dabit intereà. Idq; quia impune est; multæ ante paratum viro tumulum, alterius sibi thalamum parant, aut potius jam tum illo vivo pararunt. Raro enim absunt à suspicione stupri, aut veneficii festinatę istę & nimium properatæ viduarum nuptiæ. Tum sanguinis conturbatio fuit incertitudoque prolis fugienda: ne alienus filius secundo marito supponeretur. Sic enim fit ut non sui patris non justus sit hæres, & veri patris hæreditas defraudetur, quam ipsi jus naturæ & gentium deferebat. Quæ gravis est Francisci Connani sententia *lib 8. comment. jur. civil. cap 7. in fin.* Sed annuum istum luctus decem duntaxat mēsibus terminari, Jac. Ræverdus docet *lib. 1 Variar. c. 20.* De Mulierum autem continentia, & Viduitatis laude elegāter scripsit Joh. Coras. aureos illos Virgilii versus laudans. quibus Didonem ita introducit loquentem.

Annus Luctus.

Nuptiæ accelerata.

Viduitas.

Ille meos primus, qui me sibi junxit, amores
Abstulit, ille habeat secum servetque sepulchro.

Porrò ad cohibendos funeris sumptus & luctum pertinet etiam illa Decemviralis Lex: HOMINI MORTUO NE OSSA LEGITO, QUO POST FUNUS FACIAT. Vult enim Lex, ut posteaquam crematum corpus est, ossa è cineribus legantur statimq; loco proximo in terram condantur. Quod ideo fuit institutum, ne si alium in locum sepeliendi causa deportarentur, ibiq; justa iterum fierent, & luctus duplicaretur & sumptus. Quanquam hoc sensu hominis potius, quam homini lecta intelligerentur: ex subtili quorundam distinctionē quibus hominis mortui ossa lege dicuntur, cum quæ dispersa sunt & non cohærent, simul colliguntur. At Mortuo homini leguntur ossa, cum ejus cadaveri aliqua ossa adimuntur, quod fit, vel cum digitus, quod membrum est duobus aut tribus ossibus constans, alicui abscinditur. Hinc Festus Membrum abscindi mortuo dicebatur, inquit, quum digitus ejus decidebatur, ad quod servatum justa fierent reliquo corpore combusto. Finge aliquem peregre vel in militia mortuum, ei digitum ademptum, & justis funeribus in patria faciendis adservatum; reliquum corpus apud peregrinos combustum fuisse. Lecta illi fuisse ossa, nemo negabit, nec tamen contra Legem id admissum dices. Cicerone enim interprete, Bellica & Peregrina Mors excipitur, ut sensus sit: Homini mortuo ossa legenda non esse, EXTRA QUAM SI MILITIÆ AUT PEREGRE MORTUUS SIT. Hoc igitur casu ossa ei adimi & legi potuerunt, quò pòst funus fiat. Credo, quia molestum esset, ad eum locum amicos exequiarum causa evocare, ubi quis bello occubuisset, vel ubi Civis Rom. inter peregrinos mortem obiisset. Pertinet etiam ad sumptus minuendos alia XII tabb. Lex: SERVILIS UNCTURA TOLLITOR, OMNISQUE CIRCUMPOTATIO. Sublata igitur est Unctura, sed servilis tantum. Nam & in servorum demortuorum funera impensas factas Ulpianus innuit, *in l. Julian 13. § præterea 22. ff. de act. empt.* Non sublata autem erit Liberorum Unctura: cùm & in Pandectis eorū sumptuum probatam videamus rationem, qui in unguēto pro Mortui corpore compara-

Ossa legere.

Militaris aut Peregrina mors.

Unctura servilis.

patato sunt facti *l. funeris 37. ff. de Religios. & sumpt. funer.* Ait Lex: *Omnisq; circumpotatio.* Antiquæ enim consuetudinis erat, ut uncto & delibuto cadavere, potatio circum illud institueretur, ordinéque omnes invitarentur. Virgil.

Circumpotatio.

——illi agmine longo
Tandem inter pateras, & levis pocula serpens
Libavitq; dapes.

ubi per Dapes Servius ait Epulum intelligi, quod Silicernium dicebatur, quasi Silicœnium, super silicem scilicet positum. Etsi autem Hotomannus omnē Circumpotationem sublatam putat; probabilius tamen est, ut illa legis verba ob connexitatem de Servili duntaxat epulo seu potatione prohibita cum Rævardo accipiamus. Vetuit etiam Lex: Uti Ne Sumptuosa Respersio Fieret, Neve Murrata Potio Mortuo Inderetur: Neve Longæ Coronæ, Neve Acerræ Adhiberentur. Solebat enim cadaver & rogus preciosis liquorib. perfundi; & inter hos vino quoque murrato. Murratum igitur vinum tanquam sumtuosam potionem Decemviri prohibent. Cætero vino adspersionem fieri non vetant. Unde Virgil.

Silicernium.

Postquam collapsi cineres, & flamma quievit,
Relliquias vino, & bibulam lavere favillam,

Per Longas autem Coronas Rævardus intelligit, non quidem lemniscatas illas, quæ & ipsæ rotundæ esse poterant, sed quibus busta, sepulchra, sellæ curules, theatra, & curtus triumphales exornari consueverunt. Non vult etiam Lex *Acerras* adhiberi. Id Festus explicat qui Acerram definit Aram, quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur, ut ita vetet Lex, Aras, quæ proximè sepulchra fierent, cum thure incensisq; odoribus obiri. Eademque sumtuum constringendorum ratione prohibitum videmus, Uti Plura Funera Ne Unifierent, Neve Lecti Plures Inferrentur. Id enim à quibusdam fuisse factitatum, Syllæ exemplo comprobatur, qui Lectorum sex millia habuisse dicitur. Et Augustus postea in honorem Marcelli Sororis suæ Octaviæ Filii, sexcentos lectos intrare civitatem jussit. Nam, ut Servius tradit, apud Majores gloriosum fuerat, quam plurimis lecti afferri. Ac tenuis quidem fortunæ homines capulis, sive feretris efferebantur; potentiores autem lectis. Sed in ea Lege additum fuisse Cicero testatur: Neve Aurum Addito: Ast Quoi Auro Dentes Vincti Erunt, Id Cum Illo Sepelire, Urereve, Sine Fraude Esto. Negat ergò Lex, aurum, ut & alias res preciosas unà cum Mortuo in rogum iniicienda esse. Ex quo instituto fluxit fortassis vetus illa consuetudo, qua Morientibus annuli detrahebantur: quam obiter attingit Plinius *lib. 33. cap. 1.* Excipitur tamen Aurum, quo nonnulli dentes sibi eburneos devinciunt: qualis illa fuit Ægle, de qua Martialis:

Longæ coronæ.

Acerra.

Lecti.

Auro dentes vincti.

Sic dentata tibi videtur Ægle
Emptis ossibus, Indicoque cornu

Atq; hinc perspicuū fit, Romanos in rebus ad sacra & religionem pertinentibus, quales Deorū Manium fuerunt, mirabiliter anxios & summam superstitionem fuisse, ut ab Hotomanno rectè hoc loco fuit observatum: apud quem, ut & Jacobum Rævardum, plura de Exequiarum ritu & jure poterunt videri. Inde enim pleraq; hæc collegimus. Quib: adde quæ de Purgatione scribit Vaconius de Vacuna, Suffitionem id genus vocatum asserens, *lib. Declarat. c. 18. nu. 7.* De hac illud etiam Virgilii exaudio *lib. 6. Æneid.*

Suffitio.

Idem

Quod Tranquillus adnotavit ad Alexan. ab Alexand. *lib. 2. Genial. dier c. 19.* Idem Festus: Honoris ambitus dici cœptus est, inquit, à circumeundo supplicandoque. Est enim Ambire, supplicare. Ambibant autem Romani, aut captantes populi suffragia, aut Judicum implorantes misericordiam. Ideoque tam hi, qui favorem & gratiam Judicum, quàm illi, qui Magistratum captabant, appellari solent ambitiosi. Unde & ambitiosa dicuntur decreta, vel ambitiosi jussus, tam qui gratis, quàm qui accepta mercede contra jus & æquum in alicujus favorem à Judicibus interponuntur. *l. servo invito. 65. §. 2. ff ad SCons. Trebellian.* Ræyard. *libro 5. Varior. capit. 6.*

Ambitus licitus.

Et quidem quantum etiam ad Magistratus Ambitus attinet: sciendum est, hunc *in Oratione illa contra Sallustiũ*, duplicem constitui: Unum popularem, concessum quidem atque etiam laudatum, cum aliquis Magistratum aut Curationem petendo, suam operam offert Reipublicæ; judiciumque de se faciendum populo permittit absque dolo malo. Hoc genus Ambitionis nullis legibus prohibetur, sed approbatum semper, & à maximis præstantissimisq; Viris exercitum est.

Ambitus illicitus.

Alterum autẽ Ambitus genus infame est, & Legum severitate notatum; quod aliquando vi, aliquando dolo committitur, & unde cædes, largitiones, & variæ corruptelæ nascuntur. De hujusmodi crimine variis temporibus variæ Leges latæ sunt.

Punitus L. Petilia.

Primùm anno ab Urbe condita 397. Lex Petilia: qua non largitiones, paupere tùm civitate; sed præpostera ambiendi ratio coercebatur: cum novi quidam homines, præter morem nundinas & conciliabula agerent, & favorem hominum sibi conciliantes, suffragia peterent. Livius *lib. 7.*

L. Calphurnia.

Deinde Lex Calphurnia, anno ab U. C. 687. Republ. jam Imperii dignitate, & opum magnitudine aucta; quâ Lege præter alias pœnas, pecuniaria quoq; adjecta fuit, autho. Pedião Huic successit Lex Tullia, M. Tullio Cos ex Senatus decreto lata, quando cautum est, præter alia multa, Ne quis prãdia vulgo daret: alioquin Legis Calphurniæ reus haberetur. Adjecta etiam asperior pœna, quam anteà, nempe Exilium. nam antea damnati in Civitate remanebant

L. Tullia.

Fuit præterea Lex Pompeja de ambitu severissima: quæ Cæsare in Gallii res maximas gerente, tum lata est, cùm Candidatis in Urbe insaniẽtibus, sic Ambitus arderet, ut populus in varia studia scinderetur, ferroque dimicaretur atque igni: & propterea, teste Appiano, octo mensibus Respublica Magistratibus caruerit. In quibus procellis & fluctibus, suadente Catone, solus C. Pompeius III. Consul ab Interrege creatus est: qui Ambitum in Campo Martio, sontibus punitis, non sine magna laude pepulit, quemadmodum ex Plinio refert Cl. Prevotius, *De Magistrat. Roman.*

L. Pomp.

Trajanum quoq; lego apud Plinium repressisse Ambitum, Candidatis tertiam patrimonii partem in ea, quæ solo continentur, conferre jussis: ut similiter SCto fœneratores jubentur duas partes patrimonii in solo collocare; & confiscantur, qui dimidiam rei familiaris in pecunia habent, apud Suetonium *in Augusto.*

Constitut. Trajani.

SCto.

Post autẽ ad instar L. Juliæ Ambitus coerceri cœpit in Municipiis, ubi Duumviri & Sacerdotes provinciarum creantur decreto populi vel Curiæ, & creabantur etiam Episcopi & Presbyteri: *leg. 49. C. Theodos. de decret* quorum Ambitio coercetur *l. si quemquam C. de Episcop. & Cleric.* Jacob. Cujac. *ad L. Jul. de Ambitu. in Cod.*

L. I. de Ambitu.

Porrò Legem Juliam de Ambitu hodie in urbe cessare Modestinus ait; quia ad curam Principis Magistratuum creatio pertinet; non ad populi favorem. *l. 1 ff ad L. Jul. de Ambitu.* Quæ Modestini verba

ex animi benignitate proficiscens, alteri collata & concessa *l. donari. 39 ff. de donat. l donari. 82. de Reg. jur.* Davidi verò in absolutum seu merum; & modo quodam factum, hoc est, non merum. Azo *in summa. C. de dōat. quæ sub modo.* Illud propriè ac in specie donum: Hoc in aliud nomen transiens, Munus, quasi donum relatum appellari. *l. munus. 18. de verbor. significat.* Nec enim rarum est, ut generis nomen speciei significationem, quasi propriam induat. *§. 3. & ibi Dd Instit. de adopt.* Propriè & absolutè donum est, quod nullo alio intuitu donatur, quàm propter meram & absolutam liberalitatem ac benignitatem. *arg. l. 1. ff. de donat.* Donum modo quodam factum, quòd rectè Munus vocamus, illud erit, quod donatur respectu alicujus causæ vel rei: sicut quod relationem habet, nec meram respicit liberalitatem, sed caussam, aut quod conditionem vel modum secum trahit. *d. l. 1. §. 1. de dona.* Quæ divisio planè juvatur Martiani responso *l. munus. 214. de verbor. signif.* Munus propriè est, inquit, quod necessariò obimus lege, more, imperiovè ejus, qui jubendi habet potestatem. Dona autem propriè sunt, quæ nulla necessitate juris, officii, sed sponte præstantur: quæ si non præstentur, reprehensio est: & si præstentur: plerunque laus inest. Sed in summa in hoc ventum est, ut non quodcunq; munus, id & donum accipiatur: at quod donum fuerit, id munus rectè dicatur. Doni hujus relati exemplum est in donatione *mortis causa. tot. tit. ff. de mort. caussa donation.* & in ordinatione *propter nuptias*, quam Sponsus facit sponsæ in dotis cōpensationem. *l. penul. & ult. C. de donat. ante nupt. Novell. de Æqualit. dot. & Novella. Ut sponsalit. largit.* Ejus etiam generis est Donum nuptalitium, quod Nuptiarum caussa patrono dederit Libertus; & amici novis nuptis in nuptiali festivitate.

Donum merum seu absolutum.

Donum relatum.

Nuptalitiū.

l. Iulianus ff. de bonis libertor. Terentius *in Phormione:*

Nam herilem filium ejus duxisse audio
Uxorem: ei credo munus hoc corraditur.

Item Natalitium, quod puerperis dum in lecto jacent, datur. Inde Alciatus *Cimelium* id dictum putat *lib. 9. parerg. c. 7.* adducens in hunc sensum illud Plauti, *in Truculento:*

Non audes aliquod mihi munus dare Cimelium?
Lucrum hercle videor facere mihi, Voluptas mea
Ubi quippiam me poscis. PH. At ego, ubi abstuli.

Natalitium.

Quanquam Natalitium id quoq; dicatur, quod recens natis infantibus offertur. Terentius *in Phormione:*

Ferietur alio munere, ubi hera pepererit,
Porrò alio autē, ubi erit puero natalis dies,
Ubi initiabunt: omne hoc Mater auferet;
Puer causa erit mittundi.

& quod patrono, item viro & uxori in die natali aut anni principio mittitur. Etsi enim alioquin donatio inter conjuges est prohibita, *t. t. ff. & C. de don int. vir. & uxor.* ex ea fortassis ratione, quā supra adsignavimus *Tit. de Fabula.* Si tamē vir uxori munus Kal. Martiis, aut Natali die dedisset: valere donationem illam Pompon. respondit. *l. sed si vir. 31. §. si vir uxori. 8. ff. de donat. int. vir. & uxor.* Kal. Martiis ait; quia hæ fœminis solennes erant, in quibus Munera iis missitari solebant. Unde & *fœmineæ* dictæ Juvenali.

Munera fœmineis tractas secreta Calēdis

Sic apud Plaut. in Milite: Da mihi, quod Kalendis mittam, Martiæ cùm venerint. Sic & Tibullus solicitus est, quondam Neæræ, Speratæ suæ Kal. Martiis, quæ novum inchoabant annum, munus mittat dum ita canit:

Kal. Martiæ.

Martis Romani festæ venere Calendæ,
Exoriens nostris hic fuit annus avis.

Et

Et vage nunc certa discurrunt undique pompa
Perq; vias Urbis munera perq; domos.
Dicite Pierides, quonam donetur honore:
Seu mea, seu fallor cara Neæra tamen.

Quo ex loco etiam illud colligitur, primò, anni die, pro feliciori scilicet ipsius auspicio, passim quoque amicis munera fuisse oblata. Hinc Symmachus; Kalendas anni auspices, quibus mensium recursus aperitur, impertiendis Strenis dicavit antiquitas. *lib.* 10 *epist.* 20. Strenarum verò originem & notationē idem posteà subjungit *Epistol.* 28. Ab exortu penè Urbis Martiæ, *inquit*, Strenarum usus adolevit, auctoritate Tatii Regis: qui verbenas felicis arboris ex luco Streniæ, anni novi auspices primus accepit. Nomē indicio est, Viris strenuis hæc cōvenire ob virtutem: atq; ideò vobis DD. Imperatores hujusmodi insigne deberi; quorum divinus animus magis testimonium vigilantiæ, quàm omen exspectat. Inscripta autem est epistola illa Valentiniano, Theodosio & Arcadio Imperatoribus: quib. ex multis jam retroactis seculis introducta consuetudine Strenæ, ut & natalitia munera solebant mitti: sicuti ex Suetonio Auctor noster rectè observavit. Non indiligēter cum ex jure nostro, tum ex optimis quibusq; auctoribus explicavit filius *in Dissertat. juridico politica de natali veterum ritu.* Porrò quemadmodum Martiæ Kalendæ fœminis sacræ; ita & Decembres, quæ alio etiam nomine Saturnales dicebantur, Viris erant dicatæ: atque his Apophoreta iis mittebantur. Inde & Saturnalia hæc munera Martialis vocat.

Strenarum origo.

Kal. Decemb. Saturnales.

Saturnalia divitem Sabellum
Fecerunt, merito tumet Sabellus.

Unde Suetonius in Vespasiano, *cap.* 19. Sicut Saturnalibus dabat viris Apophoreta; ita & Kalendis Martiis, fœminis. Quæ autem propriè Apophoreta illa fuerint; ex Domitio Calderino ad Martialem, & Justo Lipsio *lib.* 1 *Saturnalium, capite* 16. rectius cognosces.

Apophoreta.

DE HORIS ET CLEPSYDRIS TIT. LXV.

Hora inæquales.

Diversæ etiam veterum Horæ erant à nostris; Duodecim enim illi diei horas numerabant longas & breves, pro diei & noctis longitudine aut brevitate. Posteaquam verò inventus fuit Campanæ usus, diviserunt Diem & Noctem in horas XXIV. In hunc finem constituta habebant Solaria: *& si nubilum esset cælum* Clepsydra *utebantur: quod aqueum erat Horologium, ad hunc ferè modum factum. Capiebant vas quoddam vitreum, in cujus fundo angustum foramen erat, auro circumdatum ne ab aqua consumeretur: In altera vasis illius parte linea rectâ, XII. horas inscriptas habens, erat ducta. Postea vas aqua implebant, quæ per exiguum foramen illud guttatim emittebatur: ipsiq; etiam Aquæ suber immittebant; cui bastula seu virgula erat infixa: quæ apice & extremitate sua primam; mox emissa sensim & guttatim aquâ secundam & tertiam, & alias tangendo monstrabat horas. Atque hac græca voce Clepsydra nominabatur, quasi Aquam eam surreptam dicas.*

Solaria. Clepsydra.

NOTÆ

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

SCribit Plinius *lib. 7. c. 60.* & post hunc Censorinus *de die Natal. c. 19* & Varro *lib. 5. de ling. Lat.* horarum usum nomenque diuturnis temporibus latuisse apud Romanos: & id quidem CCC & eo amplius annis: nec usquam XII. tabb. Leges de horis fecisse mentionem. At primum quidem Ægyptios, post deinde Græcos Horologia composuisse tradunt: quæ etiam ab Antiquis Solaria dicta sunt & *σκιοθηρικά*; & Horaria, & Horographia Vocaverunt etiam *Hydrologia* & *Clepsydras*, ob id, quòd ex aquæ commensuratione aliquando componerentur, de quarum præparatione hoc titulo ab auctore disseritur. & eruditè id explicat Franciscus Philelphus *Epist: philol. a Melch. Haimsfeldio Goldasto* collectore. Nam & harũ quoq; usum Romanis postea esse cœpisse, manifestũ est: quamvis antea Dies cõtinua serie numeraretur à nocte media præcedente ad mediam noctem subsequentem: tantùm Lex XII. tabb. has partes non tam diei, quam usuræ lucis, Mane scilicet, Meridiem, Occasum, & supremam tempestatem distinguebat. At postquam Horarum usus ad Romanos, ut dixi, post annos CCC ab Urbe condita pervenit; tum edocti scilicet Noctem à luce distinguere, duodecim nocti horas, totidemque Luci, quam Diem appellabant, tribuebant. Diurnæ itaque horæ ab ortu solis ad occasum usque: Nocturnæ ab occasu usque ad ejusdem ortum numerabantur. Sic eveniebat, ut inæquales essent horæ illæ, pro diei & noctis nimirum longitudine aut brevitate: ut ab auctore nostro rectè fuit observatum. Eveniebat & illud, ut in Republ. Romana duplicis diei esset consideratio; Civilis scilicet & Naturalis. Civilis à Paulo describitur *in l. more 8. ff. de feriis.* More Romano, *inquit*, dies à media nocte incipit, & sequentis noctis media parte finitur. Media nox, prima dicebatur vigilia. deinde erat Gallicinium: post Diluculum sive aurora. deinde Mane, Meridies, Occasus, Vesper, Intempesta nox sive Concubium. Sicut ergò ab Urbis exordio, & tempore Legis XII. tabb. latæ, moribusque deinde sequentibus, in acie in castris militaribus hæc diei consideratio obtinebat: ita etiam in Urbe, rei militaris imitatione. At Naturalem diem idem Paulus definit *in l. 2. §. 1. ff. de verborum significat.* Cujusq; diei, *inquit*, major pars est horarum septem primarum diei non supremarum. Hic enim una cum horarum usu in Republica inventus, XII. constat horis diurnis: quarum septem primæ diei, major illius pars censentur, utilitate præsertim & commoditate laborandi agendique: cùm in confesso sit, Matutino tempore longè nos ad agendum promptiores, sagaciores, velociores esse. Civilis igitur dies noctem complectebatur: Naturalis non item. Illius usus præcipuus erat in negotiis, indifferentibus: hujus in negotiis tantùm diurnis. Illius computatio civilis erat; hujus naturalis, à momento scilicet in momentum. Qua de re plura videntur apud Alciatum, Brechæum, Fornerium, Goddæum, alios *in l. 2. §. 1. ff. de verb. signif.* quibus adde, quæ de exterarum gentium anni ratione, & cum Romano collatione scripta reliquit Joannes Lalamantius. De ipsis autem Horologiis peculiarem habebimus Titulum *in lib. 2.* ubi commodior de his dicendi erit occasio. Nunc cum Auctore nostro hic abjungo, & ad ea *quæ recens fuerunt inventa*, veteribus autem incognita, accingor. Sic igitur Pancirollus:

Horarium usus Romanis prius incognitus.

Horologia.

Clepsydra.

Dies: Civilis.

Naturalis.

Atque hæc quidem mihi nunc occurrerunt, quæ de Artibus & moribus dicerem: qui antiquitus quidem in usu fuerunt, nunc verò vel planè ignorantur, vel in desuetudinem iverunt. In quibus tamen recensendis, nec de veteri paganorum religione, ne rebus tam abominandis & vanis me intricarem; nec etiam de Legibus toties immutatis differere volui, animadvertens scilicet, Materiæ hujus ubertatem peculiarem librum exigere. Nec dubito, quin omissa à me quædam sint, quæ & ipsa consideratione digna fuerint: sed satis fore putavi, si vel præcipua saltem ex his attingerem. Nunc ad Nostratia progrediemur, quæ Veteribus fuerunt incognita. Et primùm quidem de Novo Orbe dicemus.

FINIS LIBRI PRIMI.

LEGUM

LEGUM QUARUNDAM SENSUS HOC TRACTATU OBITER INDICATUS.

INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM.

A.

Ama-

Belli-

Colu-

D

Equi

Gla-

M.

Mar-

de Mor-

N.

Nero.

Pila

Pul-

Scens-

NOVA REPERTA

Sive

RERUM MEMORABILIUM

Recens inventarum, & veteribus planè incognitarum,

GUIDONIS PANCIROLLI J.C.

LIBER SECUNDUS.

DE NOVO ORBE: TIT. I.

INTER *ea quæ Veteribus fuerunt incognita, primum & notatu quàm maximè dignum poni posse credo Novum illum Orbem, anno à Christo nato post Millesimum quadringentesimum nonagesimo secundo, à* Christophoro Columbo *Genuensi repertum. Hujus antea nulla erat notitia: nisi quòd Fortunatæ commemorabantur Insulæ: de quibus fidem fortasse fecerant Navigantes. Et est sanè res illa admirabilis, & inter eas, quas intelligentia possumus adsequi, inprimis stupenda: quæ etiam magis me magisq; cogitantem in admirationem sæpius traxit.*

Novi orbis repertio.

Mundo isto invento, multa ad nos pervenerunt animalia, plantæ, & opera, hactenus nobis planè incognita: verbi causa, 1. Galli & 2. Mures Indici; 3. Guajacum aut lignum sanctum, China, Sarsa-parilla Sassofras, & aliæ plantæ saluberrimæ, & medicinæ inservientes, quarum usus fieri cœpit necessarius, derivato in hanc regionem nostram morbo isto, quem nos Gallicum, alij Neapolitanum dicunt, eò quòd ab Hispanis ex Insula Peru redeuntibus, Neapolim fuerit allatus.

Quæ inde ad nos allata.

Inde etiam delata ad nos 4. Ficus, 5. Nuces, & Cannæ Indicæ, itemq; 6 Sericum illud vermiculorum lanificium, & Pictura ex avium pennis consertis adeò naturaliter expressa, ut pictores cum coloribus pulchriores eas repræsentare haud possint. præterea & texta illa Attalica, quæ prout aëri vel luci fuerint exposita, vel aurea, vel holoserica, vel punicea, vel carmesina, vel alterius coloris videntur. 7. Ex eâdem regione advehuntur & Cultelli lapidei, quidvis secantes. 8. item Crepidæ ex junco Indico, & alia innumera? quæ singula recensere longum foret.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Novi orbis denominatio.

NOvum Orbem cùm dicimus, non ad novam aliquam mundi constitutionem, aut creationem respicimus, sed ad inventionem duntaxat & detectionem recentem: nec cum Democrito, Epicuro, aut Anaxarcho, cæterisque sapientiæ magistris plures esse Mundos, videamur statuere, quæ tamen opinio, tanquam nullis fulcita rationibus, jam dudum meritò explosa, atq; exsulare jussa est: stante contrà verissimâ & immotâ hac sententiâ, quòd hodiè etiamnum eadem & prorsum talis sit mundi constitutio, qualis ab initio olim erat, cum cœlum & terram creavit Deus. Nam & Moses historicorum antiquissimus, cujus singula verba, ut de Euripide dicebat Cicero, singula testimonia verè putanda sunt; & multis post eum seculis Johannes, eo, quem de vita & doctrina Servatoris nostri commentatus est, libro; cùm præcipua opera Dei visibilia recitant, ex quib. ipsius majestas & omnipotentia facilè percipi possit, unius tantùm hujus, non ullius alterius Mundi à Deo creati meminerunt, qui tamen, si plures scilicet fuissent, nequaquam id silentio obliterassent. Pertinebat enim ea maximè res ad Dei gloriam & potentiam illustrandam: neque ulla hujus tam invidi & periculosi silẽtii ratio probabilis adferri potest. Quò fit, ut rectè veteres senserint & collegerint, Unum esse Deum, quia unus est Mundus: contraque, Unum esse Mundum, quia unus Deus. Aristoteles certè ex ordinis unitate in rebus exsistentis, unitatem ait colligi gubernantis Dei. *2. Metaphysic* siquidem ordine uno, & ad unum instrui debeant omnia. Sed & exemplaris unitate Mundi unitatem probat Plato, veluti ad exemplum producti, ut est apud Ludo. Cœlium Rhodiginum *lib. 1. Antiquar. lect. c. 7.* Taceo, totam hãc variorum & multorum Mundorum architecturam planè futuram fuisse ineptam. Cur enim plures condidisset Deus, qui unico, & eo quidem latissimo poterat omnia etiam commodius complecti, quæ illis diversis & separatis Mundis fuit comprehensurus? Atqui Deum & Naturam nihil frustrà agere, vulgò & verè dicitur. Jam si plures condidisset Deus, illi mundi numero tantùm, non autem specie differentes & dissimiles inter se essent. Cur igitur ille condidisset sæpius idem? Et, si plures Mundi esse concedantur: eâdem ratione etiam numero infinitus esse fatendum est. Unum igitur hunc Mundum, & non plures creavit Deus: non *ἀδυναμίᾳ* certè, vel impotentiâ quadam, quando ipse est Omnipotens: non quòd exhausti in tantæ molis fabrica ipsius sensus, aut defatigatæ jam vires essent: verbo enim solo omnia condidit, *Psalm. 33.* non quòd etiam materiæ, ut cẽsent Peripatetici, inopiâ & penuriâ id evenerit (asserentibus quippe his, *quod sit ex tota sua materia, nõ esse plurificabile*) ex tota quæ fuerat præparata materia, in tantæ machinæ corpore consumpta sit, potuit enim, qui hunc tantum mundum ex nihilo primum creavit, ad alios infinitos materiam, si vellet, sibi præparare: Sed ea solùm de causa Mundi plures conditi non sunt, quia Deus ipse noluit. nã quæcunq; voluit, fecit. *Ps. 115. v. 3.* Cur autem noluerit, ignota nobis ratio esse potest; injusta tamẽ non potest: ut piè & doctè explicat Lam. Danæus *lib. 1. Phys. Christia. c. 11.* illum Origenis errorẽ refutans, quo plures mundos exstituros sensit, non simul quidem omnes, sed successive, & alium post alium; Ideoq; Christum sæpius passurum, ut, quod semel profuit, semper prosit assumtum. Consecutione igitur innumerabiles Deum condidisse mundos arbitratus, veritus opinor, (*verba hæc sunt Bodini*) ne vel Deus iners-

Mundi an plures.

Mundum esse unicum.

Origenis error notatus.

inertia langueret: vel, quod Plato metuit, ne hominum genere prorsus sublato, sacrificiis ac laudationibus careret, sed uterque in maximis erroribus versatur. Alter quod divinam felicitatem mundi exsistentiâ; alter quod Dei gloriam, hominum sacrificiis ac rebus caducis metitur. Qua de re egregiè disputat Joh. Bodin. *in Methodo historica cap. 8. mihi fol. 320.* Cui vesaniæ affine quodammodo est & *Osiorum* delirium, qui Mundi pluralitatem ex Christi veri, viviq; verbi auctoritate obstinatè adstruebant: qua Christus regnum suum non esse de hoc Mundo, fuerit testatus. Ex quo tamen loco, plures esse mundos, non efficitur Verè enim Christi regnum non est de hoc mundo, inferiori & perituro scilicet: sed est spirituale & intellectuale, durans in æternum. Plinius certè, cùm audiret quosdam innumerabiles tradere mundos & hujus generis portenta comminisci, exclamasse fertur: *Furor est: profectò furor est.* Sed nos in eandem quoque exclamationem erumpere quid vetat? Quando ille mundum æternum esse prodidit, neq; genitũ neq; interiturum, referente Francis. Balduino *lib. 2. de histor. universali mih fol. 720.* Et errorem istum etiam ex nostris Johannis de Imola damnavit *in c. 1. ext de sum. trin. & fide cath. n 9.* Atque sanior est eorum sententia, qui mundum originem habuisse cum Moyse asserunt, ex quo sequitur ejus occasus, si Aristotelis doctrinæ assentiamur. Nam si mundus interitum non senserit, ortum habuisse constat. Verum hoc (& quidem verno æquinoctio, ut in Synodo quadam Cæsariensi definitum est, autoritate Moysis, qui in eo primum mensem, Martio nostro respondentem collocat. Frãcis. Balduin. *in lib. 3. de histor. universal. fol. 737.*) Verum igitur & illud erit mundum scilicet interiturum. Eaque sententia ex Jesaia, Esdra & Petro tam manifestè probatur, ut ex eorũm verbis de mundi interitu dubitare jam nemo possit. Et in ea sententia fuit quoque *Epicurus*, ut est apud Plutarchum, ejusq; discipulus *Lucretius* his versibus:

Et Osiorum.

Mundus Plinio æternus,

sed falsò.

Una dies dabit exitio, multosq; per annos
Sustentata ruet moles & machina mundi.

Rationem autem mundi corruptibilis & pessum ituri reddit idem Lucretius *libr. 5. de rer. nat.*

Omnia nativo ac mortali corpore constãt:
Debet eadẽ omnis mundi natura putari:
Quippe etenim quorum partes & membra videmus
Corpore nativo mortalibus esse figuris,
Hæc eadem fermè mortalia cernimus esse,
Et nativa simul. Quapropter maxima mundi
Cum videam membra & partes consumta regigni
Scire licet cœli quoque idem terraq; fuisse
Principiale aliquod tempus, clademque futuram.

Mundus quomodo interiturus.

Quo in loco cum ait, cœli quoq; principium fuisse, sic futuram cladem, non putandum est, tanto incendio supremo magis periturum cœlum, quàm periit diluvio. Non enim periturum est cœlum Dei Opt. Max. domicilium, nec transibit perenni ruinæ; sed concessis, quæ infrà illud sunt, elementis, & omni discussa fece & nube, clarius solito & splendidius nitens renovatum videbitur. Idq; & D. Petrus innuit *Ep. 2. c. 30. v. 10.* & ex Augustino ita interpretatur Steph. Forcatulus *de Imper. & Philos. Gallor. lib. 1. fol. 96.* atq; ex eo etiam firmatur magis, quod spe indubitata & certa fiducia præstolamur Christum ultima illa die cum tuba & pompa magnifica de cœlo descensurum, & nos in occursum ejus ituros, raptos in nubibus & obviam progressos in aëra, fide jubente Apostolo *1. Thess. 4. v. 16. 17.* certè Deum majores nostros Teu-

tones olim sub principii nomine coluisse: *Tanfana* nimirum, quasi tu dicas den Anfang/ sunt qui existimant, eo quod fons sit & principium movendi. Principii autem origo nulla existit, quippe ex quo universa oriantur; ipsum autem principium non aliunde nascatur, nunquam id futurum, si unquam ex re alia gigneretur. Quod si non oritur, nec occidit quidem unquã, ut pulchrè disserit *in Phaedro* Platonis Socrates & ex eo transcripsit Cicero *in Tuscul. 1.* ut Hadr. Junius retulit *in Bataviae histor. cap. 26. fol. 228.* Quanquam, si verum amamus, Novi orbis nomen non adeò novum est apud Classicos scriptores. Nam & Germaniam Ovidius ad Liviam scribens; & Hegesippus Angliam, novi orbis appellatione cohonestant, ut scilicet Americam Novum orbem hodie dicamus: Sicut Augusti Imperio *Germania* Romanorũ armis penetrata novus orbis vocabatur. Sic enim Ovid. *in Ep. ad Liviã:*

Novi orbis nomen olim quoq; usurpatum.

Fluminaque & montes & nomina magna locorum:
Et si quid miri vidit in orbe novo:

Quomodò & Anglia seu Britannia orbis Novus censebatur, ut est apud Hadrian. Turneb. *lib. 23 advers. cap. 11.* Hinc

—penitus toto divisos orbe Britannos:

Melibaeus Virgilianus dicit *Eclog. 1.* eosdemque ultimos orbes vocat Horat. *lib. 1. carm. Ode 35.*

Serves iturum Caesarem in ultimos
Orbis Britannos—

Quo sensu Virgilio 8. *Aeneid.* dicuntur

Extremique hominum Morini:

Romani enim versus Oceanum Britannicum putarunt ultimos hominum Marinos. Itaque Britannicus videbatur illis orbis alter ultra trajectum Caletũ. Gualterius d. *Ode 35.* Sic Pomponius Mela alicubi alterius Orbis; Lucanus Ignoti orbis meminit *lib. 5.* loquens de Arabibus in Auxilium Pompeji properantibus. Et JCtus Ulpianus Orbis Romani mentionem facit in *leg. in orbe 16. ff de statu hom.* Ita enim ibi legendum esse, cum alioquin, *in Urbe Romana*, vulgata haberent exemplaria, Alciatus rectè monuit *in d. l. in orbe. & l. potestatis 215. de verb. sign. juncto c. 21. lib. 2. Dispunct.* quẽ Petrus Costalius *d. l. 16.* & Joh. Corasius *in l. si testamento. C. de impuber. & aliis subst. num. 19.* Hieronym. Cagnol. *in l. 2. de orig. juris nu. 129.* Sylvester Aldobrandinus *Insti. de excusat. tutor. in prin. n. 19. in fin.* & Arius Pinellus laudant. *in 2. Parte Rubricae C. de bon. matern. n. 11.* Nec enim ignotum est Romam communem dictam esse, patriã, ut est text. *in l. 33. ad municip.* Seneca ad Helvidiam *cap. 6.* Ab hac civitate discede, quae veluti patria communis potest dici. Plin. *lib. 3. cap. 5.* Breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret. Eandemque totius orbis civitatem vocat Sidonius Apollinaris *lib. 1. Ep. 6.* ideo fortassis, quod omnes exerto & pleno ubere Roma susciperet, ut cum Symmacho dicam *lib. 2. Ep. 7.* quod elegantibus his versibus expressit cons. 1.

Roma communis patria.

Addidit antiquam tendentem brachia Romam,
Exerto & nudam gestantem pectore mammam,
Altricem Imperii, ubertatisque parentẽ.

Claudianus *in Panegyr. Stiliconis*

Haec est in gremium quae victos sola recepit,
Humanumq; genus cõmuni nomine fovit:
Matris, non dominae ritu, civesq; vocavit:
Quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit:

Et Prudentius *libr. 2. contra Symachum:*

Vivitur omnigenis in partibus, haud secus ac si
Cives congenitos cõcludat moenibus unis:
Urbs patria, atque omnes Lare conciliemur avito.

Unde

Urbs caput provinciarum. Unde & *arx provinciarū omnium*: *Arx* item terrarū Roma dicitur Tullio in Catilinam; Symmacho commune imperii caput *lib. 4. Ep. 28.* Imperatori Zenoni caput orbis terrarum *l. 3. C. de consul. lib. 12.* Justiniano caput omnium civitatum, quod necessum sit omnes provincias sequi §. *fi. Inst. de satisd.* Ambrosio principatum & caput obtinere nationum *Cant. beati 2. q. 7.* Hoc ampliùs, & domicilium & Gymnasium literarum Sidonio dicitur *lib. 1. Ep. 6.* Erat enim Romæ veluti peculiare juridicinæ domicilium, quippe à quo manavit jus, quo utimur, nisi aliter moribus & consuetudine receptum sit *lib. 7. C. de feriis.* Claudian.

Armorum legumque parens; quæ fundit in omnes
Imperium, primiq, dedit cunabula juris.

Sed & Symmacho domicilium Latiaris facundiæ nuncupatur *lib. 8. Ep. 68.* Ennodio, liberalis eruditionis Gymnasium; Cassiodoro, eloquentiæ fœcunda mater, virtutumque omnium latissimum templum *lib. 10. Ep. 7.* ut non defuerint, qui literas latinas Romæ, non alibi discendas asseverent; tanquam florentissimo literarum gymnasio, ad quod undecunq; Studiosi confluebant, ut colligitur *ex l. cum filius 17.* ibi: cum studiorum causa Romæ ageret *ff. si cer. pet. l. Titio* cum studiorum causa Romæ ageret *36. ff. ad munic. l. si longius 18. §. fin.* ibi: ipse autem Romæ studiorum causa agat *ff. de judic.* Romā igitur & Galli proficiscebantur: non quod in Galliis non florerent bonarum artium studia, septemque collibus Latiaris eloquentiæ concluderentur; sed ut Gallicanā abundantiam Romano sale siccarent, post decursa in Galliis studia, & ut jus Romanum Romæ discerent. Rutilius Itinerario:

Facundus juvenis, Romanis nuper ab arvis
Missus Romani discere jura fori.

Idque auctoritatibus sat bene multis munit, & summè notandum monet Savaro ad Apollinar. *d. Ep. Gr. lib. 11.*

Novus Orbis veteribus incognitus. Novum autem Orbem istum, de quo Pancirollus primo hoc tractat capite, veteribus planè fuisse incognitum, evidentiore probatione non eget: cùm exstiterint nonnulli, qui ipsam etiam terram ea parte esse negârint: quidam etiam cœlum inde ex rerum natura auferre non dubitârint. Etsi enim Philosophorum doctissimi Cœlum omni ex parte sphæricum atque rotundum, & terram undique ambiens, atque in seipsum volvi tradiderunt: *Cœlum an sit sphæricū.* video tamen magni nominis Theologos contrà statuere, Mundum hunc universum domui potiùs similem esse, cui tectū ex una tantùm parte, non quaqua versus immineat. Neque enim rationem pati, ut terræ moles tam gravis in medio aëre suspendatur. Chrysostomus certè eos non semel provocat atque lacessit, qui cœlum sphæricum ponunt: cum scriptura potius tabernaculum à Deo fixum commemoret, *ad Hebr.* 8. Et cùm Psal. 104. legamus Deum extendisse cœlum, sicuti pellem: ut & *Esaia 40. v. 22.* Cœlum, ut telam & cortinam, expansum esse atque diffusum: eo ipsô non obscurè significari, Cœlum non tam sphæricum, quàm supernà planum esse: ut Augustinus argumentatur *lib. 2. de Generat. ad lit. cap. 9.* quo etiam loco, non absque stomachatione: *Quid ad me pertinet* (ait) *utrum cœlum sicut sphæra undiq, concludat terram in media mundi mole libratam; an eam ex una parte veluti discus operiat?* Sed minuēda est hæc opinio.

Cœlum esse sphæricum probatur. Nam ut illa Philosophorum scita omittam, quod perfectissimum corpus deceat figura perfectissima: quòd pulcherrimâ & capacissimâ formâ, quæ sphærica est, ambitum hunc tot tantaq; suo sinu complectentem efformari oportuerit: quòd præcipuæ & tanquam integrales hujus

mundi partes, quæ ſunt Cœlum, Aqua & Terra ipſis ſenſibus dijudicentur eſſe circulares & ſphæricæ, quibus totum ipſum Mundi ambitum figurâ ſimilem eſſe credibile ſit: quòd mutus in orbem non poſſit eſſe æqualis & conſtans, ſi in angulos incidat: id quod prorſum neceſſe eſt fiat, ſi Sol & reliqua aſtra non volverentur omni ex parte, ſed inflecterentur alicubi: Profectò evidenti ſatis argumento eſſe poteſt vel una Luna, quæ tunc tantùm deficit & Eclipſin patitur, cùm globus terræ ex diametro Solis radios intercipit. quod fieri non poſſet, niſi terræ moles eſſet in medio, cœleſtibus orbibus undique concluſa. Et quid noctem efficit aliud, quàm Solis abſceſſus ex terræ umbra? Quòd ſi Sol terram non ſubit, ſed idem eſt occidere, & ad angulum converti; (quod omninò ſequatur neceſſe eſt, ſi cœlum in modum diſci terram tantùm operiat, ac non pilæ inſtar complectatur:) profectò longiores brevioresque noctes, alicubi ſemper æquales efficere nullo modo poſſet. Nam quod Auguſtinus *d. lib. de Generat. addit. cap. 10.* omnes & converſiones, & oppoſitiones, & depreſſiones; & aſpectus, & quæcunque ſunt aliæ ſyderum affectiones, ſcribit poſſe ſervari, etiamſi cœlo ipſo immoto aſtra tantummodò moveantur: planè ad intelligendum non eſt difficile, ſi modò fingendi ſit licentia, ut Joſephus à Coſta reſpondet *1. de Natura novi orbis, cap. 2.* Contrà, de hoc terræ ſitu & cœli ambitu præter oculatam fidem abundò etiam ſacræ teſtantur literæ. Nam dum Orbem terrarum dicunt, quid aliud intelligunt, quàm quicquid eſt corporum, cœli ambitu contineri? Unde Eccleſiaſtes: *Oritur* (inquit) *Sol, & occidit, & ad locum ſuum revertitur, ibiq; renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonē, luſtrans univerſa in circuitu: pergit ſpiritus, & in circulos ſuos revertitur.* Ubi Gregorii paraphraſis habet: Sol, totâ terrâ decursâ, ad eundum rurſus terminum punctumq; circumvolvitur. quod fieri ſanè non poſſet, ſi terra cœlo aliqua parte eſſet excluſa. Ipſo autem cœli ambitu terram comprehendi, & mediam veluti liberari, ex illo Hiobi *cap. 26.* diſcimus: *Extendit Aquilonem ſuper vacuū, & appendit terram ſuper nihilum.* Suſpenſa enim videtur in nihilo, cùm terra aquæ cōmixta in medio aëre ſtare perhibetur. Rectè, *aqua mixta:* cùm certum ſit, Terram elemēto aquæ hærere, & plurima ex parte ab illo ita contineri, ut ex duobus iſtis elementis, unus conſtituatur globus. Quod Regius Propheta ſignificat, cùm Deum firmaſſe ait terram ſuper aquas; & rurſus orbem terrarum ſuper maria. *Pſal. 23. & 135.* Id quod præcipuum quoq; divinæ omnipotentiæ argumentum eſt. Mirum etenim, & revera quoque ſuper rerum naturam eſſe videtur, Terram graviorem multò, & minorem aquâ, ab ea non obrui, turgentesq; & elatiſſimos Maris fluctus, intrà certos fines ſe continere, neq; in totam terram, quæ longo intervallo ſubſtare videtur, ſeſè effundere. Unde apud Hiob. *cap. 38. verſ. 10. Circumdedi,* inquit, *Mare terminis meis & poſui vectē & oſtia, & dixi: Vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.*

Terra & Aqua conſtituunt globum.

Sed ſciendum eſt, ſapientiſſimum illū architectum feciſſe, nō quidem ſolius terræ globum (hic enim neceſſariò aut innataret, aut ſub aqua totus mergeretur) ſed ex terra & aqua globum unicum: cujus centrum, mundi etiam centrum eſt: non ita, ut ejuſdem globi medietas altera, aut pars tertia terræ ſit, reliquum aquæ: (ita enim etiam mergeretur terra ſub aqua) ſed terra & aqua ita ſe contineant mutuò, ut utriusq; ſit idem centrum, quod & totius mundi. Id verò fit, terrâ integrum glo-

globum reddente, non solidum illum quidem, sedmaximâ parte interiùs & ad superficiem cavum, amplissimasque illas cavitates, replente aqua: & ita tamen, ut neque absorberetur illa aquæ moles, neque redundans inundaret terram;sed tantum ejus relinqueret detectum, quantum ipsi rerum Opifici visum est, quo fit, ut terræ facies & maris, ejusdem globi sint superficies: & quia utriusq; extremitates ejusdem sphæræ partes sunt, neutra superstet aut substet alteri: quod pluribus disputat Francisc. Vallesius *lib singulari de sacra Philosophia c. 1. & 52.* quem librũ non ad opinionem, sed ad veritatem se scripsisse, ipsemet in præfatione testatur.

Bases terræ. Jam si cum Hiob quæras, super quo bases illius fundatæ sint? dicam, Bases terræ, esse ipsa terræ fundamẽta:quæ ut ex nihilo effecta sunt,ita & super nihilo solidata.

Nam quod columnas terræ confirmasse se Dominus ait, *Psal. 74. v. 4.* iis non Atlanticæ poëtarum columnæ intelliguntur: sed hæ verbi Dei, virtute suâ omnia portantis: ut tantæ molis pondus divinæ potentiæ manibus sustentari intelligatur. quemadmodum commodè exponit Ambrosius *lib. 1. Hexam. cap. 6.* Et confirmatur illo Esaiæ *cap. 40. vers 12.* ubi solus Jehova est qui mensus est pugillo sua aquas (sive Oceanum) & cœlos *spithma* expandit: ac complexus est trientali pulverem terræ & põderavit statera montes,& colles lancibus. Accedit Pictaviens. Epic. *lib. 1. de Trin.* Æterni, *inquiens*, & incorrupti Dei dignus de se auditus est sermo; Qui tenet palmo cœlũ & terram pugillo. Universitas cœli palma tenetur, & universitas terræ pugillo concluditur. *Et mox*: conclusum palmo cœlum Dei thronus est, & terra, quæ pugillo cõtinetur: eadẽ & scabellum pedũ ejus. Quibus mirè convenit (siquidem profana licet sacris cõmiscere) quod Socrat. apud Platonem *in Phædone* scitè omnem rem in hæc verba contrahens disserit: Hoc rectum fixumq; in animum induxi meum: primũ si ipsa terra in medio est universi à cœlo circumquaque æquis circumducta spaciis, nullius quidẽ illã rei præsidio indigere, neq; aëris, neq; alius cujuspiam necessarii fulcri, uti ne cadat. Verum mox pergit idem Socrates, satis ipsam posse; quandoquidem, & sibiipsi undiq; simile sit cœlum, ipsa autem terra æquilibris. Idq; confirmatur illo Arnobii, *quarto adversus gentes* ita scribẽtis. Quicquid teres est atq; ex omni parte rotunditatis solida connexione conclusum, nullũ habet initium, nullum finẽ. Ubi finis, ibi & initium est, & quæ sequuntur. Jam si mundus est rotundus, qui ergo cardines seu fines, extremitatesve ejus? Sicuti rectè argumentatur *Georg. Remus*, CJ. poeta & philosophus eximus, inclutæ Noricorum Reipub. Consiliarius, quem nunquam nisi cum veniæ præfatione nominandum mihi censeo, *in doctissimis notis ad Themistii oration. 6 fol. 222.* *G. Remus.*

Terra in mundi medio, & rotunda. Terram autem in mundi medio ita sitam, ut ejus centrum, totius quoq; mundi sit; atque ita rotundam, ut omnes extremitatis ejus partes æquè à centro distent, & tota terra æquè ab omnibus cœli lateribus, ac si Mundi opifex à polo ad polum lineam tetendisset, & medio lineæ puncto alligasset terræ mediũ, eamque circino quodam rotundam fecisset: Id non Plato tantùm animadvertit, in Timæo ita scribẽs; *Terram altricem nostrã, circa polum per universum extensum circumvolutam, diei noctisque effectricem & custodẽ esse voluit*: Sed & Hiobum id significasse dubitandum non est, cùm quærit, *quis lineam super terram tetenderit? c. 38. v. 5.* ut ita qui sub Antarctico polo degũt, Christianos nihil necessum sit de reditu in patriam adeò esse solicitos: cùm certum sit, æquè propinquum esse Americæ

cœ-

Cœlum Americæ.

cœlum, atque Europæ, Asiæ aut Africæ: dummodo veram sibi patriam in cœlo constitutam credant, cum *Anaxagora* illo Clazomenio: qui cùm Lampsaci procul à patria aliquãdo objurgaretur, quòd Reipublicæ & patriæ curam negligeret, vir alioquin generis gloriâ & fortunis clarus: *Imo* inquit, digitum in cœlum intendens, *ingens mihi patriæ cura est*. Namq; cœli summi laribus animæ immortalis sedem ponebat: non secus atque *Pherecydes* ille, Pythagoræ magister, qui animos hominum sempiternos, atque immortalem animam in Græcia primus, Servio Tullio Romanis imperante docuit, & præfractè adseveravit è Philosophis. Cujus rei multa reperire licet testimonia *in Phædro* alisque dialogis Platonis: quorum unum è multis proferre lubet è *Phædone*. Atque dum, ô Socrates, in vita sumus, ita nos, ut decet, debemus parare, ut minimum nobis sic cum corpore cõmercium, nisi summa cogat necessitas, nec ipsius naturam imbibamus: sed puri & integri ab ipso simus, donec Deus hinc nos migrare jusserit atque ita puri & ab insania corporis liberati, ut consentaneum est, cum talibus, id est, puris & integris versabimur, & per nos ipsos cognoscemus quicquid est sincerum. Nec minus egregium est illud Pythagoræ extremum *Carminum aureorũ*. Quod si corpore relicto ad purum æthera perveneris: eris immortalis, divinus, incorruptus, non amplius mortalis. Injurius autem fuerim, si illud Phocylidis præteriero: *Animi manent immortales in mortuis*: Spiritus enim est Dei, res hominibus accommodata, & imago. Corpus autem à terra habemus, & omnes in ipsam soluti, sumus pulvis. Sed cœlum suscipiet spiritum. Ipse etiam Regum sapientissimus *Solomon*, cum de animæ immortalitate videretur hæsitasse aliquantò, & utrum anima hominis sursum ascenderet potius, quam jumenti, ait tandem; Memento creatoris tui, in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, redeatque pulvis in terram, qualis fuit, *& spiritus redeat ad Deum qui dedit illum*. Accedit quod cum ad Dei expressam effigiem anima ratione prædita erecta fuerit, nunquam senescet, nunquam desinet; sed æternam juventam sortita cœlo fruetur. Cæterum, & cum ait non habere hominem quicquam præstantius pecore; nominatim præfatus est, sed de eo hominum genere sentire, qui se in pecudum sive jumentorum cõditionem deiiciunt, quæ natura cœlum spectare non permisit, sed prona & vẽtri obedientia finxit. Illi enim bis moriuntur, daturi scelerum pœnas; proinde quadrupedibus deteriores, quibus semel emori licuerit. Sic enim illud Ecclesiast. *c.3.v.1.18.19. & cap.12.v.7.* interpretatur Stephan. Forcatulus *lib.1. de Gallor. Imper. & Philosoph. fol.94.* Quæ quamvis ita se habeant; non dubitavit tamen *Iohannes XXII. Pontifex* palam asserere, Animas esse mortales, unaque cum corporibus interire, usque ad diem resurrectionis. Cui insaniæ tantæ nemo tunc Cardinalium se ausus fuit opponere: sed schola Parisiensis Regem Galliæ impulit, ut ad palinodiam hominem cogeret. Rex ejus communionem suis interdixit, nisi mox resipisceret. Idque de more publicavit per præconem. Hac necessitate adactus ille, errorem abjuravit. Hoc exemplum facit, ne verum credendum sit illud Papicolarum theorema: *sedem Romanam, ejusq; Pontifices labi in fide non posse*: quia Petro dictum sit, oravi pro te, ne fides tua deficiat. Certè ille tam fædo lapsus genere à recta fide excidit: ut sit insigne posteris documentũ. *non omnes esse Petros, qui Petro in Episcopatum succedunt*: quæ verba sunt doctissimi Theologorum Johannis Calvini *lib.4. Institut. Christian. cap.7. sect.*

Anaxagoras.

Cœlum vera patria.

Pherecydes animam immortalẽ statuit.

Ioh. XXII. Papa error de anima mortalitate.

Papa an erret.

ʃect. 28. Ipsum Johannem Gersonem, qui tunc vivebat in rei fidem allegamus. Eant ergò nunc Pontificii, & videant, quo jure defendi possit, quod in decretis relatum est: In sede Apostolica extra maculam semper est catholica servata Ecclesia. *Can. in sede 24. q. 1. & in Can. hæc est fides. ibid.* ubi Romana Ecclesia semper immaculata permansisse dicitur. Cujus contrarium tamen tum ex illo Johannis XXXII. errore; tum etiam eo evincitur, quod relatum est *in Canon. Anastasius 9. distinct. & Can. scire debet 7. quæstione 1.* Cum aliis locis penè infinitis, quæ hoc loco excutere nostri instituti non est. Illud hic ostendisse sufficiat, sententiam istā de animæ immortalitate, jam olim etiam apud Magos, quorum præcepta nobiles quosque Philosophos oblectarunt, in Ægypto & Persia; ut & apud Indos obtinuisse. *Brachmanum* enim, qui Indorum Philosophi sunt, placitum fuisse legimus: Vitam præsentem credi oportere, veluti conceptum vitalem: Mortem verò, egressum ad veram felicemq; iis vitam, qui rectè fuerant Philosophia imbuti. Et *Theopompus* octavo Philippicorum libro, juxta Magorum sententiam scriptū reliquit, Revicturos aliquando homines, immortalesque futuros. Ex quo manasse arbitror, ut *Democritus* homines suscitatum iri à morte statuerit, nimium falsè, nedum scelestè à Plinio eo nomine derisus, quia nondū ipse revixerit. *lib. 7. c. 55.* Sed quia hoc ipsum fide sibi non persuasit, discet experimento, quando Christus judicatum Orbem terrarum venerit, majestate incredibili decorus: ut Steph. Forcatulus piè monet *lib. 1. de Imp. & Phil. Gallor.* Interest sane societatis humanæ, interest Reip. benè institutæ, ut animorum perpetuitas sit omnibus persuasa: ut spe præmiorum Boni invitentur ad virtutem; Mali verò supplicii metu à flagitiis deterreantur. Ob id egregiè Democritus dixit, *præmio ac pœna vitam contineri.* Verè namq; ita est, ut qui præclaris se actionib. exercēt, sperent rectè ante actæ vitæ præmia, ad quæ inter vivos vel nemo, vel pauci adspirare possunt, se aliquādo liberatos ab hac corporis compage consecuturos, veluti relatum est à Cœlio Calcagnino *lib. 13. Ep. 21. circ. fin.* Et quid ab omnibus sceleribus tam potest animos hominum retrahere, quā si sibi persuaserint, omnibus tum reddendam esse anteactæ vitæ rationem, eum neque mentiri neq; tergiversari licebit; sed omnia quæ fuere in vita nefarie commissa, universis gentibus conspicua, tanquam maculæ, aut putrescentes pustulæ in corporib. apparebunt? Quæ leges civiles, quæ consuetudo, aut statuta civitatum, quæ item judiciorum severitas tantum potest in animis hominum? His enim neglectis, multa flagitia clàm committi possunt: Et reperiuntur nonnulli, qui tormēta parvi faciunt: imò & mortem, si ita res postulet, æquo animo ferunt. At ubi ne tūc quidem finem laborum & calamitatum sibi adesse sentiunt, dici non potest, quantopere à sceleribus cum ipsa conscientia, tū æternorum suppliciorum metu retrahantur. Simon Majolus *part. 2 Dier. Canicul. Colloq. 1. fol. 63.* Atque eò haud dubiè allusit divinus Plato (quē *Semideum* instar Herculis & Romuli, Labeo Jureconsultus non est veritus appellare, ut ex Augustino Forcatulus refert *lib. 1. de Gallor. Imper. & Philosoph. fol. 13.*) quam de Ero Armenio recitat fabulam *dial. 10. de Repub.* Is enim cum occubuisset in prælio, sublatus decimo die cadaveribus jam corruptis, integer domum relatus ut sepeliretur, duodecimo ab obitu die pyræ impositus revixit, & omnia quæ apud inferos viderat recitavit: ut judices in hiatu sedentes, qui justos ad dexteram cœlum scandere juberent; injustos

Brachmanes.

Theopompus.

Democritus à Plinio risus.

ſtos contra ad ſiniſtram dejici, ſigna eorum, quæ in vita male patraverant, à tergo ferentes. Ipſam verò immortalitatem, cognitione ſequeſtrata, & abjuncta rerum ſcientia, non recte vitam dici: ſed eſſe verius tempus quoddã, Cælius Rhodiginus præponendum cenſuit *lib. 5. lectio. antiquar. cap. 12.* Interminum quidem animum ideo nobis dedit Deus, ut ad omnia, quantum vel brevis ætas permittit, vel ejus conditio patitur, provehatur. Quod ſi omnia complecti non poſſumus, danda tamen eſt opera, ut non animum, non ſtudium, non vitam, ſed vires defuiſſe comprobemus. Quæ verè aurea eſt Calcagnini ſententia *lib. 2. Ep. 5.*

Novus orbis an ſit habitabilis, dubitatur.

Cæterum etſi oſtenſum jam fuit, cœlum quaqua verſum devexum, undique terrarum orbem, tanquam pilam in medio conſtitutam concludere: non continuò tamen inde conſequitur, loca illa ſub Antarctico ſita polo, quæ novi Orbis appellatione nuncupantur, eſſe habilitabilia. 1. Nam & ad polum Antarcticũ mare quaqua verſum eſſe diffuſum, neque uſpiam terræ locum reliquiſſe, & ut maximè terram ibi eſſe concedamus, 2. nullam tamen rationem pati, ut, cùm ex uno Adæ ſemine procreati ſint homines, illorũ aliqui infinito Oceãno trajecto, ad obverſas terræ partes commeârint, 3. tum etiamſi im̃enſa illa Oceani vaſtitas non obſtaret, Mediam tamen illam regionem, eandemq; maximam & longiſſimã Zonam, duobus ſolſtitialib. circulis comprehenſam, quam *Torridam* vulgò appellamus, ab hominibus incoli non poſſe, propter æſtivos perpetuosq; ardores, ex Solis propinquitate eam omnem regionẽ adurentes, & pabuli aquarumq; impotentem efficientes, denique ridiculum & abſurdum eſſe, Antichthones nobis contraria veſtigia obvertere, atq; ita illos pendulos aſſerere. Quarum opinionum prima & ſecunda Auguſtini eſt; tertia Ariſtotelis, quã & Virgilius & Plinius amplexi ſunt; quarta, Lactantii. Nullam tamen illarum ſatis firmam eſſe, paucis oſtendemus. Quod igitur Mare illud undique diffuſum attinet, quæ prima adverſus Novi Orbis incolas, ſive aſſertores horum adferebatur ratio: Non attendunt, inquit Auguſtin. *lib. 16. de Civ. Dei, c. 9.* etiamſi figurâ conglobatâ, & rotundâ Mundus eſſe credatur, ſive aliqua ratione monſtretur; non tamen eſſe cõſequens, ut etiam ex illa parte ab aquarum congerie nũda ſit terra. Rectè prorſus. Non enim illud ex mundi rotunditate conſequitur. Sed tamen neq; contrariũ demonſtratur ratione, & hoc jam tandem experientia ipſa patefecit. Etſi enim globi iſtius, quem ex terra & aqua conſtitui diximus, multò maximam partẽ Aquæ obtinent: tamen ita viciſſim Terræ cedunt, ut non tota hujus congeries hinc, tota illarũ inde ſe teneant; ſed mutuis excurſionibus ſeſe per omnia complectantur. Unde Dionyſius Coſmographus Univerſam terram eſſe quidem dicebat inſulam, Oceano undique coronatam (quemadmodum & Orpheus Oceanum in ambitu terræ circumductum ajebat, laudans.

Reſp. ad 1. dubitat.

Circulum indefeſſi pulchrè fluentis Oceani quem Rerum originẽ auſus eſt Homerus nominare; alii rectius *mundi Baltheum* dixere; Cyrill. *terræ involucrum*, quod complexu ſuo tellurem contineat. Hadr. Jun. in Bataviæ hiſtor. *c. 15. fol. 203.* ſed ejuſmodi tamen coronatam Oceano, qui ſimiliter novas ſubindè pariat inſulas: quarum aliæ atq; aliæ cùm Majorum noſtrorum, tum etiam noſtrâ memoriâ fuerunt retectæ: ne non eſſet verum Senecæ vaticinium, in Medea:

Oceanus.

Venient annis ſecula ſeris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, & ingens pateat tellus
Typhisq; novos detegat orbes

Nec sit terris ultima Thule,
Quæ quidem verba postrema, Seneca ab illo Virgilii
—tibi serviat ultima Thule,
mutuasse videtur *lib. 1 Georg v. 30.* Signaturus scilicet locum quemcunq; longinquum & remotum. Eo enim sensu accipiendum illud Ammiani *libr. 18. histor.* Eo necessitatem articulo, quo etiamsi apud Thulen moraretur Ursicinus, acciri eum magnitudo rerum ratione probabili flagitabat, id est, etiamsi moraretur in remotissimo quocunq; loco. Indè non tantum *—ratibusq; impervia Thule*: sed & *procul axe remota* dicitur Claudiano: in qua etiamsi nullæ dicantur esse noctes, cancri signi solem transeunt; nullique contra per Brumam dies. Idque senis constitutis mensibns fieri arbitratur Johan. Gryphiander in tractat. *de insulis, capit. 32. nu. 22.*

Thule.

Sed venio ad alterum Augustini argumentum, hoc est, Oceani immensitatem: qua deterritum eum esse video, quò minus humanum genus ad hunc alterum orbem trajicere potuisse existimârit. Sic enim *lib. 16. de Civit. Dei, cap. 9.* Quod verò, ait, & Antipodas esse fabulantur, id est, à contraria parte terræ, ubi Sol oritur, quando occidit nobis, adversa pedibus nostris calcare vestigia; nulla ratione credendum est. Et posteà: Nimisque absurdum est, ut dicatur, aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani immensitate trajectâ, navigare & pervenire potuisse, ut etiam illic ex uno illo primo homine genus institueretur humanum. Tota igitur Augustini difficultas in Oceani immensitate consistit. Sanè, ut ex uno factum esse omne hominum genus, sacris literis edocti indubitanter credimus, *Actor. 17.* Ita quomodo, aut qua via, quove duce gẽs Indorum innumerabilis ex Asia, aut Europa in loca illa penetraverit, meritò & admiramur, & quærimus. Nam neq; alteram Noæ Arcam eò appulisse cogitare possumus; neq; Angelum quempiam, ut olim Abacuc Prophetam ex Palæstina in Babyloniam, suspensos per aëra transvexisse Indiæ gentis progenitores. Non enim quid Deus potuerit, quæritur; sed quid rerum humanarum ratio atq; ordo patiatur. Multò verò minus aut Ganymedis aquilam, aut Persei equum alatum, & quæ præterea Poëtarum commenta sunt, huc lubet adducere. Verius est, ut uno ex tribus modo genus Indorum ad Americam venisse dicamus. Aut enim terrestri itinere, aut maritimo ventum est: & maritimum quidem vel fortuitò peragi potuit, vel certo consilio & ratione: h. e aut vi tempestatis & Oceani, præter spem ad alterum orbem appulerunt primi habitatores; aut studio novã quærendi Navigationem eò direxerũt. Qua ratione autem aliquo ex istis modis cùm homines, tùm etiam bestiæ & pecudes ad Novum illum Orbem pervenire potuerint, id doctè & eleganter explicatum habes apud Josephum à Costa *lib. 1. de Natura Novi Orbis, c. 19. 20. & 21.*

Resp. ad 2. dubitat.

Tertia causa fuit, cur Veterum opinione ad alterum istum orbem non patuerit accessus, quòd præter Oceani vastitatem, cœlum ipsum obstaret Solaris Zonæ implacabili æstu, quo ab eo itinere, vel mari, vel terrâ conficiendo, audacissimum quemque compesceret. Ideo enim torridam illam Zonam, sive regionem mediam Aristoteles *2. Meteoror. cap. 5.* prorsus inhabitabilem asserit, quod calore exuratur propter Solis vicinitatem, quodque pabulis & aquâ careat. Quam sententiã & Plinius sequutus est cùm *lib. 1. c. 68.* scribit; Lux media terrarum, qua Solis orbita est, exusta flam̃is, & cremata cominùs vapore torretur. Circa quam duæ tantùm inter exustam & rigentes temperantur, hæque

Resp. ad 3. dubitat.

ipse inter se non perviæ propter incendiũ sideris. Quò pertinet ille de torrida Zona Ovidii versiculus, 1. *Metam.*

Quarum quæ media est, non est habitabilis æstu:

Id quod significantiùs expressit Virgil. *in Georgic.*

Quinque tenent Cœlum Zonæ, quarum una corusco
Semper Sole rubens, & torrida semper ab igni,
Quam circum extremæ dextrâ lævâq; trahuntur,
Cæruleâ glacie concretæ, atque imbribus atris.
Has inter, mediamque, duæ mortalibus ægris
Munere concessæ Divûm.

Quam universam disputationem, Probus Grammaticus auctor est, Virgilium transtulisse ab Eratosthene Cyrenæo: cujus liber est hexametris versibus scriptus, qui *Hermes*, sive *Mercurius* inscribitur. Eos Eratosthenicos versus Græcos, ex Heraclidis Pontici lib. de Allegoriis Homericis ita latinè reddidit Hadrianus Junius, Medicus & Philologus clarissimus, *lib. 3. Animadvers. c. 5.*

Circum hunc funduntur zonæ quincũplicis orbes,
Glaucum ex his superant cyanum nigredine bini,
Torrida zona una est, sabulosaq; tota, rubentem
Quam radii flammis feriunt Hyperionis acres
Continuis, recto & subiectam tramite torrent.
At geminæ cœlo diductæ utrinq; reclivi
Imbribus usque madent, glaciali autem frigore torpent.

Ex quibus tandem de ea, quàm diximus, Antiquorum ratione constat, cur Mediam illam regionem incultam atque inhabitabilem putârint. Quia enim æstivos calores, etiam longè adhuc à Solstitiali circulo positi, videbant se vix ferre posse: optima ratione concludebant, si tam propinquum haberent Solem, ut directò illius radiis ferirentur, idque per totum propemodum annum; futurum esse omninò, ut summis perpetuisq; ardorib. absumeretur genus omne mortalium. Quam conclusionem & nos non Physicum tantùm, sed & Mathematicam demonstrationem hodiè quoque existimaremus, nisi ab iis, qui novum illum orbẽ permearunt, contrarium didicissemus. Quam assertionem plurib. velle adstruere, in tanta præsertim ævi hujus luce, ociosi foret hominis, ut Joh. Ludov. de la Corda arbitratur *ad Virgil. Georg. lib. 1. v. 234. n. 3.* Omnem porrò terrarum im̃ensitatem Athlantici maris, sive Oceani ambitu coërceri, insulamque hanc unam esse, cum suis insulis omnibus, etiam Cicero sentire videtur dum *2. de Nat. Deorum*, nos magnam quandam insulam incolere scribit, quam orbem terrarum vocamus. Et *in somnio Scipionis*: õnis terra ait, quæ colitur, parva quædam insula est, circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod Magnum, quod Oceanum appellatur. Hinc Strabo terram, insulam vocat *lib. 1. Geograph.* & Plinius tellurem medio suo ambitu præcinctam circumfluo mari *lib. 2. cap. 66.* Quo spectat illud Ovidii:

Terram universam pro insula habere.

Alma tamen tellus ut erat circumdata Ponto.

Inde Neptunus *terræ cinctor* dicitur ab Homero: quia undique circumscribit & ambit omnes terras, ut est apud Gellium *lib. 12. noct. Attic. cap. 13.* & apud Catull.

Oceanusque mari, totum qui amplectitur orbem.

Indeque est, quod Neptuni uxor à poetis semper Amphitrite dicitur, de qua Claudianus:

Amphitrite.

etiam Nereia glauco
Neptunum gremio complectitur Amphitrite.

Nam Amphitrite, mare significat; dicta illa quidem ab ἀμφὶ circum, & τρεῖν terrere. Mare enim circa se navigãtes pereunti terrore insequitur, ex Francisci Philelphi Philos. *Epist. 3.* Namq; ut ab ipsis unanimi consensu relatum video, Novi istius orbis longè maxima pars ac frequẽtissimè habitata, intra utrumq; Tropicum continetur. eadẽ & pabulis, & aqua super omnes orbis terrarum regiones abundat, atq; plurima ex parte temperatissima est: ideoque homines, in eo cõmodissimè, jucundissimeq; tãquam in terrestri paradiso (quem & huc quidam ausi ponere) vitam vivunt: referente Taubmanno ad commemoratos Virgilii versus *fol. 142.* ipsemet certè Josephus Scaliger in commentar. ad Manilium, experiẽtia Lusitanorum edoctus, Zonæ illius torridæ incolas, cum sol ipsis sit perpẽdicularis, constitutis in æquinoctiali hyeme, tum hyemem eos habere ait. Idque & Joh. Gryphiander sequitur *in tract. de insulis c. 32. nu. 24.* ut gloriari meritò posse videamur, quòd ætatis nostræ felicitate duo hæc miracula fuerint detecta; immensi scilicet Oceani certa trajectio, & torridæ Zonæ suavissima habitatio.

Resp. ad 4. dubitat.

Illa verò Lactantii, quæ quarto loco adferebatur opinio, è trivio petita, & viro docto indigna est: qua Philosophos, qui cœlum undique devexum, terramq́ue in medio sicuti pilam conclusam asserebant, Irridens scribit, *lib. 7. Divinarum instit. c. 23.* Qui esse contrarios vestigiis nostris Antipodas putant, num aliquid loquuntur? aut est quisquam tam ineptus, qui credat esse homines, quorum vestigia sint superiora, quàm capita, aut ibi, quæ apud „nos jacent, pendere? fruges & arbores „de orsum versus crescere? pluvias, & nives, & grandinem sursum versus cadere „in terram? Et paulò pòst Antipodas istos *pendulos* appellat. quos etiam *Adversipedes* dici, Conradus Rittershusius ex veteri Glossario ab Henrico Stephano edito observat in notis *ad Gunther. lib. 3 c. 3. nu. 11. circ. fin.* & noctem iis esse eo ipso tempore, quo nobis dies illucescit, & contrà; doctè explicuit Simon Majolus *part. 1. dier. canicul colloq. 17. fol 555. & seq.* Sed accidit Lactãtio, quod omnibus, qui reprehendendi libidine trahuntur, ut verum non percipiant. Quemadmodum enim in animantibus, quamvis aliis aliter situm sit caput; aliis quidem supernè, ut hominibus; aliis obversum, ut quadrupedibus; aliis medium, ut polypo & araneo; in omnibus tamen caput est supremum: Ita & cœlum, ubicunq; sit, supernum est; Terra semper inferna. Idque & Augustinus sibi non nihil cõtrarius agnoscere videtur, dum *lib. Categoriar. cap. 10.* Veteres ait, undequaque veri sum asserere, terram esse subter; cœlum super. Nam & Antipodes nostri, inquit, qui nobis dicuntur, figere adversa vestigia, cœlum super se habent. Et magistrâ docemur experiẽtiâ, Eos qui contrariam Asiæ incolunt partem, etsi Antipodes sunt, neq; tamen pendulos se cernere, neque vestigia ipsis esse superiora, quam capita: neque etiam fruges & arbores aliorsum crescere; neq; nives aut imbres aliter cadere, quàm in Europa fieri soleat. adeò ut qui olim fabulosi putabantur Antipodes, nunc mercatorib. navigationibus suis globosam hanc & in medio libratã atq; suspensam ambientib. terram familiares sunt. Sicuti Francis. Balduinus scriptum reliquit *lib. 2 de histor. univers. fol 731.* & pulchrè exponit Scipio Mercuri, Philosophus, Medicus, & civis Roman *lib. 3. degli errori popular i d'Italia cap 26. circ. fin.*

Antipodes an sint.

Lactant. notatus.

Jam quod ex Paulo suprà adduxit

Cœlum, cur tabernaculum fixum.

Chrysostomus, cœlum vocari tabernaculum, quòd Deus fixerit, *ad Hebræos. 8.* id non hunc habet sensum, ut terram more tentorii una tantùm ex parte, atque in ea immortum id operiat: sed quòd Apostolus, veteris tabernaculi similitudinem pertractans, doceat ibidem, Novi testamenti tabernaculum esse cœlum, in quod summus sacerdos Christus in suo sanguine semel introierit. quod tantum præstet veteri, quantum inter hujus auctorem, Deum, & illius, hominem interest. Neque verò similia, aut parabolas, aut allegorias necessum est omni ex latere quadrare: ut alicubi idem Chrysostomus monuit. & notum est vulgare illud, quo simile non esse idem dicitur, ut est gloss. perpetuo ad hoc allegata *in l. quod Nerva. verb. dolum ff. depositi. & in c. capitulũ S. Crucis. verb. consimili.* & ibi Joh. de Imol. *ex de rescript.* Matt. Coler. *de process. exsecut. par. 1. c. 10. n. 282.* Et solet similitudo ab effectu dijudicari; licet in verbis dissimilitudo appareat. *l. qui liberis in princ.* ubi Bald. Ang. Alex. alii *ff. de vulg & pupill. Substit.* Aymo Cravet. *cons. 563. n. 8.* sufficere nẽpe similitudo dicitur respectu rei, de qua agitur, quantumvis in aliis dissimilitudo appareat. Idem Cravet. *cons 92. n. 9. &* M. Anton. Natta *cons 402. n. 16.* Sic illud Psalmi 104. *Extendit cœlum sicut pellem:* non tam cœli figuram, quàm facilitatem fabricandi indicat: ut tam facilè Deo fuerit immensum cœlum efficere, quàm facile nobis pellem complicatam extendere. quemadmodum ex Augustino respondet Josephus à Costa *lib. 1. de Natura novi Orbis, capit. 4.* quanquam etiam dici potest, illo Psalmi dicto, (cum quo id quod ex Esaiæ *cap. 40. vers. 22.* adduximus, planè convenit) finem cœli explicari: quod propterea ira à Deo terræ superjectum & superextensum dicatur, tùm ut commodiùs sub eo, tanquam sub pulcherrimo & latissimo tecto homines habitarent: tùm etiam, ut hoc quasi velo quodam oculis objecto, homines arceantur, ne in mysteria & arcana illa divina altius & curiosius penetrent atque inquirant: ex doctissima interpretatione Lamb. Danæi, *1. part. Physic. Christian. c. 13.* Nec verò desunt, qui illud Psalmi: *Extendẽt cœlum sicut pellem, &c.* cum illo Esaiæ *c. 34. v. 4.* Complicabuntur, sic ut liber cœli, conjungendum existimant; quorum utroq; ad similitudinem alludatur ex Hebræorum more desumtũ. Quippe qui libros sacros in unico folio, sive oblonga membrana scribebãt: & eam instar telæ textoriæ radio circũvolutæ, circa cylindrum vel bacillum ligneum circũvoluebãt ac complicabant. Hinc ergo petita comparatione: sicut quando cœlum creatum primo apparuit, dicitur extẽsum fuisse, sicuti membraneus hujusmodi liber, quando spectandus evolvitur & exponitur: sicut Propheta agens de Mundi fine ac Cœlorum dissolutione: comparat eam libro illi complicato; sive membranæ circumvolutæ: ut optimè advertit auctor quæst. orthodox. *Resp. 90.* & clare explicuit Joh. in Apocal. *c. 6. v. 14.* Cœlum recessit, sicut liber involutus: quo loco Andreas Cæsariensis consuetudinem quoq; illam Hebræorum observavit, referente Martino Del-Rio Jesuita *lib 4. disquisition. Magicarum, cap 3. quæst. 1. fol 192.*

Simile non est idem.

Cur instar pellis extensum.

Hebræor. libri.

Ostendimus hactenus, cœlum undiq; devexum esse, & Universum terrarum orbem instar pilæ ambitu suo complecti, refutatâ cum Augustini & Lactantii, ultra Cancri circulum hominem genus esse negantium; tùm etiam Aristotelis & Plinii sententiâ, qua homines, si qui ibi essent, intra mediæ regionis terminos non posse consistere asseruerunt: cum contrà Recẽtiorum observationibus depre-

prehensum sit, partes illas Orbis, quas antiqui inhabitabiles judicabant, non solùm esse habitabile: sed & commodè habitari; muniente Naturâ incolarum corpora adversus caloris vehementiam & frigoris intemperiem: neque rursus omnia pontum aut Oceanum partem vasto maris fluxu atq; refluxu agere aut implere. quandoquidem terrarum longè maxima pars, Asiæ & Africæ objecta lateribus, Hispanorum & Lusitanorum, paupertatis odio nihil invium in mari relinquentium, navigationibus fuerit detecta, quando avorum nostrorum memoria annuis classibus Orientem & Occidentem pervagati, insinuatiq; terris incognitis, pleniorem harum rerum notitiam, vacumque Antiquorum opinione Occidentem ingentibus terris habitatum retulêre: ut jam deinceps Quadripartitò divisâ Universi machinâ Occidentem maximis opulentissimisque populis decoratum nostra ætas conspiciat: Cui tantum ab utroq; Æquatoris latere terrarum obvenit, ut ob immensam & incredibilem magnitudinem, unanimi Geopraphorum & Hydrographorum nostri temporus cõsensu, America hodiè quarta totius Orbis, imò maxima terrarũ pars reputetur: quando in utroque polo incipiat, aut finiatur, & secundùm longitudinem ad ultimum usque Occidentis limitem pertingat, Asiamque intercedentibus tantum Aniani freti angustiis, & interjacente Japonum insulâ contingat: ut videre est apud Cornel. Witfliet, Secretarium Regium in Senatu Brabantiæ, *in Descriptionis Ptolomaicæ Augmento*; *sive Occidentis Notitia*.

America quarta orbis pars.

Sed utrum antè nostram ætatem ejus rei, sub alio saltem nomine, notitia exstiterit, à multis accuratè quæsitum video. Nam monstri quodammodo simile videri, alterum illum Orbem & tantum esse, & antiquos tot secula latuisse. Sunt igitur, qui incognitas hasce terras à Platone in Timæo, sub nomine *Atlantidis insulæ* tota Asia atque Africa majoris, descriptas esse autumant. Si enim Atlantis illa totâ Asiâ & Lybiâ simul major erat, ut apud Platonem vult Critias: non esse dubium, quin totum penè Atlanticum Oceanum usque ad Insulas Novi Orbis occupârit. Ingenti autem diluvio Atlantidem subversam olim, pelagus illud cœno & scopulis innavigabile reliquisse. tale enim fuisse sua ætate Plato refert. Mox verò tempore procedente, illius Magnæ Insulæ ruinas consedisse, ac navigabilem pontum præbuisse. Ita enim istum Platonis locum etiam Theodorus Zuingerus intelligere videtur, *lib. 1 Theatri vitæ humanæ*, dum Atlanticam insulam existimat esse Novum Orbem ab Americo Vesputio inventum, de quo tamen quid statuendum sit, videri poterit Joann. Gryphiander *in tract. de insulis cap. 4. num. 25 & cap. 29 n. 96. & seqq.* Nec desunt, qui Phœnices, & Carthaginenses plus minus bis mille annos, ante Vespucium & alios Regum Portugalliæ naucleros, per mare Atlanticum etiam ultra Fortunatas insulas, ad Novum hunc Orbem navigasse dicant. Nam & Plinius memoriæ prodidit Hannonem Carthaginensium ducem à Gadibus ad finem usq; Arabiæ circumvectum eamque navigationem prodidisse scripto *lib. 2 c. 67.* Quod si verum est, quicquid hodie Lusitani immensa sua navigatione, bis Æquinoctiali superatâ, Oceani conficiunt, Hanno ille emensus sit, necesse est. Et Cornel. Nepos auctor est, Eudoxum quendam, cum Lathyrum Regem fugeret, Arabico sinu egressum Gades usque pervectum, idq; sua ætate. Sed & Aristoteles, *de Mirab. audit.* retulit In pelago ultra columnas Herculis, repertam à Carthaginẽsib. ventorum vi abreptis, novam quan-

Atlantica insula.

Phœnitum & Carthaginensium navigatio.

quandam regionem sive insulam, à Gadibus multorum dierum navigatione distantem, fluminibus navigabilibus irriguam, omnifariis arborum fructibus frugiferam & amœnam. Cumq; ad suos illi reversi, Carthaginensibus cognoscendæ ejus rei studium, quippe fœcunditatis frugum illecebrâ captis excitassent; Majorum decreto investigationem eam fuisse cohibitam, & mortis supplicio accessum ejus vetitum: ne novarum rerum occasione Carthaginis gloria & celebritas obfuscaretur: quandoquidem excusso tandem dominatu rebellionem illic populi vererentur, & metuerent; ne Carthaginis opes collaberentur, loci illius convalesceret, & quæ præterea in hanc rem adducit Simon Majolus *part. 1 dier. canic. coll. 14. fol 472. & seqq.* Qua de re pluribus disputat eruditissimus Medicus Joh. Langius Epist. Med. *lib.* 1. *Ep* 63. quæ in postrema quidem editione (prima enim quæ anno 1554 typis vulgata est, inscriprione caret) inscripta est *Michaeli VVirth IC.* quem eundem esse puto, qui *lib. 3. Epist. 3.* J.U.D. & Cancellarius Coburgensis indigitatur. Cæterùm genuinam & non adscititiam esse inscriptionem illam.

Michael VVirth IC.

Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur: ut illum Juvenalis *Satyr.* 2. versiculum hic usurpem. Nam & Geraldum quendam Langius Epistola illa 63. aliquoties compellat: & quidem eum, qui sacris Apollineæ, hoc est, Medicæ artis præclare initiatos instituerat tum tempo ris, quod erat circa annum 1542. proficisci in Calecuth, celeberrimum totius Asiæ & Orientis emporium. Ergò ut nomine, ita & studii genere diversus a Michaele fuit Geraldus. Quid enim commune cum Giraldo habeat Michaël? quid cum Medico Jureconsultus? quid cum peregrinante, & tot exteras ac tam longè dissitas regiones perlustrante, is, quem extra patriam non admodum multarum Campanarum sonum exaudivisse opinor? quanquam ridiculus sum: qui his refellendis immorer longiùs: cum, commentitiam esse inscriptionem illam, vel temporis dictitet ratio. Nam cùm scriberet hanc Epistolam Langius quinquaginta jam anni post Vesputii navigationem in Novas illas Americi orbis insulas intercesserant: quam ipsemet communi omnium consensu ait susceptam fuisse, anno â Christo ex Deipara Virgine nato 1497. Cui annorum numero si quinquaginta illos addas, provenient utique anni 1547. A quo tempore usque ad præsentem hunc annum Millesimum Sexcentesimum secundum, anni intervenerunt quinquaginta quinque: quibus & Jureconsulti & Cancellarii munere functum esse oportet Michaelē nostrum: Quod nec ipsa quidem Pitho mihi, aut alii cordato viro, cui juxta Plautum aceto sit cor acre in pectore, unquam herclè persuaserit, nisi fortè putandum sit. Langium ex divinandi scientia, qua ipsum ob tantoperè commendatum Magiæ studium polluisse, verò non est absimile, præsagire potuisse, fore nimirum, ut talibus aliquando honorum titulis insigniretur Michaël: ideoque dubitasse minùs, Eum vel è cunis quoque Cancellarium salutare, quemadmodum & Johan. Baptistam, utero materno etiamnum conclusum, præcursorem Domini appellatum legimus

Epistola Langiana inscriptio notata

Sed missis id genus ambitiosorum ineptiis, institutum repeto. Quæ igitur de Atlantide insula Plato (divinus Ciceroni passim appellatus & princeps ingenii & cujus alioquin in politicis disputationibus sacrosancta ac irrefragibilis prope est auctoritas) scripsit, ea aut fabulosa sunt: cùm præsertim à Critia puero inter cantilenas eam narrationem auditam fateatur: quod enim pelagus (ut alia multa præteream)

Platonis locus de Atlantide explicatus.

tantam terræ molem Asia atq; Africa majorem, & quæ usq; ad Novum hunc Orbem pertingeret, absorbere potuerit? ita ut nulla extent vestigia, ut ne bolidis quidem jactu Nautæ infinitum hodiè fundum inveniant aliquem? Aut certè per picturam & parabolam, ad Civitatis & felicitatem & exitium ostendendum Philosophicè introducta sint, ut Josephus à Costa putavit *lib. 1. de Natura novi orbis, c. 22.* Aut si historicè scripsit Plato, probabile profectò est, cum de Atlanticæ submersione loquitur, eum nō de aliqua particularium terrarum inundatione, sed de generali cataclysmo agere: ut rectè & scitò monuit August. Eugubin. *lib. 7. c. 5. perennis Philosophia.* Jam quòd Carthaginēses quidam dicunt ante aňos bis mille extra Herculeas columnas progressos, ad novas illas terras delatos fuisse: id qua ratione evincant non video. Etsi enim apud veteres aliquā extitisse Novi orbis notitiam, non inviti largimur: id tamen de Orientali, quā vocant, India, de aurea Chersoneso, de Cori promontorio, de celebrata illa Taprobane, quam hodiè *Sumatrā* dicunt, teste Munstero *lib. 6. Cosmograph.* C. Plinius alterum terrarum orbem appellat *lib. 6. c. 11.* accipiendum esse, idem Costa docuit *c. 11.* cum de Occidētali India, qua de agimus, sive America, vix aliquid monumentis antiquorum cōsignatum invenire liceat: & indubitatum sit, Carthaginensium navigationem non ad Occidentem, sed ad Austrum fuisse directam: sicuti scriptum reliquit Cornelius Wytfliet *in Descriptionis Ptolomaica augmento, fol. 13.* illud etiam *fol. 96.* adjiciens, Carthaginenses ad has Occidentis sive Americæ terras delatos fuisse, neq; credibile esse, neq; veritatis apparentiam habere: propter viæ longinquitatem, & ingentem procellosi æquoris à Continente distantiam, cùm neq; triremibus, neque minoribus navigiis eò transfretari potuisse certum sit. Atqui Veteres sine remis nusquam navigare solitos, quòd oras ferè terrarum legerent, viri docti sentiunt. Id quod & divina scriptura insinuat in longa illa navigatione, à Jona suscepta: ubi ad terram Nautas tempestate compulsos remigasse narrat. Hinc est, quod Salomoniam illam classem, quā Sacrorum librorum annales *Reg. 3. c. 9. & 10.* in Ophir & Tharsis missam, aurum & argentum cum lignis Thyinis, ebore, simiis, & pavis attulisse referunt, non in Occidentalem Indiam sed Orientalem vela intendisse; multis se magnisque argumentis duci Cornelius Wytfliet existimat, *loco paulo antè citato.* Præterquam enim quòd neque ligna Thyina, neque ebur ex America hactenus allata memorentur; terra Ophir sic dicta perhibetur ab Ophir filio Jectan, cujus *Genesis 10. vers. 29.* fit mentio. qui, ut Josephus *libr. 1. Antiquitatum Iudaicarum cap. 14.* testatur, sedem in Oriente constituit: quam regionem à Syriæ finibus usque ad Cosmum Indiæ fluvium longè lateq; extendi, & auri ditissimam fuisse perhibent. Unde aurum Ophir, sive Opham, sive Ophirizum, quasi dicas Obrisum, celebratur, quòd ad alterius regionis aurum collatum (septem enim apud Hebræos auri sunt genera vel vocabula, quæ recensuit Johan. Drusus *libro 4. Observation cap. 15.*) puritate vincat, & principem locum teneat, sinceri quippe delicatique: utpote quòd igni sæpius candefactum & exustum fuerit, donec nihil omnino alterius metalli supersit admixtū. Plinius *lib. 23. c. 3.* Jacob. Aleman. *consult. 8. fol. 430.* Nam cum igne probatur, simili colore quo ignis rubet. ut Gothofred. interpretatur *in l. 5. C. de veter. numism. potest. lib. 11.* Inde Hebræis *Ophir*, per translationem, quamcunque auriferam regionem designare cœpit, ad similitudinem Jectan

Marginal notes:

2.

3.

Carthaginenses ad Occidentē sive Americam non pervenisse, probatur.

Veterum navigatio non absque remis.

Salomonis classis an ad novum hūc orbem delata fuerit.

Negatur.

Aurum Ophir.

Aurum obrizatum.

Ophir, quæcunque aurifera regio.

Jectanæ regionis, quæ puri obrisique auri fertilissima esse traditur. ab oryzo porrò auro illo, solidi ob: yzari dicuntur, qui ex purissimo auro fuerunt signati *l. universos. 3. C de vet. numis. potest lib 11 & l. unic. C. de oblat. veter. lib 12.* Ernest. Cothman. *Resp. 36. n. 67.* Latini pro obryzo vel obrysso, *obrussam* dixere. ut Seneca *Ep. 13. ad Lucilium*: Hæc, inquit, est ejus obrussa, hoc est, summa bonitas ut Alciatus interpretatur *lib. 5. Parerg. cap 9.* Qui etiam censet, hinc deduci proverbium *ad obrussam*, hoc est, ad summum perfectionis: quo Cicero *in Bruto* utitur. Expurgandus est sermo & adhibenda est ad obrussam ratio, quæ mutari non potest Quod pluribus explicat Didac. Covarruv. *in tract. de veter. numism. collat. c 3. § 1. nu. 5* Verisimilius igitur est, Salomoniam classem ad terram Ophir demissam, ad Taprobanem, Malacham, auream Chersonesum, aliasq; Orientis auriferas terras navigasse. Nam Taprobanem olim auream Chersonesum à quibusdam auctoribus; ab aliis verò Ophir dictam, ex qua Salomon opum suarum magnitudinem implesset, etiam Joh. Linschoten tradidit *in Navigatione India Oriental cap. 19.* In Taprobano autem insula, quam Summatrā alii putant; Plinius alterum terrarum orbem appellat *lib. 6. cap 22.* miram rerum omnium abundantiam esse, & nec fruges à terra nec animalia ad victum & usum humanum deesse, historia proditum est. Sed & nasci in ea fertur arbor *Tristis* dicta, noctu innumeris floribus aspectu læta: qui mox exorto sole marcidi cōcidant. Thunus *lib. 132. histor.* & de ejusmodi Insulæ arbore quadam, cui *Thel* nomen est commemoratur, quod ramis ejus incisis, suavis ad bibendum succus destillet: sicuti in insula Paloam ex Oriz ignis vi destillata, longè validiore sapore, quam quod fit è palma vinum. Jul. Cæsar. Scaliger *advers. Cardan. exer. 87.* Nec probabile valdè est, ut relicta Orientali India ditissima, ad extremam Occidentalem Salomon per tot spaciorum millia classem mitteret; ad eam præsertim terram, cujus nullam habere notitiam per Continentem potuerit. Nam nostræ navigationis artem & methodum veteribus planè fuisse ignotā, vel unica documento esse potest pyxidicula nautica, nostro hoc seculo adinvēta: de qua peculiari capite erit disserendi locus. Sed & ex præallegato *cap. 9. lib 3. Regum*, apertè convincitur, Salomoniis naves in Orientem fuisse destinatas: quādo Idumæo in littore, sive Asiogabar maris rubri maritima Civitate, classem hanc adornatam, & stationem habuisse, in eāque Tyrios Sidoniosque nautas, siderum observatione gnaros maris à Rege Hyrā cooptatos, & Salomoni transmissos fuisse, disertè illic referatur. Quòd si in Occidentem navigatio parabatur: nihil opus erat Tyrios Sidoniosq; naucleros per immensa terrarum spacia requirere; sed in Tyrio aut Sidonio litore deduci instruiq; poterat classis, & rectè per fretum Herculeum, flexisque dehinc modicè ad sinistram velis, continuis Orientis flatibus in Hispaniolam, aliasq; circumjacentes aurarias auriferasque terras dirigi. Nec movere quem debet, quòd Josephus, in litore Tharsico Israëliticam hanc classem adornatam fuisse referens, videatur indicare, in Occidentem navigationem factam esse: quia mare Tharsis ad Judæos occiduum latus & Mediterraneum mare vergat: uti clarè demonstratur ex fuga Jonæ Prophetæ, quia anchoram ex portu Joppensi in Occidentem prono solvens, fugit à facie Domini in Tharsis. Inde enim non efficitur, Occiduum illam mare tenuisse, aut sulcasse. Nam *Tharsis* hîc neque ad Ciliciæ maritimam civitatem refertur (quæ *Tharsus* alioqui propè dicitur, & sunc

Obrussa. *Taprobano.* *Jonæ fuga in Tharsis.* *Tharsis quid Hebræis notet.*

sine aspiratione scribitur & profertur) aut alterius cujusvis regionis terrarum partem denotat; sed Hebræorum effuso & indefinito loquendi more, pro ratione subjecti, aut Mare immensum, aut procul à nostro orbe remotas dissitasque regiones significat; nullâ factâ distinctione ad Ortum an ad Occasum, à Septentrione ad Austrum, aut ab Austro in Septentrionem vergant: haud aliter atq; nostris hisce temporibus disjectas longè à nostro Climate regiones, Indiarum nomine designamus. quo sensu verum est, Salomonis classem in litore Tharsico constitisse, & in Tharsis & terram Ophir, Orientem versus navigasse: Verum quoque est. Jonam Occidētem versus ex Joppe in Tharsis profugisse. Nam utroque loco, generico nomine, immensa maria, & regiones remotæ significantur. Quibus planè consentanea scripsit Josephus à Costa. *d lib. 1. cap. 13 14. & 18.* quibus addenda sunt, quæ de Tharsi, & Tarso Ciliciæ civitate, & Jonæ fuga, scriptis tradidit J. Drusus *lib. 3. Observat. cap. 13. & lib. 6. c. 3. & lib. 9. c. 12.*

Novus orbis quando retectus.

Ex his itaque, quæ diximus, rectè concluditur, totum istum terræ tractum Occidentalem, quem Novum Orbem vocamus, veteribus incognitum in secreto divinæ mentis latuisse, & ad annum usque à nato Christo Millesimum quadringentesimum, nonagesimum secundùm reservatum. quo tempore Christophorus Coloneus (vulgò Columbus dicitur) Genuensis, de voluntate Portugalliæ Regum è Gadibus solvens, & se ventis ac fortunæ committens ingentem insulam Hayti, quam Hispaniolam vocavit, primùm detexit; mox secunda navigatione Dominicam totumque Antillarum archipelagus; tertia deinde navigatione Pariam & Cubaguam invenit: postmodum Fonduram, & Occidentalis Indiæ Isthmum attigit;

Christoph. Columbi navigatio. *1.* *2.* *3.* *4*

celebratissimus jam Hispaniæ thalassiarcha, sive *Admiralius*, quæ vox & dignitas primùm Gallica fuit, latissime deinde à variis populis usurpata pro illustri præfecto cui maris imperium & litorum à Rege concreditum est: qui classes & navalia curat, uti sarta tecta sint, & ut exarmata reparentur, neve remigibus aut cōmeatu egeant, utq; piratæ arceantur, aut fugentur. Nomen sub divo Augusto adinventum didicimus; & ab ipsomet approbatum: tametsi novata verba non minùs, quàm scopulum marinum se refugere prædicaret. Cùm enim ipsi aliquando Legatus is, qui Galliam administrabat, cui transmarinarum rerum notitia multas ad copiam largitur; ut D. Julius retulit *lib. 6. de bello Gallico*, complures Nereidas in litore exanimes apparuisse scripsisset, obstupuit, maris portenta demiratus, atque protinus classi Gallicæ præfectum *Admirandum* dixit. quanquam sunt, qui hoc Tiberio ejus successori tribuere maluerunt, referente Stephano Forcatulo *lib. 2. de Gallor. Imperat. & Philosoph.* de Admiralio isto cum adnotarem, venit mihi in mentem detestandæ illius Impietatis *in Gallia Admiralium Casparem Colinaeum* à Carolo IX. Gallorum Rege & Matre ejus Catharina Medicea, anno à Christo nato ∞IↃLXXII. cum perpetua nominis infamia exercitæ Nam cum Admiralium illum, virum fortissimum extremè odissent, per insidias, sclopeti ictu, sicario *Morevillo.* eum vita exigere statuerunt: Cumque res mitius, quàm pro ipsorum opinione cecidisset, nec vulnus in manum incidens lethale crederetur; ecce tibi Rex & Regina cum magna & insolenti pompa, Andino & Alengonio fratribus Regis Cardinale Borbonio, Mompensario, Niverino, & aliis comitantibus decumbentem ex vulnere, & ægrotantem visitarunt: & Rex quidem sub tristi & an-

Admiralii vox *Lanien[a] parisiensis.*

xio vultu de valetudine eum diligenter interrogavit, illudq; malum summo suo cum dolore contigisse ei, simulare testatus est, adhibitis etiam more suo, maximis diris, pronunciatisque verbis: *Tibi*, inquit, *hoc vulnus inflictum fuit, verũ mihi dolor*: verum ego juro, me hanc injuriam tam severè vindicaturum, ut ejus rei memoria nunquam ex animis hominum deleatur. Eadem & Regina mater, Navarro & Condæo conquerentibus respondit: *Non Colinio factam injuriam, sed Regi: eoque tandem evasuram licentiã, ut Regem ipsum aliquando domi aggredi audeant, si facinus hoc impunitum relinquatur*. O Immanem rabiem! & verò Crocodilos tales, qui flent; ut mordeant, aut potius dum mordent, flent! quibus Doctor tam scelesti animi, hoc est, diabolus præmia tandem tam felicium profectuum persolvet. Sicuti locum illum de crocodili lachrymis: concludit Michael Piccartus Philosophus Altorfinus & Philologus eximius *decad. 13. observat. historicopolit. cap. 1.* Ego ad Columbi navigationem redeo.

Hispano avaritia notata. Christophorum Columbum posteà sequuti sunt Naucleri penè infiniti, stimulante eos, & quidem inprimis Hispanos sacra & insatiabili auri fame, quam ut expleant, annuâ hodiè navigatione ultra anni & solis vias, ad quærendum aurum, vitæ precio commeatur, & in terræ viscera sævitur, dum ad lucernarum lumina per invios montes aguntur cuniculi: ut scitè mehercule Demetrius Phalereus dixerit, Avaritiam vel Plutonem ipsum ex intimis terræ penetralibus se tracturam sperare. *M. Crassus avaritiæ pœnas luit.* A qua tamen deterrere eos debuerat funestum M. Crassi exemplum. qui dum Orodis Parthorum Regis thesauris inhiat avaritiam suam XI. Legionibus, & proprio capite mulctatam sensit, postquam apud Carras circumfusi undique Equitatus in modum grandinis densas sagittas pariter fuderunt. Ita deleto miserabili strage exercitu, ipse incidit in manus hostium vivus: cujus caput recisum Regi ludibrio fuit, auro liquido in rictum oris infuso; ut qui arserat auri cupiditate, mortuus saltem satiaretur.

Sed inter Navium præfectos illos, post Columbum, primi nominis celebrantur *Americus Vesputius* Florentinus, (quem immortalitate dignum judicat Josephus Scaliger *ad Manilium, lib. 1. v. 14*) & *Ferdinan. Magellanus*. *Americus Vesputius.* quorum ille an. 1497. ultra Æquinoctialem navigans, & ad Moluccas transitum quærens, ad ingentem Continentem felici sidere delatus, *Americam* à suo nomine nuncupavit, duraturo, nisi me animus fallit, *vasti dum stabit machina mundi*. *Inde Americæ nomen.* Hic postea año reparatæ salutis vigesimo secundo supra millesimum quingentesimum, ulterius versus Austrum navigans, primus mortaliũ angustias illas invenit, aut superavit; novam & compendiariam viam ad Moluccas demonstrans, & de suo nomine fretum *Magellanicum* nominavit. *Ferdinandus Magellanus.* *à quo fretum Magellanicum.* Cujus viri memoria durabit, dum pater Oceanus Borealibus infectus undis Meridionales inviset Nymphas, adeò non totus interiit Magellanus, sed magna ipsius pars effugit Libitinam, cùm ad Moluccas profectus à Mantinensibus in insidias præcipitatus, fortiter pugnans occubuit. Cujus etiam navis, cui nomen *Victoria* erat, meliori successu læta per ipsum Orientem, superato Bonæ spei promontorio in Hispaniam rediit, prima omnium navium, sine controversia; quæ circumnavigato universo Orbe, de ipso Oceano celeberrimum triumphum reportavit. *Victoria navis.* Reliquos quòd non ita celebres sunt, sciens prudensque prætereo; illud tamen hîc loci nequaquam silentio obliterandum censens,

Columbi modestia

sens, Insignem scilicet Christophori Columbi modestiam non leviter arguere, quòd in tanta terrarum à se detectarum multitudine, nullam urbem aut portum Columborum nomine (ut quidem ab aliis ambitiosè factitatum constat) insignìverit, quanquam hoc illi, citra ullius reprehensionem fuisset integrum; idq; exemplo summorū etiam Philosophorum, quibus peculiare alioquin fuit famæ & gloriæ contemptum præ se ferre. Ipsi illi Philosophi (ait Cic. *pro Archia*) etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt. In eo ipso, in quo prædicationem nobilitatemq; despiciunt, prædicari de se ac nominari volunt. Nolunt nimirū inventa sua ab alio intercipi, & se ea laude fraudari. Qua solicitudine etiam plus quam Philosophi vacare non potuit Thales Milesius magno & sublimi ingenio & de septenario Sapientum numero. Qui, cùm primus reperisset, quam rationem haberet magnitudo solis ad eum circulum, quem sol annuo cursu metitur & conficit, quoque modo id Geometrica subtilitate demonstrari possit, eam rationem cum Prinensi quodam homine & talium curioso & divite communicavit. Qui & acumen Thaletis & inventi pulchritudinē admiratus, cùm præmium à se optare eum juberet: Nullum, te, inquit, Thales, aliud præmium posco, *nisi ut ne tibi unquam hujus inventi gloriam arroges*, sed quando ejus alios participes facere volueris, *auctorē me ejus esse perpetuo profitearis*. Marquar. Freher. *lib. 1. Parerg. c. 1.* & quidem nomina sua operib. suis inscripsisse nobiles artifices, præter Senecam *lib. 1. de Tranquillitat. vitæ & consolat. ad Albinam*, ostendit Cicero *Tusculan. quæst. 1. de Phidia*: qui cum adscribere vellet nomē suum Minervæ, quā Atheniensib. ex ebore & auro faciebat; idq; locatores prohiberent, seipsum, hoc est, similem sui speciem inclusit *in Clypeo Minervæ*. Idem Valerius Maximus expressit his verbis. Phidia clypeo Minervæ effigiem suam inclusit: qua convulsa, tota operis colligatio solveretur. Adeò difficile est ingenio excellenti, artem non ostentare suam! Neque ullus ferè est, qui, cum præ cæteris aliquid se scire putet, nolit hoc alios de se scire: quo spectat illud Juvenalis:

Philosophi ipsi gloriæ cupidi.

Thales.

Nomina operibus inscripta.

Phidias.

> *Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.*

Quòd exornat Raderus Jesuita *ad Martial. libro 6. Epig. 14.* Sed virtus sui ipsius pulcherrima merces id, in quo Columbus sibi indulgere noluit, hoc eadem cumulatissimè illi reddidit, quando uno ore grata posteritas, non Isthmi, aut portus alicujus; sed totius Occidui cardinis notitiam Columbo multis sese nominibus debere, lubens testetur. Cujus etiam ingenio & operâ effectum est, ut non modò Europa gemmis auroque splendens, aromatibus cibos suos opiparè condiat, odoribus peregrinis fragret, unguenta & nova morborum medicamenta redoleat: Sed, quòd longè pluris æstimandum est meritò, quòd Barbari & atroces in Novis insulis Dæmonum cultores, qui solivagi propè ferarum lustra potius, quàm domicilia habebant, cùm in certis sedibus collocati, tum ad pietatem & religionem sinceriorem, suavi Christi jugo suscepto, fuerint reducti; atque ita jam sacrosancti verbi sonus in universo terrarum orbe increbuerit: quod illustrissimus & doctissimus *Mirandula Comes Picus*, festivis & optimis hisce carminibus, decantavit, hymno 2. de Christo:

Immortalis gloria.

> *Quin & Ulysseo nuper de littore solvens*
> *Nauta, per infidum pelagus, per Atlantica regna:*
> *Discurrens, Viridiq; jugo post terga relicto*

 Arctos

Arctoi relegens contraria sidera currus,
Pertulit Eoos tua, Rex, vexilla sub Indos:
Et mox, insani qui bruta animalia Divos
Credebant, tetris oculis nunc luce corusca
Purgatis, spectant rubro pendentia ligno
Membra, Deum censent, Hominem, Regemque fatentur.

Sed quoniam ita est ingenium hominum, ut facilia putet, quæ jam facta sunt; nec de salebris cogitet, ubi via strata: nemini certè mirum videri debet, quòd ipsemet quoque Columbus, ob Novi totius orbis retectionem à Malevolorum suggillatione immunis esse nequiverit. *Invidiæ stimulus.* Citiùs enim arcus cœlestis, variis coloribus, sine nube apparebit, quàm multiplex virtus sine invidia: quæ nonnunquã suffocat, nonnunquam vegetat, nutrit & fovet industriorum hominum opera insignia, ut ait Stephan. Forcatulus *lib. 4. de Gallor. Imper. & Philosoph fol. 497.* Cujus rei lepida exstat historia, quam hoc loco commemorare minimè pigebit. *Hispanorũ erga Columbum invidia.* Cùm enim ea res in magna gloria & simul invidia esset: ita evenit, ut in convivio quodam Hispani proceres hanc laudem ejus delibatum irent & imminutum. Quippe rem pronam eam fuisse, Navigationem sine discrimine: Unum aliquem ex sese potuisse easdem illas terras gentesque reperire, sine Itali hominis ullo nisu. Columbus (aderat enim) cùm tacitus diu audisset, surrexit, & velut agens, ovum attulit à gallina: in mensa reposuit: &, heus sodales, inquit, quis vestrûm ille solers, qui hoc ovum rectum mihi destituat, & in caput? *Sed hujus moderatio.* Musare illi, circumspicere: negare ad extremum omnes id fieri. Ille clementer, Imò fiet, inquit: & simul ovum leviter à capite læsum & quassatum, deposuit erectum. Enimverò hic risus & irrisus, pro se quisque, rem facilem nugatoriamque esse, dicere. Attamen, ait ille renidens, quis vestrûm hoc facilè ante me indicem potuit? Talis inventio mea Nobi orbis est: quem inveniendum nemo; omnes inveniãt inventum. Quod ex Benzone fortassis in Nova Novi Orbis historia *lib. 1. c. 5.* ita recenset doctissimus Lipsius *in præfat.* ad Lectorem Operum suorum Critic. aptè hoc dici putans de Emendationibus suis & conjecturis: quas spernant multi repertas, sudent multùm in reperiendis. Nec dissimili responso confutasse Ulyssem Palamedes legitur apud Philostratum, cùm ille in concione Græcorum, prætervolantibus fortè gruibus dixisset: vel Græcis testantibus Grues inventionem literæ, quam tibi attribuis, sibi vindicant. *Ulysses à Palamede confutatus.* Tunc Palamedes: Ego verò, inquit, literas non inveni, sed ab ipsis inventas fateor. At hæc pridem in penetralibus Musarum reposita, indigebant homine, qui talia aperiret, quæ Dii per sapientes homines patefaciunt.

Illud quoq; non vulgaris prudentiæ, & ingenii solertis in Columbo argumentum est, quod cùm à validioribus militibus, qui tumultuosè per seditionem secessionem fecerant, destitutus, insuper ab Insulanis & hospitio, & commeatu excluderetur, illè in tanta rerum consternatione ex casu consilium sumpsit. *Columbi prudentia.* Prospexerat enim Lunæ, quam Indi summâ veneratione colebant) deliquium brevi futurum. Vocatis igitur ad se Insulanorum primoribus, Lunam elatis manibus testatus est, eam injuriam non æqua mente laturam: quòd se hominem Lunæ amicum & cultorem, à partu, ab hospitio, ab aquis, à commeatu prohiberent. Triduo pòst Luna deserta lumine barbaros, ut erant naturalium caussarum ignari, sic terruit, ut summa voluntate Columbi jussa facerẽt. Veriti enim ne magnum aliquod malum sibi impendêret, multis lachrymis erratorum veniam poscebant, abundè commeatum & necessaria subministrantes.

Ergò

Ergò quos blanditiis ad humanitatem & hospitalitatis jura Columbus pellicere non poterat: iis Numinis metum injecit. Quæ res in primis animadvertenda est iis, qui Civitates moderantur, ut eas gentes, quæ nec armorum vi, nec dicendi facultate duci volunt, Religionis ope ac Numinis metu cogant: ut Joh. Bodinus prudenter monuit, *lib. 5. de Repub. c. 1.* Nihil enim est, quod apud immanes & barbaros, & diverso numini addictos plus momenti habeat, quam sancta Religionis persuasio. Religione quippe mentes hominum velut illigantur tenenturque præsumpto Numinis metu, ut Hadrianus Junius dicebat in Bataviæ histor. *cap. 26 fol.* 228. Cujus in occasione de Religionis libertate & coactione quæri hoc loco poterat. In quo sciendum est suos esse limites & terminos statos Magistratus potestati! præclarè enim Lactantius *de ira, capit. 8.* Leges conscientiam punire non possunt. Refrenat autem plurimum homines cōscientia, si credamus nos in conspectu Dei vivere, si non tantum quæ gerimus, videri desuper, sed etiam quæ cogitamus aut loquimur, audiri à Deo. Jam si danda Cæsari quæ Cæsaris, & Deo, quæ Dei sunt; Cæsar non exiget, quæ danda non sunt. Custos est Princeps utriusq; tabulæ legis divinæ, quo ad exteriorem εὐταξίαν seu disciplinam: intus & in corde subjectorum dominari non potest: quia corda trahendi facultatem sibi reservavit Deus: Et spiritus domini, quia verus Deus est, ideò agit liberrimè & spirat cū vult, convertens convertendos ἐν δικαίῳ. Nam cum in animo consistat ac voluntate religio, revera cogi nequit. Audi Tertullianum *ad Scap.* Non est, inquit, religionis, religionem cogere velle, cùm sponte suscipi debeat, non vi: cum & hostiæ ab animali lubente expostulentur. Cui succinit Arnobius *lib. 2.* Quid est tam injustū, quàm repugnantibus, quam invitis extorquere in contrarium voluntates, inculcare quod nolint, & quod refugiant animis: prius nocere quam prosis? & priore detracto, in alienum habitum sententiamq; traducere? Tu qui te verti, & vim desideras perpeti, ut id q̄ nolis efficias atq; excipias coactus: cur respuis assumere voluntate id q̄ desideras atque immutatus deficere? Rectè Lactantius: Nihil esse tam voluntarium, quàm Religionem. In qua si animus eversus est, jam sublata, jā nulla est. Quid Cassiodorus? Qui *lib. 2. variar.* Principes Christiani, ait, si Judæis potuissent imperare Christianam Religionem, utiq; imperassent. Sed religio imperari non potest: quia nemo cogitur ut credat invitus. Hinc Bernhardus *serm. 66. sup. Cantic.* Fides, inquit, suadenda est non imperanda, *& serm. 64.* Hæretici capiātur potius quā effugentur, capiantur dico, non armis, sed argumentis, quibus refellantur errores eorum. Quod utinam probè expendant Jesuitæ *Lojolæ Socii* τὴν ψυχαγωγίαν tanto cum zelo & fervore (furore pene dixeram) affectantes! Et cogant sanè horum suasu principes, aliud nihil, præter hypocritas & Epicureos efficient. Refert Eusebius primo vitæ Constantinianæ *cap. 38.* Constantinum M. vices doluisse pro sua clementia eorum, qui mente capti, hoc est, præventi hæresibus essent: quibus pœnas infligere extremæ judicavit dementiæ atque inscitiæ. Homines enim amandi sunt; execrandi autem eorum errores. Nec mutat eundem Imperatorem Paganis templa clausisse, sacrificia fieri vetuisse: ut extat *in l. 1. C. de pagan.* sustulit enim scandala publica, inprimis idola: atque impingentes, hoc est, iis adhærentes pœnas tragicas Reip. attrahebant Gentiles. Religionem Christianam publicè proponi curavit: non fidem, sed fidei modum procuravit. Atqui una est

Religionis vis.

Religio an cogenda.

via ad immortalem beatitudinem, Christus: qui est janua, qui janitor. Qui hoc duce non ingreditur, foris manebit, foris peribit. Una est salutaris religio, una fides, unus Deus. Et uno modo se coli vult Jehovah; non diversis, non contrariis. Revelatus est modus in verbo certis libris: qui canonem constituunt, conscripto. Cui qui addere, qui demere volet anathema audiet. Hoc facietis quæ ego præcipio vobis. In viis meis ambulabitis: statuta & judicia mea observate; quæque aliæ sunt in hanc sententiam sexcenta, obvia. Extra verbum Dei nulla est salus: neque illum præterea scriptum est recipiendum, quod quidem ad salutem petēdam sit necessarium: Qua de re Theologi veteres & recentiores, qui orthodoxiæ patrocinantur, unanimiter consentiunt conspiratque & primitivæ semet Ecclesiæ proximi, quam vocant; ostenduntque ad cujus vestigia quà propius accessimus, eò rectius Ecclesias nostras componimus. Idq; Principi orthodoxo catholico verè pio inprimis incumbere omnes fatentur, Qua de re videre licet Marsilium Patavinum in Pacis defensori Pro **Ludovico** Imperatore Bavaro *part. 2. cap.* 8. & Zepperum novissimè de legibus Mosaicis *lib. 4. cap.* 3. alios. Mihi interim ista loco huic inserere placuit ex clarissimi Dn. Remi, juris tam divini, quàm humani consultissimi Notis *ad Themistii Orationem, in Ioviani laudē habitam.* Nunc redeo ad id, de quo mihi sermo erat, quantam scilicet vim persuadendi in animis hominum habeat religio. Sic enim Gothi Sacerdotes, Philippi Macedonis validâ manu Mœsiam aggressi, iram mitigarunt, patefactis oppidi portis, cum citharis & candido ornatu, inermes ac modulantes, & paternos Deos obtestati, ut Macedonas armatos pacarent, & ab urbis excidio, ut contigit, educerent & absterrerent. Jornand. *lib. Rerum Geticar.*

Gothorum Sacerdotes Philippum ab instituto flexerunt.

Id quod & Jaddum pontificem Alexandro Magno, post Tyri Gazæq; expugnationem elato, & Hierosolymis, quòd imperata facere tenuissent, idem minanti obviam factum præstitisse legimus apud Josephum, *lib. 11. Antiquitatum Iudaicarum cap. 8.* Postquam enim è longinquo vidit candidatum populum, & Sacerdotes ante agmen in amictu byssino, Pontificemq; in stola hyacinthina auro distincta, tiaram in capite gestantem, præfixâ aureâ laminâ Dei nomine inscriptâ, vix mentis compos, solus accedens ad Pontificem Alexander, comiter salutans nomen Dei adoravit, quem se in Macedonia vidisse memoravit, dum deliberaret, quo pacto Asiam posset subigere; ejusque hortatu expeditionem suscepisse. Quare & Deo immolavit, salvis ritibus in templum ascēdens. gavisus admodum ostenso sibi lib. Danielis, in quo Græcū quendam Persas debellaturum significabatur.

Iaddus Pontifex Alex. M.

Jornan. *lib. Rerum Getic.* Similiter & Leo Papa pontificali indutus ornatu, ipsam religionis majestatem conspicuè arguente, ferocissimum Hunnorum Regem. Attilam, qui se *Flagellum* Dei nimium veraci titulo appellabat, & adversus Romam cum exercitu movere jam ferè constituerat, flexit, & ne Romam vastatum iret, benignè persuasit. Dum enim animo incerto fluctuaret, obvius ei factus est Leo, demisso vultu ad genua concidens, ut patriam, quam armis tutari non poterat, supplici deprecatione eriperet, demonstratque, fortunæ imputari posse ut vinceret; quòd autem misereretur, virtuti & benignitati, præsertim Romano imperio afflicto, & fermè deplorato Romam jam anum rugosas in cœlum manus complosuram, & vota facturam pro cœptis melioribus principis, qui experiri desierit, quantum sibi in projectos & tristes civos liceat, & potentiæ aciem benignitatis solius

Leo Papa Attilam.

lius præmio haberet, ac temperet. Adſtantes mirati ſunt, Attilam cicurem & manſuetum repentè factum ex truci & indomito; Sacerdotis orationi annuiſſe, & dimiſiſſe lætantem. Sed Attila dixiſſe fertur Hunnis attonitis, non ſacram Leonis infulam precemvè tantum habuiſſe ponderis, ut ſe armatum & victorem flecteret; ſed alium illius comitem, canum & gravem, geſtu ac habitu ſanctimoniam indicante venerandum, gladio comminantem, ſi non poſtulata concederet; ut eſt apud Platinam *in vita Leonis*, & Paulum Diacon *lib. 15.* Sunt ſcilicet boni quidam Genii, impetum animorum ſedantes, & ſi quid perperam occurrit, inhibentes, qualis fuit Dæmon ille Socratis, qui nihil unquam ipſum facere impulit: ſed ſi quid minùs rectè facturus videretur, voce vaticinatrici præpedivit: ut monitus præcaveret, ac omitteret cœpta in præſentiarũ, quæ tutiùs vel poſteà capeſſeret, vel alia via adoriretur. Sic enim Socratis apologiam apud Platonem interpretatur Lucius Apulejus *in libro de Deo Socratis*. Et quid dubitemus Genios bonos, qui Angeli ſunt, nonnunquam nos impellere, ſæpè revocare, prout nunc ſalutaria, & nunc perniciosa appetierimus: quandoquidem ut pietatis noſtræ auctor (ne ab aliis hoc quæramus) Genios cuſtodiæ noſtræ dixerit eſſe appoſitos, & Dei patris faciem quotidiè contueri. *Matth. 18.* Quare curet unusquiſq; ſedulò, ne repellat impietate ſua Angelum præſentem & auxiliantem, atque adeò paratum pro ſe pugnare. Ut enim fœtentia atq; fœda & impura cuncta fugiunt apiculæ, ſic & Angelica caterva abſcedere ſolet à libidinoſa ac peſtilenti & turpi hominum vita: ſicuti præmonet Philipp. Camerarius *cẽtur. 3. oper ſubciſivarum, cap. 17.* & uſum eſſe Dominũ Deum Angelorum miniſterio variis modis, ſacra docemur pagina; ut in excidio

Genii boni.

Dæmon Socratis.

Angeli.

Angeli non fugandi.

Eorum miniſteria.

Sodomæ & Gomorrhæ *Gen. 19. 11.* in Ægypto cùm τὰ πρωτότοκα percuterẽtur *Exodi 12. 29.* In caſtris Senacheribi *4. Reg. 19. v. 35.* Quos Angelos Syneſius *Ep. 57.* paratos & delegatos fuiſſe ſcribit, veluti judices ſeu carnifices ad executioné pœnarum Tragicarum. Etſi enim Cicero *in orat. de Aruſp. reſponſ.* nolite, ait, id putare accidere poſſe quod in fabulis ſæpè videtis fieri, ut Deus aliquis delapſus de cœlo cœtus hominum adeat, verſetur in terris, cum hominibus colloquatur: Veterum tamen placitum, è vetuſtiſſimæ philoſophiæ fontibus hauſtum, nimis verum videtur Themiſtio: divinas illas poteſtates & immortales, ut mortalib. commodent ſtatis temporib. terras colere, è cœlis delapſas non quidem aerem (quod Heſiodus vult) ſed noſtris ſimilia indutas corpora, vitamq; ſua conditione inferiorẽ ſimulare, diſſimulare; idq; ideò, ut nobiſcum familiariter verſentur. *Orat. 4.* Ad quem locum Dn. Remus notavit, cacodæmones adſcititia furtivaque corpora quib. ſtrigibus & magis ſeſe inſinuant, & ad libidinem proritant, adſumere ſolere, cõpertum eſt ipſorum indicio magorum ac lamiarum. neque dubia cuiquam res tam liquida, ſano ſapienti rerumque perito, Thomas Eraſt. *Dialogo de Lamiis.* Johan. Bodin. *de Dæmon. lib. 1. c. 2.* Olaus Magnus *de gentibus Septentrion. lib. 3. c. 9. 10. 11.* Nicolaus Remigius *de dæmonolat. lib. 1. cap. 6. 7. 9. & 14.* Sanctis quoq; piis, electis Dei filiis ἐν σώματι comparuere Angeli, Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, & Patriarchis, Propheteſque, Mariæ item Virgini Deiparæ & Apoſtolis, etiam Cornelio Centurioni, homini Romano, prout diligenter ea congeſſit Dn. Remus ad commemoratum Themiſtii locum. Nec mirum eſt, additum nobis auguſtiorem ſanctioremque præſidem, quando non ferè ſit aliud homine imbecillius: qui ab cæleſti

Apparitio in forma humana.

lesti tranquillitate semotior, diversisque fortunæ telis objectus, voluptatum perniciosissimis circumfusus delinimentis, quæ assiduè adversus animam stipendia facere sentiuntur, ut inscitiæ malum prætercam, quo ab ineunte ætate, tãquam teterrimo cœno obvolutus, & demũ ab hoste vigilantissimo aggeribus, fossa, valloq; circumdatus, & nulla non hora pulsatus ariete, & paulò minus solo æquatus, clarissimæ illius providentiæ, ab benefico munere nusquam cessantis, opem summa vi ad extrema redactus implorabat, quo adminiculatior pleniorque spei destinatam gentib. metam posset contingere: ut litteris consignavit Cœlius Rhod. *lib. 2. antiq. lect. cap. 10.* Videatur tamen, quid de his statuat potentissimus Angliæ Rex Jacobus, *lib. 3. de Dæmonologia, c. 2. fol. 151. 152.* Itemque, An & qua parte Angeli res corporeas movere possint, & an Dæmon quantitatem corpoream sic mutare queat ut penetratio partium sequatur, & quæ sunt his cohærentia, doctè & eleganter explicat Martin. del-Rio Jesuita *lib. 2. q. 16. 17. & passim.* Visitur quoq; Romæ etiamnum in Genii effigiem elegans tetrastichon, quod adscribo.

Genii effigies.

Quis tu late puer? Genius. Cui dextera aristas
Læva uvas; vertex curve papaver habet?
Hæc tria dona Deum; Cereris, Bacchi atque Saporis.
Namque his mortales vivitis & Genio.

Cæterum de Novi Orbis situ & natura, itemque de incolarum habitu & moribus, ut & de animalibus & fructibus, adire poterit studiosus Lector Petrum Mar. *de Orbe novo*, Hiero. Benzon, *novam Novi orbis historiam; & expeditionẽ Gallorũ in Floridam.* Jo. Lerii *navigationẽ in Americam*, Thomæ Harioti, & Joh. Petri Maffeii *histor. Indicas*; Hieron. Olorium *de Reb. Ema. Lusita. Regis*; Joseph à Costa, *de Natura Novi Orbis* Joh. Baptistæ Feruschii *histor. Relationẽ de omnibus Iaponia regnis*; *Navigationem* Joh. Hugonis Linschotani *Indiam Orientalem*, Augustini Zarati *histor. regni Peruani*; & Cornelii Wytfliet *augmentum descriptionis Ptolomaicæ, sive Occident. notitiam*, quos libros (ne quid dissimulẽ) liberaliter meum, pro ingenio ad promovenda literarum studia nato, communicavit *Theophil. Richius* Consiliarius & Quæstor Palatinus, vir & historiarum, & omnis literaturę politioris amantissimus. quibus & addi poterit Historia trium navigationum Batavorum in Septentrionem: quæ cùm Latinè tum Germanicè prostat typis elegãter excusa. Iis auctorib. omnib. & singulis non vulgaris profectò debetur gratia. q eorũ beneficio Terræ illæ, quas vel cum vitæ quoq; & rerũ suarum dispendio patefecerunt. oculis nostris ita sint expositę, ut domi securis, atq; animo solo peregrinantibus, & Oceanum sine navigio, sine periculo ullo trajicientibus nobis collustrare illarũ opulentiam liceat. De qua tamen non injuria fortassis dubitare nonnihil possis. cũ eo ingenio comparati simus homines, ut remotissima & distantissima supra fidem semper soleamus efferre: dum vel nobis nostra non satis placent, vel opera pretium fecisse volumus videri, qui longam profectionem susceperimus: ne, si consueta loquamur, de nihilo frustraq; pervagati & peregrinati fuisse videamur. quod de tantoperè deprædicatis insulis scriptum reliquit Adrian. Turneb. *lib. 14. Adversar. c. 21.* Certè Jul. Cæsar Scaliger apud Indos nihil oriri scribit, quod sine non solùm vitæ dispendio, sed etiam incommodo civili nequeat non sui facere desiderium. Pro Equis, Camelis & Bobus, itemque Asinis, Mulis pulcherrimis, optimis, plurimis; in India Simias reperiri, Cercopithecos, quisquilias, somnia, Ibi pecora; apud nos homines inveniri, pacis, legum,

Scriptores rerum Indicarum.

Theophil. Richius.

legum, morum, virtutum auctores: bellorum ministros: artium dictatores: sciētiarum inventores: sapientiæ cōditores. Belgæ denique matronæ faciem unam longè anteferendam Helenis Indicis universis quod pluribus exsequitur, *Exerc. 09.* adversus Cardanum. Sanè ex cœli & regionum diversitate, etiam diversitatem incolarum nasci, non tantùm quoad corpora, sed ēt quoad animos & ingenia Levinus docuit *de cōplex. fol. 18.* Quod ipsum Insulani cum continentis incolis commune habēt: quippe quib. tam virtutes q̄ vitia, certæ genti familiaria tribuuntur. De quo apud Plin. *lib. 7. c. 2* Bodinum in methodo histor. *cap. 6.* & Cœl. Rhodig. *lib. 18 lectio. antiq. c. 2.* Etsi enim penè similis est omnium hominum natura, ut Justinianus ait *in l. veteris 18. circ. fin. C. de contrah & commit. stip.* Vel si inter eos considerari solet differentia: intelligendum tamē hoc erit de differentia specifica. non etiam quoad differentiam numericam sive individualē (ut loquuntur) juxta quam eos & ingenio & natura & doctrina & instructione longè differre constat *ex l. inter artifices 31. ff. de solut.* Quæ quidē diversitas naturę ex diversitate cœli augetur. Cœl. Rhodig. *d. lib. 18. c. 18.* & Simon. Majol. *lib. 1. dier. can. colloq. 2.* Eo fit ut natio in ea alteri pręstet: & nostra interesse Ulpian. dicat, Satræ alicujus nationem. Pręsumptū enim est, quosdā bonos esse, quia natione sunt non infamata, quosdam malos, qui ex natione sunt, quæ magis infamis est *l. quod si nolit. § qui mancipia ff. de adil. edict.* Hinc proditum est, ex ætate & conditione & natura ingenioq; alicujus statuendum esse, quale artificium doceri debeat *l. Stichus. 12. de legat. 3.* & plerunque robur hominis, ætatem temporis opportunitatemq; naturalem mutare causam operarum, alibi responsum est. *l. si non sortem. 26. §. hæreditatis de condict. indeb.* Et illam quidē natura & ingeniorum diversitatem ex cœli varietate & disparili adspiratione terrarū oriri, variis exemplis demonstrat Jo. Gryphiander *in tract. de Insulis c. 32. n. 6. cum mult. seqq.* Cæterum, quæ novi istius orbis incolarum bello subjectarum ratio prætendatur alia, q̄ quod fuerint barbari, sive infideles & idololatræ ad meliorem vitā & fidē redigēdi? Idq; summi beneficii loco habendum, ajunt: & exinde justam Hispanor. contra Indos belligerandi causam defendit Joh. Genesius Sapulveda: Cujus Jac. Aug. Thuan. meminit *lib. 54. hist. in fin.* Eiq; & Alfons. Guev. *de Specul. Princip. c. 31. n. 5.* & alii præterea adstipulātur, ab Hierony. de Cævallos allegati in speculo com. opin. contra commun. *q. 735. n. 28. & seqq.* Adstipulatur & personatus ille Frideric. Bernhardus, quem nomine Andreæ Erstenbergeri, furti literarii insimulat Frider. Tileman. *in discursu Philologico fol. 41.* E diverso sententiam illam acriter & doctè impugnat Didac. Covarr. & ipse Hispanus, bellum adversus infideles, eo solum quod infideles sunt, etiā auctoritate Imperatoris vel Papæ, justè indici non posse ingenuè asserens, & conclusionem istam esse intrepidè affirmans, *in c. peccatum de Reg. jur. in 6. part. 2. §. 10 nu. 1. vers. nihilominus & n. 2.* Nec enim infidelitas privat infideles eo dominio, quod in provinciis & regnis jure humano ante fidei reformationē obtinuerunt. argumēto ejus, quod de Nabuchdonosore legitur: Cui quanquam infideli, ita tamen à Daniele dicitur: tu Rex Regū es, & Deus cœli, regnum & fortitudinem, & imperium & gloriam dedit tibi, *Dan. 2.* Facit quod Clemens III. Papa rescripsit: Fidem Christi non habere, qui ad eum non spōtaneus, sed invitus cogitur pervenire. *cap. sicut. 9. ext. de Iudæis* & canonicis insuper sancitum est statutis, Neminem ad fidem cogendū esse, *can. ad fidem. 23 q. 5. & can. licet.*

Ingeniorum diversitas ex cœli intemperie.

Indiani cur debellaut.

Religio non cogenda.

licet plerique Iudæi. & can. de Iudæis, 54. dist. Neque enim quispiam bonus potest esse invitus *can. vide 23. q. 6.* & nova atque inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem. *can. qui antè 45. distin.* Voluntariū enim militem sibi eligit Christus. *can. non est 15. q. 1.* Quos textus etiam Hierōymus de Cævallos adducit *d. quæst. 735. & seq.* Jam quis beneficii loco habebit, aut pietatis nomine deprædicabit tyrannidem illam, in devictos ab Hispanis insulanos exercitam? Cujus detestandam immanitatem ex Narrationibus *Bartholomæi Casæi* Episcopi Cherpenensis, oculati testis, referente Antonio Benbellonio *in suscit. ab princip. lib. 1. c. ult.* & Thuan. *lib. 48. histor.* Atq; eo alludit quoq; Fernandus Vasquius *lib. 1. Illustr. controvers. cap. 10.* ubi quidem Alfonsi Guerrerii sententiam se nec probare nec improbare ait, non quia non vacet investigare aut scribere, sed quia tutum non erat Hispano, jura sui Regis in dubium vocare, ut conjiciendo rectè interpretatur Johann. Gryphiander *in tract. de insulis cap 22. n. 42.* Scribit enim manifestè, ditionis & gloriæ ampliandæ libidine fieri, cui honestiorem aliquam causam prætextimus. Sic Alexandro Magno alienis Regionibus bellum inferenti blanditos fuisse adulatores, earum gentium & incolarum ob utilitatem id fieri dicentes, quo magis impòsterum cultiorem vitam agerent. Adversus quos invehitur exclamando: O mitis, humana & pia charitas! quæ naturalis inter homines cognationis jura violare non veretur; sed præparat, & præcipiti manu vesana & rabida, omni genere cladium, tormentorum, incendiorum, innumera hominum millia quasi fulminib. ad umbras Cerberi adigere festinat, urbes incēdere, populari campos, virgines violare, senes, pueros, fœmineumque genus trucidare! Et isthæc omnia & alia longè pejora magisque nefanda & detestanda non pudet appellare *beneficium*! ut non immeritò usurpari hic possit illud Terentii: *Erras: tui animi si me esse ignarum putas.* Et quod Cicero *1. Offic.* prodidit; Totius injustitiæ nulla est capitalior pestis, quam eorum, qui dum maximè fallunt, id agunt; ut boni viri videantur. Apertior in hoc Antigonus ille Macedonum Rex, qui Sophistæ cuidam librum *de justitia* conscriptum sibi offerenti; desipis, inquit, mi homo; qui, cùm me videas alienas urbes armis vexātem, tamen apud me velis de justitia differere: innuens nimirum, illos, qui bellum inferunt nec posse nec velle justitiæ leges tueri. Ideoq; ego hic longius im̃orabor. Vereor enim ne idem responsi auferre possim, quod Paulus III. quærenti, quo jure tot Provincias teneret? O te hominem simplicem, dixit, qui de jure quæris illius, quod contra omnium vim tot jam annos possidemus! Itaque ad Pancirollum redeo. Sed quia infinitum foret, omnia quæ in Novo isto orbe reperta sunt, pagellis hisce meis inserere: ideò ea tantùm referre proposui, quorum à Pancirollo mentionem hîc factam vides, Lector. Quorum è numero primum se offerunt

Pauli III. responsum.

1. Galli, & Mures Indici) Gallinarum, quas à loco Indas vel Indicas appellamus, magnam in America esse copiam, à Regionis illius traditur Scriptoribus. Etsi autem candidas plurimi faciunt Barbari, ut plumis avulsis, rubroque infectis colore exornent se atque vestiant: ab omnium tamen esu plerumque sibi temperant. In Moscambucqua insula quæ nigris plumis sunt Gallinæ, carne quoque nigra atque ossibus atris esse dicuntur, ita ut coctæ tetro ac fuligineo colore in mensis appareant: cæterùm gustu optimo & ante cæteros præstabili hospites solere recreare. Joh. Hugo à Linschoten *in Navigat.*

Gallinæ Indicæ.

Albæ.

Nigræ.

Americi ova respuunt.

vigat. in Orient. cap. 4. Americis quoque nullus ovorum in cibo usus. quippe cùm hæc pro venenatis habeant. Ideoque non obstupescunt tantùm, si quis ova coram illis sorbeat: verùm etiam acriter eum increpant: quòd minimè ferendum sit, ut quis gallinam in ovo comedens pullationem antevertat. Non magis tamen de Gallinis suis sunt soliciti, quàm de avibus, quæ vitam in sylvis agunt. Illas, ubicunque fert impetus, ponere & excludere patiuntur ova. At gallinæ vicissim pullos è dumis & vepribus domum deducũt: ita ut ea molestia careant Americanæ mulieres, qua Nostrates in pullis educandis satis fatigantur. Nec inconveniens huic loco fuerit ea commemorare, quæ de ovorum excludendorum ratione in Ægypto, Scaliger memoriæ prodidit, *Exercitat. 6. cap. 2.* Nam ad Cairum (inquit furnos construunt, alii alio multiplice fornice imposito; in quorum tholi supremi medio foramen est: per quod caloris vis, quæ immodica posset officere, subit atq; exhalat. In imo ignem accendunt temperatum. Ovorum multas centurias in fornicum superiore planitie disponũt. Statis diebus erumpit turba: quos illi non numero, sed mensurâ venales habent. Modiolum statuunt sine fundo, quem ut cõplerunt, tollunt. Neque hæc fabula est, ait: sed fabulæ illi ipsi, qui negant. De variis autem avium Americarum generibus videatur Joh. Lerius *in historia navigat. in Brasiliam cap. 11.* quibus addendum omninò est, quod de rata & inusitata Avis pulcherrimæ forma, quam Moluccarum incolæ vernacula lingua *Manuco diata*, quasi Dicas Avem Dei; Lusitani *Passaros de Sol*; Latini *Avem Paradisi* vocant, à pulchritudine plumarum, alias avium plumas decóre exsuperantium. Johannes Hugo à Linschoten in Moluccæ insulis Aves has reperiri scribit: quas tamen nemo vivas viderit. Mortuæ enim duntaxat & exanimes ex alto decidunt, ac inventæ apud istos populos in magna habentur veneratione. Adversus Solem volant continuò in aëre, nullo terræ, dum vivunt, contactu. Apodes quippe sunt, sine alis capite tantùm & corpore, verùm caudâ maximè constantes, quę longiores pennę in caussa sunt, ut mediocris putentur esse magnitudinis, cùm corporis mole satis sint parvæ. Quibus cum eleganter convenit Johan. Langii descriptio. Sunt (inquit *lib. 3. Epist. Medicin.*) aves albicantibus plumis insignes, nuper ex ovis insulis ad nos in Europam delatæ, Apodes: quæ, cùm pedibus careant, mutuo amplexu, rostro rapando, sese in aëre librant pendulæ; sibiipsis incubant, defessæ teneriorem arboris surculum amplectentes, oblongioribus caudæ pennis pendulæ quiescunt. Harum duas, marem nempè & fœminam, Dn. Doctori Paludano ad ornatum Musei ipsius obtulisse se ait Linschotanus, & memini me id generis unam non ita pridem videre apud Levinium Hulsium civem Noribergensem. Etsi autem summus ille Aristoteles,

Gallinas non curant.

Avis Paradisi.

Viva non conspicitur.

Terram non attingit.

Sine alis & pedibus.

Alia istius descriptio.

Qui genus humanum ingenio superavit, & omnes
Perstrinxit stellas, exortus uti æthereus Sol

Aves an reperiantur ἄποδες.

(illos enim versus à Lucretio *lib. 3.* de Epicuro suo scriptos, de Stagyrita Peripateticorum antistite usurpare mihi liceat) in avium genere ullam reperiri negat, quæ pedibus destituta sit: cùm & hirundines ἄποδες sive κύψελοι, secundum eundem pedes habeant, quamvis pilosos, & ita minutos; ut his carere videantur: Contrarium tamen docet ea, de qua agimus, avicula. Sed & traditum est à rerum Indicarum Scriptoribus, in Mexicanâ regione existere aviculas, *Cinzones* dictas, quæ & ipsæ pedibus careant, & rore tantùm vivant: ex quarum pennis Chinenses artifi-

ciosissimè picturas concinnant. atque hęc quidem cum ea Monocodiatę descriptione conveniunt, quam ex Melchiore Guilandino Simon. Majol. retulit *l. 1. dier. can. colloq. 6. fol. 201. & seq.* Sed errorem istum (quo Monocodiatas pedib. currere. ideoque cõtinuo volatu in aëre gyros ducere, creditum fuit hactenus) Batavorũ nobis diligentia detexit, à quib. accurata inspectione, pedum vestigia deprehensa sunt. Nec in Moluccis, sed Japona insula, paulò magis ad orientem sita capiuntur. Captis incolæ non pedes tantùm, sed magnam corporis partem præcidunt, ita ut præter caput, collum, & pennas nihil reliqui fiat: cutem deinde & pennas singulari artificio conglutinant, & totum corpus ad solem exponunt, cujus calore exsiccatæ partes omnes ita coëunt, ut à natura ipsa factæ videantur. Ita impostura etiam quandoq; miracula fingit, & vel oculatissimis obtrudit, prout Casparus Ems *lib. 5. Mauritiados fol. 335.* meritò cõqueritur. Illud de ave ista in confesso est, ex maris dorso fila gemina, nigra, cornuum instar, utrinq; in rectum extensa prodire: quorum usum peritiores rerum Naturalium esse existimãt, ut fœmina, dum ova parit, in eodem dorso cavitatem efformãte, istis vinculis mari alligetur, atque ita in ipso pullos excludat. Ab hac Ave elegans desumsit symbolum doctissimus Joachimus Camerarius, Joachimi F. *Cent. 3. Emblem. 43* quod in eos optimè congruit, qui rebus terrestribus ac caducis spretis atq; contemptis, ad cœlestia & æterna semper toto animo se convertunt: juxta illud Nazianzeni, ex Græco ita Latinè redditum:

Monocodiata an pedibus currant.

Rursus alia avis paradisi descriptio.

Ioach. Camerarius.

Sursum anime specta, terrenaque spernito cuncta.

Ex quo confectum est Camerarii Emblema, quod sic habet:

Felices nimiũ! quorum super æthera mẽtes
Sublata, cuncta hac infera despiciunt.

Memoratur in Brasilia quoque magna *Avium marinarum* copia esse, quæ prædam è mari pro victu habeant, litora incolentes, ob innumerabilem piscium multitudinem. Hæ adeò sunt cicures, ut supra foros funesque navium, imò etiam humeris ac capitibus Navigantium insideant, & manu capi possint, alatis & volantibus piscibus maximè infensæ. Sunt autem volucres illi pisces haleci valdè similes, paulò tamen & longiores & rotundiores: habentque sub gutture paleolam, alis admodum Vespertilionis toto corpore contextis porrectisque; sapore autem suavissimo & probatissimo. Hi nusquam tutò possunt agere. Nam cùm in mari degant, *albacoras* predonesq; alios è piscibus habent inimicissimos. Sin subvolando periculum effugere tentãt, præstò sunt Aves illæ marinæ, à quibus gregatim in morem alaudarum sturnorumque advolantibus capti devorantur. Volãt autem pisces illi ab aquis ad duas aut tres ulnas elati, sæpè etiam ut volatus ille hastam altitudine æquet; longitudine centum passus: sustentantq; se alis madefactis. Siccatæ enim jam ulteriùs volatum negant: quem tamen repetunt unda mersi. Johan. Lerius *cap. 3.* & Linschotanus *cap. 95.* Sed hac tamen piscium captura, quæ à Marinariis fit avibus, lõgè jucundior est illa piscium capiendorum ars, quam Chinensibus oblectatiõis ergò usitatam intelligo. Prægrãdes ac domesticos habent corvos, ejusmodi prædæ assuetos. horum colla nodo ita laxo cõstringunt, ut nequaquam interclusa respiratione, cibos tamen trãsmittere ac deglutire non valeant. Ita è caveis dimissi, admirabili solertiâ sese in aquas immergunt: pisciculos minutos ore cõceptos, majores autem rostro comprehensos, domum, unde abière, identidem referunt, quoad solutis omninò faucibus, ad satietatem ipsi quoq; pascantur: ut est apud

Aves marinæ.

Pisces alati & volantes.

Chinensiũ modus capiendorum piscium.

apud Joh. Petrum Maffeium, *histor. Indic. lib. 16.*

Porrò volatiles illi pisces faciunt, ut minus mirer, etiam cancros & pisces terrestres reperiri. De Cancris certè ita Lerius *cap. 11. in fin.* Habet quoque, inquit, Americana regio Cancros terrestres, qui turmatim ad maris litus & palustria loca conveniunt; si quis ad ea loca accedat, hac illac fugientes videat. In truncos arborum radicesq; sese recipiunt, è quibus extrahi tutò non possunt: digitos quippe & manus comprimentium forcipibus comprimunt. Marinis longè sunt macriores; & quia juniperas redolent radices, palato minimè grati. Pisces verò terrestres, qui & *saxatiles* dicuntur, quod attinet, Aristoteles *libro de Respiratione*, memoriæ prodidit, inveniri pisces fossiles, qui imobiles intra terram degunt. Quem Philosophi locum Interpretes alioqui sicco pede pertranseunt, non animadvertentes, quæ de his piscibus in literas retulit Theophrastus, qui *in libro de Piscib.* tradit, in Paphlagonia effodi pisces gratissimos cibis terrenis altos scrobibus, in his locis, ubi nullæ restagnant aquæ. quemadmodum eum locum expressit Plinius *lib. 9. cap. 57.* & Polybius *lib. 34 Historiarum*, citãte Athenæo *lib. 8. principio*, narrat, in ea planitie, quæ est inter Pyrenæos montes, & Narbonem fluvium, copiosè è terra erui pisces, esui suaves. Similiter & Apulejus *in Apologetico* gloriatur, quòd in Getuliæ mediterraneis montibus pisces invenerit. de quibus plura videri poterunt apud Melchiorem Guilandinum, *in tractatu de Papyro, membr. 1. mihi folio. 11. 12.*

Cancri terrestres.

Pisces terrestres sive saxatiles.

Illud observatione dignum est, esse in America aves quasdam columbi magnitudine, colore cineritio, lugubri voce, quarum cantum sive gemitum Barbari noctu præsertim intentissimè exaudiant; rati scil. ab amicis & cognatis tanquam nuntias ad se mitti: Lerius *c. 11.* non secus atque Pharomon Francorum Rex aves præpetes pro Deorum habebat internuntiis: ob augurandi, credo ritum veterem & studium, quod præter cæteros Galli inprimis calluêre: ut ex illo Sidonii *lib. carmin. cap. 5.* colligitur:

Aves internuntia.

Sidera Chaldæus, si Thessalus elicit ũbras,
Fulgura si Thuscus novit, si gramina Colchus,
Si Lyciæ sortes sapiunt, si mœsta volatu
Fata loquuntur aves, &c.

Sanè præter ea, quæ de columbis ex Amphitheatro domum à Romanis missis eruditè & doctè scribit Lipsius: proditum utique est, illarum ministerio Turcarum Cæsarem ex vagis & spaciosis insulis brevi temporis spacio certiorem reddi de omnibus, quæ per universum geruntur imperium. Per totam enim Turciam aluntur columbæ: quæ annulos pedibus adjunctos habent: hæ Bassorâ ac Aleppo Constantinopolim feruntur: & contrà. Ubi autem negotii ratio postulat, epistola annulo adligitur, emissa ad volatum columbâ. Illa celere tum pennâ suetos repetit lares, & rerum internuntia epistolam ad destinata loca fert, confectis ita brevi spacio mille milliaribus. Ejusmodi columbã in India se vidisse testatur Joh. Hugo à Linschoten, *in descriptione Insulæ Ormuz cap. 6.* Talis fuerit columba Aratullæ a Martiale descripta *Epigr. 32. lib. 8.* & tractat Frontinus *lib. 3. stratagem.* de columbis per Hircium cũ literis ad Brutinum Mutinæ obsessum missis, ubi plure de mittendo & recipiendo nuncio. Mirrhes Ægyptiorum Rex Cornicem nunciã habuit. Ælian. *lib. 6 animal. cap. 7.* Alex. ab Alexandro *lib. 1. Genial dier. cap. 27.* Et Plinius refert Cæcinnam hirundines habuisse victoriæ nuncias. Lipsius *l. 2. Saturn. c. 6.* Atq; extat in hãc rem ele-

elegans Anacreontis carmen, de columba nuncia, cujus initium *Amabilis columba* Quò pertinet illud Salomonis *Ecclesiast*. 10. In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti, quia & aves cœli portabunt vocem tuam, & qui habent pennas, annuntiabunt silentium. Indeque est puto, quòd Angelis alæ attribuantur, quamvis corporis sint expertes. Etenim alas habere dicuntur Hieronymo *in comment. Iesa. 6.* propter velocitatem, & celerem in cuncta discursum. quæ ratio haud dubiè vera est. Etenim vento alas quoque adfingunt, ob eandem causam: quod docuit, & Scripturæ testimonio confirmavit idem, quem modò nominavi, Hieronymus. Sic enim scribit: Neq; illud quod de ventis dicitur *Psal. 103. Qui ambulat super pennas ventorum &c.* verè ventos juxta fabulas poëtarum & pictorum licentiam, pennas habere testatur: sed celerem in cuncta discursum. Et eâdem credo ratione plerisque simulachris Deorum, ut Victoriæ, ut Fidei, ut Famæ, veteres Romani adfingebāt alas, ut Deos statim præstò esse indicarēt Ennius. *Fides alma apta pinnis.* Sed & alæ, quas poëtæ Mercurio tribuunt, aliud nihil quàm celeritatem ac diligentiam in obeundo munere significant; quemadmodum rectè & eruditè annotavit Joh. Drusius *lib. 4. observat. c. 19.* Quòd si quis alatorum Angelorum picturâ adeò oblectetur, non ineptè fecerit, si candidam his attribuerit vestem. Nam & in sacris literis Angeli semper apparuisse legūtur candidati id quod illorum cùm innocentiæ, tùm beatitudinis est argumentum, vel Pythagora quoque auctore, qui ad naturam boni docebat album pertinere, & nigrum ad mali. Quo spectat illud Ovidii *15. Metamorph.*

Mos erat antiquis, niveis atrisq; lapillis,
His damnare Reos, illis absolvere culpa.

Angelis cur alæ attributa.

Cur item vestis candida.

Et læta atque auspicata vocari alba, docet Erasmus *Chil. 1. centur. 1. adag. 78.* Sic, qui gloriosæ Christi resurrectionis primi fuerant testes atque præcones Angeli, albis vestibus induti dicuntur & ornati. Nam & Matthæus Angeli illius ἔνδυμα nivis instar λευκὸν fuisse scribit, *cap. 28.* Marcus cum stola candida amictum perhibet *cap. 16.* Joannes duos Angelos candidis vestibus indutos fuisse testatur *c. 20.* Et Christus ipse in monte Thabor vestitu candido, instar lucis, sive nivis, sese discipulis suis conspiciendum præbuit. qui habitus cùm puritatis, tùm victoriæ, atque beatitudinis æternè fuit symbolum. Quo sensu illud *Apocal. 3* exaudio: Ambulabunt mecum in albis, qui digni sunt. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis: & non delebo nomē ejus de libro vitæ. Et *c. 26.* Martyribus dantur albæ stolæ, ceu insignia illorum victoriæ, libertatis atque beatitudinis. quæ victoriæ etiam per equum album, cui eques corona insignitus insidet, inducitur: non secus atque illo Virgilii *Æneid. 3.*

Quatuor hic primum omen equos in gramine vidi
Tondentes campum latè candore nivali.

Equo albo victoria portenditur.

Etsi enim Anchises hoc de bello interpretatur: *Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur:* paulò tamen pòst iis pacem candidam significari ait, & victoriam latenter portendi, ut Servius interpretatur, allusione scilicet facta ad quatuor illos equos candidos, triumphalem Currum apud Romanos ducētes. Sic certè equi illi albi *Zach. 6. v. 3.* Hieronymo interprete, Maccabæorū sub Antiocho Rege victoriam, aliis Judæorum felicem statum sub Macedonibus, aliis bonos angelos significant. quod & doctè & plenè pertractatum habes apud Johan. Guilielmum Stuckium *lib. 2. Antiquit. convival. c. 26.* ab illo autē albi coloris symbolo, si

lo, sive innocentiæ, pietatis & integritatis argumĕto promanavit haud dubiæ, quod candida velamina fidei à veteribus fuerint attributa, Symmachus disertè scribit *libro 4. Epist. 42.* quod Horatius *libro 1. Ode 35.* Fortunam ita alloquens expresserat.

Fides albo velamine.

Te spes, & albo rara fides colit velata panno.

Sed & *canam* fidem vocat Virgil. *1. Æneid. illo versu*

Cana fides & Vesta Remo cum fratre Quirino.

Quam tamen Antiquam interpretatur Nonius eodem sensu quo idem notat, Varronem appellasse *veritatem Canam Atticæ Philosophiæ Alumnam.* Servius verò adjicit, Canam fidem dici, vel quia in canis hominib. inveniatur; vel quod manu albo panno involutâ illi sacrificaretur; ut nimirum ostenderetur quodam ænigmate, Fidem secretam esse debere, ideoq; velandam, & ut arcanam, tegendam: sicuti relatum est à Jureto in Notis ad Symmachum *Ep. 42. lib. 1. & Ep. 54 eod. lib.* & Gualtherio apud Horatium *lib. 1. carm. Ode 35.*

Fides cana.

Avibus Indi summè oblectantur.

Adeò autem avibus (ut è diverticulo in viam redeamus) oblectari solent Indi, ut harum cantum inter præcipua luxus genera reponăt, quæ quidem Indici præsertim Regis luxuria, quam tamen Barbari magnificentiam interpretantur, tanta est, ut gentium reliquarum vitia facilè transcendat. Siquidem ubi visendum se publicè præbet, apparent argenteis thuribulis ministri perplures conspicui. Iter universum, quo vectatur, odoribus vaporatur. Ipse aurea gestatur lectica, margaritis hinc inde propendentibus. Amictus auro interlucet, ac purpura lecticam obmuniunt corporis custodes, è ramis cantillantibus aviculis, quas ita de more imbuunt, ut inter seria instrepant cantu.

Regis Indici luxuria.

Panciroll. lib. 2.

Regiam auratæ suffulciunt columnæ, auro vite cælata obambiente. Inter hæc avium, quibus præcipuè oblectantur, argenteæ nitent effigies. Regia nullâ non horâ volentibus patescit, Ubi capitis curæ & ornamento incumbit; tunc admittuntur legationes, & redduntur populis jura. Odoribus perfluunt iiti pedes. Si quando in venationem prodire collibuit, feræ leporariis occlusæ inter pellicum vota & cantus transfixæ conficiuntur. Hic illis non contemnendus labor. Si longior incumbat expeditio, curru vectantur quem instrati auro elephantes ducant, allectantibus agminatim pellicum lecticis. Subsequitur & Regina; sed seorsum, nec minore luxu. Ubi somni tempus appetit, regem vino gravem dormitantemque cubiculo inferunt pellices, noctium Diis patrio ritu advocatis cum cantu. Cœl. Rhodig. *lib. 8. antiq. lect. c. 2.*

Mures domestici.

2. *Mures Indici*) Mures duorum potissimùm sunt generum. Aut enim domestici sunt; aut sylvestres. De domesticis illis bestiolis, penori infestis, omniaque corrodentibus, nihil hîc attinet dicere, eò quòd omnibus plusquàm notæ sunt. præterquam, quòd etiam docilitatem illis inesse legi. Murem enim Albertus pro comperto ponit, in conviviis candelâ discumbentibus prætentâ Lychnuchi ministerium præstitisse, ut credere jam possimus, Simiam olim latrunculis ludere didicisse. quod Castilionius in suo Aulico prodidit; & Elephantem literarum Græcarum ductus in pulvere scriptitasse: cùm & Cynocephalorum quoddam genus literas callere existimârint Ægyptii, seq; illis ob harum cognitionĕ cognatos esse. Simulac enim Cynocephalus in templum inductus erat, eorum ritu educandus colendusque sacerdos illi albiolum, calamum, & sepiam adponebat, exploraturus, an ex eo genere esset, quod in cultum recipi deberet:

Horum docilitas.

Vid. Lips. cen. 1. ep. 50.

beret: quippe si quid scribendo cognationem suam approbasset: ea de caussa Mercurio sacer erat, qui literarum omnium auctor habebatur. Pierius *lib. 6. Hieroglyph. in Cynoceph.* Quinimò inter cætera animalia bruta, quæ nimis superstitiosè colunt Ægyptii, *Æluro sive Feli* tantum tribuere, ut in eos, qui alia quidem animalia sponte volentesque interemerant, decretū fuerit capitale supplicium. Quod si casu aut certè nolentes fecerunt, scelus præscripta mulcta posse expiari putarint. Sola Felis inter quadrupedes; inter Avitia *Ibis* nominatim excipiuntur. Has nolens volensve qs letho dedisset, crimen nonnisi capite luebatur. Cujus rei tanta religio fuit, ut Diodorus *2. Bibliothecæ*, fidē atq; oculos suos in testimonium adducat. Cū ætate Ptolomæi inita nuper amicitia cum Romanis, Romanus quidam, præter animi voluntatem Ælurum occidisset, facta impressione Ægyptii agminatim ejus domum obsederunt, eum ad pœnam poscentes: neque magnitudo Romani nominis, neq; amicitiæ recentis necessitudo ei satis præsidio esse poterat, ni Rex Præfectiq; Regii cū magis præsenti periculo subtraxissent, quā deliberassent. Quod si fato, aut natura diem obiisset ælurus, universa domus non secus funesta fuit, ac si paterfamilias cecidisset. Neque modò Ægyptii, verum Arabes etiam ælurum, & eam quidem auream pro Deo habebant in Rehadita. Nec sanè mirum: cum ritu naturæ numeros Lunæ ostendat, & lunaribus incrementis oculos etiam habeat grandes. Quid? quod Æsopus nobilis ille fabulator, puellam fuisse ælurum scripsit, & quidem ita præstanti forma, ut invidiam in se Veneris concitarit. Qua Venus percita pristinā formam abstulit, novam intulit, nec eam tamen degenerem aut deformem, utpote quæ vegeta atq; agilis sit, & Leonis formæ simillima.

Feles Ægyptiis in pretio.

Feles Arabibus pro Deo culta.

Quæ in Æluri sive Felis commendationem literis ita prodidit Cœlius Calcagninus *lib. 1. E. 38.* Quem quidē Apologum de Fele ipse etiā Erasmus ita recitat, quod sci. Venus eam belle adornatā in pedissequarum ordinem adsciverat, ac satis aptè ἐγυναίκιζε donec mure è cavo quopiam procurrente; declaravit sese nihil aliud esse quàm Felem: non secus ac Simiæ illæ ab Ægyptio Rege ita institutæ; ut saltandi rōm perdiscerēt. (ut cum nullum animal ad figuram hominis propius accedit; ita nec aliud actus humanos aut melius aut libētius imitatur) Artē itaq; saltandi protinus edoctæ, saltare cœperunt, insignib. indutæ purpuris ac personatæ. Multoque jam tempore majorem in modum placebat spectaculum, donec à spectatorib. facetus quispiam nuces, quas clāculum in sinu gestabat, in medium abjecit. ibi simiæ, simulatq; nuces vidissent, oblitæ choreæ, id esse cœperunt, quod ante fuerant ac repentè à saltationibus in simias redirent; contritisq; personis, dilaceratis vestibus, pro nucibus inter se dimicabant non sine maximo spectatorum risu, ut est apud Erasmum *Chil. 1. cen. 7. adag. 11.* Atq; ut cum Calcagnino concludam: Alo ego inquit, ælurum, qui adversus mures soricesq; perpetuos Palladis, ut Homer. scribit. Id est Musæi ac Bibliothecæ meæ hostes excubet & stipendia faxit, genuinæ sisteret naturæ impetu

Simiæ saltrices.

in simias reversæ.

Mordaces morsu solitus consumere mures
Invisum & domibus perdere dente genus,

ita enim Catum describit Petronius Afranius; cui non delitias modo, ait Calcag. verum ēt, si gratus esse volo, dimensum & animæ authoramentū debeo *d ep 38. lib 1.*

Sylvestres autem Mures intelliguntur feræ illæ bestiolæ, pellib. tantopere commendatæ, quo in genere sunt *Martes & Hermelins*, quib. nobiles hyberno tēpore pellitas gerunt pēulas. Senec. *lib. 14 ep. 91.*

Mures sylvestres.

Num

„ Num hodieq; magna Scytharum pars tergis vulpium induitur ac *murium*: quæ tactu mollia & impenetrabilia venti sunt? & Justi. *lib. 2.* ita de Scythis scribit: Lanæq; usus ac vestium ignotus, & quanquā continuis frigorib. urantur, pellib. tamen ferinis aut *murinis* vestiūtur. Hodiè quoq; è Scythia, frigidissimisq; regionibus lautissimas pelles *Muriam* afferri Magistanum hiberno cultui, vel pueri sciunt: & Adr. Turneb. meminit *lib. 15. Adversf. c. 13.* Atq; pellium istarum usum etiam Chinēsibus familiarem esse, Jo. Pet. Maffeius *lib. 6. histor. Indic.* testatur, dū Chinenses vestimenta per hiemem preciosis Murium Scytonicorū pellibus, quas vulgò *Martas vel Zobellinas* vocamus, calore admodum suavi, & ventis impenetrabili densitate suffulcire ait. quibus tamen haud scio an non & cuniculorum pelles in Batavia sua meritò exæquandas putârit Hadr. Junius. *c. 15 fol 209.* Sunt qui opinantur, Murum illum peregrinum ab Hieronymo quandoque dici *Muscum*, qui in delicatiorum usum habêtur. Nam Muscum, id est, μῦσκον, murum parvum indicare. Sed hoc odoris genus Priscis fuisse incognitum, Hermolaus putat. Nec Muscum dici, sed *moschum*, Haberi autem ex arboribus arentes pannos muscoso villo, præstantes odore: quod genus *Bryon* dicunt Græci, nos Muscum. *Moschos* autem apud Aëtium & Paulum capreæ sanies creditur, quam *Dorcada* dicunt, ex umbilico aut vomica. Nam circa umbilicum solet tempore Novilunii huic capreolo, sive capreę Indicæ (quam Scaliger vult *Gazelam* esse Arabum, *Exercit. 211. contra Cardanum*) abscessus quidam protuberare: qui maturus vel sponte rumpitur, vel ob quendam pruritum terræ aut saxo affrictus, saniosum humorem emittit (hinc à quibusdam *pus aromaticum* vocatur) evacuataq; hac vomicâ rursum sanguinem quasi menstruum colligit, & iterum suo tempore emittit. Existimant autem peritiores, hunc tam pretiosum succum capreolam illam producere, & tanquam liberalitate uberiore compensare quod accepit, propter pascua odoratissima herbarum, quæ in sanginem convertantur, & hunc odorem illi concilient: ut est apud Joachimum Camerarium *Symbolor. cent. 2. Emblem. 45.* Sanè in India maximum Moschi proventum esse, inter omnes convenit, cujus historia ita describitur à Scaligero, *Exercit. 21.* In regno Perū (inquit) Gazelæ simile animal album est: cujus ex inferiore mandibula æquè dentes utrinque singuli exseruntur. Sub cujus ventre fit sanguinis collectio in tumorem; quod apostema Græci vocant. Captâ ferâ, eam partem cum corio simul abscindunt. Quæ inter secandum guttæ sanguinis effluunt, caduntque; eæ pro Moscho optimo atque excellentissimo aut excipiuntur, aut colliguntur. Hujus minimæ portiunculæ beneficio ad cæteri cruoris condimentum utuntur. Ubi secuerunt, hirudines admovent, tamq; diu, quo ad earum suctu cruor universus cum ipsa vita detrahatur. Eum sanguinem exsiccatum, atque in pulverem redactum, prioris illius per pauxilla quantitate, viribus verè efficacissimis perficiunt; quippe centesimā satis esse produnt. Tum illud in folliculos hosce, qui ad nos importantur, inditum servant. Adulterationes aut sinceritatem ita vel deprehendunt vel probant. Sincerum narib. admotū illico sanguinem elicere, &c. Porrò alia rursus Moschi proventus ratio à Regni Chinensis traditur Scriptoribus: quæ sic habet. Bestiolæ ibi sunt vulpeculæ, aut catellorum magnitudine atque imagine. Hæ ad necē verberatæ ac plagis mollitæ putrescunt cum carne pariter & sanguine. Tum ex pelle, carne & sanguine incolæ rotundas uncias

Horum pelles.

Muscus.

Muscus Musco diversus.

Moschi colligendi ratio.

Eius probatio.

2. Moschi colligendi ratio.

uncialesque pilas sive crumenulas conficiunt, quæ filis undique consutæ venduntur. Cæterum optimum ac præstantissimum Moschi genus ex testiculis horum animantium colligitur. Alterum etsi Moschi nomine & ipsum prostet, eandem tamen virtutem non habet. Unde Chinenses, omni in re ut sunt elegantissimi, ita & crumenas has rotundas testiculorum formâ effingunt, quò facilius ementibus imponant. Animal ipsum naturali instinctu, cùm pretium testiculorum suorum intelligat, de fuga aliâs desperãs, eosdem dentibus ac morsu avellit, & in lytron veluti libertatis abiicit. Ita occupato collectione testiculorum venatore necem aliquando evadit. Quod ipsum & de Fibro sive Castore proditum accepimus, quem urgentibus venatoribus & canibus sibi ipsi partes genitales amputare, gnarũ se propter ipsas peti, cùm Græci, tùm Latini tradiderunt: licet Dioscorides & Sextius quidam apud Plin. & plures etiam recentiorum hoc fieri posse negent, propter testes ipsius spinæ admodum inhærentes, ut exinde dubia reddatur eorum sententia, qui cum illius, tum aliorum quoque animalium invidiâ, qua laborare putantur, id fieri existimant: Sic enim *stellio*, invidens, ajunt, hominum utilitati, deglutit exutam pellem, quæ morbo comitiali laboranti auxiliari dicitur, si Apulejo credimus *in Apologia*, & quæ ibi adnotavit Scipio Gentilis *n.542.* Sic *cervus* dexterum cornu defodit, bufonis venena aliaque multa perutile. *Equa* devorat Hippomanes ex pullis ad nescio quæ utile. *Phoca* capienda, evomit coagulum, quod etiam comitiali morbo medetur. Terrestris *Echinus* pellem urina inquinat & corrumpit. *Lynx* defodit urinam, quæ ad sigillæ & alia res prodest. Cæterum animalia hæc per invidiam non facere; sed homines è propria sua opinione hoc crimen illis adfinxisse patet. Unde enim brutis animalibus tanta scientia, quam homines multo labore vix discunt. *Phoca* quidem, timore forsan turbata coagulum emittit, & stellio pellem deglutit à Natura, quemadmodum canes & sues & penè omnia quadrupedia. Comedunt enim à partu partus involucra seu membranas. Echinus timore, vel alio quodam naturali adfectu urinam mittit; sed non ut corrumpat pellem. Multa alia fiunt à brutis quorum rationem reddere nõ possumus: ut quamobrem gallina cum pepererit paleas circumiicit? quare canes elevato crure urinam mittant? quare capra, cum Eryngum comedit, stet, & alias stare facias? quodque de Lynce & cervo narratum est, eodem modo dijudicandum sicut ex Theophrasto hæc ita decerpsit. Photius *in sua Bibliotheca fol.1574 & seq.* Chinenses multâ sanè versutiâ id odoramenti genus quod Moschum vocari diximus, vendunt. Jecinora enim boum seu vaccarum siccata & contusa admiscent, quibus Moscho imbutis crumenas impleant. Et fraus cotidiano experimento agnoscitur. Moschus si tempore corruptus sit, & odoris expers, crumenulis eximitur, ac in mortario tunditur minutas in partes: deinde puerili urina adspersus, ac plumbeæ ollæ inclusus, obturato probè ore, pristinam odoris virtutem si modò aliquis etiam vigor subsit, adipiscitur. Johan. Hugo à Linschoten *cap.23. & 70.*

Chinensium in Moscho vendendo fucus.

Animalia an invidia laborent.

Item alius adulterandi Moschi modus.

Feles quoque nutrit India, *Zibetum*, *Algalliam sive Ambarum* ferentes, unde & nomen Catorum Zibethinorum fluxit, qui ad nos etiam vivi deferuntur, & cùm ipsi, tùm pelles eorum in gynæceo summis habentur in delitiis. Nascitur autem Zibethum in posterioribus animalculi crumenulis, loculis scilicet genitalibus exactum, ut Cardanus putavit: quem Scalig. refutat *Exercitat.211.c.2.* ineptire

Zibethum.

eos

eos scribens, qui liquorem illum Cati ejus esse semen arbitrantur. Strigmentum enim est, quod vel argenteo, vel æreo, vel etiam, quod nonnulli magis probêt, corneo cochleari eraditur, extergiturq;: non tamen nisi irritatis: quoniam hoc modo & plus materiæ cietatur, & odoratius fit virus illud. Horum tres vidisse se ait Romæ apud Cardinalem *Galeottum*: cui odores, arma, scorta, equi, canes, pro bibliotheca fuerint; qua: tum Mantuæ. Solet autem Zibethum ob gentis Indicæ artes veteratorias ac fraudulentas, olei ac arenæ admixtione ad augendum pondus plerunque adulterari. Nec desunt, qui *Muris peregrini* pelliculam ex illo animali esse suspicantur, unde Zibethum haberi solet. Eam certè bene odoratā Hieronymus innuit, dum in cincinnatulos pueros & calamistratos, & peregrini Muris pellicula olentes invehitur, illud Martialis usurpans:

Bitus adulteratio.

Mus peregrinus, an idem cum Zibetho.

Posthume, non benè olet, qui benè semper olet.

Cui accommodari poterit illud Tullii *ad Attic. libr. 2* Quanquam illa tua horridula mihi atque incomta visa sunt, sed tamen erant ornata hoc ipso, quòd ornamenta neglexerant; & ut mulieres, ideo benè olere, quod nil oleant, videbantur.

Nec possum hic non meminisse animalis illius rari, & veteribus incogniti: quod Gesnerus *Simi vulpem*, vel Græcè πιθηκαλώπεκα, Jul. Cæs. Scaliger ἀλωπεκοπίθηκον vocat, & in regione Indiæ Pariensi reperiri, Vincentius Pinzonius, & Petrus Martyr tradidêre. Refert autem anteriore parte vulpem, posteriore simiam; caudamque habet Cercopitheci, aures fermè vespertilionis, ac subter ventrem usitatū aliud gestat receptaculū instar crumenæ latioris, in quod catulos suos recipit, ibidemq; occultat, donec tutò per se hinc inde vagari & sibi victum quærere potest. quod genus animalis cum Scaligero etiam *Crumatum* appellari posset, *Exercit. 206. cap. 10. adversus Cardanum.* Hoc amplius de Cane marino scribit Oppianus *lib. 1. de piscatione*, quòd periculo ingruēte suos catulos intra ventrem recipiat; & iterum quasi pariat, ubi omnia videt esse tuta. Idemque de *vitulo marino* refert Basilius Magnus *VII. Hexamer.* & de Delphine Nazianzenus in carmine eruditissimo Nicobuli ad partem. Ex quo parentum erga liberos studio atq; solicitudine Joachimus Camerarius, Joachimi F. tale concinnavit emblema, quod in centur. 2. symbol. est 58.

Simi-vulpes animal crumenarũ.

Canis marinus.

Vitulus marinus.

Delphin.

O tutos satis hos cives, populumq; ceatum.
Queis velut in patrio fas habitare sinu.

Sed ad reliqua à Pancirollo commemorata deveniamus: ex quibus declaranda veniunt.

3. *Guajacum, aut lignum sanctum, China, Sarsaparilla, Sassafras, & aliæ plantæ saluberrimæ, &c.*

Non indignum Celsitudine tua feceris, *Illustrissime Princeps*, si præeunte Pancirollo in fragrantissimos Americorum hortos, animi caussa parumper fueris digressus: cum in confesso sit, Reges quoque præstantissimos, & magnanimos, illustresq; Heroas, in ipso etiam armorum strepitu, tumultuque bellico, studiosè olim excoluisse rem herbariam, ac stirpium cognitione cum primis fuisse oblectatos. Cùm enim harum rerum investigatio amœnissima varietate exornata sit, nec minus habeat utilitatis, quàm oblectamenti, non visum est Regum amplitudini, nec Imperatoriæ majestati indecorum, hujusmodi occupationibus distineri: præsertim, ubi ab urgentissimis negotiis ac functionibus publicis respirare, atq; aliquid sibi laxamenti impetrare licuit. Qua qui

Rei herbariæ cognitio principibus, non indigna.

quidem cùm animæ, tùm corporis cultura non minus celebris facta est illorum memoria, non minus illis stratus nominis splendor & magnificentia, quàm rebus aliis præclarè gestis, aut hostibus vel subjectis, vel ad internecionem deletis; ut rectè putavit Levinus Lemnius, *Explicat. herbar. Biblicar. c. 1.* Nam quæ temporis injuria aut diuturnitas obliterare potest *Osiridis* Ægyptiorum Regis memoriam, qui cùm agricolationem, tum hortorum culturam in Ægypto primùm, mox in Syria Palæstina docuit mortales; deinde totum peragravit orbem, ab ortu Solis ad occasum, & à meridie ad ultimum Septentrionem; ut indicavit columna in Nysa Arabiæ ei statuta: cujus meminit Diodor. Sicul. *lib. 6.* De hac ita cecinit bullus:

Osiris,

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitavit humum.
Primus inexperta commisit semina terræ.
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitē,
Et viridem dura cedere falce comam.

Augias.

Sic Augias Rex, in Græcia, intelligens fimo subesse agrorum luxuriem, jejunia illorum stercoratione saturare, turpe sibi non putavit. Sic enim & Regius ille senex apud Homer. manibus suis humum lætificat: quemadmodum Attalus Rex hortos fodere, & semina terræ mandare non erubuit. Ipsum etiam Achillem legimus cum rei herbariæ cognitione Musices studium conjunxisse, strenuorum equitum præconiis concinendis aptum. Sic enim *Chiron Centaurus*, Achillis præceptor, eum instituerat, qui solebat

Attalus,

Achilles.

Nosse salutiferas dubiis animantib. herbas
Aut mōstrare lyra veteres Heroa alumno.

Achillis cithara.

ut scribit Statius Papinius *lib. 1. Achilleidos*; procul dubio ad illud Homeri *Iliad. 9.* respiciens, ubi Achilles Agamemnoni iratus, & otii tædio jādiu tristis, ad leniendam heroicam calamitatē (solet enim Musica, quæ non secus ac vinum cor lætificat, *Eccles. 40. v. 20.* ad demulcendum animum, & deponendas humanas solicitudines plurimum momenti habere (cithara se oblectasse legitur; quam sibi ostendi poposcit Alexander Magnus, cùm Ilium venisset. Dum enim Troum aliquis ei Paridis lyram exhibēdo monstraret: Mallem, inquit, Achillis, nempe virorum fortium sæpius laudes accinentis, nec demulcendis amoribus accommodatam, ut videre est apud Ælianum *libro 9. variar historiarum cap. 38* Lysimachus quoque & Gentius Reges, hic *Gentianæ* radices, ille *Lysimachiam* herbam non minore studio quæsiverunt, quàm Euphorbus ille Jubæ Regis Mauritaniæ medicus, qui herbam sui nominis (cujus lacteo succo oculorum caligo illustratur, & virus serpentum obtunditur) non in suburbio indagavit; sed impiger per abruptos scopulos altissimi montis Atlantis cœliferi cacumen conscendit, ut Euphorbum inter saxa natum erueret. Plinius *lib. 25. cap. 2. & lib. 5. cap. 1.* Pulchrum quippe & immortale decus censebant, si eorum nomina tam illustris herbarum nomenclatura ad posteros propagaret, Joh Langius *Epist. Medicinal. lib. 1. Epist. 63.* Id quod volupe sibi in primis duxisse credibile est, Mithridatem illum Ponti, atque unde viginti Regnorum Regem: qui propter eximiam herbarum notitiam, & singulare antidoton contra venena, morbosque omnes contagiosos præsentaneum, illius nomine Mithridaticum insignitum, immortale nomen est consecutus. Ejus quippe immortalitatis spe, post tot bello devictas in orbe terrarum gentes, singulari studio arcana morborum remedia conquisivit: déque iisdem commentarios, quos in thesauri sui scrinio reconditos servavit, doctè conscripsit,

Lysimach.
Gentius.
Euphorbus.
Mithridates.

psit. Hos Pompejus victor, regiâ prædâ potitus, in triumpho populo Romano ostentavit, ac Leneo Pompejo liberto suo negotium dedit, ut hos Mithridatis de re Medica libros latinitate donaret: quo populus Romanus ex tanti Regis thesauro pharmaca haberet, quibus morbis suis mederetur. Adeò Reges, Orbisque terrarum proceres omnem intenderunt curam, ne quid eorum subditis ad conservationem sanitatis deesset! quam nec cum Crœsi divitiis, nec auriferi Tagi & Pactoli arenis sapiens quisq; commutandam putabit, cujus laudes Ariphon Poëta Syconius apud Athenæum ita decantat: O beata sanitas! te præsente amœnum Gratiis ver coruscat: absque te nemo beatus. Athen. *lib. ult. circa fin.* Joh. Langius *libro 3. Epist. Medicinal.* Taceo Romanorum Imperatorum plurimos, qui plantarum amœnitate allecti, procul à strepitu & ambitione civili, ruri consenuerunt: ut videre est apud Chassanæum in Catalogo Gloriæ mundi, *parte 11. considerat 37.* Salomon quoque regum amplissimus, qui præter immensas opes, eam adeptus est à Deo Opt. Max. sapientiam ac rerum cognitionem, ut nullus Regum illi sit comparandus, in herbarum notitia mirificè excelsus, exacteque versatus legitur, ac disseruisse non solum de piscibus, alitibus, quadrupedibus: sed de arboribus etiam & stirpibus, à Cedro Libani usque ad Hyssopum, qui egreditur è pariete: hoc est, à minutissima herba ad procerissimas celsissimasq; arbores usque, omnia habuisse cognita & explorata. *Sap 3.* Nec verò existimandum est, hortorum istam, quam diximus culturam, summorum illorum veterum authoritati quidpiam derogasse. Meminisse enim debemus, Nobiles homines etiam quum rusticantur, animos à nobilitate remittere non amittere. Ita condiendam urbanam

Sanitatis laus.

Salomon.

severitatem agrorum amœnitatibus, ut sylvis accedit decor, non ut avorum præsentiæ splendor absit civilitatis. Deniquè hoc ita censendum est; agros sine urbanis lætitiis feros esse aut sordidos, quæ gravis est Jul. Cæsaris Scaligeri sententia, adducentis illud acerrimi harum rerum judicis Horatii

—Molle atque facetum
Virgilia annuerant gaudenti rure Camena.

libr. 6 poetic mihi fol. 783.

Quod igitur ad exotica illa à Pancirollo commemorata attinet, auctor est Nicolaus Monardus *in libro Simplic medicament. ex Novo Orbe delator.* tria ex Occidentali India deferri hodiè toto Orbe celebratissima, quorum in Medicina facultates adeò insignes repertæ sint, ut nũquam auditum sit, tam incurabiles morbos, illis aliis medicamẽtis sanatos fuisse: nempe lignum quod *Guajacum* vocant, *Radix China & Sarsaparilla*, de quibus singulis erit despiciendum.

Guajacum ergo nomen est Indicum, sed per universum orbem jam cognitum, quo lignum significatur Guajacum, sive Guajacanum, quod modò *lignum Indicum*, modò *sanctum* appellatur. Id non tantùm in Insula Sancti Dominici nascitur, unde primum ad nos transferri cœpit; sed & in Insula Sanct. Crucis & Sancti Johañis. Animadversum verò est, melius & utilius multò esse, quod Insula S. Johannis mittit, quàm id, quod nascitur in Insula S. Dominici. Nã hoc aridius est, & utentium corpora magis exsiccat. At illud S. Johannis humectat corpora in morbis calidis. Regiones enim quæ subjacent Æquinoctiali, aut non longè distant, nimio Solis ardore inflammatur. Quoniam cùm pręcipua caloris causa sit in terra, reflexus radiorum Solis calefaciens infimam aëris regionẽ: ubi radii Solis, ex meridia-

Guaiacum.

ubi nascitur.

ridia-

ridiano circulo vel rectè vel parum oblique terram feriunt: ibi necessum est vehementem fore reflexum, aëremque infimum maximè fervere. At in Æquinoctiali circulo recti à meridiano terram feriunt radii Solis. Quare Insula S. Dominica vehementiori Solis ardore peruritur, quàm Insula S. Johannis, quæ octo ferè gradibus minus quàm illa distat ab Æquinoctiali.

Hinc Insula S. Dominici excoquitur, & evaporat in ligno sancto ex nimio æstu succus ille salutaris, fitque lignum aridum nimis & torridum. Contrà Insula D. Johannis cùm minori afficitur vi caloris, tùm verò refrigeratur scatentibus undique aquis. Nam fontes habet undique quam plurimos; fluminibusque rigatur uberrimis. quo fit, ut regio illa sit temperatissima, stirpesque ferat, & ex moderato aëris calore; & ex terræ humiditate omnis generis præstantissima in propria natura. Alphonsus Ferrus Neapolitanus *lib. 1. de ligno, c. 2.*

Guaiaci historia. Porrò Guajaci arbor sive planta (ut ab iis relatum est, qui eam in sylvis se vidisse testantur) ad fraxini proceritatem, ut quæ duodecim æquet cubitorum altitudinem, & ad hominis mediocris habitus crassitudinem plerumque assurgit. Folia fert quadamtenus plantaginis æmula, dura sive nervea, minora tamen rotundioraque & validiora. Flores ejus produntur lutei: Fructus verò juglandis magnitudine: & vel castaneis proximus, vel, ut alii volunt, olivæ specie; figura tamen trigona, sed una sui parte sessili, dorso acuto, nucleo intus albo, castaneæ aut Coccali sapore tam grato, ait ad se mandendum invitet, & alliciat. Cortex annosus niger; juvenibus verò subrutilus, tendens in fuscum cui lignum subest foris pallidum, intus nigrum, duri adeò concrementi, ut asciam retundat, ac respuat: gravi pondere: resinosum: odore pingui: gustu suavi, aliquantum amarescente, in potione tamen subacido. Hujus tria ad nos genera adferri Joh. Manardus Ferrariensis, annotavit, *lib. 17. Epist. 3.* *Ejus genera.* 1. Primũ genus crassiori vegetiorique mole constat: quo resecto materies apparet interiore parte nigra, exteriore verò subpallida, & veluti perplexis lineis quibusdam ad fuscum tendentibus, per longum intersecta. 2. Secundum caudice minore, nec adeò vegetiore habetur: cujus extremæ partes majore ambitu se diffundunt: intimæ verò, quæ pariter nigricant, minore satis orbe concluduntur. 3. Tertium, quod propriè *Sanctum* appellant, caudice cæteris exiliore visitur, intrinsecusq; & extrinsecus albicans: cujus materies, lineis admodum exilibus in longum actis, perplexè distinguitur. Estque hoc longè cæteris & acrius & odoratius.

à Guaiaco an diversum sit lignum sanctum. Etsi autem à ligno Guajaco planè diversum facit lignum sanctum Gabriel Fallopius Mutinensis *in tract. de Morbo Gallico, c. 27.* sequutus Consalvum Hisp. *c. 2. lib. 10. Indicar. historiæ*, quam ad Carolum V. Hispano idiomate cõscripsit: Andreas tamen Matthiolus *lib. 1. cap. 111. Commẽt. in Dioscoridem*, quanquam ligna illa colore, magnitudine & pondere, inter se discrepare fatetur: ad idcirco diversarum ea plantarum sive arborum, diversorumque generum esse, id verò pernegat. Nam quod hoc tam intus, quàm extra candicet; illud verò interiore sui parte nigricet: illud non aliunde provenire ait, quàm quòd hoc magis, illud verò minus adoleverit, vel consenuerit. Quippe eò sanè nigrius cernitur lignum Guajacum, quò ad maturiorem ætatem pervenerit arbor, à qua decisum fuerit, & per consequens tantò magis album apparet, quantò minus adoleverit illa: quemadmodum conspicitur in nostris nonnullis arboribus, &

præ-

præsertim in Moro, Nuce & Anagyri. Veruntamen illud cuiq; persuasum sit, ætatem uni plus, quem alteri virium addere ac demere.

Guaiacum lignum quod præstantius.

Proinde cum illud, quod planè omni ex parte albicat, odoratius, acrius, & amarius habeatur, cumq; ejus decoctum crassius, & cæterorum decocto pinguius sit, & acrimonia & amarore admodum refertum: nil mirum esse crediderim (ait Matthiolus) si in eo, utpote juniore, vis insit vegetandi præstantior, ac propterea plus in se succi contineat, quin & cæteris viribus præstet. Sed quia tamen hoc, cum exilius sit cæteris, citius ac facilius exarescit, atq; ob humoris redundantiam, velocius cariem sentit atque fracessit: ideo satius quandoq; fuerit, vetustiore recenter cæso uti, quàm juniore, quod multo antè tempore ab arbore sit decisum. Huic itaque illud succedat, quod medium obtinet locum. Siquidem hoc & odoratius est & acrius eo, quod nigrius ac crassius invenitur, neq; illud quidem abs re, quandoquidem id minus est ætate confectum, & majore humoris copia redundat. Postremo illud minus cæteris præstat, viribusque infirmius habetur, quod nigrius, crassius, & annosius reperitur: Nam quælibet consenescens planta (quemadmodum etiam cunctis animantibus evenit) continuo exarescit, humidoque privatur. Cujus rei certissimum est argumentum, quòd in annosarum arborum truncis major appareat nigredo, quam in aliis, vel junioribus, vel ætate tenellis. Nigredo enim siccitatis indicium est, quin etiam deperditi caloris innati, & humidi naturalis.

I. 2. 3.

Sunt qui illud tantum Guajacum præferunt, quod ex arborum ramis ætatis mediæ desumtum fuerit. Quorum opinio non plane refellenda videtur. Nam quicunq; rem naturalibus expenderit rationibus, ramos antiquioris à caudice mediocris ætatis parum differre cognoscet: itē ramos hujus à caudice junioris. Quippe plus humoris ad se trahit ramorum auctrix facultas, quam caudicis. Idcirco non alia de causa plantæ rejuvenescunt, cùm earum rami implantantur, seruntur, & propagantur, nisi quòd illud idem humidum innatum intra se continent, & eodem vigent temperamento, quo qui adolescũt. Etenim surculi atq; rami sunt caudici, perinde atque filii, & propterea animalibus ætate tenellis non absimiles. Id quod maximè confirmat Theophrastus, *lib 1. de caus plantarum; cap. 12.*

Præstantissimum igitur (secundum Matthiolum) lignum Guajacum illud erit, quod ex juniore caudice recenter cæsum fuerit, tam exterius quàm interius albicans (Nicolaus Massa vult, lignum ab incisione quidem novum, at verùs ab ejus ortu; Fallopius id quod magnam habeat quantitatem nigri; Aloisius Lobera, quod sit quidem cineritii coloris, at medullam habeat insignem & pernigram) rimis carens, & crassissimum atque densissimum, ita ut inter radendum nulli pori, nulla foramina appareant: cortexq; illius ita crassus sit, & ligno cohærens, ut vix ferro separari possit: minimè cariosum, sed ponderosum valdè: cum unctuositate quadam, ut inter abradendum pingue videatur, & pro pinguedine scobina gliscat: odoratum: gustui subamarum: & quod immersum petat ima aquarum.

Guaiacum an veteribus fuerit cognitum.

Sed an Guajacum veteribus etiam fuerit cognitum, non immeritò dubites: asserente præsertim Nicolao Massa *in lib. de morbo Gallico, tract. 3. c. 2.* Avicennam de hoc apertè sensisse *in 2. can. in litera K.* ubi mentionem faciens *de Karon*, lignum id esse ait, quod fertur ex India, & confert juncturis & nervis. Sed respondet Alphonsus Petrus. *lib. 1. de ligno sancto, c. 2.*

Karon conferre quidem morbis junctu-rarum factis à causa primitiva, ut fracturis distorsionibus ac luxationibus; sed non nisi extrinsecus appositum. At lignum sanctum medicinam esse antidotariã intus exhibitam, & quidem non contagiosis tantùm, sed & aliis quamplurimis variisq; morbis multiplici remedio subvenire: ideoq; longè aliud esse quam Karon: præsertim cum hoc, ut & alia pleraq; aquę innatent; illud autem ad fundum vergat & subsidat.

An idem cũ Ebeno.

Plus dubietatis est, an Guajacum sive lignum sanctum idem sit cum Ebeno. Sunt enim, qui hoc ita statuant, moti illo Aristotelis 4. *Meteor* ubi omne lignum in aqua natare, neque subsidere scribit, præter Ebenum. Atqui lignum sanctum minimè natare, sed subsidere dicunt, non aliter, atq; Ebenum. Nihil ergo caussæ esse cur non idem quoq; sit, quod Ebenus; aut certè Ebeni species hactenus incognita.

Negatur.

Sed ad istam Aristotel. auctoritatem respondet Ferrus, accipiendam eam esse de omnib. quidem lignis, quæ nosse scil. ille potuerit. At Guajacum cùm ipsi, tum aliis ad nostram hanc ætatem fuisse incognitũ. quanq̃ neque hanc responsionem satis tutam, sed illis Philosoph. verbis aliquid deesse putat Ant. Gallus, *in opere de ligno S. non permiscent. in præfat.* quia & Buxus, Aristoteli pulchrè exploratus, aquæ injectus, statim it pessum: & Suber detracto cortice sidit e vestigio: cortex tamen aquis perpetuò fluitat, neq; demergitur. quam ob causam verticulorum funib. annectitur. Aspalathus item semel immersus sidit: nam pondere mox cedens nunquam exsistit. Hoccinè ignorasse Aristotelem summum virum credimus? Nisi fortè, quod Strabo memorię prodidit, eum fugisse dixeris, in India fluvium esse Siliam (Plinius Siderum vocat) in quo nihil innatet: quod negare dicit Aristotelem.

Guaiacum differt ab Ebeno.

Verùm etsi pondere cum Ebeno conveniat Guajacum: non paucas tamen inter utrumq; videre est differẽtias. Differt enim Ebenus à Guajaco, colore, sapore, odore, duritie. 1. *Colore*: primum, quia Ebeni color niger est; Guajaci non item, nisi ipsius medulla. Deinde Ebenus ad cotem trita flavescit. At lignum Guajacum cote levigatum, lacteo ferè in cæruleum colore pallescit: 2. *Sapore*. Nõ enim adhuc deprehẽsum est, nec à quoquã literis proditum, Lignum sanctum acri & mordaci sapore esse: sed in gustu cum aliqua adstrictione amarescere, certo cognoscitur experimento. Aut Ebeni sapor est acris & mordax teste Dioscor. *lib. 1. c. 111.* 3. *Odore*. quia Ebenus carbonibus vel prunis imposita, jucundo & citra fumi tædium suffitur, juxta Dioscorid. *c. 100.* At lignũ Guajacum non sine fumi tædio. 4. *Duritie*: non quidem propterea; quòd si Ebenus (ut Ferrus ait) juxta ignem ponatur, flammam statim corripiat. Id quod ligno sancto accidere negat. Negat namq; Fabianus accendi Ebenum; uritur tamen, ut diximus, odore jucundo. Dioscorides Ebenum recentem sua pinguedine succendi scribit, igniq; amotam flammas agere: sed non continuò sequitur, ignem citissimè corripere. Non etiam propterea duritie differt, quòd, ut Ferrus dicebat, non ita maceratur Guajacum in aqua, cæteris paribus, quemadmodum Ebenus: cum tradat Avicennas ex Ebeno collyrium fieri. Quæ ratio, quanti sit momenti, quis non videt? Non ita, inquit, maceratur, &c. Quod nihil aliud est, quàm quòd à Dioscoride *libro. 1. cap. 111.* dicitur: Attritã in cote Ebeno ad oculorum collyria utuntur. Num ad cotem affricari lignum sanctum non poterit? Paratur (inquit idem Dioscorides) Ebenus ad oculorum medicinam, ramentis, scobeve ejus integrum cum sua nocte diem in

1. Colore. *2. Sapore.* *3. Odore.* *4. Duritie.*

in vino Chio madentibus, tum diligenter concisis, & in collyria confirmatis. Quidni possit similiter in collyrii formā & Guajacum fingi, si ramenta ejus vino madefacta perlevigarentur? Addit Dioscorides: Ebeni quidam ramenta & scobem antea trita cribrant, & reliqua pariter faciunt: Sunt etiam qui pro aqua & vino utantur. Quid prohibet idem in hoc ligno fieri? Sed ideò duritie ab Ebeno differt Guajacum, tum, quia facilius in aqua maceratur Ebenus, & quidèm magna ejus frustra per decem fortè horas: cùm contrà Guajacum ob pinguedinem suam non nisi 24. horarum spacio macerari soleat: Gabriel Fallopius *de Morbo Gallico cap. 40.* tum, quia cæsa Ebenus purescit in lapidem: adeò ut parte lignum, parte saxum videatur. At Guajacum non ita durum est: quemadmodum Anton. Gallus scriptum reliquit in allegata nuper Operis sui præfatione.

Guaiaci usus quomodo nobis innotuerit. Porrò ligni Guajaci usus primùm hac ratione nobis innotuit. Magis doloribus morbi Gallici (est enim in India, præsertim verò *in Insula S. Dominici*, morbus hic tam familiaris, quàm apud nos papulæ, seu morbilli, neque ejus contagium magnopere quis ibi reformidat) quem ab Inda muliere nactus erat, Hispanis quidam torquebatur: ejus famulus Indus, in provincia ea medicinam faciens, aquam Guajaci ei propinavit, quæ non solùm magnis illis cruciatibus eum liberavit, sed & pristinæ sanitati restituit. Quod exemplum alii quoque Hispani, eodem morbo infecti; cùm sequuti essent, similiter fuerunt curati. Eaque cura Hispali mox evulgata est ab iis, qui ex India redierunt: hinc per totam Hispaniam: & inde per orbem universum, quem hæc scabies occuparat. Sicque DEO visum est, ut unde manavit morbus, inde etiam remedium ejus afferretur: siquidem in hoc curando nullum medicamentum Guajaco reporiatur præstantius aut certius. Nam si ut decet, rectè instituatur, atque procedat curatio, & suo tempore aqua ista propinetur, certissimum est, ei morbo sanitatem perfectam comparari, nec Recidivam eum pati, qui eo laborabat, dummodo im idem cœnum non se provolvat denuò. Nicol. Monard. *in l. simpl. Medicamen. ex Novo Orbe delator, c. de Guajac.* quinimò literis testatus est Alphons. Forrus *lib. 2. de Morbo Gallico.* Præter luem istam, alios etiam morbos propè infinitos à capite usq; ad pedes per lignum sanctum curari posse: atque illos *29 capitib.* ab ipso videas comprehensos; ut non immerito magnificam aliquam appellationem ligno huic possimus indere: quemadmodum ab aliis factitatum videmus. Nam & Philon Medicus Alexipharmaca sua, *Deorum manus* appellavit: & hodiè etiamnum Medici magna compositiones suas jactatione vocant *Manus Christi, Apostolicon, Gratia Dei, Antidotum Paulinum,* & id genus superstitiosè inditis vocabulis: Ulricus de Hutten, Eques Germanus, scriptum reliquit, *libro de Morbo Gallico, capit. 6.* Certè uno illo ligno Gujaco Portugalliæ Reges plus commodi miseris mortalibus attulisse Johannes Langius putat, quàm omnes illos avaritiæ cuniculos, metallorum auri & argenti fossores. *Ep. Medic. lib. 1. Ep. 63.*

Ambitiosa medicamētorum nomina.

Ulricus de Hutten.

Guaiaci utilitas.

Morbi Hispanici in Europam derivatio. Morbus autem iste in hunc modum fertur propagatus, Rediens ex profectione illa *Christophorus Columbus*, quam conquirendi Novi Orbis causa, ut diximus, susceperat, præter mulieres Indicas, etiam milites Neapolim deduxit, ubi tum rex Catholicus erat, adversus Galliæ Regem Carolum, cognomento Magno capite, belligerans. Milites illi non tam auro, quàm morbo onusti; quem ex stupri consuetudine cum Indis mulieribus habi-

habita contraxerant (quippe qui iis non minùs familiaris eſt, quam apud nos ſcabies:

Illis namque ferunt æterna labe per omnes
Id morbi regnare urbes, paſſimque vagari
Perpetuo cœli vitio, atq; ignoſcere paucis.

ut Syphilidis *libro.1.* cecinit Hieronymus Fracaſtorius) partem mercis iis comunicarunt, qui in Italicis expeditionibus ſtipendia faciebant, Tum Hiſpani milites calidiſſimi, & non tam armis, quàm arte hoſtem offendere gnari, noctu egrediebantur: propria relinquentes prædia, & puteos veneno inficiebant. Neque ſatis hoc illis erat, ſed & Italos piſtores adverſi exercitus precio corrumpebant, ut gypſum pani admiſcerent. Denique cum vim contagioſi mali nuper eſſent experti, & ob annonæ caritatem neceſſum eſſet, inutilem & imbelem gentem ab Urbe excludere; clam etiam ſcorta, & quidem formoſiſſima, cæterùm eadem lue inquinata expulerunt. Galli mulierum pulchritudine ducti, lubẽtiſſimè eas exceperunt: Sicque evenit, ut luxuriantibus cum eis infrenibus juvenibus, morbus iſte non modò totum illum exercitum infecerit, ſed & per orbem univerſum fuerit derivatus. Idque præter Nicolaum Monardis etiam Gabriel Fallopius tradidit, *libro de morbo Gallico*, cap.1. qui, ut & alii paſſim, labem hanc conſiſtere putant in contagione unius ad alium. A qua tamen ſententia Hieronymus Fracaſtorius diſcedit *libr.2 de morbis contagioſ cap.12.* Tametſi enim maxima mortalium pars è cõtagione morbum hunc contraxit: obſervatum tamen eſt, (inquit) innumeros alios ſine ulla contagione per ſe infectionem eam perpeſſos fuiſſe. Impoſſibile præterea fuiſſet, tam parvo tempore contagionem quæ per ſe ſegnis eſt, nec concipitur facilè, tantum terrarum peragraſſe, ab una claſſe ad Hiſpanos primùm delatum: quã do conſtat, aut eodem tempore, aut ferè eodem, & in Hiſpania, & in Gallia, & Italia, & Germania, & tota ferè Scythia viſam fuiſſe. Adde, quòd prædixiſſe illam Aſtronomos certis antè annis, non parvum indicium eſt, aliud ſubeſſe illi principium, quam ſimpliciter contagionem. Nec etiam mirum videri debet, novos atque inſolitos morbos certis temporibus apparere, non quidem delatos ab una regione ad aliam, ſed ſuis cauſis exortos. quod exemplis quibusdam demonſtrat Fracaſtorius: cujus tanta fuit eruditionis præſtantia, ut non tantùm ad Catulli, Plinii, & aliorum civium ſuorum exemplũ, marmoreã ſtatutã Veronæ publicè erectã cohoneſtatus; ſed & Aris à magno illo Julio Cæſ. Scaligero, Joſephi patre poſitis immortalitati fuerit conſecratus, quandoquidem has quilibet doctus, non ſecus atque illos Horatii verſus, meritò exiſtimabit.

Hier. Fracaſtorius.

—— monumentum ære perennius,
Regalique ſitu Pyramidum altius.
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

Quo in loco notandum eſt, Aquilonem Horatio dictum eſſe impotentẽ, pro vehementi ac valde potenti. Quo eodem ſenſu Impotentia Sidonio Apollinari pro nimia potentia uſurpatur *Ep. 12. libr. 5.* Et impotens arrogantia Senecæ *de ira c. 38.* Impotens fortuna Symmacho *Ep. 95. lib. 1.* Quomodo impotentem Reginam rerum omnium eloquentiam dicit Martianus Capella *libr. 5.* & M. Antonium Cicero impotentiſſimum hominem vocat *Epiſt. 1. lib. 10. ad famil.*

Impotentia.

Cliensque comes impotentiam captat.

Apud Petronium, pro valde & ad invidiam uſque impotentiam. Nec enim particula In ſemper negat aut derogat: imò etiam

In non ſemper negat ſed & auget.

iam

jam auget quandoque, etiam in jure nostro. Sic enim *in gravi morbo* affectio legitur *in l. 2. in prin ff. de senatusc. Syllan.* pro eo qui valde gravi morbo laborat. Et *infrequens* interdictum, pro valde frequente habetur *in l. 1. § 2. ff. migran.* Et, insciente domino, pro bene sciente ponitur *in l si servis. 34. de usucap.* Sic *increscit* pro valde crescit, positum videmus *in l. 1. §. in summa. in fin ff. de aqua & aqu. pluv. & in l. quaesitum. §. sed si fundus de instr. & instrum. legat.* & fatalia damna dicũtur, quae *imprudentibus*, hoc est, valde prudentibus etiam accidant *l. cum duobus 52. §. damna ff pro socio.* Virg. *in Georg.*

—Nunquam imprudentibus imber
Officit.—

Similiter & casum illum *indifficilem* à Scevola pro valde difficili positum putat Accursius *in l. Gallus 29 §. ille casus 13. ff. de liber. & posthum.* & *infractum* Cicero dixit, pro valde fracto, cum aliis multis, in quibus dictio IN augere solet, non imminuere; affirmare, non inficiari. ut diligẽter notavit Joh. Jovian. Pontanus *in suo de historia, dialogo, quẽ Atticum indignavit fol. 556.* Morbus iste varia sortitus fuit nomina, Hispani à Gallis existimãtes venisse contagium, morbum Gallicum nuncuparunt: Galli contrà Neapolitanum vocarunt, quòd Neapoli, unde pretiosam hanc mercem, tanquam parte victoriae praemium, in Regiones suas detulerunt, primùm cũ eo conflictari coeperint. Germani ex Hispanorum contubernio hanc scabiem ad se manâsse videntes, Hispanicam appellârunt. Alii Serpiginem Indicam, & quidem propriissimè: cum inde prima sit hujus mali origo. Sunt quibus hic morbus Patursa dicatur, vel Pua, nomine fortassis Indis proprio & genuino: quod à quibusdam morbus magnus & violẽtus, ab aliis *turpis passio* interpretatur: quòd gẽeraliter omnes deturpare soleat. Quidam Pudendagram vocant: quod pudenda plerumq; primùm inficiat. Fracastorius Syphilida nominat: quia ex amore & conjunctione Veneris inter hominem ut plurimum suboriatur, atque ita Syphilis, quasi concordiae atque amicitiae Venereae partus sit, ex Fallopii interpretatione. Johan. Almenar. Hispanus *de Morbo Gallico cap. 1.* morbũ hunc Saturnium vocat: quia à Saturno, propter ejus ingressum in arietem, aliis coeli dispositionib. coadjuvantibus, originem traxit. Cui sentẽtiae & Gaspar Toralla subscribit, *in tr. de Pudendagra*, cum ita ait: Dicunt Astrologi (quorum in numerum citra omnem controversiam meritissimò ponẽdus erit & Fracastorius) hunc morbum evenire à constellatione corporũ superiorũ: eò quòd effectus universalis in causas universales resolvi debet. Et hoc propter Saturnũ exsistentem in Ariete. Nam in Ariete & Piscib. sunt quaedam stellae habentes virtutem generandi monstra, ut recitat Conciliator *in 29. different.* Licet autem fluxus illi cessârint: non tamen propter hoc & morbum hunc cessare necessum fuit: quoniam plura corpora infecta remanserunt, à quibus & alia inficiantur. quibus omninò addendum est, quod scriptum reliquit Joh. Lang. *lib. 1. ep. 42. & lib 2. ep. 14.*

Quòd si Hieronymum Capivaccium audire volumus, non debet utique Medicinae studiosos laborum ac diligentiae poenitere, quam in morbo isto tam frequenti, & peraeque lucrosissimo cognoscendo adhibuerint. Nam & citra jactantiam dicere se ait, quod è Gallicae luis curatione ultra octodecim millia coronatorum fuerit lucratus. *libr. de luce Vener. cap. 12. in fin.* ne habeat, quod tantopere gloriari possit Medicus ille, cui Manilius Cornutus legatus Caesaris in Aquitania, Mentagrae morbo foedo correptus. H. SCC. se curan-

Morbi huius curatio quã lucrosa.

uti & Mentagra.

curandum elocavit, tantus erat rei Medicę quæstus, vel viri dignitas! ut est apud Plinium *lib. 26. cap. 1.* Sed quæstu ille tanto etiam major fuisset futurus, si Epilepsiam, sive Herculeum morbum profligare nosset. Tum enim & divinos sibi honores vidisset decretos: quos Menecrates celebris ejus morbi Medicus sibi ademptos noluit, dum nunquam sanè in publicum, nisi suis, quos curaverat, habitu Deorum indutis stipatus, & ipse verò purpurâ vestitus, aureâ coronâ decoratus, crepidatus, sceptrum denique in manibus, velut alter Jupiter gestans, prodire solitus est, ut est apud Athenæum *libr. 7. Dipnosoph.* Hunc misisse ferunt ad Philippum Epistolam hujusmodi: Philippo Menecrates Jupiter bene rem gerere. Cui Philippus rescripsit. Philippus Menecrati sanitatem. Consulo tibi, ut cures te disportandum in Anticyram, quo tectè indicabat hominem illum insanire. Cujus stultitiam alio tempore idem Philippus in cōvivio quodam lepide detexit; cum reliquis epulantibus lautissimè, Menecrati & Jovi tantum suffitum mensa seorsim posita fieri mandasset. Adversus quem indies aliquin postulantem idem Philippus Clavicula in jugulo laborans per quam faceto usus perhibetur dicto. Quin tu inquiens, accipis, quantum libet, *cum in tua potestate sit clavis.* Per medicum enim illum, cujus nomen non expressit Plutarchus, *Menecraten* intelligi cōjectura probabile facit magnānimus ille & gloriosus Greitseri Jesuitæ triumphator Simon Stenius, Professor quondam Heidelbergensis in oratione *de vita & rebus gestis Philippi Macedon. Regis.* Hic si etiam Apoplexiam fortem curare scivisset, periculum fuisset, ne Jovem cœlo deturbasset, & se in ipsius subsellium constituisset. Johannes Langius *libr. 1. Epist. 23.* Et quo fastu eum proditurum fuisse censes, si quod de Asclepiade scribit Plinius, hominem è funere retulisset, & servasset? *lib. 7. cap. 37.* aut ut Apollonius puellam ipso nuptiarum die mortuā vitæ reddidisset? ut apud Philostratum legitur, *libr. 4. cap. 16.* Manes certè, Agyrta & circulator nefarius, eò vesaniæ progressus est, ut semetipsum Spiritum Paracletum dicere non sit veritus. Ruffinus *lib. 1. histor. Eccle. c. 22.* quēadmodum & Simonetæ Magum eò fastigii pervectum legimus, ut multitudine innumera fraudibus delinita, Romæ inter duos pontes hoc titulo simulachrum publico consequeretur decreto: SIMONI DEO SANCTO, quem etiam Christo æthera ascendenti se æquare non puduit: dum coram Nerone, non minùs stolido, quàm sævo principe, ex Capitolino monte, magicis artibus & Dæmonum ope suffultus, volare cœpit, magnâ cum vulgi admiratione, donec D. Petrus Dæmonas Magus destituere jussit; qui protinus è sublimi deorsum pręcipitatus, elisus & exanimatus est. Abdias Babylon. *lib. 1. vita Apost.* Niceph. *lib 2. c. 36.* atq; ita furoris & impudentiæ condignas luit pœnas; ipso etiam Icaro infelicior, quòd nec nominis sui umbram humi, qua tractus fuerat, dimisit: quando econtra:

Icarus Icariis nomine fecit aquis.

Et cur Æsculapium, quē Medicinæ auctorem vetustas stulta credidit, à vindice Deo percussum fulmine & extinctū putamus; nisi quòd ob artis medicæ prosperum successum, ultra humanum fastigium tumidus, divinos affectarit honores, imò ut Deo sibi thus adoleri voluerit ab iis, quos valetudini restituerat, tanquam ipsi nexu obnoxiis, interposito etiam jurejurando? ut videre apud Hadr. Jun. in Bataviæ historia *c. 13 fol. 168. 169* & Joh. Goropium *lib. 9. Orig. fol. 1010.*

Sed nec Manes inultam tulit detestandam illam ambitionem & impietatem. Nam

Menecrat. fastus.

ab Alexandro occisus.

Simon Stenius.

Asclepiad. mortuum vitæ reddidit.

& Apollonius.

Manes.

Simon Magus.

Æsculapius.

Supplicia de Medicis sumpta.

Nam cùm Persarum Regis filium ægrum, quem Manes vel absque Medicis quorum operâ diligenter curabatur, tamen se sanaturum fuerat pollicitus, frustra se instaurare posse asseverasset, cute detractâ, & stipulis refertâ pœnas dedit, referente Epiphanio, & Suida: non dissimile exemplo, quo Alexander Magnus, Hephæstione amico febre in M. dia absumpto, Medicum in crucem egisse legitur, apud Joh. Monach. *in vita Alexand.* quem videri potest imitari voluisse Petrus Medices, dum Leonem Medicum doctum magis quàm fortunatum, in puteum præcipitavit, quòd Laurentium patrem cum fiducia curandum susceperat, & mentitus illicò Deo expensam ferebat, quòd secus accidisset. Eo tamen crudelior etiamnum censeri potest Austrigildis Guntranni Francorum Tetrarchæ conjunx: quæ lue infestata ac moribunda, maritum jurejurando adegit, ut duos medicos, qui fatum exorare nequiverant, morti addiceret. Stephan. Forcatulus *lib. 4. de Imper. & Philos. Gallor.* Cui exsecrandæ voluntati, legibus improbatæ, Rex paruit, Manes uxoris innoxio sanguine placaturus, pessimo exemplo. Sicuti enim, quod per imperitiam committit medicus, meritò præstat: prætextu enim humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines, innoxium esse non debet: ita satis inhumanum fuerit, eventum mortalitatis ei imputari, ut graviter respondit Ulpianus *in leg. illicitas. 6. §. sicuti. ff. de offic. præsid.* quandoquidem ut vulgatis habetur versiculis:

Non est in Medico semper, relevetur ut æger;

Sæpè etiam doctâ plus valet arte malũ.

Xenophon Medicus.

Dignior multò exquisitissimas suppliciorum pœnis fuerat Xenophon ille Medicus, ab Agrippina Claudii Cæsaris uxore, pretio conductus, ut porrecto veneno Maritum tolleret. Hic igitur, teste Tacito *libr. 2. Annal.* ac sic conatũ vomituri adjuvaret, pinnam veneno illitam faucibus innocuis demisit: ea prorsus fide, qua Sedechias Judæus Medicus Carolum Calvum Franciæ Regẽ Româ redeuntem, vel suæ vel alienæ malignitati obsequens, toxico sustulit, meditans equidẽ summa flagitia incipi cum periculo, perfici cum præmio. Quantò melior & ingenuior his fuit Hippoc. Cous? qui ne patriæ quidem hosti venenum, cùm posset, propinare voluit, sed ipsam potiùs medendi opem denegandam censuit. Nullis enim epistolis, nullo pretio ab Artaxerxe Persarum rege ægro allici potuit, ut vaderet medicatum; quia scilicet Artaxerxes Græcorum hostis esset, quemadmodum nec Themistocles ab eod. Artaxerxe, ad quẽ è Græcia malevolorum odio pulsus fugerat, adduci se passus est, ut ingratis Græcis Cyprum Ciliciamque jam invadentibus, (ut quidem poterat) occurreret: sed aptioris laudis verecundia ductus, quæ ex servata patria contigerat, peractis sacrificiis, & epoto taurino sanguine, fortè et veneno infuso; in Magnesia, quam illis regionem Persa donaverat, decorum vitæ imposuit finem; magis tum Regi Persico admirandas, ubi mortis modum & causam rescivit, ut est apud Plutarchum *in Themistocle.* Unde Nicias ille apud Aristophanem in ἱππεῦσ:

Sedechias Judæus.

Hippoc. in patriam pietas.

& Themistoclis.

Melius est nobis sanguinem taurinum bibere:

Themistoclis mors est sanè eligibilior.

Sed Hippocratem, ob præstitam illam, ut dixi, fidem, & egregia præterea in patriam merita, qui tam fallere, ut ait Macrobius, quam falli nesciebat, & qui ex Medica facultate, quam & Deorum statuebat munus & liberam, nullam unquam corrogavit mercedem, ut ipsemet testatur *in Epistola ad Abderitas.* Eũ, inquam,

quam,

Hippocrati qui honores habiti.

quam, Hippocratem Athenienses non tantùm Eleusinis sac. is initiatũ, municipali jure civitatis donarunt: sed& illi atq; posteris in Prytaneo alimenta, & divinos decreverunt honores. Joh. Langius *lib. 2. epist. 2. & 3.* quod jam antea & Chironi, Machaoni, Podalyrio, aliisq; obtigerat: quos divinis cultos fuisse honorib. compertissimum est: ob artis credo utilitatem & præstantiam cujus quandoq; exercendæ ne ipsum quidem Archangelum Raphaelem puduisse, Hebraica traditum est veritate. *Tob. 6. v. 8. & cap 12. v. 14.* Et eximia medicæ artis laude extollit Ludovic. Cœl. Rhodig. *lib 29. lectio, antiq. c. 11.* ut proinde mirum minus sit, Reges etiamnum præclaros appellationem ejusmodi non reformitasse: cujusmodi fuerunt Sabor & Ginges Medorum, Sabiel Arabũ, Mithridates Persarum & Ægyptiorum Hermes, ac Damasceni regis nepos Mesues. Nam & Cordubæ principem quidam putant Avicennam. Et scienter profectò dicitur, sanitatis authorem esse Deum, Dei instrumentum esse Naturam, sed utriusq; ministrum dici Medicum: quem ob id honorandũ putavit Salomon, quòd altissimus cum creaverit ad sublevandam necessitatem; vel ad sustentandam humanæ fragilitatis indigentiam, ut Cassiodorus scripsit, *lib. 6. Epist.* Quod tamen nequaquam de Agyrtis & circumforaneis illis accipiendum erit Impostoribus: qui citra judicium, & cùm linguarum & artium, tùm verò etiam Philosophiæ, quam ne quidem *ut Canis è Nilo bibens*, degustârunt, prorsus ignari, ignota Pharmaca ægrotis propinant, & sæpenumerò etiam caprinum stercus pro pilulis deglutinendum persuadent; hominem vitam suâ ignorantiâ non tantùm in discrimen adducentes, sed etiam certo exitio dantes: nihil magis soliciti, quàm ut ipsi solummodò rem faciant quod genus Medicorum, medicinam fame exercentium (qualis fuit & Thessalus) Gallenus *Diatritarios* vocat & damnat, referente Hieronymo Mercuriali *lib. 4. variar. lection. c. ult.* Similesque videri possunt Æschini illi Socratico: qui dum paterna prodegisset bona, jam alieno ære & Danistarum fœnore subæratus, ut Trapezitis versuram solveret, μυρεψικῇ id est, unguentorum confectione ditescere voluit. Qui quid faciunt aliud, quam quod imperiti σκυτοτόμοι. Calceolarii solent? qui ut uno calopodio omnium pedes vestiunt: sic hi una hydrargyri unctione aut Cinaberis, argenti vivi sobolis fumo, omnes indiscriminatim morbos curare se posse nugantur, & vel apud Principes quoq; summa cum ostentatione & lucro profitentur; pecunia interim credulos & imperitos emungentes, non secus atq; apud Athenæum Hermeus myropola anum illam septuagenariam: cujus rugas cum variis & odoriferis ex marathro, malobathro & nardi spica unguentis quotide illineret; anum deliram unà cum marito & liberis ad médicorum inopiam redegit: haud quidquam probior illo apud Æsopum Medico, lippitudine manus curare professo quidẽ; at dum collyrio oculos ejus delibuto obligaret, indies aliquid de supellectili secum asportante, vel eo compellente ægrum, ut ad avertendum oculorum amittendorum periculum adversa medicamenta illatum possessiones ei suas contra fidem bonam venderet. Quod itidem ex Æsopi, fabulatoris illius egregii, quem certatim linguæ utriusque monumenta celebrant, venustatis lepidissimæ & documenti non contemnendi apologo (ut cum Ludov. Cœlio Rhodig. loquar *lib. 29. lect. antiq c. 9.*) retulisse videtur Ulpianus *in l. 3. ff. de var. & extraord. cognit.* Et quis dubitet, Medicos ejusmodi impostores, ipsis etiam prædonibus longè nocentiores esse: cum hi pecu-

ut & aliis Medicis.

Qui honorandi.

Agyrtæ non item.

Diatritarii.

Æschines Socraticus.

Hermeus.

Ægyrta prædonib. nocentiores.

pecuniam tantùm viatoribus, nec impunè tamen, adimant: at illis, cùm vitam & pecuniam ægris eripuerint, etiam mercede gratia referatur, qui, ut cum Sidonio Apollinari loquar, parum docti & satis seduli lãguidos multos officiosissimè occidunt *lib. 2. Ep. 12.* Sedulitatem quidem & eruditionem in Medico requirit Cornelius Celsus *lib. 3. cap 4.* Ast sedulitas sine doctrina magis nocet quàm proficit. Author libelli *de Morbus Medicor. c. 1.*

Ignavi Medici demit Medicina salutem
Dum prodesse putat, semper obesse solet.

Ignavi Medici impune occidunt.

Atq; ita sedulo & officiose ignavi Medici ægrotantes occidunt. Hinc Largus Medicus *ad C. Iul. Cæsarem.* Quid possum ultra dicere, nisi genere quodam parricidium eos committere? Plinius *lib. 29. cap 1.* discunt periculis nostris & experimento per mortes agunt, Medicoque tantum hominem occidisse, summa impunitas est. Hinc inter eos, qui sanguine vivunt, Medicos enumerat Arthemidorus *lib. 1. c. 63.* Homicidii quippe crimen est, hominis salute peccare, ut est apud Cassiod. *lib. 6. Ep. 19.* Cumq; nulla lex esset, quæ puniret inscitiam capitalem, & medicis impune liceret occidere; pœna tandem capitalis in eos promulgata est, qui imperitia homicidiũ admisissent, ut ex Paulo *libr. 5. sentent tit. 25. in fin. & L. illicitas. 6. §. sicuti de offic. præs.* & aliis locis probat Savaro ad Apollin. *d. Ep. 12.*

Ignorantia Arrogantia mixta.

Jam si magna illa ignorãtia ẽt arrogãtiæ fuerit permixta, tum vero vitiũ id ineluibile existimavit Gal. *lib. 3. Therap. sive Method.* & reperire sane est medicos, qui ita sæpè suis formulis ægrotos alligant, ut ab eorum præscripto superstitiose pendere pœna sit ipso morbo acerbior. Francis: Juretus ad Symmach. *Ep. 39. lib. 3.* Ut plurimum tamen Arrogãtes illos sciolos de remediis suis perpetuò gloriari audias: videas etiam quantoperè incessus gravitate, annulorum ostentatione, & vestium fastu ignorantiam suam tegere satagant, quam ut fateantur, tantum abest, ut vel vadimoniũ deserere minoris æstiment. Quibus rectè cum Favorino dixeris: pallium & barbam video. Medicum Philosophum non video. Multi etiam solius urinæ indicio freti, domi ceu Alexandriæ Medici desides in solio, ut Sacerdos Apollinis ex tripode; aut ut anus fatidica ex crystallo, non viso ægro, sed tantum inspecto lotii vitro, bone Deus! quam ambiguè, quam perplexè de ægrotãtis morbo, salute & morte pronuntiare, & perfricta fronte ob vile lucrum, quo scortum non mereret, nugari non erubescunt. Adeò Ignorantiâ nihil doctius & audacius! Siquidem quò quis imperitior, eò etiam plus in rebus arduis sibi confidere & arrogare audet. Memorabile autem in primis est, quod à Johanne Langio, Medico doctissimo & festivissimo relatum video: Judæum scilicet pharmacopœum quendam, ante Myropolium statuisse sculptile Morionis idolum, versicolore veste, rubro capitis galero ornatum: qui dextrâ manu exsertâ matulam vitream, diductis labris subridens, ut Moriones assolent, Spectatoribus ostentare videbatur. Rogatum verò pharmacopolam, quid hoc insolens Morionis simulachrum portenderet? respondisse: Se à parente avoque Medicis accepisse, Medicos, qui ex solo fallacis urinæ indicio discernere morbi naturam, & locum affectũ coronarentur, hos esse Morioni huic similimos, qui temerarium illorum de morborum caussis ex lotio indicium irrideret. Quis verò non indoctos hujus farinæ Medicos & Agyrtas è Civitatib. cum Platone & Hippocrate censibit expellendos? Neque enim impostorum, sed fati ope homines consenescunt: pluresque Medicorum imperitiâ occumbere sæpius nostro malo experimur, quàm valetudini speratæ restitui:

Lotii spectatores.

Morionis simulachrũ.

Pancirol. lib. 2.

ſtitui: ut graviter cenſuit Leopoldus Diclcius in Oeconomia proceſſus Judicii Ordinarii. *Tit. de Procuratoribus.* quibus adde, quæ de Inſcitia & arrogantia Agyrtarum id genus ſcripta reliquit Joh. Langinus *Epiſt. Medicin. lib. 1. Epiſt. 2. 11. 32. 37. 72. & lib. 2. Ep. 41. & lib. 3. paſſim.* unde pleraque hæc à nobis deſumta minimè diffiteor. His rectè adnumerandi erunt ludiones ſive circulatores illi, Italis Ciarlatani dicti, quaſi Cerretani, qui à Cereto Umbriæ oppido: cujus incolæ *Ceretani* totum orbem vano ac turpi ſuperſtitionis genere ludificari dicuntur, quorum originem, medendi rationem, inſtituta, & fraudes, prolixè exponit Scipio Mercurii Philoſophus, Medicus & Civis Romanus *lib. 4. de gli errori populari d' Italia cap. 1. & 2. cum ſeqq.*

Ciarlatani.

Verum de ligni Guajaci qualitate & facultatibus conſulendi erunt, Nicol. Monardis *lib. ſimpl. Medicament. ex Novo Orbe delator. c. de Guajac.* quem librum Carolus Cluſius ex Hiſpanico ſermone in latinum tranſtulit. Andreas Matthiolus *lib. 1. cap. 111. in comment. in Dioſcor.* Nicolaus Maſſa Venetus *in lib. de morbo Gallico, tractat 3. cap 2.* Aloyſius Lobera Abulanus *cap. 4.* Alphonſus Ferrus Neapolitanus *lib. 1. de ligno ſancto non permiſcendo, in præfat.* Gabriel Fallopius Mutinenſis, *tract. de morbo Gallico, c. 39. 40. 41. 44.* Et Hieronymus Capivaccius *lib. de lue venerea, cap. 8.* Nunc de China, ſeu radice Chinæ videamus.

Radix Chinæ.

Radix China, à vaſtiſſima Chinarũ regione, in qua naſcitur, ob excellentiam *China* plerumq; dicitur: aliis *Chinna*, quibusdam *Cina*, nonnullis *Echina & Achina*: Indigenis *Lampatan*; in Decan *Lampaos*, in Canarin *Bonſi*: ab Arabibus, Perſis & Turcis *Chophchina* nũcupatur. Hæc anno primum 1535. gentibus Indiæ innotuit, antea ignota, quòd tum morbus Gallicus ligno Guajaco curaretur. quo ex Hiſpaniarum India allato, aurum contrà non carum erat: at radicis hujus ſucceſſione id eviluit, Johan. Linſchoten *in deſcript. Navigat. in Orientem. cap 77.* atq; uſus ejus ex India exſulari cœpit; tanquã Hiſpanus quidem qui Indigenas fame enecare vellet, ut ſcripſit Garzias ab Horto *lib. 1. hiſtor. Aromat. & ſimplic. Medicament. apud Indos naſcent. cap. 38.* Id qua ratione factum ſit, mihi quidem indagare non eſt integrum. Nam quòd China in morbi Gallici curatione vi & poteſtate Guajacum ſuperare quibusd. imputatur, id uti ſine ratione dictum, ita & experientiæ minus conſonum eſſe; proindeque illos toto cœlo aberraſſe, ſcripſit Bernhardinus Tomitanus *libr. 2. de morbo Gallico, cap. 16.* Radicis illius plantam trium aut quatuor palmarum altitudine aſſurgere dicunt, cauliculis tenuibus, qui raris foliis cinguntur (mali Aſſyrii ſimilitudine) ſuoque amplexu hederæ modo proximas arbores ſcandunt. Ideoque qui hanc ſerere ſive plantare velit, commodiſſimè id cum juxta arbores facturum monent. Radicem ajunt habere palmi longitudine, interdum craſſam, interdum tenuẽ: quæ recens eruta adeò tenella ſit, ut cruda aut elixa mandi poſſit. Chinenſes enim hac adhuc tenera cum carne elixa veſci, velut apud nos napis & rapis cum carnibus elixis veſcitur vulgus. Hanc partim in paludibus & montibus, atque etiam mediis in ſylvis (ubi paſſim enaſcitur) effodi, Mercatorum, Nautarumque teſtimoniis comperimus. Quæ in paluſtribus litoribus, aut quorundam magnorum fluminum in mare illabentium ripis creſcit, plerumque undarum impetu proximos margines alluentium è ſolo eruitur, & in vaſtum pelagus aquarum vertiginoſo lapſu rapitur: tandemque exonerante ſeſe mari è partibus æſtuoſis in tran-

Quando innotuerit.

Chinæ deſcriptio.

Ubi naſcatur.

tranquillas, id eſt, ab aquarum vertigine in litora reiicitur. Radix iſta non admodum longa eſt, arundinis majoris radici ſimilis, valdé tamen nodoſa, tuberoſa, inæqualis, & in varia fruſta, quando ad nos pervenit, diſrupta, nullius ſaporis, nec odoris. Quæ in maris litaribus legitur, rubeſcit magis, & cocta magis quam cruda; quæ è ſolo eruitur, & illota ad nos tranſporatur, minùs. Quæ paluſtrium & uliginoſorum locorum eſt indigena, craſſior, fungoſa magis, & levior exſiſtit: quæ apricorum & montium, ut magis tuberoſa, geniculata, compactaque, durior & ponderoſior; ita ſuam integritatem tuetur diutius.

eius Delectus. Deligenda eſt autem Radix ponderoſa recens, firma, quæ neque teredinem, neque cariem ſenſerit; nec inter ſecandum pulverulenta: quæ foris ſubruffa ſit, internè colore albicanti. Hæc enim ut rubore decoctum plenius tingit, ita & efficientia præcellit. Quòd verò Radix iſta vix unquam viribus integris. ſed ferè ſemper emarcida & carioſa, è Chinarum regione ad nos invehitur: (nam è centum radicibus vix quatuor bonas reperiri, Fallopius ait: cum ea ſit Mercatorum verſutia, ut ad occultandum cariem & teredinem, Chinam perinde vulgari Officinarum bolo Armeno involvant, ac Zinziber emblaſticâ illâ terrâ obduci novimus, quòd rubeſcens in Officinis, ac potiſſimum Antuerpianis proſtat, ut Matthiolus tradidit:) Ejus in quam rei cauſſa eſt, non tam locorum diſtantia, qua disjungimur, quàm cœli plaga atque tractus torridus: quo Mercatoribus & Nautis non modò navigationibus remigandum, ſed ſæpè aut commeatus reparandi, aut aquationis gratia, aut ob tempeſtatem adverſam ibi commorandum. Ideoque tolerandus eſt immenſus fervor ejùs ſpatii, quod inter duos Tropicos jacet: Ubi neceſſum eſt, quicquid in ea radice humoris reſtiterit, ſummo ardore atq; æſtu retorreri & exſuccum reddi. Julius Palmarius *lib. 1. de lue Venerea, cap. 14.* Jam cùm duobus his vitiis plerumq; laborare ſoleat id genus Radicum: 1. quod ſpongioſæ ſint & leves. 2. quod ſint exeſæ à carie: Semper eligenda erit illa, quæ exeſa eſt, dummodo ſit ponderoſa. Nam ejus, quæ levis eſt, decoctum putreſcit: & nec ullam vim habet, nec quidquam emolumenti ægro confert: ut Fallopius monuit *in tract. de morbo Gallico, cap. 62.* quem etiam Lector, ſi de vi & poteſtate Chinæ edoceri cupias, pariterque Nicolaum Monardis, Chriſtoph. à Coſta. Hieronymum Capivaccium, Bernhardinum Tomidanum, Julianum Palmarium, Andream Matthiolum, (in epiſt. de Radice Chinæ) & Garziam ab Horto, adire poteris. Illud tamen ex Garzia hìc adjecero: Solere eos, qui Radicis hujus decocto utuntur, mulierum conſpectu vehementer ad libidinem accendi: Ideoque conſultum videri, ut per curæ tempus nullæ ad ægros mulieres admittantur. quandoquidem ab harum cõmercio, & Venerea præſertim colluctatione, Miſellis illis planè tum ſit abſtinendum, ut Joh. Hugo à Linſchoten monuit, *cap. 77.*

Sarzaparilla. Sequitur nunc, ut de Sarſa parilla videamus. Sarſam parillam Medici cum dicunt, ſemper radicem ejus intelligunt, quandoquidem radix tantùm ad nos perferatur. quo fit, ut plantam illam paucis videre contigerit. Deſcribitur tamen à Nicolao Monardis, quòd ſit planta multis radicibus nitens, duos cubitos aut eo amplius longis colore cinereo dilutiore: quæ interdum tam altè demittuntur, ut qui integras volet eruere, ei profunda foſſione opus ſit; ramis nodoſis & lignoſis, qui facilè deſiccantur. Floreſne an fructum proferat, ignoratur. Sunt qui hanc

Spartam parillam vocent, ut Vesalius, quasi parvum morum dicas: sed manifesto errore: cum nec specie, nec virib. cum parvo moro ullam habeat, affinitatem. Alii illam nominãt *Salsam parillam*, imperiti nimirum linguæ Hispanicæ: quæ Sarzam parillam eam appellandam esse hortatur. quod nomen, cùm primùm eam Hispani in India conspicati sunt, indiderunt. propter cognationem scilicet, & similitudinem quam cum Smilace aspera, planta spinosa, & hederæ folia ferente habere videtur, & Hispanis Sarza parilla dicitur: quibus *Sarza* dumum sive spinas; *parilla* viticulam significat: ut ita Sarzam parillam idiomate illo spinosam vitem, vel rubum viticulam rectè dixeris. Quæ nomenclaturæ ratio in caussa est, ut Matthiolus Sarzam parillam dixerit, aut asperam Smilacem esse, aut plantam illi viribus & facie congenerem. Certè Lucas Chinus medicus clarissimus, & rei plantariæ peritissimus, palàm affirmat, se vidisse apud Florentiæ Ducem Sarzæ Parillæ plantam integram ex Hispania allatam; quæ omnibus suis partibus ac notis nihil ab aspera smilace differebat. Imò nihil aliud hanc plantam esse cẽsebat, quàm genuinam smilacem asperam. Id quod paulò pòst experimento deprehendit. Siquidem erutis asperæ smilacis radicibus earum decocto plures curavit morbo Gallico affectos; referente Matthiol. *in lib. 1. Dioscoridis cap. 111.* Idque præter Nicolaum Monardis etiam Gabriel Fallopius testatur, quem Melchior Guilandinus non nisi totius Italiæ publico, summoque honore à se nominari ait. Nullum enim unquam Chirurgũ hoc ipso Italiam produxisse omnibus animi ingeniique dotibus absolutiorem: & si ad laudem facit, Hydroeremasto Taurino tanto majorẽ, quanto minùs verecundum est, velle docere, quod non didiceris; ac Spartam, quam sis nactus, impotenter ornare. Is, inquam, Fallopius idem testatur *in tract. de morbo Gallico, cap. 63.* ubi experientia se cognovisse ait, Radicem Sarzæ esse radicem asperæ smilacis: quia eandẽ habeat materiam, easdem notas, & eandem efficaciam. Semper enim (ait) cum felici successu eâ, loco Sarzæ pariglıæ (ita namque hanc vocant Itali) in lue Gallica usus sum. Nec obstat radicum differentia, quòd Indica non æque spinosa, adeò secundum corticem lenis sit, atque smilacis asperæ radix: sed rugosa secundum longũ & aspera, ut Alexander Trajanus Petronius scripsit *lib. 5. de morbo Gallico, cap. 1.* quod ipsum & Fallopius agnoscit, dum Indicam habere dicit radices majores, crassiores, carnosiores; Nostram verò breviora capillamenta. quibus accedit, quòd Indica in solo arenoso nascatur; nostra in saxo, & cum non multum alatur, fiat tenuior Hæc, inquam, radicum differentia, ex Matthioli sententia non obstat: quando quidem, ut Theophrastus autor est, loci à locis differunt: & sæpè climatũ, cœli, solique varietate differunt cùm forma, tùm sapore, & odore plantarum radices: quanquam in utraque illa radice eundem saporem, eundem corticẽ, eandem medullam, & facultatem, imò nostra enim vivaciorem esse idem Fallopius affirmet.

Cuius denominatio.

Lucas Chinus.

An Sarza eadem sit, quæ smilax aspera.

Gabr. Fallopius.

Translata est hæc radix primùm ex Hispania nova. At multò meliorem & efficaciorem protulit provincia *Horduras* sive Perû quæ à superiore in hoc differt, quòd illa candidior est, ad pallorem tendens, & gracilior, hæc verò cinerea nigrior atque crassior. Nunc ex provincia *Quito* cœpit inferri, copiosè, nascens in vicinis urbi *Guajaquil* locis ad flumen ejusdem nominis maximum, quod ex montibus Peruanis originem sumens, ab Oriente in Occidẽtem vergit, & in Oceanum (quem

Sarzæ natales.

Guancavilica edentuli.

d.l Sur vocant) circa portum veterem labitur. Guancavilcæ vocātur ejus regionis incolæ, & edentuli sunt: quoniam pro more habent, ut sibi dentes eximant, quos suis idolis offerant, asserentes nimirum optima quæq; eis offerri debere: hominem autem dentibus nihil habere præstantius, nihil magis necessarium.

Fluminis ejus Guajaquilaqua admodum salubris, & multos morbos curare dicitur: eamq; ob causam plusquàm sexcentis miliaribus ad eam concurritur, ab Indis & Hispanis: qui multoties eâ aquâ se abluendo, & magnam ejus quantitatem sæpius hauriendo, mane plurimum urinæ excernunt, & valdè sudant, & consequenter morbis liberantur: eodem ferè modo ejus aquā utentes, sicuti in balneis Lucensibus, Puteolanis, & fonte illo celebri apud Leodios fieri solet. Sunt qui putant ab hujus fluminis aqua Sarzam parillam. Guajaquilanam facultates suas mutuare. Ea est colore ex cinereo nigricante, majoribusq; & crassioribus radicibus constat, quàm ea quæ ex Honduras adfertur: atq; interdum tam longis, ut altitudine humana fodiendum sit, antequā erui possint, quod videre est apud Nicol. Monardis.

Sarzæ genera.

Fallopius quoq; duo Radicis hujus genera recenset. Unum, quod habet corticem planum, pinguem & crassum; Alterum, quod habet corticem tenuem & siccatum. Utrumq; bonum est, dummodo non adsit in exteriori superficie præter modum nigredo. Et quanto longiora habet capillamenta, tanto est præstantius: dummodò album sit, non exsiccatum, ut palea.

Descriptio.

Communiter autem Radix ista multas de se fibras, perinde atq; Elleborus, promit, & per terram longè adeo lateq; dispersas, ut sæpè sex cubitorum longitudinem superent; & complicatæ in fasciculum assurgunt, trium quatuorvé librarum pondere: ut est apud Jul. Palmarium. Fasciculum illum Fallopius tuberculum videtur appellare, variis in locis prolatum, ex quo erumpant capillares radices infinitæ, fibrosæ, & longissimæ. Radices autem vel capillamenta aliqua tenuia, aliquando etiam crassa ait existere; alba intus percurrēte fibrâ nervosâ & durâ, quæ anima vocatur. Cortex durus est, ita ut videatur veluti caro concreta circa medullam. Estq; hæc radix cùm odoris expers, tùm insipida, ita parvum habens amarorem, ut vix sentiatur.

Delectus.

Deligenda est recentior, alba, lenta, & crassa, fractu contumax, quæq; assulatim frangitur. Nam rubra, emarcida, cariosa, squalida, pulverulenta, cùm frangitur, penè inutilis existimatur. Mala etiam est, quæ habet colorem intus subluteum, & in qua veluti vermium vestigia apparent, & quæ tanquam exesa est. Rufa reddit decoctum subrubrum, & Chinæ decocto paulò obscurius ac conturbatius. Alba verò multò limpidius. qua de re, ut & viribus Sarzæ parillæ, videri poterunt Nicolaus Monardis, *in histor. simpl. Medic. ex novo orbe delator.* Andreas Matthiolus *in comment. lib. 1. Dioscorid. c. 111.* Jul. Palmarius Constantinus, Medicus Parisiensis *lib. 1. de lue Venerea, cap. 15.* & Hieronymus Capivaccius, *cap 8.* Antonius Francantianus, *lib. de morbo Gallico.* Gabriel Fallopius *c. 63. & 68.* Alex. Traj. *lib. 5. c. 11.* Carolus Clusius *in annotationib ad Garziam ab Horto, c. 38.*

Sassafras.

Reliquum est, ut de *Ligno Sassafras* dicamus. Ejus apud Nicolaum Monardis hæc exstat descriptio: quòd Arbor ea Indis *Pavame*, Gallis (quos & Hispani imitati sunt) *Sassafras* dicatur. Est autem magna pini mediocris magnitudine & forma (tametsi etiam minores inveniantur (unico trunco nudo, ramis in cacumine ex-

Eius descriptio.

pansis, ut pinus repurgata: cortice, quem integit tenuis cinerea quædam pellis, ex cinereo nigricante, gustu, aliquantulum acri, sed aromatico, nonnihil ad feniculi saporem tendente, odorato, ita ut pauca ejus quantitas cubiculum suo odore impleat: materie trunci & ramorum alba, ad cinereum colorem tendente, non adeò aromatici saporis, ut cortex: folio ficulneo in tres angulos desinente, novello verò folio pyri folium æmulante; sed quod vestigia angulorum habeat, semper virente, hoc est, foliis novellis semper eis, quæ decidunt, succedentibus, colore viridi obscuriore, odorato, præsertim si siccum sit. An florem fructumve ferat, incertum. Radicibus nunc crassis, nunc tenuibus, pro arborum magnitudine, levibus, sed non adeò uti lignum, per summos terræ cespites expăsis, ut facilè evelli possint, quod ferè commune est omnibus arboribus Indicis. Imò referunt, Hispanicas arbores eò delatas: steriles fieri, nisi in superficie terræ plantentur. Cortex radici firmiùs inhæret cinereus, ipsiusque arboris cortice magis aromaticus: ideoque radicis decoctum odoratius & præstantius est, & ab Hispanis isthic usurpatur.

Natalis.

Nascitur in Florida nobi orbis provincia, quæ 25. graduum altitudine polũ habet: & quidem in maritimis & locis temperatis, hoc est, neq; nimium siccis, neq; nimium humidis, ut in portubus *S. Helena, & S. Matthæi.* Nam alibi per universam Floridam haud facilè invenies. Istic verò sunt integræ sylvæ, quæ ob suavissimum, quem spirant, odorem, ab Hispanis primum eò venientibus, arborum canellæ esse existimabantur. Nec immeritò Nam adeò odoratus & acris hujus arboris, atque Cancellæ cortex, & eosdem effectus præbet ejus decoctum, quos Canella.

Delectus.

Omnium optima est Radix: deindè rami: tertiò truncus: sed cortex omnibus præfertur. Indi etiam recentia folia trita vulneribus imponunt, & sicca in alios medicos usus reservant.

Commendatus ejus decoctum in omni morborum genere, præsertim verò in obstructionibus & partibus internis roborandis: ad tertianas & febres antiquas. Commodè ex Saccharo propinatur deflexione laborantibus, asthmate, pectoris vitiis ex frigiditate provenientibus; & consequenter doloribus nephriticis & renum; è quibus calculum ejicit, & flatus discutit, quam etiam ob caussam uterum ad conceptionem præparat, & menses provocat. Vomitus cohibet, concoctionem juvat, alvumque subducit. Illius fragmentum assidue gestare & odorari maximè prodest, adversus pestis contagia, præsertim non neglectis aliis remediis. Denique ob ingentem siccitatem, & moderatum calorem, est remedium excellẽs ad omnis generis defluxiões, quoniam eas absumit: Sed iis quis extenuati " sunt, non convenit. Singulari experimen- " to probatum est, hujus decoctum propi- " natum utilissimum iis fuisse, qui pedes & " manus ex podagra sic contortas habe- " bant, ut illis uti non possent. Ad luem item veneream non minus utile, quam aqua Gujaci aut Chinæ. Ligni fragmentum præmansum eo dente qui dolet, & istic retentum, dolorem sedat. His addantur, quæ eodem de ligno scriptis prodidit Hieronymus Capivaccius *libro de lue Venerea cap. 8.*

Ficus.

4. Ait Pancirollus: *Ficus & Nuces Indica* (Etsi ficus Indicæ multiplices sunt, modò crassiore, modò tenuiore formâ, diversis præstantiæ notis: eadem tamen omnibus imago, ac color idem, arborq; ipsa eodem modo viri staturam æquat. Folia (in quorum medio crassior, quo dividun-

videntur, nervus existit) habet ulnæ magnitudine; tres dotrantes lata. quib. Turcæ pro charta bibula utuntur ad cucullos. Lignum arbor non habet, sed similitudine arundinis truncum. Quod senescente arbore exteriorem corticis partem tegit, in modum cribri ex pilo facti figuratur, aspectu tamen crassius aliquantò. introrsum eadem folia cucullata ac clausa apparent, in medii hominis altitudinem: tum explicant sese, ac per vices excrescunt ita, ut vetera à recentioribus successione quadam expellantur, donec arbor justo incremento steterit, fructumque maturum protulerit. Inter folia ex arbore surgentia flos nascitur, (contra naturam nostratium ficuũ: in quibus lac est, quod in aliis arboribus flos. Inde enim ficus Macrobio non florere, sed lactere dicuntur, *libro 3. Saturnal. cap. 20.* magnitudine ovi Struthionis, colore purpureo: ex eo longiore incremento ramus prodit, non ligni quidem materiâ, sed caulis brassicæ, ficus coacervatas abundè proferens. primò quidem fabarũ formam habent, cùm adhuc volvulis includuntur magnitudine medii palmi, pollices tres aut quatuor latæ, cucumeris crassitiem nanciscuntur. Ramus hìc ferè semper centum ficus habet, plus minusve, quæ ut uvæ in nodum cogũtur. Racemi inde quidam ita magni, ut duorum virorum baculo bajulantium onus impleant. quo fit, ut ficus istæ *centuplices* dici fortasse possint rectiùs, quam duplex illa ficus apud Horat. *lib. 2. Satyr. 2. Et Nux ornabat mẽsam cũ duplice ficu.* quo tamen loco Adrian. Turnebus putat ficum significari majorẽ, ut quæ *Marisca* vocabatur. Quemadmodum enim Virgil. cùm crassum dorsum dentalis exposcit, *1 Georgic.*

Ficus lactent, non florent.

Ficus duplex quid Horatio.

—duplicis dentalia dorsi,

scribit: & rursus latam spinam equi demonstraturus, *Georg. 3.* ait:

—duplex agitur per lumbos spina.

ita & *duplicem ficum* ab Horatio appellari suspicatur, quæ major est & uberior, quæque formæ amplioris est. Marisca autem ficus erat vilior, & saporis fatui. Unde Martial. *lib. 7. Epig. 24.*

Infant melimela dato, fatuasq; Mariscas,

ut ostendat Horat. vilioribus tum bellariis, in cœna præsertim frugaliori, explicatam fuisse mensam secundam. Turneb. *lib. 13. Advers. c. 1.* Inter bellaria autem ẽt ficus fuisse appositas, Guliel. Stuckius docuit, *Antiquit. convivial. lib. 2. cap. 2. de Mensis secund.* quibus omnino addenda sunt, quæ de Ficuum natura, viribus & usu scriptis prodiderunt, Josephus Quercetanus in Diætetico & Polystorico *Sect. 3. c. 3.* & Johannes Bruerinus in Dipnolophia *libr. 11. cap. 37.*

Indicæ ficus fructus nondum plane maturi scinduntur: cùm inter viriditatem & flavedinem etiamnum hærent: tum alibi à trabe suspẽsi, intra quatuor aut quinque dies commodè maturescunt. Arbor sive planta unicum tantùm racemum fert, quæ mox tota detruncatur, ac mensis spatio justis denuò incremẽtis adolescit, & fructum toto anno ita perpetuum fert, tantâ abundantiâ, ut communiter Indis in cibi usus serviat, gustu sanè bono. Morsu enim farinam & butyrum dulci mixtione repræsentat, panis & lacticinii vicem præstãtes, simplici victu, quo corpus hominis absque alio cibo facilè posset sustentari: quemadmodum & in India multi sunt, quibus toto vitæ tempore particularis cibus ex ficu est. Id quod nemini novum videri debet, cùm & vulgaris ficus alimentis adeò idonea fuerit habita, ut non desint, qui eam Cereris donum dictitârint, & pro alimoniæ symbolo susceperint.

Fic. Indis pro cibo.

Quantum enim ficus humanæ prosit alimoniæ, vel ex eo manifestum esse potest,

test, quòd Athletas siccis ficubus pascere moris fuerit, auctore Plinio. Experimento quippe cõpertum est, eo cibo frequentius sumpto, corpora & vires mirum in modum adaugeri, ut est apud Joh. Pieriũ, *lib. 53 Hieroglyph tit. de Ficu.* ad quod comprobandum, & ostendendam singularem ficuum nutriendi vim atq; præstantiam, princeps Medicorum Galenus vinearum custodes inducit, quos solo cibatu ficuum & uvarum cum pane, obesiores fieri constat: sed postea cum finis mandendi fuerit, molem illam corporis facilè collabi atq; detumescere dicunt. Ipsemet etiam *Galenus*, quanquam ut salubrem vitam degeret, ab omni fugaci pomo abstinuit exactè tamen maturis ficubus atque uvis perhibetur usus, ut quæ minus inutilia esse existimaret. Atque horum usu ita oblectatus fuisse memoratur *Plato*, ut & φιλόσυκος & φιλόσταφυλος (quasi tu ficuum & uvarum amatorem dicas) fuerit cognominatus, ut est apud Joh. Bruyerinum *l. 11. de re cibaria c. 37.* & Joseph. Quercetan. *in diætet. polyhistor sect. 3. c. 3.* Porro Naxii Dionysium μειλίχιον cognominant, quod ficorum poma invenerit ac dederit, μειλίχας enim ficus illi vocant. Unde apud eos Bacchi Dionysii simulachrum ex vite erat; Milesii verò *ficulneum*. Quod rectè etiam *ficulnum* dixeris. Utrumque enim apud Scriptores in usu esse, Beroaldus monet *lib. 8. Miles. Apul.* quorum authoritatem pluris apud se esse dicit, quam prærancidas Grammaticorum observationes. Et ex his ipsum Nicol. Perottum, ignorantia Latinæ linguæ id accidere existimantem se valde refellere posse ait, nisi id consilii jam pridem sibi probaretur, *parcendum esse caninæ facundiæ, neque versus mortuos stilum esse stringendum.* Quandoquidem mortuos vexare idem Platoni visum fuerit, quod more canum lapides impetere *libr. 5. de Repub.* & cum mortuis contendere, quid aliud esse censet, quam ut in veteri verbo est, cum larvis vis luctari? Quanto rectius Ovidius.

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit.
Tũc suus ex merito quemq; tuetur honos.

Ficus & uvæ quam bene nutriant.

Appetita à Galeno.

à Platone

à Baccho.

Mortui non lacessendi.

Ficuum autem Indicarum in eduliis usurpandarum modos varios videre est apud Johannem Hugonem à Linschoten, *in navigat. in Indiam Oriẽtal. cap. 55.* ubi etiam has in omnibus Indiæ atque Orientis locis reperiri scribit: uti etiam in Arabia, itemque Hierosolymis, Damasci, Cayri, &c. ut persuasum inde quibusdam sit, primum generis nostri parentem Adamũ, ex hoc genere fructuum cum peccato gustasse. A qua sententia ne ipse quidem Irenæus atque Tertullianus admodum abhorruisse videtur, si Pierio credimus, in eo, quem jam dixi, libro ita scribenti: Hujus generis (loquimur autem de ficu) fuisse prædicant Adami pomum, contra ipsius Dei præceptum nimis expetitum. Id enim delectationem & voluptatem, quæ sensu percipitur, significasse plerique Theologorum docuerant. Nihil enim mentem nostram è tranquilla Paradisi statione faciliùs exturbat, quàm nimia voluptatũ consectatio. Adamus tamen suæ prævaricationis amaritudine exacerbatus, fici foliis semet velare, pudoremq; obtegere properavit. Ficum enim fuisse, tradit Irenæus. Tertullianus autẽ ea super re ait. *quod in novo corpore indebitum adhuc pudori erat, protegere festinans, ficulneis foliis interim circumdat.* Ad hoc addit Irenæus, non alterius arboris aut herbæ, quæ molliori tractu esset: ad indicandum pœnitentiæ duritiem atq; cruciatum, propter scabritiem scilicet & asperitatẽ, qua folium hujusmodi est præditum. Atq; eò allusit illo in Ficum epigr.

Labe mala infamis, quæ tabuit improba primum
Vt fama est, & mox inquinat Eva virũ.

Adam de pomo, h. e. ficu prohibita comedit.

Vnde

Unde genus gemit humanum. morte inde suborta.

Et gimit aeterno cassa juventa die.

Flora Baptista Fiora: quem doctum valde, valde accuratum, sed durum vocat Jul. Cæsar Scaliger *in Hypercrit.*

Sanè cùm in testamenti veteris historia legimus, exploratores Terræ sanctæ racemum uvarum retulisse, cui gestando vix duo homines sufficerent: posset aliquem fructus hujus indici recordatio in eam nõ immeritò deducere cogitationem; Nam talis ille Racemus exstiterit, qualem eodem more ab Indis ad domum Archiepiscopi cujusdam translatum, haud falsa illius historiæ imagine, sibi apparuisse Linschotanus scribit.

Nuces Indicæ 5. Sed à Ficu ad *Nuces Indicas* manum jam porrigamus: quæ etsi *Palmæ* etiamnum hodie dicuntur, ob cognatam fortassis naturam, quam cum Palma communem habet Nux Indica, dum citra sociam sui generis non fruticet: veræ tamen palmæ non sunt: tum quòd has nusquam in tota India reperiri, sed fructus earum ex Arabia in Indiam deferri Garzias ab Horto scripsit, qui ultra tricesimum annum Medicinam in India continenter fecisse commemoratur: tum quod experientiâ comprobatum sit, palmam, quæ passim in Asia & Africa gignitur, in India nullibi locorum pullulare; & sicubi in ea provenerit, illico tamen sterilem & infœcundam exsurgere. Ut proinde quilibet possit cognoscere, per palmas, quas Theophrastus, Arrianus, Strabo, & alii scriptores veteres nasci in India narraverunt, intelligendas esse non propriè dictas; sed quas recentior ætas *Nuces Indicas* cognominat: quarum fructum Indigenæ *Cacao* sive *Coquos* appellant. *Nucis arboris descriptio.* Est igitur arbor illa proceritatis eximiæ, in altum excurrens, palmi minoris ferè crassitie. Folia non nisi in cacumine generat, quæ se ut in dactylo dilatant: sub foliis, veluti clypeo fructus latent, juncti inter se decem subinde numero. Rarissimè enim unica nux separatim prodit. Singulæ autem ovi Struthionis magnitudinem ferè habent. Radix ipsa tenui spatio porrecta, contra fidem ferè terræ inhæret, ob inusitatam trunci proceritatem, ut ascendens oculos animumque aspicientium nimia altitudine perturbet: Verùm *Canarini*, qui Agricolæ sive hortulani Indorum sunt, arboris corticem veluti in scalarum usum scindunt ac præparant, summaque facilitate ascensu superant, etiam cum desperatione Lusitanorum, quibus id facinus terribile habetur. Tanta verò Palmarum sive Nucum harum ubiq; est copia, ut Hispaniæ ac Lusitaniæ olivas, & Bataviæ salices numero superent. Coluntur que duas ob res præcipuè: Fructuum & Vini gratiâ Fructus penè maturus, aquâ plenus est: potabili illa, dulci ac limpida, & admodum refrigerante, atque ea quidem cum copia, ut vel unica ex nuce dimidius impleatur cantharus. quæ etsi abundanter pota fuerit, nequaquam tamen est noxia, quòd & amœna, & naturæ sit commoda. Eâ tamen, si Nux arbori diu hæreat, in albumen sive nucleum coalescit. isque interior fructus, sapore nuci avellanæ similis est (unde & Guilandino *Avellana Mexicana* dicitur) *Avellana Mexicana.* dulcior tamen aliquantulum. Prior cortex interioris fructus tegumentum) quod postea in lignum durescit, Nuce ad summam maturitatem perductâ) tum mollis ac tenuis suavi gustu cum sale carduos altiles sapore propemodum repræsentat. Eodemque cortice si tecti fuerint *Coqui*, per universum orbem, corruptionis securi, vehi poterunt. fit tamen subindè diuturnitate tẽporis, ut aqua illa in pomum subflavum convertatur, sapidum valdè ac suave. *Nucum Indicarum usus.* Ex nucleo etiam Indi obsonium conficiunt, orizamque cum succo nuclei coquunt.

coquunt. Servit quoque ad oleum, quod cisternis expressum, bonitate eximia in cibum, flam̃am ac medicinam expetitur. Eadem ẽt aqua illa ad Solem mediæ horæ spacio exposita, in acetum vertitur, quo India universa utitur: hinc in vinum igne eliquatum distillatur, quod vini Rhenẽsis eliquati notas habet optimas: mox ex altera distillatione vinum cõficitur, totius Indiæ unicum, calidum sanè & efficax, q̃ tamen Indi aquæ instar poterant. Sed & arboris istius lignũ utilitatẽ præbet maximam. Nam ut alia taceantur plurima, etiam integræ ex eis fabricantur Naves, absq; ullo ferreo clavo, filis duntaxat ex iisdem *coquiis* contextæ. Nam & rudẽtes & funes inde fiunt non aliter, atque apud nos ex sparto & canabi conficiuntur: Sed illi tamen post quatuordecim minimùm dies marinis fluctibus immergendi, atq; ita aquâ salsâ conservãdi sunt: dulci quippe situm & putredinẽ contrahunt, quod picis illitu careant. Vela quoque ex foliis illis texuntur: quibus & Canarini tegularum loco utuntur, & Lusitani ad storeas ac tegmina *Pallanquinorum* sive Officialium, adversus Solem. Quin & Galeros inde conficiunt, tegumento capitis, insigni æstimatione tenuitatis expetitos, æstivo præsertim tempore, ob levitatem. Quòd cùm itaq; ex arbore ista, armamenta, merces, & victus abundè haberi possit: nemini sanè dubium esse debet, Palmarum istarum utilitatem longè esse maximam. quod pluribus pertractatum habes apud Joh. Hugon. à Linschoten *cap. 56.* & Joh. Bruerin. de re cibaria *lib. 2. cap. 5.*

Hujus rei occasione, quandoquidem nimirum dictum fuit, Nucem illam Indicam, sive avellanam Mexicanam, quam vulgus etiam Palmam vocat, palmarum instar, citra sociã sui generis non fructificare: non abs re fuerit, si de palmarum natura nonnihil hîc disseruero. Sciendũ itaque est, palmas invicem maritasi quadam copula conjungi, maresque attrahere ad se fœminas: neque has congressum, quantumcunq; adniti possint, aufugere, sed ultrò ramis ab utraque vicissim contra adosculum quodammodo exporrectis; manifesta dare mutui desiderii signa. quemadmodum eleganter refert Philostratus *in Imaginibus*. & Galenus tangit *libro 6. de locis affectis, cap. 5.* Narrat quoq; Ammianus Marcellinus *lib. 24.* non tantùm maritari palmas ipsas; sed & sexus facilè posse discerni. quin & generare fœminas seminibus illitas marium, easque amore mutuo delectari. atque hoc inde clarere, quòd contra se vicissim nutantes ne turgidis quidem flatibus avertantur. Et si ex more fœmina maris non illita fuerit semine, abortus vitio fœtus amitti intempestivos. Addit & illud: si qua fœmina, cujus arboris amore perculsa sit, ignoretur, unguento ipsius infici truncum, & arborem aliam naturaliter odoris dulcedinem concipere, hisque indiciis velut coeundi quandam prodi fidem. Solent itaque caudi palmmarii, ne fœminæ aut sterilitatis noxam incurrant, aut fructum, quem aliquando imaginatione libidinis (ut ita dicam) concipere consueverunt: ante maturitatem amittant, ita ordinare utriusque sexus palmas, ut mares eo saltem intervallo à fœminis distent: quo pulvis ventorum flatibus à foliis masculorum sublatus, in fœminarum folia incidat; idque satis ad fœcunditatem, & fructus maturitatem facere compertum est. Sed mirum dictu, quòd si qua procul à mare abstiterit, ut neque pulvis, neque aura, odorve ejus ad eam permeare possit: excogitaverunt coloni funem à mare religatum ad fœminam usque producere, atque ita quasi maritali vinculo copulatam, masculi virtute clanculum funem irrepente, fœcundam fieri,

Palmarum maritalis affectio.

fieri, quæ prius in ea sterilescebat solitudine. Diophanes quoque auctor Græcus Florentinum citat, de palmæ amore *in Georgicis* ita differentem: Palma, inquit, amat, & quidem ardenter alteram palmam: neque priùs desiderium in ea cessat donec ipsam amasiam cōsociari contingat. Videre est, ipsam arborem incurvatam, & non ferentem proprium pedamentum, neque fructum producentem. Atq; hoc ipsum agricolam non latet, novit enim, quòd amet; quàm verò amet, ignorat. Quapropter multas palmas contingens, rursusque ad amantem regrediens, eamque manu attingens, quasi osculum mutuò ministrare videtur. Quam verò ipsa desiderer, affectionum, & si ita dicere licet, manuum nutu aliquo modo significat: ad illam enim respicit, & in illam ex toto se amanter injicit, eamque quasi amplectitur. Medela igitur amoris est, ut agricola frequenter masculam contingat, & manus suas amanti admoveat: & maximè ut flores ex spatha masculæ decerpens, in caput amantis imponat, ac veluti expetiti concubitus gratiam faciat: hoc namque modo amorem mitigat, & palma ipsa exhilarata de cætero optimum ac pulcherrimum fructum fert. Tale quid est, quod de Palma mare accrescente ob absentiam fœminæ prodiderunt alii. Peritus enim Agricola, deprehenso amore, surculum adimit palmæ fœminæ, atq; in maris cor inserit, statimq; excitatur & revirescit amatæ fœminæ cōplexibus. Quibus accedant, quæ de ejus arboris blanditiis, maritatione, intellectu Veneris inter marem & fœminam scripsit Plinius *lib. 13. c. 14.* & de Amoribus itidem atq; generatione palmarum Ammian *lib 24.* Sicet vitis connubium & maritationem cum arborib. passim celebrant poëtæ & scriptores rei rusticæ: Inter quos Columell. *lib. 5. c. 6.* cui ulmus pro *Mare* est, vitis *Fœmina*: Ex quo conjugio feracissima proveniat uvarum soboles. Inde Juven. *Satyr. 8.*

Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.

Vitis maritatio.

Quasi vites languidæ sint & minus fructiferæ, si arceantur à complexu ulmorum, quas amant. Quanquā vites in Campano agro, non tam *ulmis*, quàm *populis* nubere dicantur Plinio *lib. 14. c. 1.* Inde *Platanum Calibem* vocat Horat. *libr. 2. carm. ode 15.* sive quod umbræ causa duntaxat colatur, non ut maritetur viti ex Bersmañi interpretatione; sive quod arbor ea nuptiis his inepta sit ex Joh. Ludovici de la Corda Jesuitæ opinione; ideò etiam *viduam* appellari putes à Martiali *libr. 3. Epigr. 57.* Cæterùm sine maribus palmis non gignere fœminas, spontè edito nemore, confirmat quoque Plinius *lib. 13. c. 4.* imò verò circa singulos plures nutare in eum pronas blandioribus comis. Illum erectis hispidum, afflatu, visuque ipso, & plures etiam reliquas maritare. Hujus arbore excisâ viduas pòst sterilescere fœminas: adeoq; esse Veneris intellectum, uti coitus et excogitatus sit ab homine ex maribus flore & lanugine, interim verò tantùm pulvere inspet so fœminis. Quæ ne quis fabulosa suspicetur, istiusmodi amoris atq; conjugii exemplum id genus arboris in Italia quoque dedêre. Cujus rei celebris testis est Jovianus Pontanus, Alphonsi Junioris Neapolitani Regis eo tēpore præceptor, & Epistolarum magister, Philosophus, Orator ac Poeta insignis, & quem fabulas pro historia, de re maximè suo tempore omnibus cōspicua, scribere puduisset. Hic igitur duas celebrat palmas, marem unum Brundusii fœminam alterā Hydrunti, quæ diu steriles permanserint, donec scil. paulatim succrescentes, nondum alteram altera contueri poterat: Ubi verò tantùm adoleverę, ut sese invicem conspicere potuerint,

Platanus calebs.

Jovianus Pontanus.

longo quantumlibet multorum stadiorum tractu dissidentes, fœtificare cœperint. Sed cur non ipsum audiamus Pontanum?

Brundusii latis longè viret ardua terris
Arbor, Idumæis usque petita locis:
Altera Hydruntinis in saltibus æmula Palma,
Illa virum referens, hæc muliebre decus.
Non uno crevêre solo, distantibus agris,
Nulla loci facies, nec socialis amor.
Permansit sine prole diu, sine fructib. arbor
Utraque, frondosis & sine fruge comis.
At postquã patulos fuderunt brachia rãos,
Cœpere & cœlo liberiore frui.
Frondosique apices se conspexêre, viriq;
Illa sui vultus, conjugis ille suæ.
Hausere & blandum venis sitientib. ignẽ,
Optatos fœtus sponte tulere sua.
Ornarunt ramos gemmis mirabile dictu,
Implevêre suos melle liquente favos.

Quos versus sanè quam elegantissimos propterea hic recensere dubitavi minus quod videam historicam his attributam fidem non tantùm à Joh. Pierio *in Hieroglyphicis*, sed & Melchiore Guilandino *in tractatu de Papyro, membro 3.* plura de palmarum natura, cognitu jucundissima & admiranda differente, atque etiam Platonis, plantas nimirum animalia asserentis; sententiam defendente. Cui rei fidem possit facere ea quæ ex Brasilia provincia primùm subvecta herba est, Lusitanis *Sentida*, Linschotano *Sentiens*, aliis *Viva* nuncupata, quæ ad omnem tactum, jactumve salis aut pulveris, folia claudit, eaque non nisi post discessum jacientis tangentisve reserat, ac denuò contrectata recludit. quinimò ipsum etiam accessum videtur sensu percipere. Appropinquante enim homine, aut animali ramos cõstringit; recedentibus pandit: nisi diversa hæc a priori species est, quod tamen ex Guilandino non licet animadvertere. Mirabilior hac planta est, quam qui Magellanicæ navigationi interfuerunt, memorant. In insula quippe *Cimbubon* conspici arborem dicunt, cujus frondes in terram lapsæ reptione quadam se ipsas movent & promovent. Frondibus facies quæ Mori. Utrinque habent quasi pedes pusillos binos. Compresse nullum edunt sanguinem. Tactæ abeunt, aut refugiunt. Ex iis una, dies octo servata in scutella vixit: movitque sese quoties tangeretur, totam scutellæ oram circumeundo. quod præter Guilandinum etiam à Scaligero relatum video *Exercit. 112. ad Cardanum.* Super utranque autem, quam dixi fuerit etiam *Bacharas*: quæ radix in Judæa nascitur, colore ut Joseph. *lib. 7. de bello Iudaico* prodidit, flammæ quidem assimilis, circa vesperam verò veluti jubare fulgurans: quæ accedentem & evellere cupientem tamdiu refugit, nec priùs fugam sistit, quàm urina muliebri, aut menstruo sanguine conspersa fuerit.

Sentida sive Sentiẽs herba

Frondes reptiles.

Bacharas herba fulgurans.

Sed exoticis tamen istis, vir & efficacia singulari nequaquam cesserit herba illa *Dutroa*, multis in Indiæ locis ubertim proveniens: ex cujus floribus bulbi quædam species oritur, papaveris bulbo haud absimilis, in quo nuclei, quales Melones habent, continentur. Isti si orizæ, vino, aquæ, aut alterius generis cibo, potionive admixtæ bibantur, cerebrum invadunt, ac stultitiam quandam risu continuo absque alio sensu aut ulla rerum notitia excitant, conciliato etiamnum somno, qui in 24. horarum spatium duraret, nisi pedes aqua frigida abluerentur. Indæ herbæ hujus usus Lusitanor. ac Indorũ mulierib. frequens est, quam maritis ignaris propinant, ut secure adultero copiam nefandæ libidinis faciant. Ita marito præsente & apertis spectante oculis, verum fatuo risu in mentis abalienationem conjecto, communi proverbio horrenda illa *Cornua*

Dutroa, maritos efficiens cornutos.

nua instruunt, quibus Conjugem prostituto geniali thoro infamant. Nec is è somno excitatus cujusquam reminiscitur; verùm sopore levi correptum se fuisse existimat. Et quidem medicamen illud longe præstantius esse crediderim, quàm potionem ad dolores & curas excutiendas ab Hela propinatum, proprio nomine νηπενθὲς ab Homero dictā, quod Macrobius & Plinius multique cum Græci, tum Latini nominis Conditores affirmarunt, alii *vinum*, alii *orationem*, alii *medicamētum* alii alia interpretantes. Sunt autem illi Homeri versus ex 4. Odyss. libr. à Cœlio Calcagnino *libro 2. Epist. 22.* ita latinè redditi

Nepenthes.

Achutum vino medicamen miscuit, unde
Et luctus curasq; graves detergere possunt.
Et simul epotant oblivia longa malorum.

Etsi autem Dutroæ usus ob illam, quam dixi, vim severissimè est prohibitus: fit tamen, ut ipsemet etiam edictis qui cavent, ab uxoribus decepti eandem inscii bibāt plurimùm: sexu quippe muliebri in herba illa indaganda quàm maximè occupato, saltem animo ut obsecundent suo. Adeò omnium ibi fœminarum mens in struendis Veneriis insidiis, & continuandis amoribus versatur, nullo metu, nullisque reverentiæ legibus coercita: ut mirandum minimè sit, apud Lusitanos & Indos tantum reperiri Cornutorum numerum: qua appellatione ii notantur, quos prostitutæ Uxoris libido infamat in thori corruptelam, ut à nobis expositum est *lib. 1. tit. de Fibula. fol. 373.* Illud mirere magis, esse in Urbe vel insula *Goa* locum, in quem projecta occisorum cibi gratia boum & aliorum animalium cornua, (Lusitanis & Indis adeò despecta atque exosa) post aliquod tempus ex interiore parte terræ adfixa radices agant, palmi unius, & quod excurrit, longitudine: quemadmodum ipsemet Linschotanus ait, oculis se usurpasse sæpius, radicibus evulsis atque inspectis; singulari sanè excremento: cum nusquam terrarum simile exemplum in Cornibus exstet, quod vel memoriâ sit proditum. Causam rerum naturalium curiosi indagare conati nullam invenêre, cùm adhæc locus ille lapidosus sit, & alias infœcundus. Ideò Goæ homines supra omnes Mortales excellentiâ Cornuū præstabiles, diuturnâ ac perpetuâ infamiâ laborant: cum alibi ipsa cornua abscindi queant aut detruncari: ibi autem radices altè agant, & infesta semper, cum desperatione cōjugalis pudicitiæ, novis pullulent incrementis, quod festiviter sanè relatum est à Johanne Hugone à Linschoten, *Descript. Navigationis in Indiā Orient, cap. 61.* quanquam ejus, quod cornua Goæ etiam aliquantum crescant, causam referat Physicus ad ἰδιοσυγκρασίαν partim ipsorum cornuum, partim etiam ad congenerem illi terræ indolem. Quia enim ars cornua emollit & variè flectit; quare non eadem quoque natura emolliat. Unde postea subsequitur incrementū. Quæ modo novimus lapides in matrice sua per φύσιν augeri; etiam pilos sua natura siccos, in cadaveribus excrescere? Sicuti *Becmannum* nostrum argumentari memini.

Indicarum mulierum libido.

Lusitani & Indi maximè cornuti.

Goa in India cornua crescunt.

Eius ratio physica.

Illis, quæ de Palmis hactenus diximus, veluti Mantissa accedat, quod apud Plutarchū in libello *de Silentibus Pythiæ oraculis* perhibetur, in Orco (quod ædificiu nā Cypsello tyranno consecratum fuit) inter templi istius anathemata exstitisse Palmam æneam: ad cujus radices insculptæ videbantur plurimæ Ranæ & Natrices, quos hydros nominant. Quo typo existimat Hadrianus Junius *Emble. 9.* indicari eos, qui invidis linguis & exitiali maledicentiæ veneno armati, probes ac integros vitæ viros nō obliquâ, ut sæpè fieri solet, sed rectâ viâ ac ratione a I honores

Circa Palmam Ranæ & Natrices.

Maledicorū symbolum.

res & dignitates tendentes evertere, & omnibus bonis exsuere tentant. Attamen frustrà. Nam iñocentia ac virtute sua freti & muniti, Invidorum morsus & Calumniatorum obtrectationes facilè spernunt atque retundunt, & tantundem curant, quantum latratum Canis, ut est in proverbio. Palma enim ardua primæque nobilitatis arbor frondibus nunquam vidua, homines ad magna tendentes aptissimè exprimit. Ad cujus radices Ranæ plurimæ odiosa sua coaxatione omnib. molestæ, Calumniatores mores optimè repræsentant; & Hydri nullis serpentibus veneno inferiores, si Plinio credimus, virulentos Invidorum sibilos designant. de quo insuper ejusdem Junii versiculi exstant sanè quàm eruditi: quos Joachimus Camerarius retulit *Centuria prima Emblematum*:

Calumniatores Ranis & Hydris assimilati.

Palma caput tollit cœlo ardua, cujus ad (ima
Rana loquax, stabulantur & Hydri.
Oppugnant proceres, quorum via consona recto est,
Degeneres, atque invida lingua.

quam sententiam & brevius & concinnius hoc disticho comprehendit *Conradus Rittershusius* Jurisconsultus & Philologus eximius:

Quantum Palmæ Hydri possunt Ranaque nocere:
Tantundē invidiæ virus obesse probis.

Sed reliqua à Pancirollo hîc loci exposita, pertexamus: Inter quæ etiam commemoratum video

Sericum.

6. *Sericum vermiculorum artificium, &c.)*

De Serico dicendum à nobis erit infrà, Titulo peculiari. Quod verò picturas ex Avium pennis consertis attinet: per eas intelligitur opus illud plumatile: cujus generis multa ab extremis Novi Orbis majorum nostrorum memoriâ inventi partibus ad nos allata cernimus, tam indumenta, quàm gestamina, scuta etiam, & diversi generis vasa, psittacorum & phœnicopterum, & aliarum pictarum avium plumulis intertexta opere tam venustè variato, ut nihil delectabilius possit oculis offerri.

Pictura plumatilis.

7. *Ex eadem regione advehuntur & cultelli lapidei.)*

Referunt Novi Orbis Scriptores, Regionum istarum incolas, antequam ab Hispanis & aliis ad vitam cultumq; paulò humaniorem fuerunt perducti, inter alia etiam lapideis usos fuisse cultris: quibus tam facilè & aptè quidvis secare potuerint, quàm nos ferreis. Quæ res facit, ut non possim hoc loco non meminisse Cybeles Sacerdotum: quos traditum est, acuto silice vel samiâ testâ virilia sibi amputasse. Catull. de Aty:

Cultri lapidei.

Devolvit illa acuto si pondera silice.

ubi, pondera illa, quæ sine pudore nominari non possunt, cùm Juvenali rectè interpreteris carnem super vacuam. Sic enim scribit *Satyra 2.*

Quid tamen expectant, Phrygio quos tempus erit jam
More, supervacuam cultris abrumpere carnem.

Silice actum vel testâ in abscisione ejus partis usus fuisse Cybeles sive Matris Deum ministros sive sacerdotes, ipse etiam Juvenalis meminit

Circumcisio Silice peracta.

—— Ecce furentis
Bellonæ, Matrisque Deum chorus intrat & ingens
Semivir obscano facies reverenda minori
Mollia qui rupta genuit genitalia testâ

Inde eos *semi mares* appellat Ovid. *li. 4. Fast.*

Ibant semimares & inania tympana tundunt
Æraque tinnitus ære repulsa dabunt.

Qua de re *libr. 1. titul. d. Bysso* multa dicta sunt.

sunt. Quibus addo, quod Augustin. *lib. 7. de civit. Dei* scribit, abscissos Matri Deûm servire, ut significaretur, eos qui semine indigeant, terram sequi oportere, quæ mater Deûm nominatur. Lucretius verò *lib. 2.* Gallos ministerio Cybeles, quæ uti diximus, mater Deum appellatur, ideò dici additos, quoniam qui violant matrem, digni sunt, ut emasculentur, quo minus possint vivam procreare progeniem. de qua Tiraquell. *in Leg connub. l. 15 n. 121.* & ad Alex. ab Alexād. *lib. 4. genial. dier. c. 17.*

An & in circumcisione adhibiti.

Nec desunt Theologorum gravissimi, qui in circumcisione lapideum cultrum usurpatum fuisse dicunt. Nam & illud *Exodi 4. v. 25. Tulitque Zepora acutissimam petram, & circumcidit præputium filii sui, &c.* doctissimus Joh. Calvinus de *Lapide* arrepto simpliciter interpretatur *lib. 4. Instit. Christian cap. 15 sect. 22* quo sensu cùm locum istum, tùm verò illud Josuæ *cap 5. Fac tibi cultros lapideos*; etiam à Lavatero Theologo Tigurino acceptum video: dum cultros lapideos intelligit petrinos, auß scharpffen Schieferstein. Et quidem illic mysterium subesse ait. Christus enim est petra, *1. Corinth. 10.* atque idem is est, qui circumcidit & purgat corda nostra. Quorum sententiæ etiā Hadr. Junius subscribit, illo in picturam Christi circumcisi tetrasticho:

Saxeus edicto resecabat mucro puellos,
Nec legem egressus patitur sibi Christus acuta
Truncari glandem testa: præputia duri
Scindātu cordis, vita ut sit criminis exsors

Lapidum quorundam acies in India.

& ex Augustino confirmat Simon Majolus *par. 1. dier. canic. colloq. 18. fol 581.* ostēdeus simul eam lapidem quorundam in novo orbe esse aciem, ut ferro æquentur; quippe qui securis, gladiorum ac reliquorum instrumentorum fabrilium ministerium præbeant, quæ apud nos è ferro conficiuntur. Nam & novaculas ex lapidib. illis fieri & detrahendis ferarum coriis gladii acuti usum lapides eos præstare memorat. Sed & ingentes arbores ad navigandum vi aciei ipsorum lapidum excavari scribit. Alii tamen cultros lapideos intelligunt acutos lapide vel cote redditos. Nam cos ferrum reddit acutū, exsors ipsa secandi: quasi præceperit Dominus, novaculas sive cultros de petra acutos fieri, ut efficiens pro effectu per Metonymiam sit positum; præsertim cum extra controversiam vetum sit, cultellum lapideum de circumcisionis necessitate non esse, & modernos etiam Judæos in circumcisione eo non uti, sed Novaculâ potiùs acutâ: ut post Lyranum etiam Munsterus tradidit.

& usus.

Novacula cur in cadavere hebetetur.

In Novaculis autem singulariter hoc observatum est, quòd harum acies in secandis cadaveribus hebetari soleat. Idque propter immensum in eorum frigus, ut Plutarchus putavit *libro de Cōmparat. ignis & aquæ.* Quod etsi id efficere quandoque Hieronymus Mercurialis fateatur: aliam tamen arbitratur subesse rationem. Experientia enim comprobatum est, pepones, aliosque plurimos fructus, qui vel calidi & humidi sunt, vel saltem non multùm frigidi, cùm cultris inciduntur, eorum aciem obtundere. quem effectum potiùs corpusculis viscidis quibusdam adscribendum putat, quæ adhærendo aciem ferri remittant. Idque eo comprobari, quoniam prout hujusmodi corpuscula paulatim dissipantur & evanescunt: sic cultris pristina vis restituitur. Mercurial. *libro 5. variar. lection. capit. 12.*

8. Item Crepida ex junco Indico)

Iuncus Indicus.

Juncum istum Indicum eundem esse cum Papyro Ægyptia, dubitandum non est: cum eandem hæc, quam ille, utilitatem præstet.

Papyri & Iunci utilitas,

Nam ut Papyrus non tantum calceis con-

conficiundis est commoda, verùm & an multa utensilia vasorum aptissima: quid & ad navigia texenda, velaque & tegetes necnon vestem stragulam, ad funes è libra conficiendos; & nulla denique herba est, quæ tot & tam variis modis humano consulat usui, & majores pluresq; afferat utilitates, quas Plinius recenset *lib.13. cap.11 cum seqq.* Ita & de Junco illo Indico omnia hæc itidem rectè dixeris. Cujus cùm tanta sit apud Indos utilitas, non minus rectè fortassis antiqua sua origine gloriari hi poterunt, quàm Ægyptii: qui ad demonstrandam progeniei antiquitatem, fasciculum papyraceum, solebant pingere, primum scilicet nutrimentum innuentes: cujus, sicut & geniture non facilè quis initium invenerit: quod ab Oro Apolline *libr.1 Hieroglyphic.* est traditum: ubi tamen interpres τροφὰς non rectè *educationem* convertit, cùm *alimenta* esset dicendum, quæ Ægyptios ex Papyro assumsisse certum est, & crudam & assum & elixam manducantes, succo tamen tantùm devorato, cùm alioqui manducamẽtum exspuerent. Eandem hanc originis vetustatem, sive nobilitatem generis Athenienses per Cicadam significabant: quos Thucydides propterea τεττιγοφόρους, *hoc est, cicadigerulos* appellat, quòd apud Athenienses institutum erat, Cicadas ex auro capitis ornamento gestare, quæ indigenas & ingenuos ab advenis & servis distinguerent. Causam nonnulli comminiscuntur, quòd Cicadæ maximè omnium animalium indigenæ videantur. In ea siquidẽ regione, qua genitæ, vivunt moriunturque: cùm reliqua ferè omnia animalia aliquò migrent, neque sedem ullam firmam habere perseverent. Joh. Pierius *lib. 26. Hieroglyph.*

Fasciculus papyri.

Cicada Atheniensis.

Calcei papyracei.

Cæterùm ex junco illo crepidas fieri dubium non est: cùm itidem & ex papyro conficiantur: asserente nimirum Herodoto, Ægyptiorum flaminib. alios quàm biblinos, seu papyraceos gestare, fas non fuisse. De Veterum autem calceis dictum à me est *lib.1. titul. de Fibula fol.342. cum seqq.* quib. addenda sunt, quæ doctissimè commentatus est Johan. Guilielmus Stuckius *Antiquitat. Convival. lib.2. cap.27.* Illud certè dissimulandum non putavi, Ægyptiis mulieribus, ex patrio more, calceis uti non licuisse: ut ita domi se continere quodammodò cogerentur. quod Cœl. Rhodig. annotavit *lib.10. Antiquar. lectio. c.3.* Sic & Plutarchus in præceptis conjugalibus refert, Phidiam Heliorum Venerem ita finxisse, ut testudinem calcaret; tacitè indicantẽ, uxoribus domi manendum esse, silendumque. Hinc in templo *Sancti*, quem Deum hoc nomine cultum apud Romanos, unum è numero duodecim salvatorum, idem Plutarchus ait, Cajæ illius Ceciliæ, mulieris cum eleganti forma, tam probatissimis moribus antiquitus, ad auream ipsius statuam reposita fuisse santalia, & colum. Quorum illa testabantur, eam domi manentem famil: æ curam habuisse; hoc industriam significabat, quod muliebres operas diligenter obierit, lanificii studiosa, referente Erasmo *Chil.4 cent.8. Adag 33.* Atqui hæc imago haudquaquam placitura sit nostratibus fœminis, per omnia Emporia, deniq; nusquam non terrarum, terra marique volitantibus, ait idẽ Erasmus *Chil. 3 cent.3. adagio 38.* Eademque ratione apud Linschotanum lego, Chinensium puellis à teneris mox unguiculis plantas fasciis cohiberi, incessu posterum mollissimo, sive quòd minutos pedes elegantiæ caussa affectent: sive quòd existimatum sit, posse hac gressus difficultate procedendi studium quodammodo imminui. Etenim viri maximè sunt Zelotypi: plurimumq; mulieres ad libidinem & luxum inclinatæ; *Goa* præsertim, ut nullo sup-

Ægyptii mulieres discalceatæ.

Venus testudinem calcans.

Sandalia & colus C. Cecilia.

Chinenses.

Goa.

lo supplicii metu à furtiva illa Venere coerceri possunt: quinimò ita mori habent in delitiis, gloriosam necem existimantes, cui amor auctor sit, parentatione optima & optatissima. Ioh. Hugo Linschoten, *c.* 23. & 31. Nullum tamen mulieribus calceamentorum usum fuisse, nemo dixerit: cùm sandalia his attributa videam, & quidem, ut docet Pollux, elegantissima: interdum etiam aurea; sæpè etiam armorum vicem præstantia. Sic enim illud Persii *Satyr.* 5.

Sandaliũ.

---Solea puer obiurgabere rubrâ,

de sandalio intelligendum putat Turneb. *libr.* 29. *Adversar. cap.* 8. quo & Omphale commitigasse Herculi caput legitur apud Terentium *in Eunucho*, & apud Lucianum *in libello de scrib. histor.* Verisimile est (inquit) te vidisse Herculem pictum Omphalæ servientem, valdè alieno cultu & absurdo: illam quidem exsuvio Leonis ipsius amictam & clavam manu tenentem & Herculem referentem; Eumque in crocotula è purpurea veste lanam facientem, & ab Omphale vapulantem sandalio. A sandalio autem *Sandaligeruli* dicebantur servi, qui mulierum sandalia gererent, Plaut *Trinum.*

Omphalæ sandaliũ.

Vestispica, unctor, auri custos flabelligeræ Sandaligerulæ.

Quo flexionis modo salutigeruli appellantur eidem Plauto *in Aularia*, qui jussu domini hanc illam salutant, suntque nuntii & renuntii: majori haud dubie hericum commodo quam *damnigeruli*, *Forasgerones & Bonorum exagoga*: quid ad scortilla infirettissima dominorum bona jussi efferebant. de quibus apud Plautum *in Trucul. act.* 2. *scen.* 7. & Titum Popmam *de operis servorum*, *mihi fol.* 53. Nec indigna relatu est, quæ de Rhodopes calceis narratur fabula. Aquilam enim dicunt, alterum ex calceis ejus dum laveretur è manu ancillæ correptũ deportasse Memphim, Ægypti civitatem; & in sublime super Regis verticem jura dantis elatam calceum in illius gremium demisisse. qui calcei concinnitate & rei miraculo permotus, per totam regionem misit ad eam inquirendam, quæ huiusmodi calceũ ferret. quæ inventa atque reducta Regis uxor facta est. Ita ex calceo cognitum Rhodopes vestigium: eam Ægypti reginam fecit. *Phil. Beroaldus ad Apulej. lib.* 9. Quibus coronidis loco & illud lubet adjicere, quod de Paulo Æmilio Plutarchus prodidit. & ex eo Franciscus Connanus retulit *lib.* 8. *comment ar. jur. civil. cap.* 12. *num* 4. *in fin. fol.* 941. Is cum Papyriam, gravissimam licet fœminam, post longum connubii tempus, & susceptis quoque ex ea liberis, repudiasset tamen, atque ei ab amicis ægrè hoc ferentib. objiceretur, Papiriam cùm formosam esse & locupletem, tum pudicitiâ insignem, & fœcundam: protenso pede, Et hic quidem inquit, calceus novus est & elegans: sed nemo tamẽ vestrûm propè novit, ubi me premat & urgeat. Quo dicto caput hoc concludo, & ad ulteriora progredior.

Rhodopes calceus.

Æmilii calceus.

DE PORCELLANIS TIT. II.

Porcellanæ.

S*Vperioribus seculis nunquam visæ fuerunt* Porcellanæ. *Sunt autem massa quædam, ex gypso, ovo trito, putamine locustæ marinæ, & aliis speciebus composita: quæ si probe stipata & densata fuerit, sub terra in locum aliquem secretiorem reconditur, quem pater Liberis suis (alios enim hunc scire non vult) designat. Atq; ibi octoginta annos manet recondita. quo tempore elapso filij vel nepotes eam erunt, eâq; rursum subactâ, & ad elaborandum idoneâ reddi-*

redditâ, pretiosa illa vasa conficiunt, adspectu pulcherrima & traculentia, nec non formâ, & colore quo Architecti illi volunt, conspicua. Vasorum istorum insignis hac virtus est, quod si venenosum quid ipsis immissum sit, illicò rumpantur. Qui massam istam sub terra recondit, nunquam rursus eximit; sed Filiis & Nepotibus, aut aliis hæredibus tanquam thesaurum relinquit: siquidem multum inde lucri capiant: Massa enim illa ipsi etiam auro prævalet: quanquam rarò invenitur vera, sed satis adulterata venditur. Turcici Imperatores, itemque Bassiani, Sanchiachi & alii Satrapæ, semper è duplicatis comedunt vasis; argenteo quidem inferiore superiore vero ex Porcellanis composito. Sed Porcellana ista falsa sunt.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Porcellanarum descriptio 1. 2.

VIdetur Pancirollus noster *Odoardi Barbosæ* sequi sententiam: qui libro quodam Italica lingua conscripto, Porcellanas ex Ostreis, & quæ centum annos sub terra latuerint, & aliis hujuscemodi commixtis materiis formari autumat. Sed aliam Porcellanarum descriptionem videre est apud Iohannem Consalvum Mêdosam: qui vel ideò majorum fidem merebitur, quod Regis Hispaniarum jussu florentissimum Chinæ regnum, in quo Porcellanas fieri extra controversiam habetur, ipsemet perlustrando in rem præsentem venerit, & vasorum illorum materiem oculis suis fuerit contemplatus. Is igitur *libro* 1. *capit. ultim. Historiæ Chinæ*: Porcellanas (scribit) ex terra dura & creta fieri: quam contusam & molitam in lacunam aquæ conjiciant, muro saxi vivi probè satis conclusum: Eamque, [illegible] imbibere patiuntur humorem istum, utque dum [illegible] velut subtilis & levis quædam [illegible] superficie extendatur. Atque [illegible] tenerrimas Porcellanas [illegible] quod fundo inhæret, minoris notæ vasa confici. quippe quæ tanto degenerent magis, quanto crassior in imo deterior fex subsiderit. Addit, vasa ista non diversam *Forma.* à nostratibus formam habere: eaque & inaurari & quo velit colore infici, eodemque indelebili. Simulac verò ita formata fuerint, fornacibus immissa percoqui. Cum Consalvo planè consentit & Ioh. Hugo à Linschoten, dum in descriptione Navigationis in Orientem *capite* 23. ita scribit: Porcellanæ ex certa terræ specie, quæ durissima est, conficiuntur; ea in partes mollitur & molá tunditur, cisternisque injecta maceratur, donec durities devictâ sæpeque versatâ (quemadmodum apud nos agriculæ lac [illegible] exercent) ie summitate materiam excernat, ex qua subtilissimum opus fit. Sequitur secunda *Delectus.* crassior soboles, & inde alia atque alia, deterior semper successione. Figuras ac imagines quælibet pòst appingunt, demum fornacibus impositæ testæ, in eam quam ostendunt formam rediguntur. Etsi autem Porcellanæ illæ ita facili precio comparantur, ut quinquaginta veneant quatuor Realibus, aut octo baciis nostratibus: ex iis tamen pro vectigali in ærarium annuo reditu scribit *lib.* 3. *cap.* 4. redigi nonaginta millia Taes: quorum quilibet 20. bacios nostrates conficit. Et tamen præstantissima atque pulcherrima è Chinarum regno circa capitis periculum non avehi, supra asseruerat *lib.* 1. *cap. ultim.* Regis scilicet & magistratuum usui dicata. Singularem porrò hanc Procellanis vir- *Vi...* tutem Pancirollus adsignat, quòd nullum

admittant venenum, sed eo immisso ilicò dissiliant. Quam virtutem & Electro quidam tribuunt. Poculum enim ex Electro naturali conflatum (id auro & argenti quintâ parte constare diximus *libr.* 1. *tit. de Pyropo & Electro*) arcu in superficie ejus intenta maculoso, quo nitor ingenitus obsolescit, nec non stridore virus infusum prodere fertur ac præmonstrare: si verum est, quod ex Langio refert Antonius Mizaldus *Centur.* 4. *Memorab. Aphorism.* 55. Longè diversum usum præstiterit fortassis poculum ex Mulæ ungulâ confectum: quo solo, & nec argenteo æreove vase, quin dissiliret & dissiparetur, contineri poterat mortifera illa aqua in Nonacri Arcadiæ regione: quæ à vi sua στυγὸς ὕδωρ fuit nuncupata, & ab Antipatro per Iollam filium perlata memoratur ad Alexandrum interficiendum, magna Aristotelis præceptoris in discipulum & Regem tam munificum infamia, qui id veneni pergelidi docuerat. Plinius *lib.* 30. *cap.* 16. *in fin.* Plutarchus *in Alexand. in fin.* Etsi autem istam infamiæ notam diligenter & verè (ut opinor) abluit Stephanus Forcatulus *de Gallor. Imperio & Philosophia, libr.* 7. nulli credibile fore existimans, ut insidiarium in Regem conscius fuerit nobilis Philosophus, quamvis exitialem illam aquam detexerit, sciens nihil mali genuisse Naturam sine aliquo bono; nihilque tam præsentis esse veneni, quod vel per seipsum, vel, si salubribus misceatur, ad antidotum non spectet: Constat tamen, Antonini Caracallæ mentem ita invasisse suspicionem illam, ut ob hoc Philosophos, qui Aristotelici sunt nominati, summo odio fuerit prosequutus, & non tantum Aristotelis libros comburere voluerit, sed & sectæ istius hominibus sodalitates, & cætera commoda quæ habebant in Alexandria, sustulerit; criminatus eos, quòd Aristoteles causa mortis Alexandri visus esset. Xiphilin. *in Caracallo.* Erat enim Caracallus erga Alexandrum ita affectus, ut non tantum iisdem armis, poculisque similibus iis, quibus ille usus fuerat, uteretur: sed & Alexandrum *Orientalem Augustum* appellaverit, scripseritque aliquando ad Senatum, Animum Alexandri in corpus Augusti introiisse, ut quoniam illi fuerit vita brevis, in hoc viveret diutius: quemadmodum idem Xiphilinus prodidit: fortè ut vel inde Divinitatem ipsi conciliaret, quam Alexandrum tantoperè affectasse noverat, ut datis ad Græciæ civitates literis, ridiculè satis institerit, decreto publicitus ipsum statuerent Deum. Adeò, quæ minus ei impertita fuerat natura, ab hominum exspectare instituis non est veritus! Lacedæmonii igitur stupidum hunc Alexandri tumorem coarguëtes, Laconicè & patrio more ita decreverunt: Posteaquam esse vult Deus Alexander, esto sanè. Cœl. Rhodigin. *Lection. antiquar. lib.* 21. *cap.* 35. Callisthenem quoque doctum hominem, ait Cicero, comitem Alexand. M. ab Alexandro necatum, *in orat. pro Rabirio*: eò quòd vivo ipsi divinos honores reddi debere negasset. Hanc enim necis istius rationem reddit Arrian. *l.* 4. *f.* 169. De Cassan. quoq; referunt, quod cum Barbaros quosdam Alexand. adorare conspicatus esset (quale inter mores educatus Græcos [illegible] ante adspexisse consueverat) [illegible] effuderit risus. Tum ira stimulatum Alexandrum, utraque manu comprehensa juvenis Cæsarie, parieti caput allisisse, ut est apud Plutarch. *in Alexandro fol. mihi* 267. Eidemque etiam Alexandro statuam Iovis ornatu, intra Altim Corinthios dedicasse tradit Pausanius *libr.* 5. ut inde mirandum minus sit, quod ipsemet etiam Delphinus Apollo de Alexandro, utrū Deum an hominem eum salutaret, dubitaverit, referēte id Themist. *in orat.* 4. Atq; hoc oraculū

Electrum

Mulæ ungula.

Aristot. in Alex. ingratitudo.

Caracalla Aristotelis infensus.

Eius in Alexandrum affectus.

Alexander Divinitatem affectans.

æmulatus est, qui de Karolo Imperatore Augusto ita lusit:

Karole mortales dubitant, homo sisne Deusve.

Sunt tua sceptra hominis; sunt tua facta Dei.

Quod clarissimus Remus ad illum Themistii locum adnotavit. Nec dissimile hæsitationes istiusmodi exemplum videas apud Ausonium *in Epigram. 7. de matre August.*

Ante omnes alias felix tamen hoc ego dicor,

Sive Deum peperi fœmina, sive virum.

Quinimò non ipsemet tantum Alexander pro Iovis Ammonis filio haberi, (quæ opinio de Iove parente inde orta traditur. Quod Nectabanus Ægyptius Magus se in Iovis Ammonis effigiem transformans, Olympiaden Philippi uxorem decepit, & adulterino concubitu Alexan. Magnum genuit. Prout refert Martinus del-Rio Iesuita *lib. 2. Magicar. disquisitio. quæst. 27. sect. 1. fol. 233.*) sed & Hephæstionem post obitum tanquam Deum coli voluerat; in tantum ut Iusiurandum supra cætera religiosissimum existimârit, quod per nomen Hephæstionis præstaretur. Lucian *in libello, Calumniis non temerè credendum*: non secus atque C. Caligula nullum sanctius iuramentum, quàm per nomen Drusillæ credidit. Sueton. *in Caligula, c. 24.* quam ille apud Senecam iuravit in Senatu se vidisse cœlum ascendentem. quomodo & Iulius Proculus iuramento firmavit, Romulum cœlo repentè delapsum, à se in colle Quirinali visum, augustiore forma, & ad Deus rursus sublimen abiisse, ut est apud Ovidium *2. Fastor.* & Livium *lib. 1. Decad. 1.* & Livia Numerio Attico decies Sestertiûm dono dedit, quia iuraverat vidisse se Augustum in cœlum ascendentem. propterea decretum à Senatu sacrarium Augusto, à Livia Drusilla uxore factum, ut à Dione Cassio est proditum *l. 56.* Quod vel ideò minus mirum videri debet, quod reperio ipso etiamnum vivente, divinos ei honores habitos, & per nomen ac numen Augusti jurasse Romanos. unde Horat.

Præsenti tibi maturos largimur honores,

Iurandasq; tuum per nomen ponimus aras.

Quod ipsis exprobrans Minutius Felix in Octavio: Tutius eis est (inquit) Iovis genium pejerare, quàm Regis. Et Tertullianus: Majore formidine (ut) & callidiore timiditate Cæsarem observatis, quàm ipsum de Olympo Iovem: citius denique apud vos per omnes Deos, quàm per unũ genium Cæsaris pejeratur. *in apologetico advers. gentes.* Ideoque quoties per genium Principis pejeratum fuerat, acriter puniri solebat perjurium; Eo scilicet, qui hoc modo perjerarat, fustibus castigato, & hac per præconem voce ei occentata, προπετῶς μὴ ὄμνυε, petulanter ne jurato *l. 13. §. fin ff. de jurijur.* cum econtra, si quis per Deum pejerasset, huius perjurii nullum crimen, nulla accusatio, nulla pœna Legibus esset prodita: Cujac. *lib. 13. Observ. cap. 21.* sed satis esse putaretur, quòd Iurisjurandi contempta religio ipsum Deum haberet ultorem. *l. 2. C de reb. credit.* Ob id enim Græcis Iovem ὅρκιον dictũ esse multi putarunt: & Deorum injurias Diis curæ esse Tiberius apud Tacitum pronunciavit. Cuiac. *lib. 2. Observat. cap. 19.* Petrus Ærodius *lib. 4 Rerum. judicat. tit. 2. cap.* quanquam haud scio, an pœnâ, illâ quæ Deum habet arbitrum, & iniuriæ æstimatorem, ulla possit esse gravior: testante præsertim Regio Propheta & Psalte, Perditurum Deum omnes, qui loquuntur mendacium, *Psal. 5.* Quod & Ethnici Naturæ tacita lege in hominum mentibus divinitus inscripta docti intellexerunt. Hoc enim & Cicero *2. de Legib.* expressit his verbis: periurii pœna divina, exitium; huma-

Hephæstio.

Iuratum per nomẽ Hephæstionis.

Iuratũ Drusillæ.

Romulus inter Deos,

item Augustus.

perjurii pœna.

humana, dedecus estò, de quo plura videri poterunt apud Hugonem Donellum *ad tit. de Iurejurando, cap. 9. num. 8.* Nec verò Quo ad jurisjurandi religionem, prætereundum hic censeo, tantæ authoritatis & fidei fuisse Xenocratem, ut quantumvis alios ad testimonium dicendum nemo absque juramento admittendus sit *l. jurisjurandi. C. de testib. & c. fraternitatis. 17. in fin. ex. eod.* Ei tamen Xenocrati testimonium dicturo, jurisjurandi religionem remiserunt Athenienses. Eidemque pudoris inexorabilis testimonium contulit *Phryne* uxor, quæ rep[illegible] passa & à Xenocrate egressa, non se ἀπ᾽ ἀνδρὸς, ἀλλὰ ἀπ᾽ ἀνδριάντος, exire dixerat, ut tetatur Dn. Reinus in Notis ad Themist. *Orat. 1. pag. 232.* Atque ipsum illum Xenocratem, ob morum conformitatem, opinor, Platopluris fecisse fertur, quàm ipsum Aristotelem, Ludov. Cœl. Rhodigin. prodidit *lib. 17. lect. antiquar. cap. 34.* Etsi autem juramentum alias maximum expediendarum litium remedium creditur *l. 1. ff. de juram.* Idque etiam ab Apostolo *ad Hebr. 6. v. 16.* omnis controversiæ finis sive expedito appellatur: quia certa est juris definitio, quæ fit cum obtestatione divina. Cujac. *in paratit. pandectar. de juramento.* Existimante præsertim Platone, ipsum etiam Rhadamantem lites interposito juramento finiisse *lib 12. de legibus.* pietas enim perjuria nescit, juxta Aristotelem *1. Rhetor. cap. 15.* Vnde lites sæpè gravissimæ unius juramenti interpositione deciduntur atque firmantur, teste Setzero *in præf. tract. de juram. nu. 1. & 2.* Quandoquidem juramentum pro veritate habetur. Angel. & Schneid. *in §. item si quis. Instit. de act.* & Ioh. Borcholt. *de juram. tract. 8. n. 1.* Quia tamen ea est seculi huius impietas, & temporis injuria atque licentia, ut plerique juramenta non curent magis, quàm antiquæ & ruinosæ domus fumum. Heigius *de fidejuss. cap. 7. num. 592.* Pruckman. *cons. 16 n. 36. vol 2.* imò vix obulo æstiment, & iis ludant, ut pueri astragulis; ad superiorum certè circumspectionem pertinebit atque prudentiam; edicere, ut ad juramentorum delationem ita facilè deproperetur. Quod prudenter sanè admonuit Plato *d. lib. 12 de Legib.* Nunc verò, inquit, quoniam mores hominum alii, & improbi plures, nec ille judicandi modus cognuit: itaque prudens Legislator in judiciorum executione jusjurandum litigantium prohibebit, ut tam accusatoris intentio, quàm Rei deprecatio sine jurejurando in judiciis conscribatur. Nàm si jurandi licentia in civitate dabitur, ubi plura ad judices deferuntur cotidie, omnes penè perjuri erunt. Quod refert Tolosan. *in syntag. jur. univers. cap. 6 nu. 11.* sicuti alias juramenti præstationem viri boni absque religione magna in se non recipiunt, ut per *l. si duo. in fin. ff. de jurejurãd. & cap. & si clericus. ext. eo. tit. & c. 2. de proba.* ostendit Rauchbar. *q. 11 n. 18.* relatus à Ventura de Valentiis *in par. litigiosa. lib. 2. c. 13. n. 22.*

Xenocrat.

Pluris à Platone factus quam Aristot.

Iuramẽti authoritas.

Abusus.

Licentia.

Sed nec in Alexandro duntaxat, verùm etiam aliis quoque principibus viris eandem insaniam in cultu habituque Deos mentiendi, apud bonos Auctores licet deprehendere. Etenim Antigonus Rex in omnibus Liberum patrem imitatus, hederam, capiti circumposuit loco causiæ & diadematis Macedonici, thyrsum pro sceptro gerens, si Herodiano credimus, quãquam non desunt, qui hanc in ipso divinitatis affectionem excusent. Etenim cùm ex adulatione, quæ pestilens alioquin & virulenta nulli non rei inducit tabem, Antigonum Macedoniæ Regem Hermodorus Poeta Solis dixisset filium: Haud facilè (inquit ille) ubi consentiet Lasanophorus meus. Dii enim & Solis filii Lasano non indigent. Plutarch. *in Apophtegm.* veluti obscurè insinuans, quum

Antigon.

i 3 alimen-

alimentis egeam, quum inde retrimenta fiant plura subinde egerenda, mihi sanè mortalis videor, non Dei filius aut Solis. Siquidem est Lasanophorus, qui matulam Domino subjicit. Est quippe Lasnum cujus & Horatius meminit *libro primo Satyr.6.* his versibus:

Lasanum

Quum Tyburte via prætorum quinque sequuntur
Te pueri, Lasanum portantes Oenophorumq;.)

vas ventris exonerationi subserviens. Turnebus *lib.* 13. *Adversar. cap.* 3. & quidem virorum propriè: sicuti fœminarum trulla Scaphium dicitur. Cœl. Rhodigin. *libr. 21. Lection. antiquar. cap.* 33. quasi parva Scapha, & quæ commodè inter verendorum (ut Metaphorâ Martialis utar) symplegades inferri possit, ut Alciatus interpretatur *libro sexto parerg. cap.* 26. Unde Ulpian. Argento legato, non puto ventris causâ habita Scaphia contineri *l. Quintus 27.§ argento. ff. de auro & argento legato.* quo loco Accursius *Scaphium* pro cingulo interpretatur, non sat doctè. Iuvenalis *Satyr.6.*

Scaphiū.

Et ride, Scaphum positis cùm sumitur armis.

quod qui Athletis attribuunt, non videntur Poëtæ sententiam adsequuti. Estque notatu cum primis digna Sigismundi Imperatoris moderatio. Nam cùm à quodam impensè & supra modum laudaretur in faciem, & diis prædicaretur similis, illi colaphum impegit; dicentique, Cur me cædis? respondit, Cur me mordes? Philip. *in Chronicis lib.* 5. *mihi fol.* 964. & Stephanus Guazzus *de conversation. civili lib.* 1.

Sigismund. Imp.

Sed ad larvatos revertor Deos: ex quibus C. Caligula, non modò novus Dionysius sive Bacchus appellari voluit: sed & universum Dionysiacum habitum in[...]us incessit, in eo apparatu etiam judi[...], exercens, ut refert *lib.* 4. Athenæus, & latiùs Dio Nicæus *lib.* 59. in hæc ferè verba: Caligula interdum effœminatior spectabatur, thyrsum & cratera tenens: interdum virili specie clavam & Leonis pellem gestabat; subinde facie levigata & crasa, mox barbata visebatur; nunc tridentem tenens, nunc fulmen vibrans; nonnunquam Palladi bellicæ viginti assimilatus.

C. Calig.

Bacchi quoque habitum cultumque jam anteà usurpasse legimus M. Antonium: quem Vellejus Paterculus redimitum hederis, coronaque velatum aurea, & thyrsum tenentem, cothurnisque succinctum scribit curru velut Liberum patrem vectum fuisse Alexandræ: neq; id spectaculi in Regia tantùm Ægypti Urbe; sed Athenis quoque in medio Græciæ quasi theatro exhibuisse. Quam rem clarissimè consignavit Seneca *Suasorior.* 1. monens in adulatione, qua aliorum animos permulcere volamus, modum aliquem servandum esse, ne nobis accidere tale aliquid quod Atheniensibus: cùm publicæ eorum blanditiæ non tantùm deprehensæ, sed & castigatæ sunt. Nam cùm Antonius (inquit) vellet se Liberum patrem dici, & hoc nomen statuis subscribi; habitu queq; & comitatu Liberum patrem imitaretur: occurrerunt venienti ei Athenienses cum conjugibus & liberis, & Διόνυσον salutaverunt. Benè illis cesserat si casus Atticus ibi substitisset. Dixerunt, despondere ipsos in Matrimoniū illi Minervam Musam suam, & rogaverunt: ut duceret. Et Antonius ait, ducturum: sed dotis nomine imperare se illis mille talenta. Dio Nicæus, Antonium myriadas centum ab ipsis exegisse scribit. Qui calculus posterior quadragies Sestertiûm, hoc est, summam centum millium coronatorum aureorum nō transcendit: cùm prior ille summam efficiat sextuplo majorem, ad sexcenta aureorum coronatorum millia

M. Antonius.

Adulatio punita.

lia sese extendentem. Id quod Romano more ducenties quadragesies Sestertiûm dixeris ex supputatione Hadriani Iunii *lib. 4. Animadvers. cap. 1.* Sed ut Antonius Bacchi habitum adsumebat: ita Commodus Imp. Herculem se & Iovis filium nominari voluit, deposito imperatorio cultu omni, Leonis exsuvio indutus, & clavam manu gestans, Herodiano oculato hujus rei teste: non secus atque Sex. Pompejus Neptuni filius olim haberi ambiverat, phœnicium paludamentum, quo Imperatores utebantur, in cœruleum vertens, gloriabundus scilicet ob fœlicem in navigatione successum, & geminum adversæ partis naufragium. quod præter Apianum, etiam Porphyrio ad Horatium adnotavit.

Cōmodus.

Sex. Pōpeius.

Seriòne autem, an verò Deûm contemtu potiùs adscititium illum divinitatis habitum usurparint, non facilè dixerim. Heliogabalus certè, si Lampridio credimus, Cervos quatuor junxit ad currum, quo vehebatur, totitemque Canes, Dianam se appellans; & quatuor Tigres, Bacchum se dictitans; & quatuor Leones, se Cybelen vocans: non tam venationis & ferarum studio, quàm Religionis & Deorum hominumque contemtu: quum etiam fœminas quatuor currui adcopulaverit: non secus atque Sesostris Ægypti Rex, Reges quatuor, ut Antonius Mizaldus meminit *Memorabil. centur. 6. Aphor. 99.* De horum Apotheosi, qua Herodiani *lib. 4.* constant, Imperatores fato functos in Deos referri solere, Seneca joculare composuit scriptum, quod *Apolocynthosin*, veluti quandam inter Indigites referendi rationem indigitavit: eo quòd Claudius medicato boleto, quasi pharmaco purgatorio, quod olim frequens ex Colocynthide concinnabatur, periit. Infusum autem delectabili cibo Boletorum virus, *Locustæ*, nobilis veneficæ ingenio paratum, Agrippinam Claudio porrexisse scribunt, Plinius *libro 24. cap. 22.* Corn. Tacitus *lib. 12.* Sueton. in Claudio *cap. 44.* & Dio *lib. 58.* Quò pertinet illud Neronis dicterium, quo Boletos (fungorum id genus est) θεῶν βρῶμα, hoc est, Deorum cibum nominavit; innuens nimirum, Claudium per Boleti esum, cujus avidissimus fuisse Suetonio dicitur, ad Deos excessisse. Hinc illa Martialis imprecatio:

Heliogabalus.

Sesostris.

Apolocynthosis.

Claudius.

Boletus.

Boletum, qualem Claudius edit, edat.

Et vulgaris circumfertur versiculus:

Boleti lethi caussa fuere mei.

Nec enim, ut est apud Senecam, post Boletum opiparè medicamentis conditum, Claudius plus cibi sumpsit: exspectans scilicet, ut jam cœlo collocatus, cum Romulo

— possit ferventia rapa vorare.

quippe non Nectare tantùm & Ambrosia Deo pasci, veteres credebant: verùm etiam vilibus quibusdam cibis, ut Romulum rapis. Credo, de paupertate illius seculi, quo Romulus vixerat. Proinde quasi in cœlo iisdem cibis victitet, quibus in terra alebatur; Martialis ita ludit:

Romulus jam Deus rapis vescitur.

Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa
Quæ damus, in cœlo Romulus esse solet.

Sed parum esset, Boletis & id genus eduliis vim maleficam miscere, nisi & sacrificiis hanc propinatam legamus. Nam & *Victor III.* Pontifex Rom. exstinctus fertur, injecto in calicem veneno, dum rem divinam facit, non absque inimicorum dicterio, divinum planè id poculi asserentium, quo hausto Victor ad sidera celeriter evolasset; non secus, ac Claudius Boletorum esu, sicuti diximus. Et *Henricus Lucemburgensis* Imp. optimus, à Clemente V. Pontifice (cui pro genuina sedis illius ambitione non satis erat eximium cœli regimen, nisi terris quoque latissime dominaretur (ad comprimendam

Venena etiam in sacris adhibita.

Guel-

Guelphorum protervitatem Italiam petere impulsus, Atetii contracto exercitu agens, ac Christum pia mente spirans, glutito cum Eucharistia veneno, fraude *Mó*pellicani monachi, à Florentinis instructi, exspirasse dicitur: vir equidem ambrosia Cœlitum, non diro toxico pasci dignus, sacerdotibus improbis ac vanis infestus, bonorum contrà & studiosorum amicissimus propugnator, quos *cygno nigro rariores* tunc dicere solebat. Step. Forcatul. *de Imper. & Philosoph. Gallor. lib.* 4. Et quomodo Cæsari parcent, qui Pontifici non pepercerũt suo? Quærit Piccartus *decad.* 5. *observat. historicopol. cap.* 10. Victorem III. (de quo modo diximus) veneno in calicem injecto è vivo Divum fecisse subdiaconum eius, Platina & alii scribunt.

Papa divinitatẽ affectans.

Nec verò dissimile divinitatis fastigium Papam Romanum affectasse liquet. Nam & Stephanus Petracensis, in Papa, inquit, est omnis potestas supra omnes potestates, tã cœli quã terræ. Hinc enim Papa vocatur in jure Canonico *in extravagant Iohan.* 22. Dominus Deus noster. Et Nicol. Papa *in can. satis evidenter.* 96. *distinct.* gloriatur, se à Constantino Deum fuisse nominatum. Quem locum Augustin. Steuchius Papæ Bibliothecarius *in lib. de Donation. Constantini edito Lugduni an.* 47. *fol.* 141. laudans, ita subjungit: Audis Pontificem à Constantino Deum appellatum, & habitum pro Deo? hoc videl. factũ est, cum eum præclaro illo edicto decorâvit, adoravit uti Deum, uti Christi & Petri successorem: divinos ei honores, quoad potuit, contulit: velut vivam Christi imaginem veneratus est. Sed & *Bonifacius VIII.* Anno 1300. in magno concursu propter jubilæum facto clamavit: *Ego sum Pontifex & Imperator, terrestreque ac cæleste imperium habeo.* Eundem dixerunt Deum in terris Baldus *in l. ult. C. sentent. rescind. non poss.* Decius *in c.* 1 *de constitut* & Felinus *in c. ego de jurejur.* & admirabilem vocat *gloss. in proœm. Clementin. verbo Papa.* ubi dictum ait esse Papam ab interjectione admirãtis Papæ: verè enim ait, admirabilis est, quia vices Dei in terris gerit: Inde Poeta ille

Papa stupor mundi, & paulò post:

Nec Deus es, nec homo, quia neuter es, inter utrumq́.

Inter istiusmodi vero palpones ridiculus ferè est & insubidus Ianson *consil.* 145. *incip. circa primum nu.* 3. *vol.* 1. ubi ita scribit. Papa est supra me, extra me: Papa est omnia & super omnia: Papa est dominus dominantium & jus Regis habet in suo subditos, Papa potest mutare, quadrata rotundis. Vnde non est de eius potestate inquirendum: prima cum caussa nulla sit caussa. Et hoc nostro tempore extant libri Bononiæ & Neapoli recens excusi, cum hoc emblemate: *Paulus V. Vice Deus, Christianæ Reipub. Monarcha invictissimus.* Et alibi, idem Consistorium cum Deo: idem tribunal cum Christo habere dicitur: cui subesse omnis humana creatura etiam in temporalibus debeat: idq́; ita esse & credere, de necessitate esse salutis. Nam utrãque ei jurisdictionem, tam in secularibus, quàm Ecclesiasticis competere, duobus illis gladiis, quos sufficere dixit Christus, satis probari Theologorum plerique æstumant. Ius enim duas intelligi potestates in Ecclesia apud summum Pontificem residentes: ut sic possit ille *utramq. potestatem*, si usus ita exegerit, contra quemcunque, *etiam leges & Imperatorem, usurpare.* Quippe cum Imperator tanto inferior adjudicandus sit Papá, quanto aurum pretiosius æstimandum est vilissimo plumbo, & sol luna: quæ sicuti à sole lumen recipit; ita à Papa authoritatem Imperator: ut habetur *in can. duo sunt.* 96 *& distinct. & c. solita. de majoritate & obed.* Hieronym. de Cavallos *in Speculo commun opin. contra*

Papa in terris utramq. habet jurisdictionem.

Papa sol & aurum Imperator luna & plumbo aequiparatur

tra commun quæst. 739. & Fernandus Vasquius *lib. 1. illustr. controvers. cap.* 20 & 21. Cæterum Papalem illam omnipotentiam Philippus Pulcher Galliæ Rex Bonifacio VIII. respondens *maximam fatuitatem* indigitavit, & illas Papicularum assertiones solidè confutavit Christophorus Besold. *in discursu Iuridico-politico de Appellationibus cap.* 4. jam ante *cap.* 2. *fol.* 36. non absq; indignatione conquestus, Asinum illum Cumenum in pelle Leonina Romanum scilicet Pontificem, sacrosanctæ sub Imperatorio Majestatis amplificandæ prætextu totius mundi tumide omnibus tyrannidem; Sed & allegatas illas juris Canonici sanctiones sive canones, qui de juribus cœlestis & terreni imperii Petro commissis tradunt, *Paleas* cognominari & stramini æquiparari contendit. Quod & verum est. *Gratiani* enim sunt, qui Pontificum aucupabatur gratiam; ut ex Ripa refert Albericus Gentilis *disputat de iure canonico cap.* 2. ideoque cum ex adfectu potius, quàm veritate illi prodierunt, parum utiq; fidei merebantur, utpote à palpone profecti manifestario. Cujus naturam & ingenium optimè describit Lucas de Penna *in rubr. C. de silentiariis lib.* 12. *fol.* 3. Ex quo in dubium vocari poterat illa à Canonistis tanto conatu suffulta opinio: qua à Papæ sententia provocationem dari negant. Quid enim ineptius, aiunt, quàm ab aliis judicandum asserere eum, qui omnes est judicaturus? *can. si Papa.* 4. *distinct. & can. nemo cum aliquot seqq* 9. *q.* 3. *& can. si quis suadente. in fin.* 17. *q.* 4. Et cum Papa superiorum neminem recognoscat; sed & par cum Deo tribunal habeat: qui prouocari ab eo poterit? Cum nec ad parem judicem appellatio detur: sed ad superiorem duntaxat. *l. judicium* 58. *ff. de iudic. l. ille à quo* 13. §. 4. *ad Senatuscons. Trebell. l. Magistratus.* 4. *ff. de recept. arbitr. facit Panciroll. lib.* 2. *cap. cum inferior* 16. *Ext. de maior. & ob & can. inferior sedes* 21. *distinct.* Utut sit, judicium certè & tribunal Dei nunquam effugient, à quibus lege humana provocare non licuit. Eamque provocationem ita à summo omnium Monarcha Deo receptam produnt historiæ, ut velutì citati ad diem certum ante id tribunal comparuisse videantur. Quam in rem exempla mira, & supra fidem, sed ex fidis & certè priscis auctoribus comportavit Lipsius *lib.* 2. *Monitor. politicor. cap.* 11. Ut quando Ferdinandus IV. Hispaniæ Rex duos nobiles perduellionis reos, ex altissima turri præcipites dari jussisset, iiq; crimen constanter negarent, nec aliquid proficerent, eo confugerunt ut dicerent, se divinum tribunal appellare, proindeq; manumisset ad triginta dies judicio sistere: siquidem postea trigesimo die, cum dormire crederetur, in fata concessit. Michael Ritius 3. *de Regib. Hisp.* Dux quidam Austriacus, cui Rudolpho nomen erat, nobilē, quē nō improbū oderat, cōprehēdi, culeo insui, aquisq; mergi jussit. Is jā jā de pōte præcipitandus principē ex fenestra suppliciū prospectātē, intēta voce ita alloquitur: Ente ad inexorabile tribunal Dei justi, quod in valle Josaphat, euoco, inibi intra annū te siste, & cur me insontē hac tanta morte extingui tibi placuerit, causā ede. Cui princeps; præi; & tu sequar, inquit. At prope finē deducto anno, ejusque die ultima apparente in castrum quoddā animi gratia secessit, postq; lautum prandium levicula tentatur febri, heu me miserum exclamat, promissum me vadimonium obire necesse est: vadari me sentio, injecta manu invitus ducor, trahor, rapior: & insimul mortem obiit: ut memoriæ mandavit Felix Malleolus. *dialogo de consolat. iniquè suppressorum.* Narrat etiam Fulgosius 1. c. 6. Templarium quendam Neapolitanum damnatum ad

k ignem

Papalis omnipotentia irrisa.

Gratianus palpo.

à Papa sententia an detur provocatio.

Provocationis ad Deum exempla.

1.

2.

3.

res & dignitates tendentes evertere, & omnibus bonis exsuere tentant. Attamen frustrà. Nam iñocentia ac virtute sua freti & muniti, Invidorum morsus & Calumniatorum obtrectationes facilè spernunt atque retundunt, & tantundem curant, quantum latratum Canis, ut est in proverbio. Palma enim ardua primæque nobilitatis arbor frondibus nunquam vidua, homines ad magna tendentes aptissimè exprimit. Ad cujus radices Ranæ plurimæ odiosa sua coaxatione omnib. molestæ, Calumniatores mores optimè repræsentant; & Hydri nullis serpentibus veneno inferiores, si Plinio credimus, virulentos Invidorum sibilos designant. de quo insuper ejusdem Junii versiculi exstant sanè quàm eruditi: quos Joachimus Camerarius retulit *Centuria prima Emblematum*:

Calumniatores Ranis & Hydris assimilati.

Palma caput tollit cœlo ardua, cujus ad ima
Rana loquax, stabulantur & Hydri.
Oppugnant proceres, quorum via consona recto est,
Degeneres, atque invida lingua.

quam sententiam & brevius & concinnius hoc disticho comprehendit *Conradus Rittershusius* Jurisconsultus & Philologus eximius:

Quantum Palma Hydri possunt Ranaque nocere:
Tantundē invidia virus obesse probis.

Sed reliqua à Pancirollo hîc loci exposita, pertexamus: Inter quæ etiam commemoratum video

Sericum.

6. *Sericum vermiculorum artificium, &c.)*

De Serico dicendum à nobis erit infrà, Titulo peculiari. Quod verò picturas ex Avium pennis consertis attinet: per eas intelligitur opus illud plumatile: cujus generis multa ab extremis Novi Orbis majorum nostrorum memoriâ inventi partibus ad nos allata cernimus, tam indumenta, quàm gestamina, scuta etiam, & diversi generis vasa, psittacorum & phœnicopterum, & aliarum pictarum avium plumulis intertexta opere tam venustè variato, ut nihil delectabilius possit oculis offerri.

Pictura plumatilis.

7. *Ex eadem regione advehuntur & cultelli lapidei.)*

Referunt Novi Orbis Scriptores, Regionum istarum incolas, antequam ab Hispanis & aliis ad vitam cultumq; paulò humaniorem fuerunt perducti, inter alia etiam lapideis usos fuisse cultris: quibus tam facilè & aptè quidvis secare potuerint, quàm nos ferreis. Quæ res facit, ut non possim hoc loco non meminisse Cybeles Sacerdotum: quos traditum est, acuto silice vel samiâ testâ virilia sibi amputasse. Catull. de Aty:

Cultri lapidei.

Devolvit illa acuto si pondera silice.

ubi, pondera illa, quæ sine pudore nominari non possunt, cùm Juvenali rectè interpreteris carnem super vacuam. Sic enim scribit *Satyra 2.*

Quid tamen expectant, Phrygio quos tempus erit jam
More, supervacuam cultris abrumpere carnem.

Silice actum vel testâ in abscisione ejus partis usus fuisse Cybeles sive Matris Deum ministros sive sacerdotes, ipse etiam Juvenalis meminit

Circumcisio Silice peracta.

—Ecce furentis
Bellonæ, Matrisque Deum chorus intrat & ingens
Semivir obscœno facies reverenda minori
Mollia qui rupta genuit genitalia testâ

Inde eos *semi mares* appellat Ovid. *li. 4. Fast. Ibant semimares & inania tympana tundunt*
Aeraque tinnitus are repulsa dabunt.

Qua de re *libr.* 1. *titul. d. Bysso* multa dicta sunt.

sunt. Quibus addo, quod Augustin. *lib. 7. de civit. Dei* scribit, abscissos Matri Deûm servire, ut significaretur, eos qui semine indigeant, terram sequi oportere, quæ mater Deûm nominatur. Lucretius verò *lib. 2.* Gallos ministerio Cybeles, quæ uti diximus, mater Deum appellatur, ideò dici additos, quoniam qui violant matrem, digni sunt, ut emasculentur, quo minus possint vivam procreare progeniem. de qua Tiraquell. *in Leg. connub. l. 15 n. 121.* & ad Alex. ab Alexãd. *lib. 4. genial. dier. c. 17.*

An & in circumcisione adhibiti.

Nec desunt Theologorum gravissimi, qui in circumcisione lapideum cultrum usurpatum fuisse dicunt. Nam & illud *Exodi 4. v. 25. Tulitque Zepora acutissimam petram, & circumcidit præputium filii sui, &c.* doctissimus Joh. Calvinus de *Lapide* arrepto simpliciter interpretatur *lib. 4. Instit. Christian cap. 15 sect. 22* quo sensu cùm locum istum, tùm verò illud Josuæ *cap 5. Fac tibi cultros lapideos*; etiam à Lavatero Theologo Tigurino acceptum video: dum cultros lapideos intelligit petrinos, auß scharpffen Schieferstein. Et quidem illic mysterium subesse ait. Christus enim est petra, *1. Corinth. 10.* atque idem is est, qui circumcidit & purgat corda nostra. Quorum sententiæ etiã Hadr. Junius subscribit, illo in picturam Christi circumcisi tetrasticho:

Saxeus edicto resecabat mucro puellos,
Nec legem egressus patitur sibi Christus acutã
Truncari glandem testa: præputia duri
Scindãtus cordis, vita ut sit criminis exsors

Lapidum quorundam acies in India.

& ex Augustino confirmat Simon Majolus *par. 1. dier. canic. colloq. 18. fol 581.* ostẽdens simul eam lapidem quorundam in novo orbe esse aciem, ut ferro æquentur; quippe qui securis, gladiorum ac reliquorum instrumentorum fabrilium ministerium præbeant, quæ apud nos è ferro conficiuntur. Nam & novaculas ex lapidib. illis fieri & detrahendis ferarum coriis gladii acuti usum lapides eos præstare memorat. Sed & ingentes arbores ad navigandum vi aciei ipsorum lapidum excavari scribit. Alii tamen cultros lapideos intelligunt acutos lapide vel cote redditos. Nam cos ferrum reddit acutũ, exsors ipsa secandi: quasi præceperit Dominus, novaculas sive cultros de petra acutos fieri, ut efficiens pro effectu per Metonymiam sit positum; præsertim cum extra controversiam verum sit, cultellum lapideum de circumcisionis necessitate non esse, & modernos etiam Judæos in circumcisione eo non uti, sed Novaculâ potiùs acutâ: ut post Lyranum etiam Munsterus tradidit.

& usu.

Novacula eur in cadavere hebetetur.

In Novaculis autem singulariter hoc observatum est, quòd harum acies in secandis cadaveribus hebetari soleat. Idque propter immensum in eorum frigus, ut Plutarchus putavit *libro de Comparat. ignis & aquæ.* Quod etsi id efficere quandoque Hieronymus Mercurialis fateatur: aliam tamen arbitratur subesse rationem. Experientia enim comprobatum est, pepones, aliosque plurimos fructus, qui vel calidi & humidi sunt, vel saltem non multùm frigidi, cùm cultris incidunttur, eorum aciem obtundere. quem effectum potiùs corpusculis viscidis quibusdam adscribendum putat; quæ adhærendo acutiem ferri remittant. Idque eo comprobari, quoniam prout hujusmodi corpuscula paulatim dissipantur & evanescunt: sic cultris pristina vis restituitur. Mercurial. *libro 5. variar. lection. capit. 12.*

Iuncus Indicus.

8. Item Crepida ex junco Indico) Juncum istum Indicum eundem esse cum Papyro Ægyptia, dubitandum non est: cum eandem hæc, quam ille, utilitatem præstet.

Papyri & Iunci utilitas.

Nam ut Papyrus non tantum calceis con-

conficiundis est commoda, verùm & an multa utensilia vasorum aptissima: quid & ad navigia texenda, velaque & tegetes nec non vestem stragulam, ad funes è libra conficiendos; & nulla denique herba est, quæ tot & tam variis modis humano consulat usui, & majores pluresq; afferat utilitates, quas Plinius recenset *lib. 13. cap. 11 cum seqq.* Ita & de Junco illo Indico omnia hæc itidem rectè dixeris. Cujus cùm tanta sit apud Indos utilitas, non minus rectè fortassis antiqua sua origine gloriari hi poterunt, quàm Ægyptii: qui ad demonstrandam progeniei antiquitatem, fasciculum papyraceum, solebant pingere, primum scilicet nutrimentum innuentes: cujus, sicut & genituræ non facilè quis initium invenerit: quod ab Oro Apolline *libr. 1 Hieroglyphic.* est traditum: ubi tamen interpres τροφὰς non rectè *educationem* convertit, cùm *alimenta* esset dicendum, quæ Ægyptios ex Papyro assumsisse certum est, & crudam & assum & elixam manducantes, succo tamen tantùm devorato, cùm alioqui manducamẽtum exspuerent. Eandem hanc originis vetustatem, sive nobilitatem generis Athenienses per Cicadam significabant: quos Thucydides propterea τεττιγοφόρους, *hoc est, cicadigerulos* appellat, quòd apud Athenienses institutum erat, Cicadas ex auro capitis ornamento gestare, quæ indigenas & ingenuos ab advenis & servis distinguerent. Causam nonnulli comminiscuntur, quòd Cicadæ maximè omnium animalium indigenæ videantur. In ea siquidẽ regione, qua genitæ, vivunt moriunturque: cùm reliqua ferè omnia animalia aliquò migrent, neque sedem ullam firmam habere perseverent. Joh. Pierius *lib. 26. Hieroglyph.*

Fasciculus papyri.

Cicada Atheniens.

Cæterùm ex junco illo crepidas fieri dubium non est: cùm itidem & ex papyro conficiantur: asserente nimirum Herodoto, Ægyptiorum flaminib. alios quàm biblinos, seu papyraceos gestare, fas non fuisse. De Veterum autem calceis dictum à me est *lib. 1. titul. de Fibula fol. 342. cum seqq.* quib. addenda sunt, quæ doctissimè commentatus est Johan. Guilielmus Stuckius *Antiquitat. Convival. lib. 2. cap. 27.* Illud certè dissimulandum non putavi, Ægyptiis mulieribus, ex patrio more, calceis uti non licuisse: at ita domi se continere quodammodò cogerentur. quod Cœl. Rhodig. annotavit *lib. 10. Antiquar. lectio. c. 3.* Sic & Plutarchus in præceptis conjugalibus refert, Phidiam Heliorum Venerem ita finxisse, ut testudinem calcaret; tacitè indicantẽ, uxoribus domi manendum esse, silendumque. Hinc in templo *Sancti*, quem Deum hoc nomine cultum apud Romanos, unum è numero duodecim salvatorum, idem Plutarchus ait, Cajæ illius Ceciliæ, mulieris cum eleganti forma, tam probatissimis moribus antiquitus, ad auream ipsius statuam reposita fuisse santalia, & colum. Quorum illa testabantur, eam domi manentem familiæ curam habuisse; hoc industriam significabat, quòd muliebres operas diligenter obierit, lanificii studiosa, referente Erasmo *Chil. 4. cent. 8. Adag. 33.* Atqui hæc imago haudquaquam placitura sit nostratibus fœminis, per omnia Emporia, deniq; nusquam non terrarum, terra marique volitantibus, ait idẽ Erasmus *Chil. 3 cent. 3. adagio 38.* Eademque ratione apud Linschotanum lego, Chinentium puellis à teneris mox unguiculis plantas fasciis cohiberi, incessu posterum molestissimo. sive quòd minutos pedes elegantiæ caussa affectent: sive quòd existimatum sit, posse hac gressus difficultate prodeundi studium quodammodo imminui. Etenim viri maximè sunt Zelotypi: plurimumq; mulieres ad libidinem & luxum inclinatæ; *Goa* præsertim, ut nullo sup-

Calcei papyracei.

Ægyptii mulieres discalceata.

Venus testudinem calcans.

Sandalia & colus C. Cecilia.

Chinenses.

Goa.

lo supplicii metu à furtiva illa Venere coerceri possunt: quinimò ita mori habent in delitiis, gloriosam necem existimantes, cui amor auctor sit, parentatione optima & optatissima. Ioh. Hugo Linschoten, c. 23. & 31. Nullum tamen mulieribus calceamentorum usum fuisse, nemo dixerit: cùm sandalia his attributa videam, & quidem, ut docet Pollux, elegantissima: interdum etiam aurea; sæpè etiam armorum vicem præstantia. Sic enim illud Persii *Satyr.* 5.

Sandaliũ.

---Solea puer obiurgabere rubrâ,

de sandalio intelligendum putat Turneb. *libr.* 29. *Adversar. cap.* 8. quo & Omphale commitigasse Herculi caput legitur apud Terentium *in Eunucho*, & apud Lucianum *in libello de scrib. histor.* Verisimile est (inquit) te vidisse Herculem pictum Omphalæ servientem, valdè alieno cultu & absurdo: illam quidem exsuvio Leonis ipsius amictam & clavam manu tenentem & Herculem referentem; Eumque in crocotula è purpurea veste lanam facientem, & ab Omphale vapulantem sandalio. A sandalio autem *Sandaligeruli* dicebantur servi, qui mulierum sandalia gererent, Plaut. *Trinum.*

Omphale sandaliũ.

Vestispica, unctor, auri custos flabelligeræ Sandaligerulæ.

Quo flexionis modo salutigeruli appellantur eidem Plauto *in Alularia*, qui jussu domini hanc illam salutant, suntque nuntii & renuntii: majori haud dubiè herorum commodo quam *damnigeruli*, *Forasgerones & Bonorum exagoga*: quid ad scortilla infirettissima dominorum bona jussi efferebant. de quibus apud Plautum *in Trucul. act.* 2. *scen.* 7. & Titum Popmam *de operis servorum*, *mihi fol.* 53. Nec indigna relatu est, quæ de Rhodopes calceis narratur fabula. Aquilam enim dicunt, alterum ex calceis ejus dum lavaretur è manu ancillæ correptũ deportasse Memphim, Ægypti civitatem; & in sublime super Regis verticem jura dantis elatam calceum in illius gremium demisisse. qui calcei concinnitate & rei miraculo permotus, per totam regionem misit ad eam inquirendam, quæ huiusmodi calceũ ferret. quæ inventa atque reducta Regis uxor facta est. Ita ex calceo cognitum Rhodopes vestigium: eam Ægypti reginam fecit. *Phil. Beroaldus ad Apulej. lib.* 9. Quibus coronidis loco & illud lubet adjicere, quod de Paulo Æmilio Plutarchus prodidit. & ex eo Franciscus Connanus retulit *lib.* 8. *comment ar. jur. civil. cap.* 12. *num* 4. *in fin. fol.* 941. Is cum Papyriam, gravissimam licet fœminam, post longum connubii tempus, & susceptis quoque ex ea liberis, repudiasset tamen, atque ei ab amicis ægrè hoc ferentib. objiceretur, Papiriam cùm formosam esse & locupletem, tum pudicitiâ insignem, & fœcundam: protenso pede, Et hic quidem inquit, calceus novus est & elegans: sed nemo tamẽ vestrûm propè novit, ubi me premat & urgeat. Quo dicto caput hoc concludo, & ad ulteriora progredior.

Rhodopes calceus.

Æmilii calceus.

DE PORCELLANIS TIT. II.

Porcellanæ.

S*Vperioribus seculis nunquam visæ fuerunt* Porcellanæ. *Sunt autem massa quadam, ex gypso, ovo trito, putamine locustæ marinæ, & aliis speciebus composita: quæ si probe stipata & densata fuerit, sub terra in locum aliquem secretiorem reconditur, quem pater Liberis suis (alios enim hunc scire non vult) designat. Atq; ibi octoginta annos manet recondita. quo tempore elapso filii vel nepotes eam eruunt, eàq; rursum subactâ, & ad elaborandum idoneâ*

redditâ, pretiosa illa vasa conficiunt, adspectu pulcherrima & truculentia, nec non formâ, & colore quo Architecti illi volunt, conspicua. Vasorum istorum insignis hæc virtus est, quod si venenosum quid ipsis immissum sit, illicò rumpantur. Qui massam istam sub terra recondit, nunquam rursus eximit; sed Filiis & Nepotibus, aut aliis hæredibus tanquam thesaurum relinquit: siquidem multum inde lucri capiant: Massa enim illa ipsi etiam auro prævalet: quanquam rarò invenitur vera, sed satis adulterata venditur. Turcici Imperatores, itemque Basciani, Sanchiachi & alii Satrapæ, semper è duplicatis comedunt vasis; argenteo quidem inferiore superiore verò ex Porcellanis composito. Sed Porcellana ista falsa sunt.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Porcellanarum descriptio *1.* *2.*

Videtur Pancirollus noster *Odoardi Barbosæ* sequi sententiam: qui libro quodam Italica lingua conscripto, Porcellanas ex Ostreis, & quæ centum annos sub terra latuerint, & aliis hujuscemodi commixtis materiis formari autumat. Sed aliam Porcellanarum descriptionem videre est apud Iohannem Consalvum Médosam: qui vel ideò majorum fidem merebitur, quod Regis Hispaniarum jussu florentissimum Chinæ regnum, in quo Porcellanas fieri extra controversiam habetur, ipsemet perlustrando in rem præsentem venerit, & vasorum illorum materiem oculis suis fuerit contemplatus. Is igitur *libro 1. capit. ultim. Historiæ Chinæ*: Porcellanas (scribit) ex terra dura cretosa fieri: quam contusam & molitam in stagnum aquæ conjiciant, muro saxi vivi probè satis conclusum: Eamque ibi terram imbibere patiuntur humorem aliquem, atque dum liquida [illegible] velut subtilis & levis quædam tela in superficie extendatur. Atque ex hac postea tenerrimas Porcellanas effundi [illegible] autem, quod fundo inhæret, minoris notæ vasa conficit: quippe quæ tanto degenerent magis, quanto crassior in imo deterior fex subsiderit. Addit, vasa ista non diversam

Forma. à nostratibus formam habere: eaque & inaura[illegible] & quo velit colore infici, eodemque indelebili. Simulac verò ita formata fuerint, fornacibus immissa percoqui. Cum Consalvo planè consentit & Ioh. Hugo à Linschoten, dum in descriptione Navigationis in Orientem *capite* 23. ita scribit: Porcellanæ ex certa terræ specie, quæ durissima est, conficiuntur; ea in partes mollitur & molâ tunditur, cisternisque injecta maceratur, donec durities devictâ sæpeque versatâ (quemadmodum apud nos agricolæ lac [illegible] exercent) ie summitate materiam excernat, ex qua subtilissimum opus fit. Sequitur secunda

Delectus.

crassior soboles, & inde aliæ atque aliæ deterior semper successione. Figuræ ac imagines quælibet pòst appingunt, demum fornacibus impositæ testæ, in eam quam ostendunt formam rediguntur. Eæ autem Porcellanæ illæ ita facili precio comparantur, ut quinquaginta veneant quatuor Realibus, aut [illegible] nostratibus: ex iis tamen pro vectigali in ærarium annuo reditu scribit *lib. 3. cap. 4.* redigi nonaginta millia Taes: quorum quilibet 20. bacios nostrates conficit. & tamen præstantissima atque pulcherrima è Chinarum regno circa capitis periculum non avehi, supra asseveravit *lib. 1. cap. ultim.* Regis scilicet & magistratuum usui dicata. Singularem porrò hanc Procellanis virtutem Pancirollus adsignat, quòd nullum

admittant venenum, sed eo immisso ilicò dissiliant. Quam virtutem & Electro quidam tribuunt. Poculum enim ex Electro naturali conflatum (id auro & argenti quintâ parte constare diximus *libr. 1. tit. de Pyropo & Electro*) arcu in superficie ejus intenta maculoso, quo nitor ingenitus obsolescit, nec non stridore virus infusum prodere fertur ac præmonstrare: si verum est, quod ex Langio refert Antonius Mizaldus *Centur. 4. Memorab. Aphorism. 55.* Longè diversum usum præstiterit fortassis poculum ex Mulæ ungulâ confectum: quo solo, & nec argenteo æreove vase, quia dissiliret & dissiparetur, contineri poterat mortifera illa aqua in Nonacri Arcadiæ regione: quæ à vi sua στυγὸς ὕδωρ fuit nuncupata, & ab Antipatro per Iollam filium perlata memoratur ad Alexandrum interficiendum, magna Aristotelis præceptoris in discipulum & Regem tam munificum infamia, qui id veneni pergelidi docuerat. Plinius *lib. 30. cap. 16. in fin.* Plutarchus *in Alexand. in fin.* Etsi autem istam infamiæ notam diligenter & verè (ut opinor) abluit Stephanus Forcatulus *de Gallor. Imperio & Philosophia, libr. 7.* nulli credibile fore existimans, ut insidiarium in Regem conscius fuerit nobilis Philosophus, quamvis exitialem illam aquam detexerit, sciens nihil mali genuisse Naturam sine aliquo bono; nihilque tam præsentis esse veneni, quod vel per seipsum, vel, si salubribus misceatur, ad antidotum non spectet: Constat tamen, Antonini Caracallæ mentem ita invasisse suspicionem illam, ut ob hoc Philosophos, qui Aristotelici sunt nominati, summo odio fuerit prosequutus, & non tantum Aristotelis libros comburere voluerit, sed & sectæ istius hominibus sodalitares, & cætera commoda quæ habebant in Alexandriâ, sustulerit; criminatus eos, quòd Aristoteles causa mortis Alexandri visus esset. Xiphilin. *in Caracallo.* Erat enim Caracallus erga Alexandrum ita affectus, ut non tantum iisdem armis, poculisque similibus iis, quibus ille usus fuerat, uteretur: sed & Alexandrum *Orientalem Augustum* appellaverit, scripseritque aliquando ad Senatum, Animum Alexandri in corpus Augusti introiisse, ut quoniam illi fuerit vita brevis, in hoc viveret diutius: quemadmodum idem Xiphilinus prodidit: fortè ut vel inde Divinitatem ipsi conciliaret, quam Alexandrum tantoperè affectasse noverat, ut datis ad Græciæ civitates literis, ridiculè fatis institerit, decreto publicitus ipsum statuerent Deum. Adeò, quæ minus ei impertita fuerat natura, ab hominum exspectare institutis non est veritus! Lacedæmonii igitur stupidum hunc Alexandri tumorem coarguêtes, Laconicè & patrio more ita decreverunt: Posteaquam esse vult Deus Alexander, esto sanè. Cœl. Rhodigin. *Lection. antiquar. lib. 21. cap. 35.* Callisthenem quoque, doctum hominem, ait Cicero, comitem Alexand. M. ab Alexandro necatum, *in orat. pro Rabirio*: eò quòd vivo ipsi divinos honores reddi debere negasset. Hanc enim necis istius rationem reddit Arrian. *l. 4. f. 169.* De Cassan. quoq; referunt, quod cum Barbaros quosdam Alexand. adorare conspicatus esset (quale inter mores educatus Græcos nunquam ante adspexisse consueverat) solutos effuderit risus. Tum ira stimulatum Alexandrum, utraque manu comprehensa juvenis Cæsarie, parieti caput allisisse, ut est apud Plutarch. *in Alexandro fol. mihi 267.* Eidemque etiam Alexandro statuam Iovis ornatu, intra Altim Corinthios dedicasse tradit Pausanias *libr. 5.* ut inde mirandum minus sit, quod ipsemet etiam Delphinus Apollo de Alexandro, utrû Deum an hominem eum salutaret, dubitaverit, referête id Themist. *in orat. 4.* Atq; hoc oraculû

Electrum.

Mulæ ungula.

Aristot. in Alex. ingratitudo.

Caracalla Aristoteli infensus.

Eius in Alexandrum affectus.

Alexander Divinitatem affectans.

æmulatus est, qui de Karolo Imperatore Augusto ita lusit:

Karole mortales dubitant, homo sisne Deusve.
Sunt tua sceptra hominis; sunt tua facta Dei.

Quod clarissimus Remus ad illum Themistii locum adnotavit. Nec dissimile hæsitationes istiusmodi exemplum videas apud Ausonium *in Epigram. 7. de matre August.*

Ante omnes alias felix tamen hoc ego dicor,
Sive Deum peperi fœmina, sive virum.

Quinimò non ipsemet tantum Alexander pro Iovis Ammonis filio haberi, (quæ opinio de Iove parente inde orta traditur. Quod Nectabanus Ægyptius Magus se in Iovis Ammonis effigiem transformans, Olympiaden Philippi uxorem decepit, & adulterino concubitu Alexan. Magnum genuit. Prout refert Martinus del-Rio Iesuita *lib. 2. Magicar. disquisitio. quæst. 27. sect. 1. fol. 233.*) sed & Hephæstionem post obitum tanquam Deum coli voluerat; in tantum ut Iusiurandum supra cætera religiosissimum existimârit, quod per nomen Hephæstionis præstaretur. Lucian *in libello, Calumniis non temerè credendum*: non secus atque C. Caligula nullum sanctius iuramentum, quàm per nomen Drusillæ credidit. Sueton. *in Caligul. c. 24.* quam ille apud Senecam iuravit in Senatu se vidisse cœlum ascendentem. quomodo & Iulius Proculus iuramento firmavit, Romulum cœlo repentè delapsum, à se in colle Quirinali visum, augustiore forma, & ad Deus rursus sublimen abiisse, ut est apud Ovidium 2. *Fastor.* & Livium *lib. 1. Decad. 1.* & Livia Numerio Attico decies Sestertiûm dono dedit, quia iuraverat vidisse se Augustum in cœlum ascendentem. propterea decretum à Senatu sacratum Augusto, à Livia Drusilla uxore factum, ut à Dione Cassio est proditum *l. 56.* Quod vel ideò minus mirum videri debet, quod reperio ipso etiamnum vivente, divinos ei honores habitos, & per nomen ac numen Augusti jurasse Romanos. unde Horat.

Hephæstio.

Iuratum per nomẽ Hephæstionis.

Iurat per nomẽ Drusillæ.

Romulus inter Deos.

item Augustus.

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Iurandasq; tuum per nomen ponimus aras.

Quod ipsis exprobrans Minutius Felix in Octavio: Tutius eis est (inquit) Iovis genium pejerare, quàm Regis. Et Tertullianus: Majore formidine (ut) & callidiore timiditate Cæsarem observatis, quàm ipsum de Olympo Iovem: citius denique apud vos per omnes Deos, quàm per unũ genium Cæsaris pejeratur. *in apologetico advers. gentes.* Ideoque quoties per genium Principis pejeratum fuerat, acriter puniri solebat perjurium; Eo scilicet, qui hoc modo perjerarat, fustibus castigato, & hac per præconem voce ei occentata, προπετῶς μὴ ὄμνυε, petulanter ne jurato *l. si quo 13. §. fin ff. de jurejur.* cum econtra, si quis per Deum pejerasset, huius perjurii nullum crimen, nulla accusatio, nulla pœna Legibus esset prodita: Cujac. *lib. 13. Observ. cap. 21.* sed satis esse putaretur, quòd Iurisjurandi contempta religio ipsam Deum haberet ultorem. *l. 2. C. de reb. credit.* Ob id enim Græcis Iovem ὅρκιον dictũ esse multi putarunt: & Deorum injurias Diis curæ esse Tiberius apud Tacitum pronunciavit. Cuiac. *lib. 2. Observat cap. 19.* Petrus Ærodius *lib. 4 Rerum. judicat. tit. 2 cap.* quanquam haud scio, an pœnâ, illâ quæ Deum habet arbitrum, & iniuriæ assertorem, ulla possit esse gravior: testante præsertim Regio Propheta & Psalte, Perditurum Deum omnes, qui loquuntur mendacium, *Psal. 5.* Quod & Ethnici Naturæ tacita lege in hominum mentibus divinitus inscripta docti intellexerunt. Hoc enim & Cicero 2. *de Legib.* expressit his verbis: periurii pœna divina, exitium;

Perjurii pœna.

humana, dedecus estò, de quo plura videri poterunt apud Hugonem Donellum *ad tit. de Iurejurando, cap. 9. num. 8.* Nec verò Quo ad jurisjurandi religionem, prætereundum hic censeo, tantæ authoritatis & fidei fuisse Xenocratem, ut quantumvis alios ad testimonium dicendum nemo absque juramento admittendus sit *l. jurisjurandi. C. de testib. & c. fraternitatis. 17. in fin. ex. eod.* Et tamen Xenocrati testimonium dicturo, jurisjurandi religionem remiserunt Athenienses. Eidemque pudoris inexorabilis testimonium contulit *Phryne* uxor, quæ rep... passa & à Xenocrate egressa, non se ἀπ' ἀνδρὸς, ἀλλὰ ἀπ' ἀνδριάντος; exire dixerat, ut refert Dn. Remus in Not. s ad Themist. *Orat. 1. pag. 232.* Atque ipsum illum Xenocratem, ob morum conformitatem; opinor, Plato pluris fecisse fertur, quàm ipsum Aristotelem, Ludov. Cœl. Rhodigin. prodit *lib. 17. lect. antiquar. cap. 34.* Etsi autem juramentum alias maximum expediendarum litium remedium creditur *l. 1. ff. de juram.* Idque etiam ab Apostolo *ad Hebr. 6. v. 16.* omnis controversiæ finis sive expedito appellatur quia certa est juris definitio, quæ fit cum obtestatione divina. Cujac. *in paratit. pandectar. de juramento.* Existimante præsertim Platone, ipsum etiam Rhadimantem lites interposito juramento finiisse *lib 12. de legibus.* pietas enim perjuria nescit, juxta Aristotelem 1. *Rhetor. cap. 15.* Vnde lites sæpè gravissimæ unius juramenti interpositione decidunturatque firmantur, teste Setzero *in præf. tract. de juram. nu. 1. & 2.* Quandoquidem juramentum pro veritate habetur. Angel. & Schneid. *in §. item si quis. Instit. de act.* & Ioh. Borcholt. *de juram. tract. 8. n. 1.* Quia tamen ea est seculi huius impietas, & temporis injuria atque licentia, ut plerique juramenta non curent magis, quàm antiquæ & ruinosæ domus fumum. Heigius *de fidejuss. cap. 7. num. 592.* Pruckman. *cons. 16 n. 36. vol 2.* imò vix obulo æstiment, & iis ludant, ut puri astragulis; ad superiorum certè circumspectionem pertinebit atque prudentiam; edicere, ut ad juramentorum delationem ita facilè deproperetur. Quod prudenter sanè admonuit Plato *d. libr. 12. de Legib.* Nunc verò, inquit, quoniam mores hominum alii, & improbi plures, nec ille judicandi modus cōgruit: itaque prudens Legislator in judiciorum executione jusjurandum litigantium prohibebit, ut tam accusatoris intentio, quàm Rei deprecatio sine jurejurando in judiciis conscribatur. Nam si jurandi licentia in civitate dabitur, ubi plura ad judices deferuntur coridie, omnes penè perjuri erunt. Quod refert Tolosan. *in syntag. jur. universi cap. 6 nu. 11.* sicuti alias jusamenti præstationem viri boni absque religione magna in se non recipiunt, ut per *l. si duo. in fin. ff. de jurejurād. & cap. & si clericus. ext. eo. tit. & c. 2. de proba.* ostendit Rauchbar. *q. 11 n. 18.* relatus à Ventura de Valentiis *in par. litigiosa. lib. 2. c. 13. n. 22.*

Xenocrat.

Pluris à Platone factus quàm Aristot.

Iuramēti authoritas.

Abusus.

Licentia.

Sed nec in Alexandro duntaxat, verùm etiam aliis quoque principibus viris eandem insaniam in cultu habituque Deos mentiendi, apud bonos Auctores licet deprehendere. Etenim Antigonus Rex in omnibus Liberum patrem imitatus, hederam, capiti circumposuit loco causiæ & diadematis Macedonici, thyrsum pro sceptro gerens, si Herodiano credimus, quāquam non desunt, qui hanc in ipso divinitatis affectionem excusent. Etenim cùm ex adulatione, quæ pestilens alioquin & virulenta nulli non rei inducit tabem, Antigonum Macedoniæ Regem Hermodorus Poeta Solis dixisset filium: Haud facilè (inquit ille) ubi consentiet Lasanophorus meus. Dii enim & Solis filii Lasano non indigent. Plutarch. *in Apophtegm.* veluti obscurè insinuans, quum

Antigon.

alimentis egeam, quum inde retrimenta fiant plura subinde egerenda, mihi sanè mortalis videor, non Dei filius aut Solis. Siquidem est Lasanophorus, qui matulam Domino subjicit. Est quippe Lasnum cujus & Horatius meminit *libro primo Satyr.6.* his versibus:

Lasanum

> *Quum Tyburte via prætorum quinque sequuntur*
> *Te pueri, Lasanum portantes Oenophorumq;.)*

vas ventris exonerationi subserviens. Turnebus *lib.* 13. *Adversar. cap.* 3. & quidem virorum propriè: sicuti fœminarum trulla Scaphium dicitur. Cæl. Rhodigin. *libr.* 21. *Lection. antiquar. cap.* 33. quasi parva Scapha, & quæ commodè inter verendorum (ut Metaphorâ Martialis utar) symplegades inferri possit, ut Alciatus interpretatur *libro sexto parerg. cap.* 26. Unde Ulpian. Argento legato, non puto ventris causâ habita Scaphia contineri *l. Quintus* 27. *§. argento ff. de auro & argento legato.* quo loco Accursius *Scaphium* pro cingulo interpretatur, non sat doctè. Iuvenalis *Satyr.6.*

Scaphiū.

Et ride, Scaphum positis cùm sumitur armis.

quod qui Athletis attribuunt, non videntur Poëtæ sententiam adsequuti. Estque notatu cum primis digna Sigismundi Imperatoris moderatio. Nam cùm à quodam impensè & supra modum laudaretur in faciem, & diis prædicaretur similis, illi colaphum impegit; dicentique, Cur me cædis? respondit, Cur me mordes? Philip. *in Chronicis lib.* 5. *mihi fol.* 964. & Stephanns Guazzus *de conversation. civili lib.*1.

Sigismund. Imp.

Sed ad larvatos revertor Deos: ex quibus C. Caligula, non modò novus Dionysius sive Bacchus appellari voluit: sed & universum Dionysiacum habitum in[illegible]us incessit, in eo apparatu etiam judi[illegible] exercens, ut refert *lib.* 4. Athenæus; & latiùs Dio Nicæus *lib.* 59. in hæc ferè verba: Caligula interdum effœminatior spectabatur, thyrsum & cratera tenens: interdum virili specie clavam & Leonis pellem gestabat; subindè facie levigata & crasa, mox barbata visebatur; nunc tridentem tenens, nunc fulmen vibrans; nonnunquam Palladi bellicæ viginti assimilatus.

[illegible]

Bacchi quoque habitum cultumque jam anteà usurpasse legimus M. Antonium: quem Vellejus Paterculus redimitum hederis, coronaque velatum aurea, & thyrsum tenentem, cothurnisque succinctum scribit curru velut Liberum patrem vectum fuisse Alexandræ: neq; id spectacu[l]i in Regia tantùm Ægypti Urbe; sed Athenis quoque in medio Græciæ quasi theatro exhibuisse. Quam rem clarissimè consignavit Seneca *Suasorior.* 1. monens in adulatione, qua aliorum animos permulcere volamus, modum aliquem servandum esse, ne nobis accidere tale aliquid quod Athheniensibus: cùm publicæ eorum blanditiæ non tantùm deprehensæ, sed & castigatæ sunt. Nam cùm Antonius (inquit,) vellet se Liberum patrem dici, & hoc nomen statuis subscribi; habitu quoq; & comitatu Liberum patrem imitaretur: occurrerunt venienti ei Athenienses cum conjugibus & liberis, & Διόνυσον salutaverunt. Benè illis cesserat si casus Atticus ibi substitisset. Dixerunt, despondere ipsos in Matrimoniū illi Minervam Musam suam, & rogaverunt, ut duceret. Et Antonius ait, ducturum: sed dotis nomine imperare se illis mille talenta. Dio Nicæus, Antonium myriadas centum ab ipsis exegisse scribit. Qui calculus posterior quadragies Sestertiûm, hoc est, summam centum millium coronatorum aureorum nō transcendit: cùm prior ille summam efficiat sextuplo majorem, ad sexcenta aureorum coronatorum millia

M. Antonius.

Adulatio punita.

sia sese extendentem. Id quod Romano more ducenties quadragesies Sestertiûm diversis (ex supputatione Hadriani Iunii *lib. 4. Animadv. cap.* 1. Sed et Antonius Bacchi habitum assumebat: ita Commodus Imp. Herculem se & Iovis filium nominari voluit, deposito Imperatorio cultu omni, Leonis exsuvio indutus, & clavam manu gestans, Herodiano oculato hujus rei teste: non secus atque Sex. Pompejus Neptuni filius olim haberi ambiverat, phœnicium paludamentum, quo Imperatores utebantur, in cœruleum vertens, gloriabundus scilicet ob fœlicem in navigatione successum, & geminum adversæ partis naufragium. quod præter Apianum, etiam Porphyrio ad Horatium adnotavit.

Cõmodus.

Sex. Pompeius.

Seriòne autem, an verò Deûm contemtu potiùs adscititium illum divinitatis habitum usurparint, non facilè dixerim. Heliogabalus certè, si Lampridio credimus, Cervos quatuor junxit ad currum, quo vehebatur, totidemque Canes, Dianam se appellans; & quatuor Tigres, Bacchum se dictitans; & quatuor Leones, se Cybelen vocans: non tam venationis & ferarum studio, quàm Religionis & Deorum hominumque contemtu: quum etiam fœminas quatuor currui adcopulaverit: non secus atque Sesostris Ægypti Rex, Reges quatuor, ut Antonius Mizaldus meminit *Memorabil. centur.* 6. *Aphor.* 99. De horum Apotheosi, quæ Herodiani *lib.* 4. constant, Imperatores fato functos in Deos referri solere, Seneca joculare composuit scriptum, quod *Apolocynthosin*, veluti quandam inter Indigites referendi rationem indigitavit: eo quòd Claudius medicato boleto, quasi pharmaco purgatorio, quod olim frequens ex Colocynthide concinnabatur, periit. Infusum autem delectabili cibo Boletorum virus, *Locustæ*, nobilis veneficæ ingenio paratum, Agrippinam Claudio porrexisse scribunt, Plinius *libro* 24. *cap.* 22. Corn. Tacitus *lib.* 12. Sueton. in Claudio *cap.* 44. & Dio *lib.* 58. Quò pertinet illud Neronis dicterium, quo Boletos (fungorum id genus est) *θεῶν βρῶμα*, hoc est, Deorum cibum nominavit; innuens nimirum, Claudium per Boleti esum, cujus avidissimus fuisse Suetonio dicitur, ad Deos excessisse. Hinc illa Martialis imprecatio:

Heliogabalus.

Sesostris.

Apolocynthosis.

Claudius. Boletus.

Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Et vulgaris circumfertur versiculus:

Boleti lethi caussa fuere mei.

Nec enim, ut est apud Senecam, post Boletum opiparè medicamentis conditum, Claudius plus cibi sumpsit: exspectans scilicet, ut jam cœlo collocatus, cum Romulo

—possit ferventia rapa vorare.

quippe non Nectare tantùm & Ambrosia Deo pasci, veteres credebant: verùm etiam vilibus quibusdam cibis, ut Romulum rapis. Credo, de paupertate illius seculi, quo Romulus vixerat. Proinde quasi in cœlo iisdem cibis victitet, quibus in terra alebatur; Martialis ita ludit:

Romulus jam Deus rapis vescitur.

Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa
Quæ damus, in cœlo Romulus esse solet.

Sed parum esset, Boletis & id genus eduliis vim maleficam miscere, nisi & sacrificiis hanc propinatam legamus. Nam & *Victor III.* Pontifex Rom. exstinctus fertur, injecto in calicem veneno, dum rem divinam facit, non absque inimicorum dicterio, divinum planè id poculi asserentium, quo hausto Victor ad sidera celeriter evolasset; non secus, ac Claudius Boletorum esu, sicuti diximus. Et *Henricus Lucemburgensis* Imp. optimus, à Clemente V. Pontifice (cui pro genuina sedis illius ambitione non satis erat eximium cœli regimen, nisi terris quoque latissime dominaretur (ad comprimendam

Venena etiam in sacris adhibita.

Guel-

Guelphorum protervitatem Italiam petere impulsus, Aretii contracto exercitu agens, ac Christum pia mente spirans, glutito cum Eucharistia veneno, fraude Mōpellicani monachi, à Florentinis instructi, exspirasse dicitur: vir equidem ambrosia Cœlitum, non diro toxico pasci dignus, sacerdotibus improbis ac vanis infestus, bonorum contrà & studiosorum amicissimus propugnator, quos *cygno nigro rariores* tunc dicere solebat. Step. Forcatul. *de Imper. & Philosoph. Gallor. lib.* 4. Et quomodo Cæsari parcent, qui Pontifici non pepercerũt suo? Quærit Piccartus *decad.* 5. *observat. historicopol. cap.* 10. Victorem III. (de quo modo diximus) veneno in calicem injecto è vivo Divum fecisse subdiaconum eius, Platina & alii scribunt.

Papa divinitatẽ affectans.

Nec verò dissimile divinitatis fastigium Papam Romanum affectasse liquet. Nam & Stephanus Petracensis, in Papa, inquit, est omnis potestas supra omnes potestates, tã cœli quã terræ. Hinc enim Papa vocatur in jure Canonico *in extravagant Iohan.* 22. Dominus Deus noster. Et Nicol. Papa *in can. satis evidenter. 96. distinct.* gloriatur, se à Constantino Deum fuisse nominatum. Quem locum Augustin. Steuchius Papæ Bibliothecarius *in lib. de Donation. Constantini edito Lugduni an.* 47. *fol.* 141. laudans, ita subjungit: Audis Pontificem à Constantino Deum appellatum, & habitum pro Deo? hoc videl. factũ est, cum eum præclaro illo edicto decorâvit, adoravit uti Deum, uti Christi & Petri successorem: divinos ei honores, quoad potuit, contulit: velut vivam Christi imaginem veneratus est. Sed & *Bonifacius VIII.* Anno 1300. in magno concursu propter jubilæum facto clamavit: *Ego sum Pontifex & Imperator, terrestreque ac cœleste imperium habeo.* Eundem dixerunt Deum in terris Baldus *in l ult. C. sentent. rescind. non poss* Decius *in c* 1 *de constitut* & Felinus *in c. ego de jure jur.* & admirabilem vocat *gloss. in procem. Clementin. verbo Papa.* ubi dictum ait esse Papam ab interjectione admirãtis Papæ: verè enim ait, admirabilis est, quia vices Dei in terris gerit: Inde Poeta ille

Papa stupor mundi, & paulò post:

Nec Deus es, nec homo, quia neuter es, inter utrumq;.

Inter istiusmodi vero palpones ridiculus ferè est & insubidus Ianson *consil. 145. incip. circa primum nu. 3. vol.* 1. ubi ita scribit. Papa est supra me, extra me: Papa est omnia & super omnia: Papa est dominus dominantium & jus Regis habet in suo subditos, Papa potest mutare, quadrata rotundis. Vnde non est de eius potestate inquirendum: prima cum caussa nulla sit caussa. Et hoc nostro tempore extant libri Bononiæ & Neapoli recens excusi, cum hoc emblemate: *Paulus V. Vice Deus, Christiana Reipub. Monarcha universissimus.* Et alibi, idem Consistorium cum Deo: idem tribunal cum Christo habere dicitur: cui subesse omnis humana creatura etiam in temporalibus debeat: idq; ita esse & credere, de necessitate esse salutis. Nam utrãque ei jurisdictionem, tam in secularibus, quàm Ecclesiasticis competere, duobus illis gladiis, quos sufficere, dixit Christus, satis probari Theologorum plerique æstumant. Ius enim duas intelligi potestates in Ecclesia apud summum Pontificem residentes: ut sic possit ille *utramq. potestatem*, si usus ita exegerit, contra quemcunque, *etiam leges & Imperatorem, usurpare.* Quippe cum Imperator tanto inferior adjudicandus sit Papá, quanto aurum pretiosius ęstimandum est vilissimo plumbo. & sol luna: quæ sicuti à sole lumen recipit; ita à Papa authoritatem Imperator: ut habetur *in can. duo sunt. 96. & distinct. & c. solita. de majoritate & obed.* Hieronym. de Cavallos *in Speculo commun. opin. contra*

Papa in terris utramq; habet jurisdictionem.

Papa sol & auro. Imperator lunæ & plumbo comparatur.

tra commun quaest. 739. & Fernandus Vasquius *lib. 1. illustr. controvers. cap.* 20 & 21. Cæterum Papalem illam omnipotentiam Philippus Pulcher Galliæ Rex Bonifacio VIII. respondens *maximam fatuitatem* indigitavit, & illas Papicularum assertiones solidè confutavit Christophorus Besold. *in discursu Iuridico politico de Appellationibus cap.* 4. jam ante *cap.* 2. *fol.* 36. non absq; indignatione conquestus, Asinum illum Cumenum in pelle Leonina Romanum scilicet Pontificem, sacrosanctæ sub Imperatorio Majestatis amplificandæ prætextu totius mundi tumide omnibus tyrannidem; Sed & allegatas illas juris Canonici sanctiones sive canones, qui de juribus cœlestis & terreni imperii Petro commissis tradunt, *Paleas* cognominari & stramini æquiparari contendit. Quod & verum est. *Gratiani* enim sunt, qui Pontificum aucupabatur gratiam; ut ex Ripa refert Albericus Gentilis *disputat de iure canonico cap.* 2. ideoque cum ex adfectu potius, quàm veritate illi prodierunt, parum utiq; fidei merebantur, utpote à palpone profecti manifestario. Cujus naturam & ingenium optimè describit Lucas de Penna *in rubr. C. de silentiariis lib.* 12. *fol.* 3. Ex quo in dubium vocari poterat illa à Canonistis tanto conatu suffulta opinio: qua à Papæ sententia provocationem dari negant. Quid enim ineptius, aiunt, quàm ab aliis judicandum asserere eum, qui omnes est judicaturus? *can. si Papa.* 4. *distinct. & can. nemo cum aliquot seqq* 9. *q.* 3. *& can. si quis suadente. in fin.* 17. *q.* 4. Et cum Papa superiorum neminem recognoscat; sed & par cum Deo tribunal habeat: qui prouocari ab eo poterit? Cum nec ad parem judicem appellatio detur: sed ad superiorem duntaxat. *l. judicium* 58. *ff. de iudic. l. ille a quo* 13. *§.* 4. *ad Senatuscons. Trebell. l. Magistratus.* 4. *ff. de recept. arbitr. facit Panciroll. lib.* 2.

Papalis omnipotentia irrisa.

Gratianus palpo.

à Papa sententia an detur provocatio.

cap. cum inferior 16. *Ext. de maior. & ob & can. inferior sedes* 21. *distinct.* Utut sit, judicium certè & tribunal Dei nunquam effugient, à quibus lege humana provocare non licuit. Eamque provocationem ita à summo omnium Monarcha Deo receptam produnt historiæ, ut velut citati ad diem certum ante id tribunal comparuisse videantur. Quam in rem exempla mira, & supra fidem, sed ex fidis & certè priscis auctoribus comportavit Lipsius *lib.* 2. *Monitor. politicor. cap.* 11. Ut quando Ferdinandus IV. Hispaniæ Rex duos nobiles perduellionis reos, ex altissima turri præcipites dari jussisset, iiq; crimen constanter negarent, nec aliquid proficerent, eo confugerunt ut dicerent, se divinum tribunal appellare, proindeq; manumisset ad triginta dies judicio sistere: siquidem postea trigesimo die, cum dormire crederetur, in fata concessit. Michael Ritius 3. *de Regib. Hisp.* Dux quidam Austriacus, cui Rudolpho nomen erat, nobilē, quē nō i nprobū oderat, cōprehēdi, culeo insui, aquisq; mergi jussit. Is jā jā de pōte præcipitandus principē ex fenestra suppliciū prospectātē, intēta voce ita alloquitur: Ente ad inexorabile tribunal Dei justi, quod in valle Josaphat, euoco, inibi intra annū te siste, & cur me insontē hac tanta morte extingui tibi placuerit, causā ede. Cui princeps; præi; & tu sequar, inquit. At prope finē deducto anno, ejusque die ultima apparente in castrum quoddā animi gratia secessit, postq; lautum prandium levicula tentatur febri, heu me miserum exclamat, promissum me vadimonium obire necesse est: vadari me sentio, injecta manu invitus ducor, trahor, rapior: & insimul mortem obiit: ut memoriæ mandavit Felix Malleolus. *dialogo de consolat. iniquè suppressorum.* Narrat etiam Fulgosius 1. *c.* 6. Templarium quendam Neapolitanum damnatum ad

Provocationis ad Deum exempla.

1.

2.

3.

ignem in urbe Burdegala, conspectis in fenestra Pontifice Clemente ac Rege Philippo pulchro, magna voce in hæc verba proruisse: Sævissime Clemens, tyranne, posteaquam inter mortales nullus jam, ad quem appellem, super-est locus, pro gravi morte, qua me per injuriam afficir, ad justum judicem Christum, meum appello redemptorem, ante cujus tribunal te voco, una cum Philippo Rege, ut intra annum diemq; ambo illic comparеatis, ubi causam exponam meam &c. Intra id tempus Clemens repente correptus est morte, nec multo post Philippus quoque interiit. His addatur & illud quod Olaus Magnus prodidit. Erat apud Vestrogothos vir eximius & illustris

4. *D. Iohannes Thursin* nomine, qui severius quàm æquius jussit quendam Regnicolam capite plecti: qui genibus innixis gladioq; truncandus eidem Domino dixit, te voco hac hora ante tribunal Dei, ut respondeas, cur me innocentem mortè condemnes. Moxque sublimis ille vir, homine sub gladio cadente etiam ipse corruit ab equo, socius factus ante tribunal cœli, qui temere & iniq; judicavit in terra. Olaus Magnus *in hist. de Gentil. Septentrional. cap. 20. lib. 20.*

5. Ita Hieronymus Pragensis de Concilii Constantiensis sententia rei capitalis condẽnatus, omnipotentem provocavit judicem, post centum annos ut illi respondeant. Quod Christophorus Besoldus cum aliis præterea pluribus retulit. *in discursu Historicopol. de appellationibus cap. 2. num. 13.* Quæ ego judicibus potestate sua abutentibus, inprimis verò *Deastris, atque larvatis illis Deis* etiam atque etiam diligenter inculcanda cẽsui. Quos ex Seneca ita compellare lubet.

Vos quibus rector maris atque terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidosque vultus:
Quicquid à vobis minor extimescit,
Major hoc vobis dominus minatur
Omne sub regno graviore regnum est.

Ut divinè monuit Seneca *in Thyeste. act. 3. in fin.* Porrò Apotheseos illius formam (huc enim tandem reducenda est nostra dissertatio) ita descriptam cognovimus, ut Imperatore, qui referendus in Deos, & consecrandus erat, vita functo, pyram in tabernaculi formam construerent, quod auro & ebore, signisq; & tabulis pictis exornatum munifice, alio desuper breviori usq; ad tertiam contignationem erigebãt, Aquilâ cum omnium Deorum aggestu in summo culmine locata; lectoque constructo cum purpura & auro, in quo defuncti effigies jacebat, senatus, equester ordo, ac viri triumphales quiq; amplissimos honores gesserant, præcedebant, lectum deferebant in Pyrã, cum carmine & hymnis, omnibusq; humanis divinisq; aggestis honoribus. demum incensâ pyra, quam vapore & fumo Aquila agitata, è summo culmine tabernaculi aëra petiisset, religio incussa fuit, ipsius animam per inane cœlum petiisse, ipsumque defecato quod mortale erat & caducum in numero cœlestium & concilio Deorum recipi & haberi. Atq; hic deinceps pro Deo colebatur. Prout ex Herodiano & aliis ita describit Alexander ab Alexand. *lib. 6. genial. dier. c. 4.* hoc etiam ibi commemorans, Agesilaum illum Magnum cum à Thasiis apotheosi honoratus, & inter divos relatus fuisset vivens, illos interrogasse, ut si Deos faciendi potestatem haberent, prius seipso consecrarent, postea se ipsos deificarent: ut est apud Plutarchum *in Apophteg.* At deificatione illa, ut pro numine coleretur tanto studio, ne insaniâ dicam, captus fuit *Empedocles*, ut in medium Æthnæ incendium vivens se dejecerit. Strabo *lib. 6,* Laërtius *in ipsius vita* & Tiraq. *in tr. Nobilitatis.*

Apotheosis descriptio.

Agesilaus.

Empedocles.

Cæ-

Caracallæ parricidium.

Cæterum novitiis illis Diis, de quibus diximus, *Divorum* quàm *vivorum* nomē facilius concesserit Anton. Caracalla, qui cùm Getam fratrē in ipso matris gremio, ad quod tāquam tutissimum asylum confugerat, ac jam tum ex collo ejus pendentem, adhærentemq; ipsius pectori atq; uberibus, interfecisset; Xiphil. *in epit. Dionis, in Caracallæ vita*; consulente quodā, ut ad declinandum sive mitigandam parricidii infamiam atq; invidiam, interemptum fratrem *Divi* nomine dignaretur: Sit (inquit) Geta Divus, dum non sit vivus, Philipp. Camerar. *Operar. succisivar. cap.* 88.

Porcellana venenum non ferunt. Simon Simonius:

Sed institutum repeto: ne fortè dum manum poscor, ut dicitur, pedem porrigere videar. Porcellana igitur vasa veneni nihil admittere, non tantùm Pancirollus rectè monuit; sed & literis id ipsum contestatus est *Simon Simonius*, Serenissimi Maximiliani designati Electi Regis Poloniæ, Archiducis Austriæ Medicus, & Regni Bohemiæ Archiater: quas ille unà cum Porcellana quandam Pragâ misit Lipsiam, ad generum suum *Fridericum Meyerum*, affinem mihi charissimum. Et quidem ipsissima Epistolæ illius verba hic loci adscribere, quid vetat? Scutellam (ait Simonius) mitto ex preciosa Porcellana. Inuenta est unà cum aliis rebus in cistis Bassæ Budensis, qui nunc Viennæ captivus detinetur. Bibunt ex ea Turcæ aquam, cerbet, suàque jnscula: quia venena mutatione subitaria pelluciditatis detegere iisdemque potenter credatur resistere. Dono data est illustrissimo Heroi, amico meo: à quo accepi. Non commutârim eam cum argētea ejusdem ponderis. Nam hujus materiam esse puram, minimeq; ae adulteratam, certò mihi persuadeo. Et credibile est: cùm tam illustri inter Turcas Duci in usu fuerit. *Pragæ* 12. *Febru. Anno* 1600. Quæ loco huic inserere propterea dubitavi minùs, quòd dum Lipsiæ non ita pridem à collaudato illo Affine meo liberaliter exceptus. Scutellam illam manibus tractavi meis & suavissimo repletam vino semel atq; iterum, non sine voluptate exhausi verum adeò deprehendi, quod Consalvus Mendosa prodidit *lib. 1. Historiæ Chinæ, cap. ult.* Porcellanas illas elegantiâ & perspicuitate sua, ne pellucidissimis quidem Crystallis cedere. Crystallum autem glaciem esse Plinius docet *lib.* 37, *cap.* 2. & cœlesti humore, parvaque nive fieri: nec aliubi reperiri, quàm ubi maximè hibernæ nives rigent. Quò allusisse videtur Auctor obscæni carminis, illo versu:

Porcellana perlucida.

Cristallus.

Rigetque duro barba vincta Crystallo.

Cristallina vasa

qua de re videatur, quod *libr. 1. ad Tit. de Specularibus* adnotavi. Porrò Crystiallinis poculis summa olim fuit auctoritas, atque ea quidem in frigido potu maximè commendari idem Plinius refert: cùm materia illa caloris sit impatiens. Xenocrates auctor est, vas amphorale ex crystallo visum: & ex India vas crystallinum Sestariorum quatuor fuisse allatum, Ac si eidem Plinio credimus, is olim luxuriæ furor fuit, ut etiam Mater familiâs, nec diues tamen, mercata dicatur trullam crystallinam Sestertiis centum quinquaginta millibus. Nero quoque eodem auctore, amissarum rerum nuncio accepto, duos calices crystallinos in suprema ira fregit illisos: fortè, ne quis alius ex iis biberet, aut verò ad divitiarum ostentationem. Hoc enim argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria existimata est, habere quod posset statim totum perire. Hinc precium crystallinis fecisse dicitur ipsa fragilitas. Plin. *libr.* 33 *in proœm.* Quod totidem ferè verbis expressit Seneca *lib.* 7. *de benefic. c.* 9. Video (inquit) istic cristallina, quorū ascendit fragilitas pretium. Omnium enim rerum voluptas

apud Imperitos ipso, quod eos fugare debet, periculo crescit. Ejus rei memorabile nobis exemplū (ut infinita alia prætereā) præbere poterit Vedius Pollio: qui servorum unum, quod Chrystallinum fortè allisisset, ad ultimū rapi suppliciū, & Murænis, quas in piscina depascebat capacissima, objici jussit. Et quidem jam inde ille eò fuisset abreptus, ni Augustus (ad cujus cū Pollione tùm cœnātis pedes fuerat dilapsus, nō quidē mortem deprecaturus, sed mortis genus, hoc est, ne Murænis esca foret) insuitā crudelitatis speciem miratus, dimitti evestigio puerum imperasset, & vasa ejus operis cōteri universa. Dio Cassius *lib. 54*. Ridiculū verò, quanquā non infacetum est Martialis cōsilium, istā Chrystallinorū fragilitatem ita caveri posse monentis, si servus, quia ea tractabit, nec nimiū ea negligat, nec nimium etiam sit solicitus. Nam & non curandi temerè ea excidere; & à timente sustineri non posse, labentibus manibus. Sic igitur ludit *lib. 4. Epigram.*

Vedius Pollio.

Frangere dum metu frangis cristallina: peccant.
Secura nimium sollicitaque manus.

Sed ab hoc metu liberum fore servum, idem innuit, qui Saguntinos calices, ex Saguntino luto facto ministraverit:

Saguntina pocula.

Quæ non sollicitus teneat, servetque Minister.
Sume Saguntino pocula ficta luto.

Nam cùm alia pocula singulari tractentur & custodiantur sollicitudine: in his nullâ curâ opus fore significat: quandoquidem vilia sint id genus vasa, & si frangantur, aut nullam, aut certè parvam jacturam allatura. Hinc idem alibi:

Ficta Saguntino cymbia malo luto.

Insignem igitur prudentiæ laudem in hoc mereri videtur *Cotys* ille Thracum Rex: qui quòd esset naturâ prærapidus, ac ad iram effervescentior, ad ultionem proinde etiam præceps præcipueq; imperiosus, & immitis in servorum delictis (quod genus hominū minutulis suffervefactum rebus, *Microlycum* Græci vocant) quum preciosiora essent ab hospite dono ei oblata figlinæ, cælato opere, tornatuliq; ratione conspicua, sed tamen prætenvia, fractionisq; injuriæ opportuna: offerenti quidem gratum se præbuit, ampliter illum muneribus afficiendo: Cæterùm mox vasa contrivit omnia, facti protinus ex fide ratione reddita: quòd vereretur, ne per incuriam ministros peccantes ea in re sævius amariusque verberibus concideret. A tam nobili exemplo adagionis comminisci figuram possumus, ut *Cotys figlina* identidem præferendis intendamus, insusurremusque, quos velimus commonitos illum indignationis ardorem ex nimio irarum æstu prorumpentem, prudentiæ quodam sufflamine, vel cum dispendio reprimendum. Cœl. Rhodig. *lib. 23 lectio antiq. c. 20.*

Cotys Rex.

ad 11.

Cotys figlina.

Inprimis verò commendanda videtur Veterum parsimonia: apud quos figlina seu fictilia opera tanto in usu fuère; ut Numa Rex septimum figulorum Collegium Romæ instituerit. Non enim imbrices tantùm tegulæ, laterculique inde fiebant: sed & tabulæ, lucernæ, candelabra, vasa omnis generis, doliaque ad vina & ad aquas. Quin & defunctos sese multi fictilibus doliis condi maluère: sicut M. Varro, Pythagorico modo, in myrti & oleæ, atq; populi nigræ foliis. Plinius *libr. 35. cap. 12.* Tuberonem certè Seneca, inter alia, etiam ob hoc singulariter laudat, quod in Epulo publico (Plautus *popularem cœnam* vocat) fictilia pocula populo Romano proposuerit. Proderit (*ait lib. 15. epist. 69. in fin.* narrare & exponere Tuberonis ligneos lectulos, cùm in publicum sternerentur, hœdinasque pro stragulis pelles, & ante ipsius Jovis cellam proposita

Figlina Romanis usitata.

Tuberonis frugalitas.

sita convivis vasa fictilia: quid aliud, paupertatem in Capitolio consecrare? Ut nullum aliud factum ejus habeam, quo illum Consulibus inseram, hoc parum credimus? Censura fuit illa, non cœna. O quàm ignorant homines cupidi gloriæ; quid illa sit, aut quemadmodum petenda! illo die populus Romanus multorum supellectilem spectavit; unius iratus est. Omnium illorum aurum argentumq; factum est, & in milites conflatum. At omnibus seculis Tuberonis fictilia durabunt. Et hujus quidem laudis duraturæ causam videtur idem assignare *lib 1. epist. 5.* cum ita scribit: Magnus ille est, qui fictilibus sic utitur, quemadmodum argento: nec ille minor est, qui sic argento utitur, quemadmodum fictilibus: Refert tamen Cicero, Populum Rom. hanc Tuberonis frugalitatem, veluti quasdam sordes, graviter tulisse: atque ita hominem integerrimum, Civem optimum, hœdinis illis pelliculis Præturâ dejectum fuisse, *in orat. pro Murena.* Ubi etiam fictilia vasa, populo exposita, docet fuisse *Samia*: quo genere vasorum usus fuisse scribitur & *Agathocles* ille Siciliæ tyrannus, licet figulo genitore satus, quemadmodum & *C. Marius* ex fabro ferrario, tempore Gallieni à militibus Imperator Romanus fuit salutatus ille quidem, sed non diuturnum fuit ipsius Imperium. Una enim die factus est Imperator: alterâ visus est imperare: tertiâ interemtus est à milite, & quidem eo, qui ejus quondam operarius in fabrili officina fuerat, addito hoc dicterio: *Hic est gladius, quem ipse fecisti.* De quo triduano Imperatore non illepidè usurpare possis id, quod de Vatinio Cos. jocatus est Cicero: Eo nimirum Imperatore magnum obtigisse ostentum: nam nec brumam, nec ver, nec æstatem fuisse. Philip. Camerar. *Operar. succisivar. c. 82.* Hic in digitis nervos habuisse dicitur, non venas: tanta vi, ut nullius manus adscribendum aut impellendum præstantior tradatur. Quippe venientia carra salutari obnixus repulit: fortissimum quemque uno sic demum digito afflixit, ut perinde ac clava ferroque icti torquerentur. Tantum verò abest, ut tam vilis eum puduerit originis, ut in concione hæc in verba dicatur prorupisse; Ars mihi abjiciatur ferraria, dum me ferrum tractasse suis sentiant cladibus exteræ gentes, quæ Populum Romanum ferratam gentem putent. Cœl. Rhodig. *lib. 4. Antiq. lect. c. 3.* Sed nec minor censenda est Agathoclis moderatio, quâ eleganti hoc carmine graphicè descripsit Ausonius:

Samia vasa. — *Agathocles C. Marius.* — *Ejus fortitudo.* — *Moderatio.* — *Agathoclis moderatio.*

Fama est, fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.
Fercula gemmatis cùm poneret horrida vasis,
Et misceret opes, pauperiemque simul.
Quærenti causam, respondit: Rex ego qui sum,
Sicaniæ figulo sum genitore satus.
Fortunam reverenter habe, quicunque repentè
Dives ab exili progrediere loco.

Quemadmodum autem hæc Agathoclis moderatio meritò commendatur: Ita econtra turpis & nefanda ipsius libido, & improba atque abominanda Venus reprehensionem nequaquam potest effugere. Nam & ab eminentissimis proditum historicis est, Agathoclem formâ & corporis venustate præeminentem, diu vitam stupri patientiâ exegisse: ipso ēt Timæo scribente, cum primo ætatis flore κοινὸν πόρνον hoc est, scortum promiscuum, impudentissimo cuique fuisse expositum, & nec minùs petulanter reliquum ætatis tempus in nequitia peregisse, libidine à viris ad fœminas translata. Hinc probrosi in illum versiculi apud Suidam, quibus *Graculus triteftis* fuit nuncupatus. Graculus

Vitia.

Cur Graculus nuncupatus.

quidem: vel quòd ob singularem in concionibus facundiam, æmulis & inimicis loquax magis, quàm eloquens diceretur, uti de Attilio Palicano pronunciatum novimus: Vel ob latrocinia & furacem naturam. Graculis admodum genuinam. Nam, ut Plinius scribit, Huic soli avi furacitas auri argentique præcipuè mira: quippe quam *Monedulam* quoque inde dictam Grammatici interpretamur, quasi *Monetulam*, quòd surripiat monetas. Sed hoc Grammaticorum suaviludium vocat *Becmanus*, & rem ita explicat. Cornix, ait, & monedula in gentilitate erat junonis tutelæ concredita. Iã juno etiam dicitur *moneta*: inde ejus avis *monetula*, postea κατ' ἀντίστοιχον *monedula*, uti à quatuor, quadraginta, quadro. Agathoclem verò latrociniis incubuisse ante tyrannidem, historia testis est. Ideoque concedentem Syracusas diu sine fide fuisse: quoniam nec in fortunis, quod amitteret; nec in verecundia, quod inquinaret, habere videbatur. Cœl. Rhodign. *Lectiõ Antiquar. lib. 24. cap. 4.* Tri-

Triorchus

orchis verò appellatus fuit, allusione facta ad illam ex Accipitrum genere avem, quam ob genituræ fœcunditatem; & frequentem Veneris usurpationem, Græci τριόρχην, Latini *Buteonem* vocant: sive quòd reipsa tres habeat testes: (ὄρχις enim testi ulus est) sive quòd duo tantæ salacitati sufficere posse non putentur. Lipsius id genus hominum libidinosorum, & vitæ spurcæ atque impuræ, uno verbo *Salaciones* appellatos fuisse contendit *libro 2. Elector. cap. 17.* Synesius eosdem effœminatos, parumque viros, proverbiali specie *Cotyos sodales* & asseclas nominatos indicat. Fuit enim Cotys apud Corinthios pro Dea culta, quæ & *Cotytto*, turpitudinis & præposteræ libidinis præses: cujus tutela erant, qui ob turpem quæstum, vel ob fœdam libidinem aliaque de caussa pudicitiam prostituebant, ut est apud Suidam.

Fertur quoque Agathocles perquàm ridiculo & turpi capite fuisse. Unde cùm paulatim diffluentibus capillis denudaretur; pudore ductus, myrtea corona crinem obtexisse dicitur; quæ quasi vallum erat & tegmen calvitiei. Veteres sanè pileis istis, quos vulgo dicimus, caruisse ostendi *libr. 1. Tit. de Fibula cum seqq.* Ideoque vel nudo erant capite, vel vestis lacinia aut cucullo caput operiebantur. Quòd si qui in magno æstu fœnum secabant, adversus Solis ardorem caput torto fœno tegebant. Quò respexit Propertius, Vertumnum ita loquentem introducens, *lib. 4. Eleg. 2.*

Fœniseca.

Da falcem, & torto frontem mihi comprime fœno.
Iurabis nostrâ gramina secta manu.

Agathoclis virtus.

Sed excepto turpi illo, de quo dixi, libidinis vitio, Agathoclem excellentibus ingenii atque animi dotibus præditum fuisse Suidas ex eo colligit, quod anno ætatis circiter decimo octavo Syracusas, prope quas natus fuerat, confugiens à rota figulina, à fumo, à limo, non multò post talibus fundamentis innitens, omnem Siciliam suæ ditionis fecerit: Carthaginenses in summa discrimina adduxerit: denique in Imperio senex vitam exegerit, appellatione Regia. quo tamen loco inprimis notatu dignum est, quod Machiavellus pro comperto asserit, aut nunquam, aut certè rarissimè solere homines ex humili fortuna ad altum conscendere fastigium absque vi aut fraude, & quidem hac magis, quàm illa *libro 2. Disputat. de Republ. cap. 13.*

Porsena.

Legimus prætereà, ipsum etiam Porsenam Hetruriæ regem fictilibus fuisse usum. Docet id disertè Martialis hoc disticho:

Aretina nimis ne spernas vasa, monemus

Vasa Aretina.

Lautus erat Thuscis Porsena fictilibus.

Nec tamen ex Samia tantùm terra, sed & Aretina, singulari cum laude fictilia conficiebantur. Hinc Plinius: retinet hanc nobilitatem Aretium in Italia: & Samia etiamnum in esculentis laudantur. *libro 35. cap. 12.* Nec dubium est, quin figlinæ artis gnari inprimis fuerint *Osci* Campaniæ populi. Hinc Campana supellex pro fictili, *lib. 1. Satyr. 6.*

Campana supellex.

Vilis cum patera guttus, Campana supellex.

Quò pertinet illud Propertii *lib. 4. Eleg. 2.*

At tibi, Mamuri, formæ cælator ahenæ,
Tellus artifices ne terat Osca manus.

Fecerat Mamurius Vertumni signum aheneum. Gratus igitur Vertumnus optat, nec unquam Mamurius fictilia signa faciat; sed semper nobiles ex ære status & formas ducat: ne figlinæ luteæ vilitate tantus artifex dedecoretur. Turneb. *libr. 23 Adversf. cap. 6.* Verumtamen inter omnia vasa fictilia primas tenuêre Samia. Ex quo genere etiam haud dubiè fuit *Fidelia*. Nonius certè eam definit vas Samium ad plurimos usus: de qua Persius:

Samia vasa

Nec tamen invideas, quòd multa Fidelia putet
In locuplete penu:

Ejus & Plautus meminit, Aulularia: Sed si reperero, ô Fides: mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam. quo in loco Plautus eodem modo *Congialem* dixit *fideliam*, quo Plinius *cadum congiarium* ac si Congium in Cadum diceret formatum, ut Budæus explicat *libro 5. de Asse & ejus partibus.* Et Samo igitur vasa illa Samia, ex Samiâ scilicet terrâ effecta, quorum tanta esse cœpit nobilitas, ut pluris etiam constiterint, quàm Murrhina. Plin. *libr. 35. cap. 12. circa fin.* de quibus dictum à nobis est *lib. 1. Tit. de Murrhino.*

Samon autem Insulam Junoni sacram fuisse, nemo nescit. Eandemque olim & Partheniam nuncupatam, post Aristotelem Plinius scribit *lib. 5. cap. 31.* fortè, quòd ibi παρθένος, id est, virgo Juno adoleverit, ibi educata sit, ibi etiam Jovi nupserit, ut Lactantius prodidit. Unde & fanum Junonis nobilissimum, & antiquitus famigeratum fuit Sami; ubi donarium Deæ perquàm opulentum visebatur, & simulachrum ipsius in habitu nubentis figuratum; & sacra ejus anniversaria Nuptiarum ritu ibi celebrabantur. Sami præterea feracissimam fertilitatem laudantes prisci, non dubitabant illud ei proverbiū accommodare, quòd etiam ferat *Gallinæ lac*, ibique reperire possis Lactis gallinacei haustum quod Plinius decenter usurpat *in præfatione* Naturalis historiæ, ad Vespasianum. ut & Julius Cæsar Scaliger *Exercitatione* 144. adversus Cardanum. de Samo ita Apuleius 2. *Floridor.* Ager frumento piger, aratio irrita, fœcundior oliveto, nec vinitori nec olivetori scalpitur. Ruratio omnis in surculo & surculo est: quorum proventu magis fructuosa est quam frugifera. Sed & auctor est idem Plinius. Samiâ testâ Matris Deûm sacerdotes qui Galli vocantur, virilitatem amputasse, nec aliter circa perniciem, si M. Cœlio credamus: qui linguam sic amputandam objecit gravi probro, tanquam & ipse jam tunc eidem Vitellio malediceret *libr. 35. cap. 12. in fin.* Hinc Samium Nonio usurpatur & testeum & acutum. Unde & *Samiare* (ait) dicimus acuere, quòd in Samo hoc genus artis polleat. Et Samiata ferramenta, idem Nonius interpretatur acuta & mucronata fortè, quia Samiâ cretâ polita & nitida, detersaque acuerentur. Unde & *Samiarii* dicti, qui Samiâ illâ cretâ arma & picula prætorianorum & satellitum Imperatoris ad nitorem fricabant tergebântque,

Samos insula.

Samia testa.

pro acuta.

queatque exasperabant gladiorum & jaculorum aciem & cuspides Turneb *lib.* 27. *Adversar. cap.* 21. Hinc enim Samii Lucumonis acumen apud Ausoniam, dum *Epist.* 4. *ad Theonem* ita scribit:

Lucumo, Samius.

Scillito decies si corpurgeris aceto.
Ancipitesque tuum Samii Lucomonis acumen.

Ita enim, non obstante varia & fluctuante Hadriani Turnebi interpretatione *libr* 2. *Adversar. cap.* 23. *& lib. cap.* 17. versus illos nobis restituit Scaliger. ut si sensus: Non poteris, ô Theo, ænigmatum meorum nodos solvere, etiamsi cor purges scillito aceto, quod antidoti vice sæpe anticipare soles: neq; etiam si te eo præmuniveris, quod est tibi acumen adversus faciendos; qui es Lucumo, & insanis.

lib. 2. *Auso. lect. cap.* 12.

Acetum pro prudentia.

Nam & acetum pro acumine & prudentia poni, ex illo Plauti constat *in Bacchidibus.*

Nunc experiar, sitne aceto tibi cor acre in pectore.

Et in *Pseudolo*:

Et quid habet is homo aceti in pectore? CH. atque acidissimi.

quo sensu per aurem Stoici acri aceto lotam Persius intelligit cum, qui artis dialecticæ disciplina acri, & acuta instructus non fallatur captiosis ratiocinationibus: quemadmodum Varro *acrem disputatorem* artis aceti cupas habere eleganter dicit, qui cum alteram vitam deformasse Carneadem virtutis è cupis acris aceti, scribit, Lucumones verò, ut ex Festo novimus, homines quidam erant, ob insaniam dicti, quòd loca, ad quæ venissent, infesta facerent. Quo verbo & Sidonius utitur: Temperat Lucumonem nostrum Tanaquil sua. ut inde conjecturâ fiat probabile, iis temporibus in ore vulgi illud vocabulum fuisse, in homines insanos & intractabiles *lib.* 2. *Ausonianorum lectionum c.* 12. iis autem verbis: Temperat Lucumonem Tanaquil sua, Sidonius Apollinaris *lib.* 5. *Ep.* 7. intelligit *Chilpericum*, quem uxor temperabat, ut olim Lucumonem, id est, Tarquinium Priscum Tanaquil temperabat: quæ erat uxor Tarquinii Prisci, qui Lucomo dictus: *Tanaquil* autem, Hetruscum vocabulum: & Lucumo Tuscorum lingua Rex est. De Tanaquil, quod nomen pro qualibet uxore ponitur, ita Hieronymus *ad Jovinianum*: Notior est marito suo Tanaquil: illam inter multa Regum nomina jam abscondit antiquitas: hanc verò inter fœminas virtus altius seculorum omnium memoriæ, quam ut excidere possit, infixit. Quod Savaro ad illum locum adnotavit. Unde eundem Theonem Ausonius etiam Stolonem appellat.

Lucumo.

Tanaquil.

Stolo.

Sed jam non potis, ô Stolo, doceri.

ubi Stolonem, pro stolido poni Turnebus rectè annotavit *libr.* 2. *cap.* 23. quem Terentius elephanti corio circumtectum non suo, dixerit *in Heautont. act.* 3. *scen.* 1. Nam cùm elephanti corium durissimum sit & crassissimum; proinde fit, ut elephanti minus sentiant. Id genus homines Festus à petrarum asperitate & duritia *Petrones & Rupices* appellat. quo posteriori verbo etiam Tertullianus frequenter utitur, singulariter verò *in libro de Anima.* Quid autem facient (inquit) tot ac tantæ animæ Rupicum & barbarorum quibus alimenta sapientiæ desunt, tamen indocta prudentia pollent, & sine Academiis; & porticibus Atticis & carceribus Socratis; denique jejunantes à Philosophia nihilominus vivunt? quo in loco *Rupices* Beatus Rhenanus interpretatur homines indoctos, & amusos; fortè quòd Rupium incolæ Naturæ soleant esse asperioris, & ingenii inhumanioris. Inde est, ut quorum immanem crudelitatem exsecramur, eos à rupibus natos esse dicamus. Virgil.

Petrones. Rupices.

Nunc

Nunc scio quid sit Amor; duris in cotibus illum
Ismarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec nostri generis puerum, nec sanguinis edunt.

Et apud eundem Dido Æneam ita alloquitur:

—duris genuit te cautibus horrens
Caucasus.

Nec verò infrequens est, ut per *lapidem* intelligamus hominem sensus expertem. Unde illud apud Terentium: *Quid stas lapis?* & apud Plautum *in Milite:* Nullum hoc est stolidius saxum. Hinc Aristippus rogatus, quid melior evasurus esset filius? Ut nihil aliud (inquit) certè vel in theatro non sedebit lapis super lapidem, innuens nimirum imperitum à lapide nihil ferè distare. Sic Plautus, lapidem verberare, usurpat pro castigare incastigabilem, aut docere indocilẽ. Et Amaryllis apud Theocritũ à Pastore *Tota lapis* dicitur, quòd nullis amiculi, ut idem ait, precibus moveatur. Quò pertinet illud Evangelicum: Potest Deus *è lapidibus istis* suscitare filios Abrahamo. Id enim de stupidis penèque brutis hominibus, qui nihil adhuc divinum sapiunt, proptereaque tanquam lapides sine sensu sunt, interpretatur Joh. Pierius *libr. 49 Hieroglyph. tit. de Lapide.* Nam qui lapides adorabant, lapidibus similes, ut in Psalmo est, evadebant. Unde & illud: *Auferam cor lapideum de carne vestra,* Origines & Eucharius de stupiditate & insipientia interpretantur. Eodemque sensu saxei appellantur Episcopi rudes, & rerum omnium imperiti, infestivo illo carmine, quod saxeæ Pasquilli statuæ Romæ affixum se deprehendisse testatur Alciatus *libr. 2. Dispunct. cap. 22.* Id quoniam & argutum & venustum est, hîc adscribo:

Lapis homo insensatus.

Saxei Episcopi.

Tandem Maxime Pontifex galerum
Pasquillo tribuas tuo roganti:
Si sensu sine sum; rude atque marmor
Complures quoque Episcopos creari
Ipso me magè saxeos videmus.

Cur autem famosi libelli passim Pasquilli dicũtur, si quæsiveris, sic habe. Fuit *Pasquillus* Sartor Romanus atque adeo Pontificius, qui ob vitia Papam & Papæ senatu, id est, Gardinales mira libertate & impunitate vellicabat. Eo mortuo cum propè tabernam ejus statua marmorea gladiatoria habitu effosa, & eodem loco erecta esset, joco populari Pasquillus appellari cœpit: quod illic ob dicacitatem notissimus magister Pasquillus habitasset. Et quemadmodum ille vivus hominum vitia insectatus fuerat: ita nunc post mortem ejus statua epigrammatophora munus subiit. Illi enim omnis generis scripta maledica noctu affiguntur, quæ inde pasquilli nomen sibi vindicant. ita ex theatro vitæ humanæ *vol. 2. lib. 3. fol 3709 in verb. pasquillus* retulit Joh. Dauth. *in tract. de testament. tit. Qui testament. fac poss nu. 226 fol. 267.* Scitũ verò inprimis est, quod de *Adriano Pontifice,* Pasquini & Marforii statuas, ubi famosi & ridiculi in urbe libelli affigebantur, in Tiberim projectũ ronarratur. Ei enim Suessanus Caroli legatus peropportuno sermone dixisse fertur: si in flumen statuæ illæ projicerentur, Roma istiusmodi mala carmina esse cantaturas. Quo dicto sic Pontificis conatus repressit, ut amplius ea de re actum non sit, teste Gomezio *lib. 7. de rebus gestis Ximenii.* Nonnulli addunt Pontificẽ his rationibus nõ contentum, sed indignabundum respondisse, comburatur ergò illa statua trunca Pasquini: sed eidem Cardinalem quendam regessisse. Ex combusto Pasquino cineres non tãtum in urbe, sed longè latèque dispersum iri, inde capturos clientes propinqui occasionẽ, celebrandi suis poematib. & scriptis memoriam

Pasquilli unde dicantur.

moriam sui patroni: ut nihil aliud hac combustione efficeretur, quàm ut cineres illi in totum orbem, quod remanente illa statua trunca vitari posset, dispargerentur. Philippus Camerar. *Operarum succisivar. centur. 2. cap. 62.* Cæterum de Episcoporum quorundam crassa & asinina ignorantia atque stupiditate nihil hîc attinet dicere: quandoquidem clarissimorum auctorum monumentis, præsertim verò doctissimis Beroaldi *ad lib. 9. Apulej.* commentariis ea satis innotuerit. De aviditate verò illorum, & beneficiorum venatione sive aucupio, videri poterit Annæus Robert. Aurelius *lib. 1. Rerum Judicat. cap. 7.*

Horum inscitia.

Etsi enim Pontificio jure sub gravi pœna interdictum legimus, ne quis ad sacerdotia, sacros ordines, aut dignitates Ecclesiasticas invitus promoveatur: *can. ubi ista. & can. honorat distinct. 74.* rectè nimirum sentiente Hieronymo, Clericatum non honorem esse, sed onus: *in Epistola ad Heliodor.* Per paucos tamen ætas hæc nostra producit, qui cum Hieronymo id expendant, quinimò ne corvos quidem aut cæteras aves, quæ laceratione corporum aluntur, tam rapido volatu ad cadavera per aërem ferri videmus, quàm ægrotante Clerico, beneficii opimi possessore, Corvos beneficiarios cernimus ad extorquendam à languente Resignationem, & spolia adhuc spiranti detrahenda; aut desperata Resignatione ad aulam, curiamve Romanam incredibili celeritate advolare. Sed omissa querela ista, institutum nostrum prosequamur.

Aucupium.

De aceti igitur *Scilliti*, cujus Ausonius modò meminit, confectione videatur Columella *libro 12. capit. 34.* decem bambatas, sive bammatas in mustum mitti jubens: quo nomine intelliguntur *Scyllæ*, quæ aliquo intinctu conditæ sunt, ut idem Turnebus interpretatur *lib. 17. Adversar. cap. 14.* non admodum dissentiête Carolo Stephano in Prædio suo Rustico, *sub Titulo Vinetum. §. Vini vitia.* Haud dubiè verò Ausonius per Acetum Scillitum (Carolus Stephanus Scyllinum; vulgus Scylliticum vocat) intelligit acerrimum & acidissimum: quale est id, quod Sammonicus *durum* vocat:

Acetum Scillitum.

Furfuribusque novis durum miscebis acetum

& acidum Bacchum:

Aut acido Baccho miscebis farra lupini.

ubi per *farra* intelligit *farinã*, ut proinde & farraceum & farreum sit *farinaceum*, Unde idem de Porrigine:

Desinet interea glomerari farrea nubes.

Cùm enim caput pectitur, velut farinæ quædam nubes è capite cadit. Turneb. *lib. 17. c. 18.* Est quippe *Porrigo*, morbi quoddam genus, à porrigendo, id est, extendendo sic dictum. Crescendo enim porrigitur: &, ut Celsus scribit, in capillo, barba & supercilio nascitur, ubi acutæ (quidam *à cute* legunt) quædã quasi squamulæ surgunt. Lucilius eo morbo conflictatum vocat:

Porrigo.

Tristem, & corruptum scabie, & porriginis plenum.

Aceto porrò acuto sive acido *vapidum* aut stupidum, & languens opponitur quod Persius appellat moriens:

Pannosam fecem morientis sorbet aceti.

ubi per fecem pannosam, intelligit flores; quòd in fece insunt flocci quidam & panni. Tria autem in vino: *Flos, Flox,* & quod propriè *Vinum* dicitur. Cæcilius: *Ego neque florem, neque flocces volo mihi Vinum volo.* Et de *Floce* quidem hactenus. *Flos* autem, vini est odor & fragrantia, Plautus *in Curculione*: Flos veteris vini naribus objectus est meis. Et paulò pòst:

Flos. Flox. Vinum.

Nam omnium unguentum odor præ tuo nausea est.
Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa.
Tu crocum & casia es. tu bdelium. Nam ubi
Tu prefusus, ibi ego me pervelim sepultam.
Sed quum adhuc naso odos obsequutus est meo,
Da vicissim me gutturi gaudium

Sed & vim suavitatem per *florem* intelligi, idem Plautus innuit in C stellaria, ita Lenam introducens loquentem:

Quiaq; adeo me complevi flore Liberi,
Magis libera uti lingua conlibitum est mihi.

ubi *flore Liberi*, idem valet, ac *vino suavissimo*. Nam & tale est jucundissimi odoris. Quanquam etiam Flos vini interdum dicitur, quum vinum in supremo tenuem quandam habet spinam. Plinius *lib. 14. c.* 21. Flos vini candidus probatur: rubens, „ triste signum est, si non is vini color sit. „ Iterum: Quod celeriter florere cœperit, „ odoremque trahere, non fore ait diuti„ num. De vino autem ipso satis à nobis dictum est *libro primo. titulo de Cellis.* quo vino tamen legato, an acetum contineatur, meritò dubites. Eo enim & acetum contineri Ulpianus ait *in l. prima. ff. de trit. vin. & oleo legat.* Si paterfamilias vini numero id habuerit. Atque vino legato, acetum quod vini numero fuit non deberi, idem Ulpianus respondit *in leg. 3. in princ. edict. titulo.* Sed *in leg prima*, vinum indefinitè ei at relictum. Ideoque legati sustinendi causa Acetum vini numero habitum eo continetur: quod alias inutile foret & delusorium: Cùm res fungibiles sine adjectione ponderis, numeri, mensuræve ad nihilum redigantur. *l. triticum 94. de verborum obligationib.* Posset enim guttula una præstari, non definita certa

Acetum an & quando vini legati nomine contineatur.

quantitate, *leg. quidam 7. ff. de tritic. vino & oleo.* At *in leg. 3.* purum omnino vinum præstandum, quia legatum acetum definitum & utile est, etsi testatur nihil de vino reliquerit. *arg. l. cum alienam 10. C. de legat. & §. non solum.* ubi Schneidewinus *Institut.* & Oswaldus Hiliger *ad Donellum, lib. 8. capit 19. fol. 667.* Planc si vinum legatum postea coacuit, licet in aceti locum transierit à patrefamilias, vino legato continebitur tamen. Quia id quod testamenti tempore vinum fuit, demonstratum est. *leg. si quis vinum 9 §. item si quis. de trit vin. & oleo.* Aceto autem legato non continebitur id legatum, quod vini numero testator habuit. *Embamma* autem continebitur: quia aceti numero est. *de legat. § si acetum.* ubi embamma condimentum est ex aceto, tingendis obsoniis paratum, ex Hotomanni interpretatione, quam Mercurialis confirmat *libro 1. variarum lection capit. 14.* laudatus à Menochio *libro 4. præsumpt 152. num. 20.* Aceti denique vim prædicandam commendat Plinius *libro 23. cap. 1.* ubi infinita penè commoda ejus recenset, & quendam ab aspide percussum, dum aceti utrem ferret, nihil doloris sensisse; simulac deposuisset, dolore cruciatum esse. *M. idem Agrippam* supremis anni gravi pedum morbo conflictatum, cum dolorem eum perpeti nequiret, unius medicorum portentosa scientia, crura in acetum calidum demersisse in ipso acerrimo impetu morbi. Idque rationem fortassis habet, quia acetum perhibetur frigidissimum, eoque nihil frigidius. Solum enim hoc crescentem flammam violenter extinguit: cum per frigus suum calorem vincat elementi, ut habet Macrobius *libro septimo Saturnalium capit. 6.* Simon Majolus *libro 7. dierum canicularium. colloqu. 21. fol. 66.*

Embamma.

Aceti vis.

Podagra medetur.

Ignem extinguit.

Legitur quoque M. Cato in ardentissima siti acetum gustasse : & milites olim semper acetum secum habere sunt soliti, & in æstu bibere, non tantum ne assiduo vini usu debilitati ebrietate conciderent, ut Lucas de Penna interpretatur *in l. 1. C. de erogat. militar. annon. lib. 12.* Sed quod sedandæ siti acetum esset. Ideoque sospitatori generis humani Christo de cruce clamanti illud SITIO, milites acetum, quod de more semper in promptu secum habebant, propinasse leguntur: ut Matthæus Raderus Jesuita adnotavit *ad Martial. Epigram. 122. lib 13.* Aceto denique plumbum in cerussam resolvi, & ovum ita tenuescere, ut vel per annulum toto calice integro pertranseat, Cœlius Calcagninus prodidit *lib. 2. Epistol. q. 14.* Quibus addenda sunt, quæ de crebro & frequenti Aceti sive omphacii usu in condendis eduliis scripsit Josephus Quercetanus *in diatetico Poly-histor ico sect. 3. c. 8. fol. 354.* Quandoquidem cibus, ut in confesso est, non alius magis commendat succus, quàm aceti: sine quo vita mitior degi non possit. Ideoque innumeros ad usus escarũ culinis usurpatur. In quo mirari subit, vini vitium & nequitiam transire in alimentum, de quo videatur Joh. Bruyer. *de re cibaria lib. 10 c. 3.*

Sitim sedat.

Plumbum resolvit.

Cibos sapidiores reddit.

Ac quoniam de Samiis nonnulla hactenus disseruimus; non dissimulandum hoc loco erit, quòd Aristophanes *in Babyloniis* populum Samiorum *literatum* nominavit, festivissimè alludens ad stigmata frontibus ipsorum inusta : adeò ut vulgò jactatum sit, Samiis neminem esse literatiorem: sive quòd Samiis à tyrannis exhausti, ob paucitatem Civium: jus Civitatis quinis Stateribus servis, qui fortè jam notis erant compuncti concesserunt, ut auctor est Aristoteles *in Repub. Samiorum*: sive quòd apud Samios repertæ fuerunt literæ XXIV. à Callistrato, ut Andron *in Tripode* tradit: sive quòd Athenienses Samios captos urendo notabant *Same*, quæ erat Samii navigii genus. Cælius Rhodigin. *lib. 7. Antiquar. lection. c. 31.* Samænam nominat, quod navigium fuisse ait dicrotum, hoc est bireme, rotundum, concavum, ac in ventris similitudinem formatum ut mare percurrere celeriter converti posset : cujus auctor exstiterit omnium primus Samiorum tyrannus Polycrates. Unde etiam dici *Samænam* interpretatur Plutarchus Atheniensibus contrà captivis Samii *noctuam*, Athenarum insigne, frontibus inurebant, par pari rependentes, ut est apud Suidam.

Samii literati.

1\.

2\.

3\.

Samæna.

Eadem ratione Lucius Apulejus pistorios servos, Plauti Olympionẽ imitatus, *literatos* appellat, quòd in fronte notas literarum haberent cauterio inustas. Cujus sanè ipsamet verba, quoniã elegantissimè exprimunt instrumentum pistorium, cui etiam pistores, hoc est, servos qui pistrinum exercent, Ulpianus inesse putat in *in l. cùm de laniones. 18 §. 1 ff. de Instruct. & instru. legat.* huic loco si apponerẽ, non abs re fore duxi. Dii boni (inquit Apulejus *lib. 6. de Asino aureo*) quales illi homunculi vibicibus livedinis totam cutem depicti, dorsumque plagosum scissili centunculo magis inumbrati, quàm obtecti, nonnulli exiguo tegili tantummodò pubem intecti; cuncti tamen sic tunicati, ut essent per pannulos manifesti, frontes literati, & capillum semirasi, & pedes annulati; cum lurore deformes, & fumosis tenebris vaporosæ caliginis palpebras adest, atque adeò malè luminati, & in modum pugilum, qui pulvisculo perspersi dimicant, farinulento cinere sordidè candidati, & quæ sequuntur. Plautinus quoque servus ille Festivissima circumlocutione pristinum designat, cùm ita ait: Nũ me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit? 16

Pistorii servi literati.

ubi

„ ubi fient nequam homines, qui polentam „ pinsitāt, apud fustidinas ferri crepidinas? „ ubi viva hominum corpora mortui incursant boves? Sed & Thracibus inprimis familiare, imò Nobilitatis insigne erat, si stigmatibus essent notati, vel, ut Cicero loquitur, notis compuncti. Is enim *libr. 2. Offic.* de Alexandro Phereo scribit quòd tùm ex epulis ad Theben uxorem veniret Barbarum, & cum quidem compunctū notis Threiciis, districto gladio, „ jubebat anteire. Nam, ut Romani Impe- „ ratores Prætorianis militibus & centurionibus ad cædem uti solebant; sic olim Tyranni Thracibus earum rerum ministris & satellitibus utebantur. Proinde ab eodem Cicerone *ad Pisonem* scribitur: Consulem vestrum tanquam aliquem Thracem ad cædem faciendam conduceret. quod Adrianus Turnebus rectè observavit *lib. 13 Adversar. cap. 16.* Frontem autem notis sive literis inuri consuevisse, præter ea, quæ modò diximus, satis probatur ex Plinio *in Panegyrico*, his verbis: „ Exsanguem & ferream frontem nequic- „ quam convulnerandam præbeant pun- „ ctis, & notas suas rideant. Hinc *Inscripti vultus*, apud Plinium Secundum *libro 18.* quales erant servorum fugitivorum, ut ex Ulpiano colligitur *in l. 1 §. tamdiu. ff. de fugitiv.* Ubi fugitivi servi tamdiu custodiri jubentur, quamdiu ad Præfectum Vigilum, vel ad Præsidem deducantur; eorumque nomina & notæ (hoc est, stigmata frontibus inusta) ad Magistratus deferantur. Hinc, *Notum fugitivorum Epigramma*, Petronius Arbiter. Et Quinctilianus, *Si quis fugitivo stigma scripserit.* Quemadmodum enim Veteres non omnes indistinctè servos custodire solebant: sed eos duntaxat, qui integræ opinionis non erant, ut furaces, & ut Catullus ait, herifugæ, fugitivi, &c. qui quales sint ex Ulpiano cognoscitur *in l. quid sit,*

Thraces notis compuncti.

Servi fugitivi compuncti.

17. ff de ædilit. edict. Ita etiam non quoslibet passim servos; sed perditos tantùm & robustioris improbitatis, in ore notabāt: qui proptereà *Stigmatiæ* dicebantur, & ne manumissi quidem justa libertate fruebantur: quales in Jure erant Deditítii. Johan. Bodinus *de Republic. lib. cap. 5.* per quos Cajus intelligit eos, qui post admissa crimina suppliciis subditi, & publicè pro criminib. cæsi sunt: aut in quorum facie vel corpore, quæcunq; indicia aut igni aut ferro impressa sunt, ut deleri non possint. *Cajus l. 1 cap. 1.* Sic & Ulpian. Dedititiorum nomen esse ait, qui pœnæ causâ vincti sunt à domino, aut quibus vestigia scripta fuerunt. *Instit. c. 1.* quibus adde, quæ de Dedititiis scripsit Alciatus *libro 1. parerg cap. 14. & 16.* & Sylvester Aldobrandinus *ad §. Libertinorum, Instit. de libertin.*

Stigmatiæ.

Dedititii.

A stigmatibus istis legas *stigmaticos servos*, notis compunctos, apud Pollucem *lib. 3 Onoma* quos Tertullianus *Subverbustos* appellat, *lib. de Pallio*, Plautum scilicet imitatus, quum ait:

Subverbusti.

Vlcerosam, compeditam subverbustā, sordidam. ubi Subverbustā, Festus interpretatur, veribus ustam: quasi *sub-verustam* dicas: Rectiùs, opinor, quàm Turnebus, qui *lib. 14. Advers. c. 1.* Subverbustā exponit, sub verberibus ustam: quemadmodum Horat.

—uri virgis, ferroque necari

dixerat *lib. 2. Satyr. 7.* & Ode 4. *Epod.*

Ibericis peruste funibus latus:

ductâ scilicet Metaphorâ ab igni: quòd virgarum & funium ictus Corpus urunt: non secus atque stylis ulmeis circumscribi Plautus dixit *in Pseudolo: Quasi in libro cūm scribuntur literæ calamo; stylis me totum ulmeis circumscribito.* Quo sensu flagella latus conscribillare dicuntur Catullo:

Ne laneum Latusculū, natesq; mollicellas

Illusa turpiter tibi flagella conscribillent.
In cujus tamen ultimi verbi locum, pro metri ratione, vel *consigillent*, cum Mureto; vel cum Scaligero, *concribellent*, substituerem, à cribello. Legimus tamen, fugitivos quandoque & pedum amputatione coërceri solitos; atque adeò qua parte peccassent, eâdem mulctatos *l.3. C. de servis fugitiv.* sicuti falsario incisos digitorum nervos, Alexandri decreto Lampridius; Claudii, præcisis manus, Suetonius scribit. Idem, Galbam Nummulario non ex fide versanti pecunias. manus amputasse ait, mensæque ejus adfixisse. Quam pœnam ascendendæ manus etiam Exactori, non ex legis præscripto apocham conficienti, Justinianus incicit, *Novella 17.* quemadmodum Constantinus Lenoni & persuasori jubet liquido plumbo meatus oris claudi *l. 1. C.Theodos. de raptu virgin.* quamvis id pœnæ genus etiam anteà in usu fuisse, fidem faciat Horatius, quum ita canit:

——nec severus
Uncus abest, liquidumque plumbum.

Pars peccãs punita.

Similiter & in eos, qui mascula Venere utebantur: quod vitium tam infame est Augustino, ut in vitiosis hominum moribus vix habeat inter tormenta confessionem; adeoque contra naturam censetur, ut non in brutis tantùm bestiis abominabile sit: si enim gallinâ absente gallus gallum ineat, vivum eum comburi Grillus dicebat apud Plutarchum) sed & Naturæ inprimis, generique humano inimicum rectè putetur: siquidem id, quantum in se est, hominum genus exstinguat, & juxta Platonem *libro 8. de Legibus*, ibi seminet, ubi non possint radices agi: In eos, inquam) Justinianus pœnam planè convenientem statuit. Nam qua parte erant tàm ignominiosi, hac eos privari imperabat, ut Zonaras prodidit. Quid enim? (ajebat) si sacrilegium commisissent, nonne eis manus amputassem? Ut meritò à Martiali rideatur, qui uxoris suæ mœcho nares absciderat, qua tamen corporis parte nihil fuerat peccatum:

Naris abscissio.

Quis tibi persuasit nares abscindere mœcho?
Non hac peccatũ est parte, marite, tibi.
Stulte, quid egisti? nihil hic tibi perdidit uxor
Cùm sit salva sui mentula Deiphobi.

quanquam & Leo Imperator posteà tam adultero, quàm adulteræ nasum præcidi sanxit. *Novellâ Leon. 32.* quæ pœna jam olim & Ægyptiorum lege in mulieres solas erat constituta, ut est apud Diodorum Siculum *lib. 2. Bibliothec.* Noverant quippe sapientissimi Legumlatores, immoderatam & indomitam fœminei sexus ambitionem à libidine & voluptatibus, non tam severitate pœnarum, quam formæ turpidine & infamia deterreri. Si & Hialta Danorum Rex, postquam discedentem pellex percunctari cœpit, si ipso careat, cujus ætatis viro nubere debeat? Eã perinde ac secretius allocuturus propius accedere jussam, indignatus amoris sibi successorem requiri, præciso naso deformem reddidit, erubescendoq; vulnere libidinosæ percunctationis dictum inutilavit; maritis lasciviam oris jactura temperandam existimans. Quo facto, liberum quæsitus judicium à se ei relinqui dixit, ut est apud Saxon. Grammat. *libro 2. Histor. Dan. fol. 29.* Aliquando tamẽ adulterium in viris castratione & virilium abscissione punitum legimus. Unde illud Diogenis de Didymone mœcho: Ἄξιος (ἔφη) ἐκ τοῦ ὀνόματος κρέμασθαι. Nam Græca διδύμων appellatione testiculi intelliguntur. quibus cùm nimio plus lascivire soleant Clerici, Alachis Longobardus adversus Regem suum Cunipertum bello conflato, juravit, si postridie victoriam

Castratio.

Alachis.

riam adnuiſſet Deus, puteum unum ſe Clericorum teſticulis oppleturum. Cui impietati dicam, an crudelitati, quanquam voto fruſtratus, ſatis feciſſe tamen dicitur, apud Cœlium Rhodigin. *libro*. 4. *Lection. Antiquar. cap*. 9. Inter varias certè adulterorum ſive deprehenſorum pœnas atrociſſima fuit militari viro. Plaut. *in Pœnulo*. Facio, quod deprehenſi mœchi haud fermè ſolent. Quid id eſt? Refero vaſa ſalva: id eſt, teſticulos. Unde bene vaſati: quales adamaſſe *Fauſtinam* Adriani uxorem tradit Spartianus. Ad id pœnæ genus alluſit Horat. 1. *Satyr*. 2.

Vaſa.

Vaſati.

—Quin etiam illud
Accidit, ut cuidam, caudamque ſalacem
Demeter et ferrum: jure omnes. Galba negabat.

Quomodo & *Frotho* Danorum Rex adulteros à viris conjugalib. corporum parte ſpoliandos conſtituit, quo minus continentia flagitiis eliderctur: ut eſt apud Saxo. Grammat. *lib* 5. *Hiſtor. Dan. fol*. 77.

Alia fuit pœna mitior & puto frequentior, verberari: ſicuti Saluſtius à Milone in adulterio deprehẽſus loris cæſus fuit, pecunia inſuper data, ut dimitteretur. Quod Varro *in lib. de Pace* ſcriptum reliquit. Et Horat. his verbis exprimit

Adulteri loris caſi.

—dedit hic pro corpore nummos.

Pecuniæ ſcilicet extorſionem ſignificans. Nec enim dimittebantur *deprehenſi*, niſi chirographis & ſyngraphis caverent pecuniam debere ſe aliquam, incertis nominib. tamen non expreſſo vero titulo. *Obſtuprum*. Quæ tamen ſcortatorum ſyngrapha nullius momẽti eſſe dicuntur, ſi ex iis agatur. Quo ſpectat vetus illa parodia Philomedæ, quam in Bibliotheca ſua refert Photius, & ita vertit Scip. Gentilis: *in cinere ſcribe adulter quod juraverit*. Idque & juri noſtro congruit; quo cautum eſt, ut deprehenſus in adulterio, ſi dedit vel promiſit pecuniam, metu, ne

Deprehenſi pecunia cavebant.

Sed cautio illa fragilis.

occideretur, aut vinciretur, proderetur, habeat. Quod metus cauſa actionem *l nec timorem* 7. *ff. illo tit*. Condictionem ob turpem cauſam dati non habeat *l*. 4. *ff. de condict. ob turp. cauſſ*. In illo edicto metus conſideratus: in hac, cauſa. Scipio Gentilis *in Apolog. Apul. n* 739. & 740. Illud planè ſupplicium ridiculum eſt, quo olim Athenienſes afficiebant pauperes in adulterio deprehenſos. Eis enim (ſit reverentia honeſtis auribus) depilabant nates cinere calido: deinde etiam raphanos prægrandes in podicem immittebant. quam pœnam vocabant παρατιλμὸν καὶ ῥαφανίδωσιν. Mugiles autem etiam interdum ad hanc rem adhiberi ſolitos, indicat Juvenalis:

Ridicula adulterii pœna.

—Quosdam mœchos & mugilis intrat.

quod Muretus ac illud Catulli Epigr. in Aurelium patheticum annotavit:

Quem attractis pedibus, patente porta,
Percurrent raphanique mugileſque.

ut vel hinc appareat, Romanos quoque ea pœna uſos fuiſſe, ſed privatim, & nulla lege. Athenienſes autem publicè, & legib. id cautum habebant, ut idem Gentilis notat *in Apolog. Apul. n* 736. His addere & illud operæ putavi pretium, quod in nonnullis traditum legi: Arundine ſc. trãsfixæ Ranæ naturâ per os, ſi ſurculus in mẽſtruis defigatur à marito, adulteriorum tædium fieri. Quæ ſi vera ſunt, ait Beroaldus, multò utiliores vitæ videantur Ranę, quã leges, *ad lib*. 9. *Luc. Apul. mihi f*. 437. Quanquam verò adulterium omni jure habitũ fuerit graviſſimũ, ut eſt text. *in c. ã*. quid in omnib. peccatis adulterio eſt gravius? 23 *q*. 7 adeò ut Conſtantinus Imper. adulteros appellaverit ſacrilegos *in l. quãvis* 30. *§. fi. C. ad L. Iul. de adult*. & certũ ſit, crimẽ illud altius in mẽte mariti reſidere, quam interemtionem filii, per text. ita intelligendũ *in l codicill*. 88 § *matre*: ibi filium noſtrũ occidit, & alia mihi deteriora fecit.

Rana utilitas adverſus adulteros.

Adulterii deteſtatio.

fecit. *ff. de legat. 2.* Cujus detestatio insignis habetur apud Mascardum *de probat. concl. 57.* Prosper. Farin. *de delictis carnis q. 141.* & Hieronymum de Cævall. *in speculo commun. opin. contra commun. q. 734* Non dubitavit tamen Pontifex Roman. id inter minora crimina referre *in cap. at si clerici, 4. §. de adulteriis. extra de judiciis:* quem Papæ lapsum sine calumnia excusari posse, negat Cujacius; & eleganter examinat Matth. Colerus *ad d. §. de adulteriis, à n. 21. usquè ad nu. 30.* Ubi tandem decisionem istius decretalis cum cæteris canonistarû erroribus transire jubet. Et fieri sanè putavit, ut in tâta scortationum frequentia & impunita licentia adulterium non ita magnum æstimatum fuerit. Ipse certè Grætserus Jesuita Decanus Ingolstad. in Apologia pro Lojola, scortorum numerum in Regia Papali urbe Roma, *ad duodecim millia* contrahit, quæ annuum censum vicario Christi dependant. Et ea quidem scorta vestitu & omni apparatu nihil in urbe ea differre videas ab honestis matronis; & impudicas illas mulieres Mulis per urbem vectas, sectatores habere etiam in media luce, primi nominis Cardinalium familiares. Ipsas quoque scortationes honesto matrimonio à papiculis præferri obscurum & ambiguum amplius esse nequit, ipso etiam Costero Jesuita non incelebri *in Enchiridio suo* palam asserente: sacerdos, si fornicetur, aut domi concubinam habeat, gravius peccat, quàm si matrimoniû contrahat. Didicit hoc Costerus haud dubiè ex Campegio, qui ad legatos Argentinêses dixit; scire se, Episcoporum hunc esse morem, ut acceptâ pecuniâ scortationes suis permittant. Quòd verò sacerdotes fiant mariti, multò esse graviùs peccatû, quàm si plurimas domi meretrices alant, teste Sleidano *lib. 4.* Et M. Hasenmüller *in Histor. Jesuitici ordinis cap. 19.* inter alia Jesuitarum facinora enormia, etiam hæc ex ipsorû ore excepta refert verba: Patricius ait, Romæ mihi dixit in faciem: ego mallem *Sodomiam* exercere publicam quàm contra Papæ mandatum *inire matrimonium.* Item alius Jesuita Reformator juniorum ad S. Andream Romæ non dubitavit in hæc perrumpere verba: non minus peccat sacerdos, si uxorem ducat, ac si cum mula rem habeat. Sed cesso in hujusmodi flagitiis recensendis immorari longius, ne vel pudicæ iis offendantur aures, vel etiam pagellæ hæ meæ inquinentur. Exposita tamen ea reperiet cupidus lector ab Antonio Benbellona *in suscitabulo principium part. 1. cap. 13.*

Adulterium inter minora crimina relatum à Papa.

Scortorum Romæ frequentia.

Scortationes matrimonio prælata à papiculis.

Etsi autem circa controversiam verum est, Semiviros illos, de quibus diximus, eviratione ad coëundû minùs reddi idoneos: attestantibus quippe Nicephoro & Zonara: quum Macedonius Episcopus Constantinopolitanus, sub Anastasio, falsò atque factionibus Arrianorum & Manichæorum ab adolescentulis, impuræ Veneris; & Methodius Patriarcha, sub Michaële, stupri accusati essent: Ambos ut convincerent mendacium, tunicâ subductâ ostendisse, virilibus se carere: & exindè à criminib. illis liberos atq; immunes fuisse pronunciatos. Disceptatum tamen aliquando in judicio legimus, Utrum stupri vel adulterii crimen etiam in Eunuchum cadat? Exemplo esse potest *Bagoas* Eunuchus. Is in adulterio deprehensus est, & mêbra in membris habere, ut XII. tabb. loquebantur. Accusatus, eò confugit, ut se Eunuchum diceret: Itaque in eo crimen esse incredibile. Sed & si quid turpiter fecerit, nullam sanguinis commixtionem, nullumve partum esse posse ex altero semine conceptum, ut sit & dici possit adulterium. Nec furem, nec fugitivum, nec aleatorem, nec adulterum dici ex sola animi cujusque propositione,

Eunuchus an stupri insimulari possit?

qui

qui subtrahendi, fugiendi, ludendi, corrumpendi solum consilium habuerunt. Hæc enim crimina adsumpto actu intelligi. Atqui in Eunucho etsi animum, certè quidem actum neque esse, neque intelligi. hanc ob rem fuisse Eunuchos in deliciis, & olim Reginis observandis præpositos à Principibus. Accusator contrà: & conatum & actum in Bagoa fuisse. Nam etsi ex tali coitu mulier concipere non potuit, neq; ideò partum adulterinum edere: (quanquam est apud Suidam, *Hermiam* Eunucham *Pythiadem* genuisse: & ex ea, ab Aristotele filiam:) nō eò minus adulterium esse, quàm si adulter aut junior, aut senior, aut temulentior, aut debilior fuit, quàm ut gravidam efficeret. Non eventum considerari duntaxat, sed ipsam quoque turpitudinem: quæ eò tantò in Eunucho major est, quòd adulterium adulterino atque ambiguo sexu, non solidâ innocentiâ, atq; purâ pudicitiâ removet. Laudat Martialis Domitiani tempora: quòd iis nec adulteria, nec etiam marium exsectiones essent liberæ: quum anteà utrumque pro lusu haberetur, & tantum non ipsi quoque Eunuchi mœcharentur. Sic enim gratulatur Domitiano *libro 6.*

Etiam conatum puniri.

Lusus erat sacra connubia fallere teda;
Lusus & immeritos exsecuisse viros.
Vtraq; tu prohibes, Cæsar; populisq; futuris
Succurris, nasci quos sine fraude jubes.
Nec spado jam, nec mœchus erit, te præside, quisquam.
At prius (ò mores!) & spado mœchus erat.

Et cur in VI. Synodo Constantinopolitana, quod de subintroductis mulieribus vetere canone continebatur, ne videlicet cum Clericis habitarent, id etiam *Eunuchis* præcipitur observari; nisi quòd in eorū persona vituperatio aliqua nasci potest? cùm tralatitium sit, spadonibus maximè delectari fœminas, quibus volupe est, Veneris illecebris titillari potiùs, quā concipere, aut parere. Qua contemplatione Gygen omnium principem scribunt, dum Lydis imperaret, etiam mulieres Eunuchas fecisse, ut illis perpetuo juveniliter florentibus uti valeret. Teste Ludov. Cœl. Rhodig. *lib. 13. lection. antiq. cap. 29.* quorum illud idem Martialis indicat eo carmine:

Mulieres Eunuchæ.

Cur tantùm Eunuchos habeat tua Gallia, quæris, &c.

Nec dissimulat Horatius, cum *Satyr. 6.* ita canit:

Sunt quas Eunuchi imbelles, & mollia semper
Oscula delectant, & desperatio barbæ.
Et quod abortivo non est opus.

Eunuchos enim generationi impares prorsus esse, etiam Galenus prodidit *lib. 15. de Vsu part.* ut qui fœcundum semen non habeant, sed quod in virgæ flexibus hærens, efferri nequaquam possit. Quò fit, ut, quoniam frequenter erectâ sint mentulâ, ac spermatis tamen emittant nihil, Reginis olim, aliisq; matronis, quæ sine conceptu coire ardebant, spadones hi multum fuerint in deliciis. Johan. Brechæus *ad l. spadonū. 133. ff. de verb. signif.* Ejusmodi mulieres, conjugali consuetudini virginitatem anteponunt quidem: cæterum liberorum desiderio punguntur nullo; nec in id dant operam, ut ex sinu ipsarum fœtus effloreat. *Leo Imp. Novell. 27.* contrà naturale honestarum matronarum votum, quibus maxima cupiditas in hoc constituta, quas natura ad hoc progenuisse dicitur, ut partus edant: atque ita augeatur, & multis hominibus legitimè procreatis frequentetur Respublica *l. 3. C. de indict. vid. toll.* cùm ex Pomponii sententia, maximè necessarium sit, liberis civitatem repleri. *l. 1. ff. solut. matrimon.* qui potissimus matrimonii finis est:

Eunuchi cur tam grati.

Matrimonii finis.

Pancirol. lib. 2.

m quod

quod ut magnum sanè excellensque donum à Deo creatore ad mortales promanavit. Non modò enim naturæ mortis ingluviei obnoxiæ opem fert, humanoq; generi perpetuitatem elargitur, id dum ab illa depascitur, non deperire sinens: verùm etiam per liberorum procreationem per magna alioqui hominum vitæ præstat. Nam quid eâ, quæ ex liberis percipitur, voluptate ad oblectandos hominum animos suavius? aut verò, quid in humanæ vitæ negotiis, cùm aliis, tùm quæ in senectute nobis se offerunt utilius? quandoquidem levari senectutis molestias liberorum ministerio videmus: ut gravis est Imperat. Leonis oratio, *Novell.* 26. quibus commoditatibus cunctis miserè destituuntur, quibus hic matrimonii finis animo non est propositus. Veruntamen (inquit in proposita facti specie Lucianus) Judicibus adulterii crimen in Eunucho persuaderi non potuit. Nam ubi vir non est, quomodo erit adulterium? Itaque Reum absolverunt: adulterii quidem, ut opinatur P. Ærodius *Rerum judicat. lib. 8. tit. 1. cap. 21.* Sed tamen extra ordinem debuit puniri, propter voluntatem perniciosæ libidinis, licet omni effectu sceleris non potuerit potiri. Nec verò non debet in primis commendari laudabile *Combali* factum, quo & castitatem in dominam, fidem in herum abundè fuit contestatus. Id ideò commemorare vel propterea minùs dubitavi, quòd adulterii crimen in Eunucho incredibile esse, evidenter inde evincatur. Seleucus igitur Rex A[illegible]orum, Junonis placandæ caussa Stratonicem uxorem jussit in Syriam proficisci, ibique in sacra civitate construere templum. Quapropter & pecuniæ custodem, & exercitui ducem, & comitem uxori constituit Combalum, formosissimum adolescentem. Is contrà, diu multùmque recusavit. Etenim verebatur, ne tanti favoris invidiâ, in suspicionem probri citò deduceretur. Itaque ut sibi metum istum sublevaret, audet facinus admirandum. Exsecat sese, & virilia vasculo obsignat: deinde cùm proficisceretur, Seleuco Regi diligenter commendat, & obtestatur, tutum integrumque ut in reditum servet. Tunc securus iter instituit. Unde ei verò prima calamitas? ex Stratonice, ardet ea amore adolescẽtis, postremò simulat ebrietatem, ut Combalo, si negaret, temulentia magis, quàm impudentia videretur. Obstantem enim malis conatibus verecundiam ebrietas removet. Verumtamen cùm ea sic urgeret, ut alioqui manus sibi allatura videretur: adolescens necesse habuit, rem consiliumque suum mulieri prodere, desiisse esse virum, ne ei, vir esse posset. Igitur amore in amicitiam verso, deinceps quidem versatur cum eo confidentiùs atque familiariùs. Quamobrem insimulatus apud Seleucum, statim revocatur, habeturq; in vinculis, postremò citatur Reus Rex coram proceribus accusat: Eum & adulterium commisisse, & fidem domino violasse, & impiè se gessisse erga Deam, cujus operi & cultui dum vacabat, tam spurca & flagitiosa perpetrasset. Erant, ut solet, qui congratulãdi caussa, atque odio Combali affirmabant, vidisse eum rem habere cum Stratonice. Itaque, & quia præsens nihil respondebat, damnatus est. Ubi verò ad supplicium trahitur, clamare incipit (inquit Lucianus) se non impudicitiæ, sed avaritiæ caussa crudeliter interfici: nempe quò Seleucus intercipiat vasculum, quod ejus fidei commisisset abeundo. Rex ut vitaret hanc suspicionem, coram omnibus vasculum jubet exhiberi. Tunc *Combalus*, resignato vasculo, & productis testibus: Non me debueras, inquit, ô Seleuce, accusare, apud quem erat domi tuæ tam præcisa defen-

Liberorum procreatio.

Combali fides erga herum.

fensio. Itaque Seleucus cum admiratione Reum legibus eximit: Calumniatores morte; (quia nunquam Uxor apud maritum accusanda est, aut afferri debet manifestissimum crimen) Combalum, præmiis afficit. de Stratonice verò illa & vehementissimo Antiochi Privigni erga eam concepto amore memorabile non minus est, quod Plutarch refert, *in vita Demetrii & Appianus in Syro*. Cùm enim Antiochus Stratonices incredibili amore flagret, tabe conficiebatur, ac jam moriturus videbatur, nisi Erasistratus Aristotelis ex filia nepos, amoris vim ex ipso pulsu judicasset. Patri *Seleuco* refert, actum esse de vita filii. Tum Seleucus, quid ita? Meam, inquit, Erasistratus, uxorem deperit. An ego, inquit Seleucus, tam malè de te meritus sum, ut adolescẽtis amori non indulgeas? Tum ille: tunc quidẽ amori alterius inservires? Utinam, inquit Seleucus, dii suum amorem in charissimam Stratonicẽ converterent! Hic Erasistratus: ergo puer idem & medicus esse potes: Itaq; Seleucus Antiocho novercam despõdit. Erasistratus verò donatus est sexaginta millibus aureorum. quibus utiq; dignum quoque dixeris *Spurinam* illũ Etruscum, excellẽtis pulchritudinis adolescentem: qui, cum mira specie complurium fœminarum illustrium solicitaret oculos, ideoque viris ac parentib. earum se suspectum esse sentiret; oris decorem vulneribus confudit, deformitatemque sanctitatis suæ fidem, quam formam irritamentum alienæ libidinis esse maluit. Val. Maxim. *dictorum factorumq; memorab. lib. 4. cap. 5.* An non verò & faciei deturpatione, & viriliũ exsectione digniorem multò putabimus illum Saturni sacerdotem in Alexandria, cui nomen fuit Tyrannus? Hunc Ruffinus. *lib. 2. Histor Eccles.* narrat, impio Dei sui cõmento nobilissimas quasque mulieres ad stuprum & adulterium pellexisse. Nam in

Stratonices de Antiochi privigni amore.

Spurinæ castimonia.

Tyranni stuprum sacrilegum.

Templo, dum viri supplicabant, denunciabat. Deum poscere atque flagitare uxores: Juberent itaque vigilare in æde, Fatuos, atq; religiosos paruisse. Nam & honori ducere, duxisse tam elegantes, quæ Deo quoque non displicerent, beatique se, quod boni dimidium dividerent cum Deo. Itaque non mundiores solùm, sed & donariis onustas, gratissimo lenocinio in templum perduxisse, Tyrannum, stuprorum, sacerdotem, quò tutiùs falleret, consuevisse has solas in conspectu omniũ introducere: tum claves alteri tradere: postremò, quasi longè aliò profecturus, discedere à templo. Sed concubia nocte per occultos & subterraneos aditus, intra ipsum simulacrum Saturni concavum, atque parieti diligenter annexum, irrepere Sacerdotem: & accensis luminibus, cum muliere precibus intenta, per simulachrũ sermones amatorios serere: deinde artificio quodam exstinctis lampadib. illudere mulieri. Lubet hîc exclamare cum P. Ærodio *lib. 8. Rerũ Iudicatarum tit. 1. c. 17.* Prô Jupiter, quin hunc exsecuisti magis, quàm Saturnus avum! nec verò est, quòd fabulosa hæc putemus: cùm vetus olim superstitio crediderit, Deos aliquando in terras descendere, ut mulierum complexu potirentur: ac sæpè eo commento illustres fœminæ adulterii dedecus velaverint, quum Deus culpæ auctor esset honestior: ut verè monuit Anti-Machiavellus *libr. 2. de Regno. theorem. 5.* Sic enim sub Scamandri persona, qui fluvii illius sibi cognominis Deus putabatur, Cimonem in frutice latitantem Callirhoes ibi lavantis pudicitiæ insidiatum legimus apud Æschinem *in Epistolis*. Mos enim erat patrius apud Ilienses, in terra Trojana, ut quæ virgines eo anno nupturæ essent, hæ ad Scamandrum fluvium appellerent, ibique lotæ hæc verba pronunciarent: Accipe meam virginitatem ô Scaman-

Dii mulierum complexu potiti.

Scamander virginitatis prælibator.

man-

Cimon. mãder. Tum igitur *Cimonem* caput arundinibus redimitum, ut fuco facto Deus esse videretur, & ornatu eo prosilientem, respondisse dicitur: Tibi adsum, ô virgo, & accipio lubens. Atque ita puellam illustri ortam familiâ rapuisse, & virginitatem ipsius delibasse. Sic & *Decium Mundum* sub Anubis Dei specie, Paulinam Saturnini uxorem, honestissimam alioquin matronam ad cœnam & complexum appellasse, cùm Josephus Antiquitat. *lib. 18. cap. 4* tùm Zonaras prodidit *Annal. Tom. 1.* Possent hæc levia videri, nisi ipsum etiam Jovem, quovis stupri, adulterii, incestus crimine notatum, turpissimæ istius libidinis suæ explendæ gratiâ, nunc Tauri, mox Cygni, modò Auri, quandoque & Satyri formam induisse, fabuletur antiquitas. Hinc illud in Jovem epigramma, quod ex Græco ita reddidit Natalis Comes *lib 2. Mytholog c. 1.*

Decius Mundus.

Iovis stupra.

Fit Taurus, Cygnus, Satyrusquè, Aurumquè ob amorem
Europæ, Ledes, Antiopæ, Danaes.

Leda partus. De Leda tamen variatum video. Sunt, qui Jovem dicant cum Leda Tyndari Regis filia, quam deperibat, sub Oloris sive Cygni specie fuisse congressum, atque inde Helenam procreatam. Sunt qui id Nemesi in Anserem à Jove transformatæ tribuant. A qua posteriore sententia etiam stare videtur Ausonius *Epigr. 55.* de Castore, Polluce & Helena: quos tergemino ovo Nemesin peperisse, Ledam fovisse putat.

Istos, tergemino nasci quos cernis ab ovo,
Patribus ambiguis, & matribus ansere natos.
Hos genuit Nemesis: sed Leda puerpera fovit.
Tyndareus pater his, & Iuppiter: hic putat, hic scit.

Nemesis. Nemesin igitur Ausonius Helenæ matrem, Ledam alumnam facit, Græcos scilicet imitatus, qui talem huic rei fabulam comminiscuntur. Nemesin (inquiunt) cùm deperiret Jupiter, ut à puella admitteretur, nequibat impetrare. Ad dolos ergò amatoriè conversus, jussit Venerem in Aquilam deformari, Ipse Olorem induit: moxque ut qui Aquilam nimis metueret, raptim se proripere cœpit, ac velut compavidus latebras quærens, in puellæ devolat gremium. Quæ nescia quantus insideret miseræ Deus, illum placidè ac gestiens excepit; sed vi numinis è vestigio in soporem vertitur. Eam tum nimis opportunè comprimit Jupiter, in Anserem deformatam. Actis denique mensibus parit illa ovum, quod auferẽs Mercurius Spartam detulit, ac sedenti Ledæ in gremium projicit: ex quo nata fertur Helena: quam Leda, aut filiam habuerit, alueritque materno confovens adfectu. Sed hanc controversiam omnem dirimit Lactantius, Ledam illam Helenæ matrem, post obitum Nemesin fuisse transnominatam docens Solent (inquit *divinar. Institut. lib. 1. cap 21*) mortuis consecratis nomina immutari. Credo, ne quis putet eos homines fuisse. Nam & Romulus post mortem *Quirinus*, dictus est, & Leda *Nemesis*, & Circe *Marica*; & Ino, postquam se præcipitarit, *Leucothea*, materq; *Matuta*: & Melicertes filius ejus *Palæmon*, atq; *Portunus*. E quibus verbis patet, Ledã mortalitate exsutam, Nemesis appellationem accepisse: quomodo & Ariadnen immortalitate donatam, *Liberam* fuisse dictam annotat Probus grammaticus: & Melicertem à morte *Glaucum* transnominatum scribit Nicanor Cyrenæus. Caussam verò, cur ex ovo prognata dicatur Helena, reddere conatur Clearchus in Amatoriis, scribens ὠὰ, hoc est, ova antiquitus dictum fuisse cœnaculum, locumve editiorem tabulati in ædibus, seu contignationem. Posterior utas ὑπερῷον, quasi superum

Mortuorũ nomina immutata.

Helena cur ex Ovo prognata.

rum

rum ovum dixit. In qua ædium parte educata quum esset Helena, opinione sinistra implevit vulgus hominum, ut ex ovo prodiisse eam crediderint. Nam quod, referente Cœl. Rhodigin *libr. 27. Lect. Antiq. cap. 17.* Neocles Crotoniata, ipso etiam Herodoto Heracleote approbante, scripto prodidit, Ovum illud Helenæ parens, è Luna fuisse delapsum: quippe ova parere Seleneidas sive lunares fœminas, indéque nascentes homines quinquies decies esse nobis ampliores: Id mera pro fabula habet Hadr. Junius *lib. 1. Animadv. cap. 15.*

Mulieres ovipara.

Castratio prohibita.

Etsi autem Castratio, de quo pœnæ genere modò diximus, non tantum Senatusconsulto, quod Neratio Prisco & Annio Vero coss. factum est *l. 3. §. item is qui. 4 & l. is qui 6. ff. ad L. Cornel. de sicar.* sed & Principum edictis, ut Domitiani apud Dionem & Suetonium in Domitian. *cap. 7.* & Hadriani *l. 4 §. idem Divus. & l. 5. d. tit.* inprimis verò Justiniani constitutione, *Novell. 142* prorsus fuit interdicta: sive quòd id adversus publicam utilitatem est, quæ in suscipiendis liberis versatur: sive quia paucissimi sic affecti sanantur: Legimus tamen Eunuchos etiam præter fœminarum, quas diximus, delicias, ipsis quoque Regibus maximo fuisse in precio: quippe quos corporis sui custodes Cyrus adhibuerit, teste Xenophonte *lib. 7. Pædia Cyri*; & sacris Principum cubiculis rectè præponi posse, non addubitârit Leo Imperator *in l. jubemus. 4. C. de præpos. sacri cubic. l. 12.* quo officio qui fungũtur, eandem Honorio & Theodosio dignitatem habere dicuntur, quam qui eminentissimam Prætorianam vel Urbanam meruerint præfecturam, aut certè militarem magisteriam potestatem, hoc est, qui præfecti Prætorio; vel Urbi, aut Magistri militum fuerint *l. 1. C. d. t.* ut non absque ratione dixisse videatur Ulpianus, castratione preciosiores fieri pueros. *l. si servus. 27. §. & si puerũ. 28. ff. ad L. Aquil.* quos itidem libidinis & promercii causâ castrari Martianus dixerat *in l. 3. § item is. ff. ad L. Cornel. de sicar.* Quanquam negari non potest, priscis Romanorum moribus eos semper fuisse invisos: quos gravi dicterio *Tertium genus hominum* nominavit Alexander Severus, apud Lampridium: cum neque viri, neque mulieres esse credantur. Fr. Duarenus *ad rubr. qui testam. fac. poss vers. superius diximus quosdam prohiberi &c.* ut meritò commendari debeat Mamerci Æmilii Lepidi Consulis decretum, Genucio Eunucho bonorũ possessionem secundùm tabulas denegãtis. Nã ut auctor est Val. Maximus. *lib. 7. cap. 7.* Genucius quidam, Matris Magnæ Gallus, à Cn. Oreste prætore Urbis impetraverat, ut restitui se in bona Næviani juberet, quorum possessionem secundum tabulas testamenti ab ipso acceperat. Appellatus Mamercus à Surdino, cujus libertus Genucium hæredem fecerat, prætoriam jurisdictionem abrogavit: quòd diceret Genucium amputatis sui ipsius sponte genitalibus corporis partibus, neque virorum, neque mulierum numero haberi debere. Conveniens (ait Valerius) Mamerco, conveniens principi Senatus decretum: quo provisum est, ne obscœna Genucii præsentia, inquinataque voce, tribunalia magistratuum sub specie petiti juris polluerentur, Rectè, *Inquinata voce*: quandoquidem morbosi dicuntur Paulo, quibus tam necessaria pars corporis penitus abest, *l. fin. antẽ 7. ff de ædil. edict.* hoc est, qui virilitatem amiserunt, ut apud Ulpianum Divus Hadrianus loquitur, *d. l. 4. §. 2. ff. ad L. Corn. de sicar.* Atq; hanc partis istius necessitatem haud dubiè satis expendit fœmina illa, cujus apud Lintprandum Diaconũ *lib. 4.* nõ illepida exstat historia: Theobaldus Umbrorum

Castratorũ precium.

Odium eorundem.

Castrati morbosi.

Theobaldus.

rum Dux (ait Diaconus) adversus Græcos, qui Beneventum tenebant, bellum gerebat. Is quoscunque ex hostium exercitu captivos facere poterat, amputatis virilibus dimittebat: donec quædam mulier ante eum gemebunda, hominum Deûmq; fidem implorãs constitit: Quid, inquiens, Theobalde, fœminæ egimus, ut bellum nobis indiceres? Haud quaquã nos Amazones sumus, Sed Minervæ operibus deditæ: armorum usum tenemus nullum. Quid ergo virorum nostrorum testes amputas, nosq; nostris voluptatib. privas? Sunt illis oculi, sunt nares, sunt manus: quid ad ea, quæ nostro usui Natura concessit, belli jura producis? Quo sermone delectatus Theobaldus ei pœnæ modum imposuit. Malebat scil. pudicissima fœmina, quavis alia, quàm tam nobili corporis parte Maritum destitui: qua una discordãtes Conjugum animos, si quod forte inter eos intercederet fribusculum, ut Ulpianus loquitur *in l. cum hic status 32. §. quod si 12 de Donat. int. vir. & uxor.* (per quod leve aliquod jurgium intelligo cum Papiniano *in l. quod si 31. de jur. dot. & l. si liberis 27. de pact. dotal.*) noverat in gratiam & concordiam redigi posse; & rectiùs opinor, quàm si vel ipsum *Deæ viriplacæ* sacellum ipsis foret ingrediundum. Nam ut ex P. Victore Valerius Maximus *l. 2. c. 1.* memoriæ prodidit, quoties inter virum & uxorem aliquid jurgii intercesserat, in sacellum Deæ Viriplacæ, quod est in palatio, veniebant: & ibi invicem loquuti, quæ voluerant, contentione animorum deposita concordes revertebantur. Dea nomen hoc à placandis viris fertur assequuta: veneranda quidem & nescio an præcipuis, sed exquisitis sacrificiis colenda: utpote quotidianæ ac domesticæ pacis custos, in pari jugo charitatis ipsa appellatione virorum majestati debitum ac fœminis reddens honorem. Ejus templi & Franc. Connan. memit *lib. 8. commentar. iur. civil. c. 12. in fin. fol. 942.* Atq; huic respondeat fortè templũ *Veneris Erycinæ* cujus ruinæ etiamnum Romæ extra portam Quirinalem, ad sinistrã Viæ Salariæ conspicuuntur, cujus festũ solẽnibus ceremoniis celebrabant matronæ pudicæ, Augusto mense, ad simulacrũ *Veneris Verticordiæ*, quæ maritos uxorib. credebatur reddere placabiles & benevolos. Referente Georgio Draudio *in commentar. ad Solini memorabil. c. 2. fol. 164.* De illa porrò discordantium conjugum conciliatione aliquãdo hoc lusi Epigrammate.

Mulierum peculium. — *Fribusculũ* — *Dea viriplaca.* — *Venus verticordia.*

Hispano nuptura viro Romana puella,
Audiit ut mutili flaccida mẽbra proci,
Membra, quibus stabilem figit Lascivia sedem,
E quibus arcitenẽs spicula vibrat Amor.
Non mihi (dicebat) fuerint Connubia tanti,
Ut cupiam mutilo nubere stulta viro.
Namque maritales forsan discordia tedas
Si turbet, quanam parte redibit amor?
Scilicet est Medium, quo conciliantur Amantes,
Mẽtula: quã demtã, gratia nulla subest.

Pro eo autem, quod supra *Fribusculũ* ex Ulpiano diximus, quidam *Frusculum* legunt, quod dictum videtur à Frio, ut *frivolum*, quod facilè conteritur & comminuitur: alii *friguscullum* legunt, quasi amoris remissionem quandam. Quo sanè in significatu frigus quandoque dicitur Ciceroni, pro eo, quod cessat ad tempus, aut non est in tanta gratia, quanta solebat, ut est apud Franc. Connan. *l. 8. comment. iur. civ. c. 6. fol. 936.* Cui opinioni suffragari videtur, quod *ardere* dicuntur amantes & *frigere*, quia languent. Horat.

Non enim postbac aliâ calebo
Fœminâ.

Et frigent in uxore mariti, qui non admodum amant. Erasm. *Chil. 2. cent. 3. adag. 97.* observatum id fuit fribusculum, si quo in alio,

Mæcenatis cum Terentia fribusculum.

alio, certè in *Mæcenate*: qui cum uxore *Terentia* in levibus fribusculis sæpè litigabat, postq; in gratiam redibat. Itaq; lepidè dixit Seneca *lib. de divin. provident.* illam quotidiana repudia deflexisse, & alia quadam loco *millies unam duxisse uxorem*, quod mollitiei ejus signum est singulare, de quo idem Seneca *lib. 20. ep. 115.* Hunc esse, qui in tribunali (inquit) in rostris, in omni publico actu sic apparuerit, ut pallio velaretur caput, exclusis utrinq; auribus, non aliter quam *in Mimo* divites fingi solent. Sic enim pro eo, quod *in Nomo* erat, rectius legi probat Juretus *in Notis ad Symmach. ep. 79. lib. 6.*

Sed quò prolabor? Da veniam, Lector, si quandoque digrediar, & excurram longiùs. Hac enim rerum varietate tibi legẽdi tædium sublevare gestio, ut mihi scribendi laborem non leviter mitigari hoc modo sentio. Ut igitur ad literarum inustionem, de qua nobis sermo erat, redeamus tandem: silentio neutiquam prætereundum censeo, etiam Calumniatorum & Delatorum frontes olim ejusmodi punctis & stigmatibus fuisse insignitas. quod Cicero disertè innuit *pro Roscio Amerino*, cùm ita scribit: Crura quidem nobis nemo suffringet: sed si ego hos benè novi, literam illam, cui vos usq; eò inimici estis, ut etiam omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut postea neminem alium, nisi fortunas vestras accusare possitis. Quibus verbis illudens Cicero, *literarum ignaros* appellat eos, qui accusationes factitabant, & odio literæ illius, qua notantur frontes de Calumnia damnatorum, reliquas omnes eis literas invisas joeatur. Nota enim illa alicujus literæ insigne habebat, in delatore fortassis D. in Calumniatore C. ut Turneb. conjicit *lib. 8. Adversar. c. 22.* vel, ut Cujacius docuit Calumniatores litera K. notabãtur. Cujac. *in l. si cui lege ff. qui testam. fac. poss. & ad Tit. C. de Calumniator.* quanquam illum Ciceronis locum Asconius *in 3. Verrina* de Condemnationis litera accipiendum putat. Eam verò Græcorum Theta fuisse, constat ex illo Persii:

Calumniatores Delatores notati.

Theta litera condemnatoria.

Et potis est vitio nigrum præfigere Theta.

Hinc Ausonius mortem Euno pædagogo imprecans, ita canit:

Tuum nomen Theta sectilis signet.

Et Martialis Theta id mortiferum appellat signum:

Nosti mortiferũ Quæstoris, Castrice, signũ:
Est operæ pretium discere Theta novum.

ubi per Theta novum, intelligit Poëta novum mortis signum, quo Domitiani Quæstorem quendam notat, qui loco Thetæ illius alioquin usitatissimi signi, alia quadã novitate percussori indicabat, quoties aliquem vellet interfici; nasum videlicet emungendo: Unde addit:

Exprimeret quoties rorantẽ frigore nasũ,
Lethalem jugulis jusserat esse notam.

Cæterùm in gladiatoriis muneribus Condemnationis signum erat conversus pollex. Nam qui eum, qui adversario succubuerat, occidi jugularique volebat, pollicem vertebat. Juven. *Satyr. 3*

Pollex conversus.

Munera nunc edũt, & verso pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter.

& Prudentius *lib. 2. contra Symmachum*, Vestalibus, quæ gladiatores Romæ in eminenti podio spectabant; quo decus & honos pro perpetua eis virginitate tribuebatur, ita canit:

——consurgit ad ictus,
Et quoties victor ferrũ jugulo inserit, illa
Delicias ait esse suas, pectusque jacentis
Virgo modesta jubet converso pollice rũpi:
Ne lateat pars ulla animæ vitalibus imis,
Altius impresso dum palpitat ense Secutor.

quanquam negari non potest, Athletarũ & gladiatorum spectaculis quandoq; adhibitas, quandoque etiam ab iis coërcitas fuisse Vestales: ut rectè annotatum est, à Joh.

Vestales iam spectaculis adhibita.

à Joh. Bernartio *ad lib. 1.* Thebaid. Statii. Quòd si qui inverso pollice damnabantur, ii infestis spectatoribus pugnare dicebantur Sueton. *in vita Iulii Cæsaris. cap.* 26. Gladiatores notos, sicubi infestis Spectatoribus dimicarent, vi rapiendos servandosq; mandabat. Quo pertinet illud Poëtæ veteris damnatorium illum pollicem infestum appellantis:

Pollex infestu.

Sperat & in sæva victus gladiator arena,
Si licet infesto pollice turba minax.

Pollex pressus.

E contrà pollices solebant premi, cùm ex Gladiatoribus alicui favebatur. Unde Plinius *lib. 27. c. 2.* Pollices, inquit, cùm faveamus premere etiam proverbio jubemur. Quò haud dubiè spectat illud Horatii *lib. 1. Ep. 18.*

Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.

Siquidem Gladiatores salutem & favorem spectatorum è cõpressu pollicis prospiciebant: sicuti ex ejusdem conversione odium atque interitum. Jam si pollicum alter satis erat ad favorem indicandum: uterque in eum gestum adhibitus quàm maximè se favere profitebitur. Joh. Pierius *libr. 36. Hieroglyph.* Turnebus *lib. 11. Adversar. c. 6* & Justus Lipsius *lib. 2. Saturnal. sermon. cap. 22.* quanquam in illo Horatii, verba ista, *Utroque pollice*, Porphyrioni synecdochicῶs posita videntur, pro utraque manu; cujus, utriusque complosione sive adplausu, favorem significàri pervulgatum est.

Sed digni erant Calumniatores & Delatores illi (ad horum notas enim nunc revertor) ut, quo à bonis omnibus agnosci possent impudenti & sceleratæ ipsorum fronti hodiè etiamnum Stigmata inurerentur. Sic enim & Linguarum istarum virulentiam atq; improbitatem cohiberi posse, & Nebulonum ejusmodi numerum rariorem fore putarem. Vereor tamen, ne optare hoc proclivius sit, quàm sperare: in tanta præsertim ubivis loci Delatorum frequentia: quos veteri Gallorum lingua *Mormosetos* dictos putat Antimachiavellus, *de Regno aut Princip. rectè administr. lib. 1. theor. 2* à murmurãdo fortassis, quasi Susurrones: quòd fortuitos aliorum sermones, & plerumq; tacendos in aurem Principis leni murmure insusurrent. Suidas certè ob id *Regis aures* appellatos fuisse scribit Delatores, quòd per hos omnia Rex audiret, quæ ab unoquoq; agerentur: Sicuti & Satrapas *Regis oculos* nuncupatos idem asserit, quod per eos Rex singula spectaret. quẽ morem, licet in Principum aulis frequentissimum, reprehendens Ammianus Marcellinus, Constantinum Imperatorem graviter taxat: apud cujus aures nimium patulas virulentæ linguæ existimationem viri fortis invidiâ gravi pulsarent. Ferunt *Conani* Scotorũ Regis inventum fuisse, ut Arca perforata in maximo cujusque urbis templo constitueretur, in quam cuiq; latenter liceret delatorios libellos, quib. crimen admissum, locus, tempus, testimonium, Rei deniq; & sociorum perpetrati criminis nomina præscripta essent, injicere: Magistratus stato die, urnas aperirent, lites moverent, Reo damnato, bonorum dimidia pars delatori cederet. De quo apud Bodinum *lib. 4. de Repub. cap 6. nu. 458.* Sed ejusmodi κρυπτεύσεις habere improbata arcularios, tyrannicum profectò est, & malè sibi consciorum principum, apud quos plena, *ut inquit Polybius*, omnia suscipionum, & vix secreta domuum sine formidine. Delatoribus verò istis præcipuè annumerandi in Italia *Burroardi, Zaffi, Spioni:* qui veluti aucupes novitatum, minutissima quæque explorant rumusculos congerunt, & ad alios defuerunt, quos, demissis manibus, grandique gradu fugies, nec effugies juxta illud Plauti:

Mormoseti.

Delatores.

Arca inquisitoria.

Qui

Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, cum etiam cavet
Etiam cum cavisse ratus, sæpe is cavitor captus est.

Quorum tamen delationi quantum fidei habendum sit, necne, videre licet apud Prosp. Farinac. *part. 3. oper. crimin. q. 108. & seqq.*

horum præmia.

Etsi autem olim lege Papia delatoribus certa constituta erant præmia, & quidem dimidia illatæ multæ pars: Nero tamen princeps, Principum cæteroquin omnium ferè pessimus, at hoc non malus, nimio illo precio illectam volens comprimere Delatorum licentiam, quibus, ut cum Plauto dicam *in Pœnulo:*

Istuc est thesaurus stultis in lingua situs, Vt quæstui habeant male loqui melioribus,

quartam duntaxat partem eis ex proscriptorum sive damnatorum bonis præmii loco conferri permisit. Unde & *Quadruplatores* dicti Criminũ publicorum Delatores: qui pro Delationis præmio, quartam partem in bonis damnatorum consequebantur. Joh. Coras. *lib. 2. Miscellan. c. 24.* Nam omnia Delatoribus præmia eripere propterea non consultum putat Bodinus *lib. 5 de Repub. cap. 3.* quòd his sublatis, vix sit, ut ulla peccatorum ultio sequatur. Quemadmodum igitur venator canibus vilissima quæq; ferarum membra objicere solet, ut talibus illecebris deinceps ad prædam alacres efficiantur: Ita Legislatorem domesticos leones ac lupos accuratè venari, & canibus Civitatis (quid n. vetat Delatores hoc nomine notare? cùm ipsum etiam Oratorum genus Demosthenes ita appellaverit: quẽadmodum impios & avaros procuratores Bartolus canes curiarum, excoriatores pauperum, & devorotores civium *in l. omnes populi. q. 5. ff. de Instit. & jure*; Cicero canes labentes tribunalia senatus dixit, teste Anton. Usillo *in §. Tripli. Inst. de act.* *Pancirell. lib. 2.*

Canes Civitatis.

n. 35) præmia quædam proponere necesse est: Plutarch. *in Lucull.* Cum enim præpotẽti Deo nihil gratius, aut Reip. utilius sit, quàm ab improbis pœnas exigere: modis omnibus enitendum est, ut eò perveniri possit. Loquitur autem haud dubiè Bodinus de justa accusandi ratione: quæ ut Reipubl. salutaris est; ita pernitiosæ contrà sunt Calumniandi occasiones. quod cùm aliis, tùm verò ex Livio Manlii Capitolini Furium Camillum calumniantis exemplo evidenter probat Nicolaus Machiavellus *lib. 1 de Repub. c. 8.* ita adversus Calumniatores procedendum docens, ut illos cogamus ex calumniatoribus Accusatores fieri: & si quidem publicè probare queant, id verum esse, quod clanculum impingebant; vel præmio aliquo, vel certè nullo damno afficere: si probare nequeant; sicuti Manlium punire. Quæ doctrina non tantùm juri divino, *Deutero. 19. v. 16. cum seqq.* sed & civilibus constitutionibus conformis est: quibus sancitum legimus, non priùs insimulanti, hoc est, Accusatori accomodandum esse adsensum, quàm soleni lege se vinxerit, & in pœnã reciproci (hoc est, talionis) stylo trepidante recaverit. *l. 2. C. de exhib. & transmitt. reis.* quod alicubi clarius exprimitur: cùm quisquis ille est, qui crimen intendit, in judicium venire jubetur, nomen rei indicare, vinculum subscriptionis arripere; sciturus, non impunitam fore licentiam mentiendi, cùm Calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii. *l. ult. C. de accusat. & inscript.* Quod verò ad Delatorum prẽmia attinet: tantum abest, ut illorum partem eos ex proscriptorum bonis ferre voluerit. Titus Vespasianus, ut etiam eos flagellis ac fustibus cæsos, novissimè traductos per arenam Amphitheatri partim subjici, in servos venireque imperârit, partim avehi in asperrimas insulas. Sueton. *in Vespas. c. 8.* Quin &

Inscriptio accusatoris.

Domitianus fiscales calumnias magna Calumniantium pœna repressit: ferebaturq; (ait idem Sueton. *in Domitiano c. 9.*) vox ejus: Princeps qui delatores non castigat, irritat. Quòd si Plinio credimus, Trajanus de Delatoribus, hominum genere pestilentissimo & insidiosissimo judicia exercuit, exemplo latronum & grassatorum: quippe quos à bono principe tollendos, non tantum coërcendos putabat. Plinius Secundus *in Panegyric. ad Trajan.* quem laudat B. Brissonius *libro 3. Selectarum Antiquitat. capit. 17.* cui adde, quod scriptum reliquit Vincentius Castellanus *libro 2. de Officio Regis, capite 40.* ut jam de Antenore patriæ proditore, & Pardali foribus ipsius suspensa nihil dicam. Id enim latè prosequutus est Goropius. Et, quæso te, quid scelestius Sycophantâ? quid infestius Valerio Largo? cui propterea Proculius, casu obviam factus, os naresque manu compressit sua: significans, iis qui cum eo erant, Largo præsente ne quidem tutò licere respirare. Petrus Ærod. *libro 9. Rerum Iudicatarũ. Tit. 8. capite 14.* Habeat alia omnia pro imperio Princeps: sit saltem lingua soluta legibus. Eâ liberâ, dicebat Augustus, homines oblivisci servitutis. Quid enim contra quod Cornelius Tacitus *in vita Agricolæ?* Sicut vetus ætas vidit, quid ultimum in libertate esset: ita nos, quid in servitute; ademto, per inquisitiones: loquendi audiendique commercio. Memoriam quoq; ipsam cum voce perdidissemus, (inquit) si tam in nostra potestate esset oblivisci, quàm tacere. Si verba in Majestatem vocarentur, quæ fora, quæ judicia sufficerent? Sunt etiam, qui Deos verbis ferocioribus increpant: neque ob id tamen ictum fulmine audimus, dicebant Rhodi apud Livium. Quamobrem *Mecœnas* sapienter: qui consulebat Augusto, ne convitia audiret, ne crederet, ne deniq; ulcisci vellet. Nam ut ait Lucianus, hæc inter Regem ac Tyrannum differentia est, quòd hic ne leve quidem maledictum pati potest: ille, spernit etiam gravissimis irasci. Meritò igitur literarum monumentis commendatur *Pyrrhi* Epirotarum Regis factum. De quo cùm duo juvenes Tarentini inter cœnandum malè loquuti essent, & neque res negari, neque defendi posset; ideoque ratio reposceretur: Tum unus ex iis, Imò (inquit) nisi lagena defecisset, occidissemus te. *Pyrrhus*, hoc dicto, eos dimitti jussit. Sic & *Antigonus*, cùm juxta Prætorium milites pravè de eo loquerentur: neq; existimarent, se audiri: Ecquid non longius abitis, (inquit) tutius securiusque obtrectaturi? Quis humanior *Philippo*? Quidam Arcadion Achivos de eo passim malè loquebatur: Fuge (inquit:) Nihil hic proficies cum tua maledicentia. Eâ ibi utere, ubi quis siem, nesciunt. Debet scilicet sufficere Principi, id esse dominatione adsequutum, ne quis ei, ut maximè velit, nocere queat: quemadmodum Tiberio ab Augusto dicebatur. Et quæ dementia est, in eum contumeliosum existere, & quicquam dicere aut scribere, qui verbo, imò etiam nutu potest proscribere & occidere? Quemadmodum enim, qui pugno percusserit lapidem; se, non lapidem, vulnerat: Ita, qui Principi maledicit, sibi, nõ principi facit injuriam. Aut enim bonus est; &, ut dicebat Titius Imp. nequit affici injuriâ. Aut subdurior: & magnitudine extra contumeliã est, qua de re pluribus disserit P. Ærodius, *Rer. ab omni antiquit. judicatar. libro 7. tit. 1. cap. 1.* quibus addi poterunt, quæ nobis exposita sunt *lib. 1. Rerũ Memorabil. Tit. de Triumphis.* & quod scriptum reliquit Claudius Ptolomæus Epistolarũ Italicar. *lib. 6. Ep. 24.* Incip. *Io forrei far con vos M. Gabriello, &c.* De illâ porrò Delatorũ improbitate, quam

Delatorum detestatio.

Linguæ libertas.

Maledicentia non ulciscenda.

quam Græci *periergiam*, Quintilianus supervacuam operositatem, *lib. 8. c.* Ulpianus, proverbiali locutione, Delatoriam curiositatem appellat *in l. nec supina. 6. ff. de jur. & fact. ignor.* non malè videtur usurpari posse illud Plauti de famigerationibus loquentis *in Trinumo:*

Qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt.
Quod quisq; in animo habet, aut habiturus est, sciunt.
Id quod in aurem Rex Reginæ dixerit,
Sciunt, quod Iuno fabulata est cũ Iove
Quæ neque futura, neque facta sunt, tamen ii sciunt.

De quibus videatur Guilielmus Budæus *in l. plurimum. de jur. & fact. ignor.* & Joh. Corasius *lib. 2. Miscellan. cap. 24.* Monet tamen Cujacius *ad titul. C. de Calumniator.* pœnam illam in facie scribendi jam olim exolevisse. *argum. l. si quis. 17. C. de pœnis.* cùm & in manibus & in suris pœnam damnationis una inscriptione comprehendi posse, Constantinus ibi rescripserit: quò facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis est cœlestis figurata, minimè maculetur, *d. l. si quis.* & in confesso sit, caput sive faciem principale & potissimum hominis membrum esse, unde cujusque imago cognoscatur. *l. cum in diversis. 44. ff. de relig. & sump. funer.* ut meritò gravior injuria æstimari debeat, si quis facie, quàm alia corporis parte fuerit notatus. *l. aut facta. 16. §. qualitate. ff. de pœnis. atrox. Institut. de Injur.* atque ideò etiam proprietarii servus ab Usufructuario cicatricibus deformari non possit *l. locum. 17. §. ex eo. ff. de Usufruct.* quandoquidem Notæ verbo etiam Cicatrices contineantur. *Leg. 1. in fin. de fugitiv.* In Militibus planè solenne fuisse, ut eorum brachia stigmate notarentur, Accursius notat *in l. pen. ff. ex quib. cau. maj.* Idq; disertè probat *text. in l. 3. C. de fabricent. lib. 11.* ubi Stigmata Fabricensium (de Fabricensibus autẽ *lib. 1. titul. de Armamentariis, fol. 619.* diximus) brachiis, ad imitationem Tyronum infligi jubentur. Ait, *ad imitationem Tyronum.* Non omnes igitur milites, sed solos duntaxat tyrones notatos fuisse innuit: quales erãt Juniores illi, qui publicis stipendiis militari disciplina instituebantur, & Militiæ designati ad pugnam exercebantur: pòst deinde, ubi satis videbantur instructi, in numeros referebantur, nec anteà militiæ privilegia habebant. Docet hoc Ulpian. *in l. ex eo 42. ff. de Testam. milit.* Ex eo tempore (inquit) quis jure militari incipit posse testari, ex quo *in numeros* relatus est: antè non. Proinde, qui nondum in numeris sunt, licet etiã lecti tyrones sint, & publicis expensis iter faciant; nondum milites sunt. Diligenter quippe plerique veterum Imperatorum providerunt, ut peritum exercitatumque militem haberent: cui soli, non verò etiam tyronibus, qui in numeros nondum relati essent, militaria privilegia concederent. Constat autem ex adductis modò Ulpiani verbis nondum *in numeros* dici relatos milites, cùm delecti quidem sunt, necdum tamen in suos ordines pervenerunt. Nam & per contrarium, Milites in numeris manere dixit idem Ulpianus, qui in suis consistunt ordinibus. *l. iure militari. 4. ff. de testam milit.* Johann. Corasius *lib. 5. Miscellan. cap. 22.* Illius verò consuetudinis designandis tyronibus, etiam Vegetius meminit *libro. 1. cap. 8.* his verbis: Sed non statim punctis signorum scribendus est tyro dilectus. Et *libro secundo, cap. 5.* Nam victuris (ait) in cute punctis Milites scripti, & matriculis inserti jurare solent. Hi verò publico stipendio docti, discedere à militia nisi emeriti non poterant: atque ideò notabantur, quo facilius apparerent, neve publicis usibus destinati

In facie scribere prohibitum.

Militum brachia notata.

& quidem tyronum.

In numeris esse.

subtraherentur; ut Viglius Zuichæmius rectè annotavit *Inst. de Milit. testam in pr. nu. 20.* & Claudius Coteræus de Jure militari, *lib. 1. cap. 23.*

Carpocrates.

Singulare etiam fuit Carpocratis, hæreticorum omnium sceleratissimi institutum: qui mala & bona omnia, non naturâ mala, neque bona; sed opinione hominum ita vocari disputabat, ut quodcunq; adlibuisset, id identidem licere persuaderet: non aliter scilicet, quam Antonino Caracallæ Imperatori, Julia noverca dixisse memoratur. Cùm enim ea, quæ pulcherrima erat, quasi per negligentiam se maxima corporis parte nudasset, dixissetque Antoninus: Vellem, si liceret: Respondisse fertur Julia, *si lubet, licet.* An nescis & Imperatorem esse, & Leges dare, non accipere? voce mehercule infami & impura, scorto famoso magis, quàm Augustâ digna: ut gravis est Johannis Coratii sententia *lib. 2. Miscellan. c. 25.* Is igitur Carpocrates tam monstrosum persuasurus dogma, discipulos suos summa dexteræ auris particula præsignabat; rectius multò facturus, si eodem modo, sed stigmate longè graviori, eorum omnium nõ aures tantùm, sed oculos etiam & nasum, & os, & linguam inussisset, qui delitus hujusmodi audiendis tẽpus insumerent, ut rectè putavit Joh. Pierius *lib. 34. Hieroglyph.* Notum tamen est, illud in joculari libello à Seneca adagionis specie usurpatum: *Aut Regem, aut fatuum nasci oportere.* quod hanc habet sententiam: Solis libertatem suam constare solere fatuis & Regibus. Nam & fatuis quidvis licere impunè loqui & facere; & Regibus inultum esse quidquid lubet. Quod quidem proverbium verum Claudius Cæsar facerat: quo imperante nemo fuerat liber, suique juris, præter eos, quod verbũ illud vetus complectebatur. Adr. Turneb. *lib. 26. Adversf. cap. 4.*

Julia Caracalla noverca.

Aut Rex, aut fatuus.

Samiis quoque & fictilibus vasis (ut ad ea, unde in hoc diverticulum excessi, revertar) Veteres in sacris usos fuisse animadverto. Nam & apud Athenæum *lib. 6. Dipnosop.* ad Macedonum usq; dominatus tẽpora id factitatum legimus. & Tertullianus in Apologetico adversus Gentes: Nam etsi à Numa (ait) concepta est curiositas superstitiosa: nondum tamen aut simulacris aut templis res divina apud Romanos constabat: frugi religio, & pauperes ritus, & nulla Capitolia certantia cœlo: sed temeraria de cespite altaria, & vasa adhuc Samia, & nidor ex eis. Quod in loco Samia appellat vasa, quæ Cicero Samias capedines, & fictiles urnas, cùm *Paradox. 1.* ita scribit: Quid Numa Pompilius? minusne gratas Diis immortalib. capedines, ac fictiles urnulas fuisse, quàm delicatas (Camerarius *filicatas* legit; Bayficus, *Deliacas*) pateras arbitramur? Capedines verò à capacitate fortassis ita dicebantur: nisi à capiendo mavis, quòd essent ansatæ, atque ita facilè prehendi possent: ut & Capidula usitato veteribus vocabulo, vinarium vas ansatum legitur apud Perotum. Atq; eas quidem Capedines fuisse fictiles vel ex eo liquet, quòd Athenæus vasis ejusmodi κεράμια aut κώθωνας: quos idem figulina vasa exponit, παρὰ τὸ κυλίεσθαι τῷ τροχῷ, quòd rotæ circumactu fingerentur: ut rectè observavit Hadr. Jun. Medicus & Philologus omnium liberalium artium elegantia ornatissimus. *lib. 2. Animad. c. 10.*

Samia vasa in sacris.

Capedines.

Hadr. Jun.

Meminimus alibi, Herculis poculum tantæ capacitatis fuisse, ut tam in eo navigare, quàm etiam bibere ex eo potuerit. Atq; id voracitati & ingluviei ipsius convenisse diximus, quem proditum sit, Lepreo in voracitatis certamen vocato, integrum devorasse taurum *lib. 1. tit. de Argent. supell. fol. 493.* Idq; plures eum factitasse lego: cùm & Pindarus referat, Herculem

Herculis ingluvies.

culem Coroni ædes ingressum, integrum bovem, ut ne reliquum quidem os ullum relinqueret, abliguriviſſe: & Callimachus hymno εἰς ἄρτεμιν fabuletur, Eundem jam in Deos relatum, nihilominus inexplebilis edacitatis manſiſſe, & gurgitem insignem:

Manſerat ingluvies, necdum placata quierat,
Quæ quondam occurrit ſulcanti vomere terram
Theodamanti:

ubi Interpres in commentariis Græcis annotat, Theodamantem fuiſſe Dryopum Regem. quanquam Philoſtratus & Lactantius Lyndium ex oppido Rhodi eum tradunt. Sed Callimacho etiam Lucillius Tarrhæus ſubſcribere videtur, ex Archilocho & Pherecyde ſcribens, Herculem eſuriente Hyla puero, relictoque à tergo pædagogo Licha, fortè obvium Theodamanti, popoſciſſe aliquantum. Cujus cum repulſam tuliſſet, ira ſuccenſum, diripuiſſe è bobus alterum, coque mactato epulatum fuiſſe. Qua accepta injuria, Theodamantem in Urbem regreſſum: compuliſſe oppidanos ad arma adverſus Herculem. Ibi tum neceſſitate extrema circumventum Herculem, etiam uxorem Dejanam armaſſe, prælioq; ſuperiorem; Theodamantem neci dediſſe gentemque omnem in alias ſedes tranſportaſſe. Haud itaque mirum, quòd tantæ amplitudinis Herculeum craterem Statius fuiſſe ſcribat, ut duo cum Juvenes vix portare potuerint. Unde & vaſa magna atque capacis ab Hercule *Heraclea* fuerunt nuncupata.

Herculis poculum.

Herculem enim in potoribus numeratum fuiſſe maximis, Turnebus innuit *lib. 8. Adverſar. cap. 10.* Steſichorus certè Poëta Lyricus, Centaurorum & Lapitharum convivium deſcribens, Pholum ait Alcidæ ſive Herculis hoſpitē, ut à Lucano appellatur, impleviſſe Herculi craterem trium lagenarum capacem; quem prior ipſe obbibiſſet. Verba Steſichori ex Græcis Latina facta ſic habent: Hercules acceptum in manus ſcyphum plenum, trium lagenarum capacem ori admovens obbibit, quem Pholus ipſi infuderat. Erat autem *Lagena* vinarium vas, ſed fictile in quo vinum adſervabatur, in conviviis deplendum. Quòd ſi crater ille trium lagenarum capax fuit: oportuit eum ita amplum fuiſſe, ut Urnā, hoc eſt, quatuor & viginti ſextarios caperet, ex ſupputatione Hadriani Junii *lib. 4. Animad. c. 5.* Atq; eò reſpexiſſe videtur Juvenalis, dum inter cætera, quæ *Satyr. 12.* refert, Catullum naufragii metuentem, in mare præcipitaſſe ait

—Urnæ cratera capacem,
Et dignum ſitiente Pholo.

Sed minuta hæc videri potuerunt, ſi cū iis conferas, quæ de ſimili gulone Lityerſe, Midæ Regis notho Celænis in Phrygia regnant, homine vultu effero & truculēto, ſed bibone glutoneque ſupra fidē maximo, Soſitheus Tragicus memoriæ prodidit. Hunc etenim totum vini dolium uno die ebibendo vacuaſſe, triumq; clitellariorum aſinorum onus, panes devoraſſe ſcribit his verſibus: qui apud Athenæum *lib. 10.* ex doctiſſimi Junii interpretatione ita leguntur:

Lytierſes.

At filius Midæ Celænes nothus,
Qua matre, dubium eſt, ipſa noverit parens,
Tres quāū aſellos prægravet, pāes vorat
Brevi die, ſimulq; deterget bibens
Iuſtum cadum, decem amphorarum dolium
Redditque jumentis onus portatile.

Amphora.

Amphoræ duæ, ut Georg. Agricola collegit, ſextarios duos & ſeptuaginta continent. Qui igitur dolium decem amphorarum epotārit, is trecētos ſexaginta ſextarios in inexhauſtam alui voraginem demer-

mersérit: quemadmodum rectè concludit Hadrian. Jun. *lib.4. Animadverſ.c.3.* rei tamen hujus fidem penes Auctorem deponens. Quod si ita est: non erit profectò, ut miremur ampliùs *bicongium* M. Tullii filium, aut Mediolanensem tricongium Novellum Torquatum, Plinius *lib.14.c.22.* etiamsi apud Tranquillũ, potorem legerimus *Amphorariũ.* sed nimirum, ait Plin. *d.lib.14.c.ult.* hanc gloriam auferre Cicero voluit interfectori patris sui M. Antonio. Is enim avidissimè antè eum apprehenderat hanc palmam, edito etiam volumine *de sua ebrietate*: quo patrocinari sibi ausus approbavit planè, ut quidem arbitror, quanta per temulentiã mala orbi terrârum intulerit. Nec etiam adeò monstrificum id erit, quod de Germanis prodidit Ludov. Cœl. Rhodig. *lib. 18. Lectio. Antiq.c 20.* & Joseph. Quercetan. *in diatet. historicopolit sect.1. c.8 fol. 191.* ubi simul & gulosi istius *Timocreontis Rhodij* epitaphium adducit.

Cicero bicongius.

Multa bibens & multa vorans, mala multaque dicens
Ipse viris, jaceo Timocreon Rhodius.

Et Germanorum in bibendo capacitatem omnibus in Gallia miraculo fuisse ait, quòd singulis mensis singuli quaternos quartarios vini exsiccarint, sic ut potores novem, amphoras exinanirent binas. Miremur potiùs Aureliani tempora: quibus celebratum phagonem novimus, qui die uno aprum absumeret integrum, panes centum; vervecem insuper ac porcellum: biberet autem, infundibulo ori apposito, plus orca. Miremur et Bonosum minutulum Roman. tyrannorum, qui tãtum bibit, quantũ nemo alius. Inde scitum Aureliani dicterium: Non ut viveret, illum esse natũ, sed ut biberet. cõtra illud Socratis Xenophontis edendum esse monentis, ut vivas: non vivendum, ut edas. Nam ut Plutarchus ait, mali ideò vivunt, ut edant & bibant: boni verò edunt & bibunt, ut vivant. Quibus ex Solonis sententia apud Athenæum *lib. 8.*

Bonosus.

Edones & bibones.

——nil ventre dulcius
Et solus est pater, solusque mater est
Venter, magistratus, virtus, legatio
Quæ comedis & bibis, sola hæc habes tua.

Quippe qui nullos norunt Deos, præter Edusam & Potinam, Ventur. de Valentiis *in parth. litigioso lib.1.c.13. n.20.* quomodo & Polyphemus ille apud Euripiden *in Cyclopo,* Ventrem omnium Deorum Maximũ nuncupás, cui sole se ait sacrificare.

Ego nulli sacrifico, nisi mihi; Diis verò Nequaquam; & ventri huic Deorũ Maximo.
Nam bibere & edere, per integrum diem
Hominibus sapientibus est Deus, nullaque
Seipsum afficere molestia——

De his Epicuri de grege porcis, quis fuit
-- in solo vivendi causa palato,
Rectè dicere possis, *suos eos sibi hæredes* dum sibi solum vivunt, genio indulgentes, & voluptati obsequentes suæ. Quibus congruit illud Sardanapali symbolum, quod incidi sibi inbusto jussit, atque ita à Cicerone latinè redditum legitur *lib. 5. Tuscul.*

Hæc habeo, quæ edi: quæq; exsaturata libi-(do
Hausit: at illa jacent multa & præclara relicta

De quo ita Aristoteles. Quid aliud, *inquit*, in bovis quàm in Regis sepulchro scriberes? Referente Nic. Reusnero *Class. 1. symb. 28.* Sed redeo ad Bonosũ. Is, quod extra omnem admirationis captum est, quantumlibet bibisset, semper securus erat ac sobrius. Addo etiam; Vino nunquam non prudentior. Amplius; quantum hausisset, reddebat vesica ad æquilibrium. Nec pectus unquam, aut venter, vel pars alia ex humoris ingesti nimietate affecta est. Hunc ubi ad laqueum coëgisset Probus Imperator, jactatum militari joco

joco, *Amphoram pendere*, non hominẽ. Erat enim heluo & ventrem habebat deformiter tumidum, ut Philipp. Melanchthon tradidit *lib. 3. Chron.* sub Valerio Probo, & Cœl. Rhodig. *lib. 29. Lection. Antiquar. c. 1.*

Pravia gulonibus constituta.

Parva hæc possent videri, nisi etiam præmia gulonibus constituta legeremus. Nam & *Mithridates* iis, qui avidius vorarent ac biberent, præmia proposuit, & in utroq; genere victoriam (si vincere est ab intemperantia vinci) fœcundissimam est adeptus. *Alexander* quoque Magnus talenti præmium proposuisse ei dicitur, qui pocula vini ampliora siccaret. In quo certamine quadraginta cum eo, qui præmium tulerat, effusis visceribus, propemodum spectante Rege crepuerunt ac perierunt: ut rectè existimatum fuerit, Alexandrum rarissimas suas virtutes, & rerum à se gestarum decus ac gloriam una illa Ebrietatis consuetudine turpissimè fœdasse. Quò fit, ut ne *Tiberius* quidem Cæsar justam reprehensionis notàm possit effugere, qui honores strenuis & nobilibus vini potoribus & edonibus (*nebulonibus* penè dixeram) mandabat: & ex his ignotissimum Quæsturæ candidatum Nobilissimis anteposuit, ob epotam in convivio, propinante se, vini amphoram. more etiam hac tempestate non prorsum inusitato, quo homines indigni, spretis melioribus, ad honores evehuntur, quos fortè evectos satius erat gradu moveri: sicuti ab aliis principibus Magistratum multis etiam levioribus de causis abrogatum legimus. Nam & *Vespasianus* adolescentulum fragrantem unguento, cùm sibi pro imperata præfectura gratias ageret, nutu aspernatus, voce etiam gravissima increpuit: Maluissem allium oboluisses. Et *Domitianus* Quæstorium virum Senatu movit, quòd gesticulandi, saltandique studio teneretur. Sueton. *in Vespasiano, c. 8. & in Domitiano c. 8.* quod & Consulari cuidam viro P. Cornelio obtigit, quòd decem pondo argenti facti in supellectili haberet, id est, vasa precii fortè quadraginta coronatorũ. Hoc amplius memoriæ proditum est, *Augustum* Legato consulari successorem dedisse, ut rudi & indocto, cujus manu IXI. pro IPSI scriptum animadvertisset. Suetonius *in Augusto capit. 88.* Cui planè annumerandum crediderim bonum illum virum, qui XERXES non ita pridem IXERIXES legendo pronunciabat; simplicius tamen, quàm fastuosus ille virtutum suarũ Cantor, qui latinitatis quidem probè se gnarum esse, omnes dejerabat Deos; cæterum cujuslibet vocis Latinæ terminatione sive ultima syllaba mirum in modum se divexari dolebat. Huic ego Augustum, aut Imperatores alios Præturam commissuros fuisse putem? quanta potiùs severitate credam eos animadvertisse in Peculatus, aut repedundarum reos, in Numarios judices, aut alia quavis ratione magistratu abutentes: cùm tam leves ob causas, ob unguenti odorem, ludicrum saltandi studium, paucarum argenti librarum suppellectilem, aut etiam lapsum in Orthographia, & pronunciationem vitiosam, homines etiam summis dignitatibus functos honore exsuerint? Iniquum scilicet existimabant, Indignis honores conferre. Nam, ut *in Rhetoricis* scripsit Cicero, Omnia virtutis & officii præmia sancta & casta esse oportet, neque ea aut cum improbis communicari, aut in mediocribus hominibus promulgari. Ideoque cùm honor indigno confertur, dignitas maculari dicitur *l. 2. C. si ser. aut libert. ad decurion. adspir. lib. 10.* & Resp. periclitari, ut notat Luc. de Peña *in Rubr. C de dignitat lib. 12. col 2.* Quocirca honorem indigno servandum esse JC, negat *in l. senatoris, 47. de ritu nuptiar.* cum

attendite Cyclopes, & ò saxea corda.

Magistratus ex levicula causa abrogati.

Honores indignis collati.

sca-

reatus omnem honorem excludat *l. 1. in fin. C ut summ. vel clariss.* & non debeant dignitatis portæ patere famosis & notatis, quos scelus vitæ inquinat & quos infamia à bonorum cætu segregat *l. 2. C. de dignitat. lib. 12. & can. infamib. de Reg. jur. in 6.* Cum iis, quæ non indiligenter in hanc rem congessit Filius *decad. 3. Epigram. legal. 26. num. 31. cum seqq.* Atqui hodiè vitia ista adeò levia & parva videntur, ut ea quoq; hac tempestate multi pro virtutib. amplecti non dubitent: quemadmodum meritò conqueritur Antimachiavellus *de Regno aut princ. rectè administrand. lib. 3.* tantò major & melior Machiavello, quãto laudabiliorem præstat operam, qui homines ad virtutem, quam qui ad vitia instituit. Sed vereor, ne non momentanea futura sit hæc quorundam felicitas: in quam exstat elegans Alciati Emblema:

Aeriam propter crevisse Cucurbita pinũ
Dicitur, & grandi luxuriasse coma:
Cùm ramos complexa, ipsumque egressa cacumen,
Se præstare aliis credidit arboribus.
Cui Pinus: Nimium brevis est hæc gloria: nam te,
Protinus adveniens, quæ malè perdet hyems.

Calculi supputatorii. Adeò verum est, quòd Solon eos, qui apud Principes auctoritate valerent, similes esse dixerit calculis, quibus ad supputandas rationes utimur. Ut enim hi quandoq; majorem numerum interdum minorem significant: ita Regum asseclæ, & qui claris in aula honoribus fulgent, repentè obscuri & ignobiles fiunt, inusta nota, publicatis opibus, ademta vita; non minùs propter delicta propria, quàm propter Principum levitatem, aut invidorum insimulationes: ut est apud Steph. Forcatulum *lib. 1. de Imperio & Philosoph. Gallor.*

Quòd si igitur hoc ingluviei vitio ipsi etiam Romani laborarunt: qui fit, quòd Græcos ceu ventri & gulæ deditos *pergræcandi* verbo perstrinxerint? Sic enim Græcos, qui in Italia agebant, notare solebãt, ut Sybaritas, Thurios, Tarentinos: à quibus *Italicam mensam*, in Epistola Platonis *ad Dionis amicos*, pro laboriosa dictam accepimus. *Mensa Italica.* Ea in Epistola cùm alia multa vitæ inprimis conducentia, tùm illud observavimus, Nõ fore prius ut malis agitari desinamus, quàm si Respublicas capessere cœperint, Philosophiæ innutriti & probè, & rectè: aut qui jam administrationi manus admoverunt, verè philosophari ingrediantur. Quia, inquit, mente Italiam Siciliamque mihi adeundam censui. Eò cùm appulissem, vitam quam beatam vocant, Italicarum Syracusanarumque mensarum non potui non summoperè improbare. Mos enim illis est jam receptus, bis die saginari epulis, ac distendi; noctu verò libidinis socium adsciscere, & id genus alia perficere, quæ vitæ sunt ejusmodi veluti propagines. Nemo enim omnium ita ab ineunte ætate connutritus, etiamsi ingenio sit mirus, prudentiam sibi queat vendicare, quo in loco *Italicæ mensæ* non aliæ accipiendæ sunt, quàm *Græcæ*, quemadmodum & Philosophiæ quoddã genus *Italicum* dici cõstat, quod à Græcis in Italia coli cœpisset. Nam à Græcis non partem, sed universam fermè Italiam fuisse occupatã, urbibus multis post tantam vastitatem Græci moris vestigia ostentãtibus, Trogus scribit, & latiùs examinat Cœl. Rhodigin. *lib. 7. Antiquar. lect. cap. 9.* Hinc & *mores Massylienses*, pro mollibus & effeminatis, si Athenæo credimus & Suidæ. *Massylienses.* Unde proverbium: *Naviges Massyliam.* Item: *E Massylia venisti*, quanquã haud scio, an Athenæi & Suidæ tanta debeat esse auctoritas, quin gravissimorum contrà

trà scriptorum consentientibus testimoniis si non enervari planè, certè non parum labefactari posse videatur. Massyliensis utique civitas, teste Val. Max. *lib.2. c.6.* severitatis eatenus acris fuit custos, ut Mimis, quorum argumenta majore ex parte stuprorum continent actus, nullum prorsus aditum in scenam dederit: ne talis spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumeret. Omnibus præterea, qui per aliquam Religionis simulationem alimenta inertiæ quærerēt, clausas portas habuerit, & mendacem & fucosam superstitionem submovendam esse existimans. Scribit Corn. Tacitus, Agricolam socerum Massyliam sedem ac magistram studiorum habuisse, locum Græca comitate, & provinciali parcimonia mistum ac benè compositum. Studia præterea bonarum artium adeò in ea Civitate exculta, ut nobilissimi quique Romanorum ad capessendas disciplinas eò filios mitterēt, neglectis jam Athenis, ut est apud Strabonem; eò magis, quòd morum gravitate præ Atticis spectarentur, Laconicis non inferiores. Ob plurium verò Linguarum cognitionem Massylienses à Varrone *trilingues* fuerunt dicti, ut Isidorus refert *lib. Etymolog.15.c.1.* quia Græcè, Latinè & Gallicè loquerentur: ne diutius glorietur Ennius, qui tria corda habere sese dicebat, quòd loqui Græcè & Oscè & Latinè sciret. Veriùs opinor gloriaretur Mithridates, Ponti atqui Bithyniæ Rex inclytus, qui quinque & viginti gētium, quas subditione habuit, linguas percalluit: earumque omnium gentium viris haud unquam per Interpretem colloquutus est: sed ut quemque ab eo appellari usus fuit, proinde lingua & oratione ipsius, non minus scitè, quam si gentilis ejus esset, loquutus est. A. Gellius *Noct. Atticar. lib.17 c.17.* Victus porrò frugi atque modestiæ Massiliensium illud non minimum argumentum est, quòd Strabo ait Dotem illis amplissimam centum fuisse aureos, ad vestē, quinque; ad mundum aureum, quinque; amplius verò nullo pacto licuisse. Et quò severitas ista etiam fœminis communis foret, imperavit Lex, Massyliensis fœminas aquam bibere. Athenæus *lib.10. c.9.* sed & auctor est T. Livius *Decad.4. lib.7.* Massylienses in eo honore, in ea dignitate apud Romanos fuisse, ac si medium umbilicum Græciæ incoluissent. Non enim sonum modò linguæ, vestitumq; & habitum; sed ante omnia mores, & leges, & ingenium sincerum, integrumq; à contagione accolarum servasse. Unde & Valer. Maximus eos prisci moris observantia, charitate populi Romani præcipuè conspicuos fuisse tradit *lib.2.c.6. num.7.* Quibus accedat gravissimum Ciceronis de Massyliēsibus latum judicium. Massyliæ (inquit pro Flacco) disciplinam atque gravitatem non solùm Græciæ, sed haud scio an cunctis gentib. anteponendam jure dicā: quæ tam procul à Græcorū omnium regionib. disciplinis, linguaq; divisa, quum in ultimis terris cincta Gallorum gentibus, barbariæ fluctibus alluatur, sic Optimatum consilio gubernatur, ut omnes ejus instituta laudere facilius possint, quàm æmulari. Quæ vel singula satis esse poterant ad Athenæi & Suidæ Græculorum morsum retundendum; solio; quod ajunt, ficulno cavillo compressa lubricitate. qua de re plura videantur apud Ludov. Cœlium Rhodigin. *lib.16. Lectio. Antiquar. cap.8.* Et Steph. Forcatulum, *de Imperio & Philosophi. Gallor. lib.6.* Obtinuit tamen, ut Græco more potare dicerentur, qui grandibus meracisque poculis se invitarent. Cicero *in Verrem, actione 3.* Fit sermo inter eos & invitatio, ut Græco more biberetur. Hospes hortatur: poscunt majoribus poculis: celebratur omnium sermone lætitiaque convivium. Sed

Ennius.

Mithridates.

Græco more bibere.

Sed & ſcitum fuit in Græcorum conviviis. *aut bibat, aut abeat.* Et rectè, inquit idem Tullius *Tuſculanar. 5.* Aut enim fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi, ne ſobrius in violentiam vinolentorum incidat: aut diſcedat. Quæ Lex itidem in vita videtur ſervanda. Nam injurias fortunæ, quas ferre nequeas, de fugiendo rellinquas. Mos etiam erat in Conviviis, talorum jactu unum aliquem creare, qui præſcriberet, quantum quiſque & quomodo temperatum biberet. Is *Modiperator* dicebatur Varroni, quaſi modum bibendi imperans: *quem Bibendum arbitrum* vocat Horatius:

Modiperator.

—quem Venus arbitrum
Dicet bibendi?

Rectè ait, Venus dicet arbitrum. Nam cùm varii talorum jactus eſſent, *Venus*, *Canis*, *Senis Chius*: is qui primus è convivis Venerem jecerat, Modiperator erat. quem jactum etiam *Baſilicum* appellatum putat Lipſius, motus illis Plauti verſibus *in Curculione*:

Talos arripio, invoco almam meam nutricem Herculem:
Iacto Baſilicum, propino magnum poclum. ille ebibit.

Varro item id genus hominum *Magiſtros* nuncupat *lib. 4. de Lingua Lat.* Hiſce (pateris, inquit) etiam nunc in publico convivio, antiquitatis retinendæ cauſſa, cum Magiſtri fiunt, potio circumfertur. Unde Lex ille συμποτικὴ à Catullo dicitur Magiſtra: *Miniſter vetuli puer Falerni,*

Infer mi calices amariores,
Vt Lex Poſthumia jubet magiſtræ.

ubi Lex Poſthumiæ magiſtræ, eſt Lex Poſthumia magiſtra: ut urbs Romæ; & Horatio, herba Lapathi. Eum verò morem etiam Cato probat apud Ciceron. *de Senectute*: Me verò (inquit) & Magiſteria delectant, à Majoribus inſtituta, & is ſermo, qui more Majorum à ſummo adhibetur Magiſtro in poculo. Quæ Magiſteria Horatius *Regna vini* appellat:

Nec regna vini ſortiere talis.

Talis ait: quia, ut dixi, talorum jactu Modiperator ille deſignabatur: quemadmodum & tantum quis bibere cogebatur, quantum alea quæſierat. Plinius *lib. 14. c. 22. & lib. 28.* Erant quippe antiquitus magiſtratus, qui convivas, ne ſe nimio proluerent, leg's ſympoſiacæ admonerent, quos Modiperatores Varroni dictos *lib. 20. Rerum humanarum.* alibi monuimus. Plato de Repub. μνήμονας vocat: aliis dicti ſunt ὀφθαλμοὶ, non quod oculis, quos convivæ vini nimietate obcæcaverant, monitionibus illuminarent: ſed quod toti Argi & oculei eſſent in convivarum compotationes; quodq; convivis ſpectatores adnotatoreſque immitterent, ex interpretatione Johan. Savaronis *ad Sidon. Apollin. ep. 2. lib. 1.* Præterea moris erat receptiſſimi, tot cyathos bibere, quot literis Amicæ nomen conſtaret. Quo utique & Plautus reſpexit *in Sticho*: Et quinque bibe, & tres, & ſemiquatuor. Vult enim decem cyathos evacuandos, pro literarum ſe numero, quot Amicæ nomen, *Stephanium* puta, continebat. Ad quem mortem etiam Martialis alluſit hoc verſu:

Nomen Amicæ bibebatur.

Nævia ſex cyathis ſeptem Iuſtina bibatur.
& optimus Germanorum poëtarum Lotichius, ſuaviſſimo illo epigrammate ad Johannem Album. poëtam: quod ob ſingularem venuſtatem hic adſcribo:

Sæpè mea nomen ſimul inter vina puellæ
More jubes priſci temporis, Albe, bibā.
Tu Violantillam potas, mihi Claudia ſeptē
Dat cyathos, & jam frigida fugit hyēs.
Quid faciā, ſicci cum terga Leonis adibit
Phœbus, & ingratus faucib. æſtus erit?
Ergo mea propter nomē breve cogar Amicæ
Ferre ſitim? Tanti nulla puella mihi eſt.
Non tamen hanc Dominam mutabo, ſitimq; levabo.

Quid

Bibendi Leges.

Quid facies igitur, quæris? Amabo duas, Recensentur à Plinio *lib. 14. cap. 22.* aliæ quoque Leges, quibus bibendi ars constabat: Non labasse sermone, nec levatum vomitione, non altera corporis parte, dum biberetur: plurimum hausisse uno potu: plurimum præterea aliis minoribus addidisse: optima fide non respirasse in exhauriendo, neque exspuisse: nihilq; ad elidendum in pavimentis sonum ex vino reliquisse. Quibus ex verbis posterioribus non parum lucis capere videtur Horatiana illa Strophe ad Posthumum *lib. 2. Od. 14.*

Absumet hæres Cæcuba dignior
Servata centum clavibus: & mero
Tinget pavimentum superbum,
Pontificum potiore cœnis.

Etsi enim, Athenæo teste, in delicijs habebatur fragrantissimo vino cœnaculi solum respergere, & oleo præstantissimo: quod & Cic. de vino præsertim significat, cùm *Phil. 2.* ita scribit: Natabant pavimēta vino: madebant parietes. Idque etiam Postumi parcissimi & tenacissimi hominis hæredem facturum Horatius auguratur, qui vina à defuncto diligentissimè asservata, atque iis etiam preciosiora, quæ alioquin in magnificentissimis Pontificū conviviis, (dabant enim Pontifices sive Augures, sacerdotium ineuntes collegis cænam inprimis lautam & opiparā, quam etiam *Adicialem* fuisse vocatam Manutius notat *lib. 7. ep. 26.*) apponi solent, largiter sit effusurus. Innuit tamen Plinius, bibulum illum Torquatum tanta aviditate pocula exsiccasse, ut ad elidendum in pavimentis sonum ex vino nihil fuerit reliquum. Exsiccata autem sive exhausta pocula veteres solitos fuisse vertere, in dubitatū est ex Ennio & Vigil. *Aeneid. 9.*

Pontificum cœna adjicialis.

Pocula exhausta vertebantur.

Indulgent vino & vertunt crateras——

Quod etsi apud *Saxones* rusticū quodāmodo esse videatur, **de kon ob den bodē sett**en: pro more tamen *Francorum* suorum id fieri testatum facit & laudat Taubmannus venusto illo Epigrammate.

Saxoniæ mos est potoribus, inter amicos
Haurire ex imo pocula nulla cavo.
Mos certe nihili: nam cur, quod ab ore refusum
Alterius, tepida colluvione bibam?
Laudo meos Frācos, qui se cervice supināt
Et fundo ex imo præbita pocla bibunt.

idque illi vocant, **auff gut Pfaltzgräffisch auff ein näglin.** Quòd verò idem ait, pro lege observatum fuisse, in hauriendo non respirasse: id paulò antè, uno impetu potare dixerat. quod Græci uno verbo ἀμυστὶ exprimunt: quo significatur, inter bibendum ne fuisse quidem occlusum os, aut contracta labra; sed magno faucium hiatu capaciter & absq; respiratione haustum. Eam vicem Horatius *lib. 1. Carm. Od. 37.* Latinam fecit, rationem istam bibendi vocans *Amystidem*; & quidē Threiciam: quod Thracum Scytharumq; proprium videatur fuisse, capacius ingurgitare merum, & uno haustu ingentia exsiccare pocula:

Amystis.

Neu multi Damalis meri
Bassum Threicia vincat Amystide.

de qua elegans epigramma Græcum exstat apud Turnebum *lib 18. Adverss. c. 27.* & Muretus *lib. 4. variar. c. 8.* in eos invehitur, qui gutture tantum pro infundibulo utuntur: quod ipsum & ἀμυστίζειν, id est, confestim & sine respiratione bibere. ut Taubmañus interpretatur *l. 1. Virg. f. 415.* Sed de Thracib. & Scythis immanissimo hominum genere non est, quòd ἀμυστίζειν illud miremur tantopere: quibus etiam pro lege fuisse traditur, jugulare Uxorem supra maritum mortuum: amicitias inire, immisso ex incisis digitis in calicē humano sanguine, & mox intinctis summis gladiis libare; sagittas deniq; excutere cōtra tonitrua & fulgura minitātes Deo. *Steph.*

Scytharum barbaries.

 Forcat.

Forcat. *de Imper. & Philosoph. Gallor. lib. 6.* Ipsos verò etiam Romanos, à quib. aliæ gẽtes morum disciplinam petiisse videntur, hoc vitio inquinatos fuisse, verius mireris. Neque tamen ex vulgi fece, quod tolerabilius erat: sed & in viris summis, imò Imperatore ipso. Scribit enim Xiphilinus Dionis Epitomator: Commodum Imperatorem in solicitudinibus & æstuationib. theatricorum certaminum, quando ex superiore loco Ursos jaculis impetebat, ingens poculum vini dulcissimi refrigerati, de manib. mulieris captum, haurire solitum ἀμυνεὶ. Quo ex hausto spectãtes illud in conviviis usurpatũ acclamasse, ζήσειας, id est, vivas. quanquam amphibolicè id quidam pronunciatum contendant, perinde ac dicatur, Compleas vivendi modum, id est, *Morere.* Torquati tamen illius, cui tribus congiis uno impetu epotis Tricongii nomen fuisse diximus, rara in hoc fuit gloria. quanquam non tam gloria, quam error dici meruerat, quo quidam plurimo potu gloriantur, ut graviter censet Plinius *lib. 23. cap. 1.* Vidique, ait, jam turgidos bibendo in tantum, ut annuli integerentur cute, cum reddi non posset hausta multitudo aquæ. Videmus præterea, inquit idem Plin. *lib. 14. c. 22.* quosdã protinus anhelos ingentia vasa corripere, velut ad ostentationẽ virium, ac planè infundere, ut statim evomãt, rursusq; hauriant; idq; iterũ tertiumque, tanquam ad perdenda vina geniti: & tanquam effundi illa non possent, nisi per humanum corpus. Adeò vino debemus homines, quòd soli animalium non sitientes bibimus, ut magna pars non aliud vitæ præmium intelligat! quæ justa ejusdem Plinii querela est: qui etiam scitum de quodam potore reperiri scribit, cum Syracusis tamdiu potare solitum, donec cooperta terra fœtum ederent ova *lib. 10. cap. 54.* Huic bubula lingua sale condita, deinde pensilis in annuos usus servata haud dubiè arriserit: quandoquidem hac Vini potores nihil præclarius reperêre ad excitandam sitim: vinumque jucundioris precioſiorisq; gustus ab hujus esu gula promittit, si Bruverino credimus *lib. 12. de re cibar. cap. 8.* At verò si pensiculatim rẽ æstimare velis: quæ gloria est, ait *Epist. 84.* Seneca, capere multum? Quum enim penes te palma fuerit, & propinationes tuas strati somno ac vomitantes recusaverint, & superstes toti convivio fueris: quũ omnes viceris virtute magnifica, & nemo vini tam capax fuerit; vinceris à dolio. Id genus hominum dum cogito, in mentem mihi venit Herculis Strozæ, verè nobilis poëtæ, in Heluonem conscriptum epigr. quod sic habet.

Commodus.

Torquatus tricongius.

Attendite cyclopes & ô saxea corda.

Sæpè bibis, quò sæpè vomas, & sæpè voracem
Distendas miseri corporis ingluviem.
Quin si fortè tenax stomacho cibus hæserit hunc vel
Dextra, vel in fauces indita penna ciet.
Tanquam sis genitus perdenda ad vina, nec ulli
Te Natura alij finxerit officio.
O dignum laqueo facinus! quodcunq; voratur,
Turpiter ingeritur, turpius egeritur.

Etsi enim ipse Plato etiam largiorem paulò jucundioremq; vini invitationem, quæ fieret sub quibusdam arbitris & magistris conviviorum sobriis non improbavit *in 1. & 2. de Legib.* non tamen & ebrietatem istam turpissimam, quæ labefacere & imminuere hominum mentes solet, laudavit; ut rectè illum Platonis locum interpretatur Gellius *lib. 2. Noct. Atticar. c. 2.* Ideoque illas bibendi leges, quibus quis cogebatur à bibẽdi arbitro sive Magistro calices æquales exhaurire, Horatius *insanas* vocat *lib. 2. serm. Satyr. 6.* Et abusum illum, quoad potus æquales suo modo se obli-

Bibendi leges insanæ.

obligant potatores, & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit, pontifex penitus abolendum decrevit: ne ad bibendum quisquam invitetur) sicuti usu venire solet Salutipotorib.) cum ebrietas inducat & mentis exitium, & libidinis provocet incentivum *c. à crapula. 6. extr. de vita & honest. cleric* sed & publica Imperii lege, immoderata illa adhibendi consuetudo reprobata quidem fuit in comitiis Augustanis Añó 1530. & 1548. *tit. de compot.* At contrario quasi usu leges istas abrogatas fuisse, & quidem pessimo exemplo, & non absque turpitudinis quadam infamia, meritò conqueritur Andreas Gail. *lib. 3. observat. 110. num. 23.* Quantò rectius Cicero: cibo & potu reficiendas, non opprimēdas esse vires monet 1. *Offic.* siquidem

Salutipotores.

Propterea capitur cibus ut suffulciat artus

Quemadmodum aureus habet Lucretii versiculus, quem expressurus Guntherus, recreandi verbum usurpat:

Corpora fessa cibo miles recreare pararet.

lib. 4. v. 75. At nunc in conviviis profundendum est, etiam si postea sit esuriēdum. Nam & Baccho nunc hilarantur, & cāticis perstrepunt convivia. Nulla sine vino placent: quasi Varronem quisque edidicerit, ita ubique & mussitari & occini audias.

Vinum hilaritatis dulce seminarium
Hoc continet coagulum convivia.

Et verò vinum uti præstantissimum, ita etiam discutiendis ac serenandis animi hominum nutib. censetur esse conveniētissimum: uti & Adrianus Junius existimavit *in Batavia historia cap. 15. fol. 216.* Cæterū heluones illi sive gurgites, quibus homines prodigiosè voraces intelligimus, etiam *Manduci* dicebantur & ad voracitatem repræsentandam pingebantur malis magnis, & hiantibus turpiter, ad formidinem usq; & terrorem infantium. Sic enim Festus. Manducis effigies in pompa antiquorum, inter cæteras ridiculas formidolosasq; ire solebat, magnis malis, & ingentibus dentib. sonitum faciens. Plautus *Rudente*

Quid si aliquo ad ludos me pro Manduco locem,
Quapropter? quia pulchrè crepito dentib.

De hoc ipso intelligi debet Juvenalis *Satyra 3.*

—tandemq; redit ad pulpita notum
Exodium, cum personæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infās.

Quod Johan. Meursius rectè observavit *in Mantissa ad librum de luxu Romanor. capit. 12.* Hanc in rem vide, quæ Joseph. Quercetanus literis prodidit *in suo Diætetico & Polyhistorico Sect. 2. cap. 8.* ubi de variis cùm Sobrietatis, tùm gulæ ebrietatisve effectis eruditè disserit, quibus addenda sunt, quæ de Parsimoniæ utilitate scripsit Johan. Goropius *in Amazonibus, fol. 867.* Et quis dubitet, Ventres istos commodissimè æquiparari posse inexplebili illi *Danaidum dolio*, quod inani quāvis labore repleturæ, ut cum Ovidio dicam,

Assiduas repetunt, quas perdant Belides undas

Nam, ut verissimè scriptum reliquit Lucretius *lib. 3.*

Hoc, ut opinor, id est, ævo florente puellas
Quod memorant laticem pertusum congerere in vas,
Quod tamē expleri nullâ ratione potestur.

Quæ fabula etsi variam interpretationem capit à Mythologicis scriptoribus, ut videre est apud Natalē Comitem *lib. 9. c. 17.* Tamen & de heluonibus rectè eam usurpari posse, gravissimus Theologus juxtà & Poëta festivissimus Theodor. Beza indicat hoc Emblemate:

Belidas fingunt pertusa in dolia Vates

Mox effundēdas fundere semper aquas.
Nomine mutato, narratur fabula de te,
Ebrie, quæ mejas qui sine fine bibis.
Quin etiam hoc in te quadrat, turba ebria quòd sint,
Corpora quæ fuerant, dolia facta tibi.

Quemadmodum autem de pergræcantibus istis perquam verum est, quod Varro dixit, iis vitæ modulum culinam esse, dum scilicet omnia epulis metiantur: Ita & prodigos atque ebriosos Lucretius dicebat natos esse vino in vesicam calando siccandoque: quippe qui cellas divitum vinarias epotas effundant in matulam: vel, ut ejusdem Varronis utar verbis, Divitum apothecas Chias ad communem revocent matellam. Lubet autem Varronis testimonio propterea frequenter uti, quòd neminem esse arbitror, quantumvis leviter in optimorum lectione Auctorum versatum, qui nesciat, quantis clarissimi quique Scriptores M. Varronem laudibus evehant: quem etiam viventem, cùm multum valet invidia, doctissimum omnium Togatorum appellaverunt: & cujus viventis posita imago est in Bibliotheca: quæ, ut Plinius scribit *lib. 7. Natural. historia capit.* 30. refert, prima in orbe ab Asinio Pollione de manubiis publicata Romæ est: haud minore, ut equidem reor, gloria, principe Oratore & Cive, ex illa ingeniorum, quæ tunc fuit, multitudine, uni hanc coronam dante, quàm cùm eidem Magnus Pompejus piratico ex bello Navalem dedit. Singularem hanc gloriam eidem luculentissimo testimonio confirmavit Cicero, quando *in libris Academicis* dicit, Eam, quæ ibi versatur, disputationem se habuisse cum M. Varrone, homine omnium facilè acutissimo, & sine ulla dubitatione doctissimo: *Et in 1. earum quæstionum libro*, cùm ejusdē Varronis literaria opera prædicaret: Nos, inquit, in nostra Urbe peregrinantes, errantesq; tanquam hospites, tui libri quasi domum reduxerunt, ut possemus aliquando, qui & ubi essemus, agnoscere. Tu ætatem patriæ, tu descriptiones temporum, ut Sacrorum jura, tu Sacerdotum, tu domesticam, tu publicam disciplinam, tu sedium, regionum, locorum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti. Ut minùs mirari debeamus, ipsum etiam Augustinum *lib. 6. de Civitate Dei*, eundē M. Varronem supra omnes eruditione claros extollere: quem etiam tam multa legisse ait, ut aliquid ei scribere vacasse mirandum sit; tam multa scripsisse, quàm multa vix quenquam legere potuisse, credere debeamus.

M. Varronis laus.

Sed ut his, quæ de poculis hactenus diximus, quasi mantissa quædam accedat: sciendum est, pro capaciore poculo accepta quoque fuisse *Ciboria*: ut apud Horat. *lib. 1. Carm. Od. 7.*

Ciboria.

Oblivioso levia Massico
Ciboria exple.

Sunt autem Ciboria Nicandro propriè fabæ Ægyptiæ folia: quæ propter insignem amplitudinem Dioscorides petaso, Theophrastus pileo Thessalico assimilat. Fabam illam Pliniū *Colocasiam* nominat, cùm *libro 21. cap. 15.* ita scribit: In Ægypto nobilissima est Colocasia, quam Cyamon alii vocant, hanc à Nilo metunt. Deinde subjicit: Ægyptii adeò Nili sui dotibus gaudent, ut implexis Colocasiæ foliis in variam speciem vasorum, potare gratissimum habeant. ubi per implexa folia Colocasiæ, Ciboria periphrasticè circumscribi Hadrianus Junius rectè arbitratur, *libro 1. Animadversio. cap. 10.* ita ibidem Latine redditis Nicandri versibus:

Demessaquè faba Pharia, quam severis, hinc tu
Communes sertis flores, protentaq; latè
Maturo

Maturo fructu plenoque Cibori, in usum
Poclorum, manibus verset lasciva Iuventus,
Dum curat Genium; at coctis radicibus utor
In cœnam appositis.

Pocula ex vite.

Quid, quòd & ex vite paternam factam Plinius se vidisse testatur? ut & in urbe Populonia Hetrusca ex unica vite Jovis simulachrum, tot ævis corruptum? *lib 14. cap 1.* Vites quippe (ut idem ait) jure apud priscos magnitudine quoq; inter arbores numerabantur. Ex arboribus autem pocula fieri solita, prisco præsertim & frugi illo seculo, vel Tibullus innuit, cùm ita canit:

—nec bella fuerunt,
Faginus adstabat cùm Scyphus ante dapes.

Lignea pocula.

in tantum, ut etiam sacris peragundis ligneorũ poculorum usum fuisse, satis cõprobasse videatur Bonifacius Matyr & Episcopus: qui interrogatus, Nunquid licitum esset Sacerdoti sacris operaturo, etiam ligneo uti poculo? respondisse fertur: Olim quidem aureos Sacerdotes ligneo sacrificasse poculo: at hodie sacerdotes ligneos aureo poculo litare. q Stephanus Guazzus latinè à me redditus *l. 2. de Civili Convers.* memoriæ prodidit, & habetur in *can. vasa. 44. de Consec distin.* 1. Rectè autem rudes & ignavos illos Sacrificulos ligneos appellavit: quos maxima sui parte truncis & stipitibus non admodum absimiles videre est perpetuò ociosos sedere, sibi ignavos, Reip. graves: ut de iis, qui securi aliena subsidia inopiæ suæ exspectabant, Tiberius dicebat apud Tacitũ *lib. 2. Annal.* Legimus apud Mosen, Asinis cervicem in oblationis vicem fractam, nec pecuniâ eos fuisse redemtos. quo ipso sapientissimus Legislator haud dubiè significare voluit, nolle se asinos in ministerio suo, quanquam negari non potest, quin multi omnibus temporibus etiam ex Sacerdotum ordine sint nimis magni & crassi asini: ut conqueritur Germaniæ nostræ decus Philippus Melanchthon, *in explicatione Evangelij de Purificatione Mariæ.* Nec est quòd cum Suida mireris adeò, obtigisse Amoniano Grammatico, ut asinum habuerit auditorem sapientiæ: cùm vel ipsi etiam hodie multis in locis doceant asini. Cui non parum cõvenit illud Antisthenis: qui Atheniensium judicium in creandis magistratibus notaturus, suadebat eis, ut Asinos ad agriculturam deligerent. quos cùm illi negarent idoneos ad arationem: Atqui, inquit ille, nonne satis vobis est Magistratum elegisse, sive aptus, sive ineptus vir ille sit ad gerendum? Nec ignotus est jocus ille, quo salse admodum, nec acriter dicam, Alexãdrum Pontificem pupugit Fridericus Barbarossa. Cùm n. audisset, Insubres civitatem ad Tarum amnem conditam Alexandri honori dicasse, & ut ipsi esset cognominis, Alexandriam dixisse: Non miror; inquit Fridericus, Asino viventi & feroci hoc tributum, cùm Magnus Alexander Bucephalo emortuo ad Hydaspen fluvium similiter ex Equi nomine mœnia colonosque collocarit. Stephan. Forcat. *lib. 3. de Imperio & philosophia Gallor.* Et quidem in illis ignorantiæ fratribus, desidiæ & ventri mancipatis, quid cũ Quinctiliano deprehendas, præter fictã frontem, & perpetuum ocium, & quandam ex arrogantia auctoritatem? Nam quòd ocium illud vana contemplationis excusatione audent defendere: in eo frustra herculè sunt & ridiculi. Liceat enim contemplationi vacare quidem; sed non perpetua desidia torpescere, animumque ocio perenni & continuo applicare, quas ego,

Lignei Sacerdotes.

Per asinos adumbrati.

Fridericus Barbarossa.

Felices animas & corda oblita laborũ.

rectè mihi hoc modo cõpellare posse videor cum Seneca, *libro 1. de Benefi. cap. 3.*

Vobis

Vocis voluptas est, incerti ocio assuefacere corpusculum, & securitatem soporis simillimam appetere, & sub densa umbra latitare, tenerrimisq; cogitationibus quas tranquillitatem vocatis, animi marcentis oblectare torporem, & cibis potionibusque intra hortorum latebras, corpora ignavia pellentia saginare. Valens certè Imperator id genus homines *ignaviæ sectatores* appellat *in l. quidam. 26. C. de decurion. lib. 10.* quam constitutionem etsi Bartolus & sequaces ita interpretantur, ut Valentem ea prohibuisse putent conventicula impiorum, & eorum præsertim, qui ad subterfugienda munera Civitates deserebant. Verius tamen est, ut Legem illam latam intelligamus adversus Religosos seu Monachos, quos Valens, ut Eutropius & Orosius scribunt, tanto odio fuit prosequutus, ut abstracta ex Eremis multa illorum millia Barbaris trucidanda objecerit, eo in prælo, quo adversus Gothos conflixit. Cujus etiam mandato Modestus præfectus octoginta viros & antistites religiosos, quos palàm occidere verebatur, in exilium mittendos fingens, imponi navigio fecit, & cum in medium pelagus itum esset, incendi, erepto scapha Magistro navis tanti sceleris opifice: ut duobus elementis contrariis cruciarentur insontes: quorum necem dira fames per Orientem expiavit, ut est apud Socratem *lib. 4. c. 16.* Nec clam est, quomodo Christianam religionem nostram Veteres quique scriptores, qui nondum per orbem terrarum Christi fide recepta floruerunt, modò superstitionem, ut Plinius *lib. 10. Epist. 97.* modò superstitionem Judaicam, ut Ulpia. *in l. generaliter ff. de decur.* modò exitiabilē superstitionē nominarunt, ut Corn. Tacitus *lib. 15. Annal.* qui etiam Neronem scribit, Urbe Roma incensâ abolendo rumori Christianos subdidisse reos, & tanquam incendiarios quęsitissimis pœnis affecisse. quāquam hi, ait haud perinde in crimine incendii, quum odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent; aut crucibus affixi, aut flammandi, atq; ubi defecisset ei dies, in usum nocturni luminis urerentur. Quę insignis in Christiano crudelitas etsi verè nimis, opinor, describitur à Tacito: eum tamen alibi mēdaciorum loquacissimum jure appellat Tertullianus *in Apologetico adversus Gentes*; eò quòd in quinto Historiarum suarum, bellum Judaicum exorsus ab origine Gentis, etiam de ipsa tam origine, quàm de nomine & Religione Gentis, quæ voluit, argumentatus, Judæos inferat Ægypto expeditos, sive, ut putavit extorres in vastis Arabiæ locis aquarum egentissimos, cùm siti macerarentur, O nagris, qui fortè de pastu potum petituri æstimabantur, indicibus, fontibus usos; ob eam gratiam consimilis bestiæ superficiem (hoc est, asini simulachrum) consecrasse. Atque ita inde opinor (inquit Tertullianus) præsumptum, Nos quoque ut Judaicę religionis propinquos, eidem simulachro initiari. At enim idem Tacitus refert, Cn. Pompejum, cum Hierusalem cepisset, prætereaq; templum adiisset speculandis Judaicæ religionis arcanis, nullum illic reperisse simulachrum. Sic enim scribit: Romanorum primus Cn. Pompeius domuit: templumque jure victoriæ ingressus est. inde vulgatum, nullas intus Deûm effigies, vacuam sedem, & inania arcana. Et utique, inquit Tertullianus, si id colebatur, quod aliqua effigie repræsentabatur; nusquam magis, quàm in sacrario suo exhiberetur. De immani porrò Ethinicorū erga Christianos crudelitate videatur Philippus Camerarius *Oper. succesiv. c. 39. cent. 1.*

L. 26. C. de decur. l. 10.

Valentis in Religiosos odium.

Item Neronis.

Sed ut ad pocula redeam: ex aliis quoque

Pocula ex

thamarisco & fraxino. quæ lignis ea confecta video; ex thamarisco præsertim, & fraxino: quorum hoc venenis & calculo; illud spleni obstructo præclarè mederi putatur. *Hederacea.* *Hederacea* verò poculo magno cumprimis in usu & precio erant apud Veteres, quod genus *Cissybiū* apud Homerum dicitur, & gemina ratione Convivia decere putandum est. Nam & Cauponum fraudes, vinum aqua miscentium, eo poculo deprehenduntur: quandoquidem Catone teste *de Re rustic.* 10. mira est hæc hederæ vis atque natura, ut si vinum lymphatum in vas hederaceum effundatur, illud continuò per poros resudet atque effluat, atque internè per lignum diffundatur; aqua verò obgrossiorem substantiam remaneat. Tanta enim est inter hæc antipathia, ut alterum alteri admisceri non sustineat, sed vasculum hederaceum vinum respuat. Deinde hederaceum illud poculum frigore suo Ebrietati obsistit, & discutiendis capitis doloribus ex temulentia contractis est accommodatum, foliis etiam aut ramusculis foris capiti admotis. Ob id enim corollæ quoq; convivales ex hedera potissimùm confici fuerunt solitæ, ad temulentiam arcendam. *Corollarum origo.* Quod vel inde quoq; fiet manifestius, si corollarum originem ex Plutarcho & Athenæo consideravimus. Veteres enim potui magnoperè dediti, sæpenumero ex ebrietate maximis capitis doloribus solicitabantur; nec ullum magis præsentaneum remedium experiebātur, quàm ut arctis vinculis tempora ligarent, Ligamina verò illa primò ex rudi & vili materia fuêre confecta, utpote lino lanave, non tincta, coloria à Festo appellata: quorum utilitas cotidiè major apparens, stimulavit homines, ut quod commoditatis, dicam etiam necessitatis caussa excogitarant, ei etiam ornatum adderent, Coronas inveniendo: postea verò & jucunditatem aliquam vellent annexam. Sic evenit, ut repudiatis laneis lineisq; involucris, Coronas ex hedera, myrto, rosis, meliloto, aliisque fragrantibus herbis texere aggressi sint, quæ & odore coloreque sensus oblectarent, ac simul vi refrigeratoria incendium vini & ciborum levarēt. Nec his omnium vasta cupiditas delitiis satiata est: imò referente Plinio, ex auro atq; argento folia coronarum tegere, easque unguentis preciosis perfundere, & capiti collove circumponere cœperunt, quasi parum esset odoribus florum, quos Natura his elargita est, perfrui, nisi & illam vincêre, aut saltem dehonestare tentassent. Habebāt verò Coronæ illæ fasciolas quasdam ex tenuissimis philyris tunicarum, quæ inter corticem & lignum tiliæ inveniuntur intortas dependentes, sive ut illis subligari possent ne capite laberentur; sive ut ornamenti & gratiæ aliquid etiamnum eis accederet: ut Hieronym. Mercurialis explicat *lib. 3. variar. lection. c. 9.* Illud planè singulare est, quod ex Festo Muretus notat ad illud Catulli Epigramma:

Cœnabis benè, mi Fabulle, apud me, &c.

solitos fuisse Veteres aviculas quasdam Corollis suis alligare: *Aviculæ corollis alligata.* quarum & cantu assiduo, & crebris rostri unguiumque punctis efficeretur: ne ipsi inter potandum obdormiscerent. Legimus apud Athenæum *lib. 4.* Veteres inter bellaria post cœnam interdum etiam folia Lauri adhibuisse: *Folia lauri præmansa.* fortè ut vi foliorum exsiccatoria fumi ad caput elati absumerentur; aut etiam ut odor vini ac ciborum, qui solet sæpenumero à saturis hominibus gravis emitti, reprimeretur. Quo spectat facetum illud Martialis Epigram. in Myrtalem, mulierem vinosissimam, at præmansa lauru vinum dissimulantem:

Fetere multo Myrtale solet vino,
Sed fallat ut nos, folia devorat lauri,
Merumq; cauta fronde, non aqua miscet.

Hanc tu rubentem prominentibus venis
Quoties venire, Paule, videris contra,
Dicas licebit, Myrtale bibit laurum.

Quanquam non laurum tantùm, sed & pumicē tritum, amygdalas amaras, itemque brassicam, ad evitandam aut occultandam ebrietatem præmandebant. quasi non præstaret Ebrietatis turpitudinē sobrietate cavere, quam eam succis aliisvè medicamentis occulare. quod pluribus traditum est à Mercuriali *libr. Variar. lection. cap. 6.*

Pocula ex cornu.

Philostratus auctor est, Regum pocula olim ex cornu fuisse. Unde ἀπὸ τῦ κέρατος, id est, à Cornu, cratera deduci contendit Antonius Mizaldus *Memorab. cent. 3. aphor. 93.* Nec desunt, qui Bacchum ideò Cornutum pingi putant, quòd Veteres ad conciliandam majorem lætitiam, ut plenius se ingurgitarēt, magnis cornibus potare sint soliti: ut ex Athenæo Pomponius Lætus censuit. Tradit insuper Theopompus, Boves apud Pæonas tam magna gestasse cornua, ut tribus aut quatuor vini sextariis vix adimplerētur: ex iisq; Reges ac proceres pocula confecisse, labris eorum auro & argento obductis. Sic & sylvæ Herciniæ accolas Julius Cæsar scribit, pro poculis Urorum (qui magnitudine paulò infra elephantes fuerint; specie, & colore, & figura tauri) cornibus usos. Amplitudo cornuum (inquit) & figura, & species multum à nostrorum Boum cornibus differt. Hæc studiose conquisita à labris argento circumcludunt, atq; in amplissimis epulis pro poculis utuntur. *lib. 6. de bello Gallico.*

Pocula ex craniis hominum.

Illud prorsus barbarum & inhumanum est, quòd Scythæ etiam parentum & amicorum perpolitis capitibus, à morte, inauratis dicātur bibere, apud Forcatulum *l. 2. de Imper. & Philos. Gallor.* ita enim Scytharum, veluti hospites immolantium, & carnibus eorum vescentiū, ac calvariis poculorum loco utentium. Strabo meminit *lib. 7. p. 206.* minùs ut mirandum sit, adversus hostes immanitatem istiusmodi fuisse usurpatam. Nam & Bulgarorum dux Crumus, victoriá nimium elatus, Nicephori calvariam argento induxit, eaque pro calice utens, infusum vinū sociis propinavit, ut est apud Zonarā *Tom. 3.* Caput etiam L. Posthumii, postquam hic cum XXV. armatorū millibus occubuisset, & cum toto exercitu fuisset deletus, Boii ovantes templo intulēre, ex calva auro cælata sacrum poculum faciētes templi Antistitibus, quo in solennib. libarent. quēadmodum de Boiis scripsit Livius *lib. 23.* itemque & de Scordiscis Ammianus Marcellinus; quos sævos nominat & truces, hostiis captivorum Bellonæ litantes & Marti; humanumque sanguinem in ossibus capitum humanorum bibentes avidius *lib. 27.* Et de Sarracenis Guilertus *historiæ sacræ lib. 8.* Exempto vertex (*Gervasii militis*) à capite serra dividitur; itēq; in modum poculi Regi Damasceno, à quo hæc gerebantur ad terrorem nostrorum quasi exinde bibituro conficitur. Videatur Isidor. *Etymol. libr. 11. cap. 2.* & Fridericus Lindeberg. *observatio 1. in l. 1.* P. Warnfrid. sive Diaconi *de gestis Longobardorum cap. 27.* Sed & Cures Piczenigorum princeps, Suatislao Rhutenorum principe ex insidiis interfecto, ex cranio ejus poculum confecit auro circumdatum, cum, hac inscriptione: QUÆRENDO ALIENA, PROPRIA AMISIT. quod post Sigismundum Baronem *in comment. rerum Mascoviticar.* etiam ex Dn. Peuceri lectionib. Chronicis annotavit Gregorius Richter, *Axiomat. polit.* 143. Et Guilielm. Stuckius *antiquitat. convival lib. 3 cap. 12.* Cæteroquin receptū satis fuit, poculis literas insculpere. Indeque pocula illa Grammatica fuisse nuncupata, Athenæus scribit, qualia Plauto sunt lite-

Pocula Grammatica.

literata fictiles epistolæ in Pænulo actus 4. *scen.* 2.

-bibitur, estur, quasi in popina, haud secus
Ibi tu videas literatas, fictiles epistolas
Pice signatas: nomina insunt cubitum lōgis literis
Ita vinariorum habemus nostra delectū domi.

Sic enim locum istum de poculis Grammaticis interpretatur Johan. Meursius *ad l. de luxu Rom. c.27.* Cujusmodi fuit illud in cujus ambitu verba legebantur hæc, Διὸς σωτῆρος, i.e Jovis salvatoris. Grammaticum quoq; fuit illud Dianæ sacrum poculum, exq; Homericis concinnatum carminibus: quod & Homericum rectè dixeris quemadmodū Tranquill. scribit. Neronem ultimis suis rebus scyphos gratissimi usus, quos Homericos ab cælatura carminū Homeri vocabat, solo illisisse, referente id ipsum & Cœl. Rhod. *l.7. Lect. antiq c ult.* Et quis singula poculorū genera enumeret? Possent vel hæc, quæ diximus, nimia forsitan putari, atq; importunum ēt non nemini videri, quòd talia παρέργως admiscere subinde soleam. Sed n. Lector, quod utile vel comodum cùm tibi, tùm aliis futurū est, id ego nunquam judicaverim importunum. Et ne quid etiā hac in parte tibi desit, remitto te ad ea, quę de Antiquorum poculis memoriæ prodidit Joh. Bruverin. *de re cibaria lib.3. c.9.*

DE LAPIDE BEZOAR. TIT. III.

B*Ezoar quoq; lapis superiori ætate fuit incognitus. Quidam putant esse hunc.* Lachrumam cervi, *qui devorato serpente, in aquam dirigendi veneni causa se conjiciens, impensè plorare soleat. Inde lachrumam illam induratam & in terram prolapsam, Bezoar esse dicunt. Sed falsò. Potest enim lachruma eandem virtutem habere illa quidem; at ille ipse tamen Bezoar non est, qui in Mauritania nascitur, & contra quodvis venenum mirabiles habet effectus. Huius si duodecim grana in vino sumas, omne veneni genus subitò & penitus fugatur. Eiusdemq; effectus est si supra serpentis morsum ponatur: facitq; omninò, ut nullum tibi venenum noceat. Facit etiam contra pestem, & febres pestilentiales, quas vocant: & mirabilis eius usus est in multis morbis & infirmitatibus. Arabes huius cognitionem habuerunt, ut Rhasis, qui de hoc scripsit, & vixit regnante Al Mansore, Magno illo Mauritianæ Rege: cuius tanta fuit potentia, ut dominium ipsius per Africam, longitudine quidem ad diætas 40. latitudine verò ad 15. extenderetur; atque insuper maximam quoque Hispaniæ partem obtineret. Latini & Græci preciosum hunc lapidem nunquam nôrunt.*

Bezoar.

ejus vires.

Al Mansor.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Bezoaris appellationes.

BEzoar lapis varias sortitus fuit appellationes. Arabibus, Persis & Corasonæ incolis Pazar, à Pazan, qui hircus est: Indis Bezar sive Bazar dicitur, quasi tu lapidem forensem dicas Bazar enim ipsorū lingua & forū denotat, ut scriptū reliquit Garzias ab Horto, Proregis Indiæ Medicus *lib.1. de Aromat. & simplic. Medicam. apud Indos nascent. historia.* vel ut Nicolaus de Monardis, Hispaliensis Medicus

ſatis celebris, retulit in eo libello, quem de Lapide Bezoar & Scorzonera peculiarem fecit, Arabibus Hager, Perſis Bezaar, Indis Bezar, Hebræis Belzaar, hoc eſt, veneni dominus nuncupatur. Bel enim Dominus, & zaar venenum ſignificat. Nam hic quàm præſentaneum adverſus venena præſtet remedium, poſteà dicetur. *Forma.* Forma ejus eſt varia. Nam alii rotundi ſunt, alii oblongi, dactylorum oſſiculis ſimiles: alii palumbi ovis, alii capreolorum renibus: alii caſtaneas æmulantur. Omnes tamen obtuſi, non in cuſpidem deſinentes. Nec minùs colore variant: ſiquidem non ſpadicei coloris, nûc mellini, magna verò ex parte ex viridi nigreſcentis, ut mala inſana conſpiciuntur; plurimâ etiam cinerei obſcurioris, ut qui in felib. eſt Z bethum egerentibus. Conſtant autem ſinguli ex laminulis, miro artificio aliâ aliam, ut Ceparum tunicæ, amplectentibus, ſplendentibusque quaſi politæ eſſent: imò priore laminâ demtâ ſubſequens multo ſplendidior invenitur. Suntque hæ laminæ aliæ aliis denſiores, pro lapidum magnitudine. Levis eſt & blandus, ut facilè alabaſtri modo abradi poſſit: imò diutius in aqua hærens liqueſcit. Nullum cor aut matricem habet: ſed in meditullio cavus eſt, & pulveris ejusdem cum lapide ſubſtantiæ plenus: qui maximè commendatur, atque ipſi etiam lapidi præfertur, ut eſt apud eundem Nicolaum de Monardis. *Varietas & differentia.* Ut verò differunt figura & colore hi lapides; etiam nonnihil pondere & ſubſtantia variant. Etenim ejusdem magnitudinis videas alios aliis leviores; (ſunt n. qui duntaxat dimidiam drachmam; ſunt etiam, qui duodecim & quindecim drachmas pendant: nônulliique adhuc majores reperiri ferunt) alios aliis ſolidiores, pluribusq; aut paucioribus tunicis præditos: nonnullos etiam usque ad centrum continuos, (Nicolaus de Monardis tantum cavos agnoverat:) aliquos, in quorum meditullio pulvis quidâm reperitur: alios, in quibus aliquid herbæ ſiccæ ſimile: plurimos, in quorum centro paleolam tenuem ſolummodò invenias, circa quam lapidem efformari quidam putant: referente Chriſtophoro à Coſta Burgenſi in Hiſpania Medica, *in lib. Aromat. & Medicament. in Orientali India naſcentium, c. de Lapide Bezoar.* quem ex Hiſpano ſermone in Latinam tranſtulit Carolus Cluſius. *natalis: ſive ubi generetur.* Jam de loco ubi naſcitur Bezoar, ſententiis variarum video. Sunt, qui memoriæ prodiderint, in Cervorum oculorum angulis lapidem iſtum naſci. Ajunt enim in Orientali plaga Cervos longo ſenio confectos, ſerpentes devorare, quorum eſu rejuveneſcant. At veneni ſuperandi cauſſa, ſerpentibus devoratis: in fluviorum aquis Cervos illos mergi tradunt, capite tantùm extra aquas exſerto. *Lachruma Cervi.* Iis autem ſic permanentib. humorem quendam lentum ab eorum oculis defluere, qui tandem Solis ardoribus in lapillos inibi concreſcat, glandis formâ referentes. Hic itaque lapis, ipſis è fluminibus egredientibus, ab eorum oculis, ut ajunt, ſtatim decidit in humum: ubi ab iis facilè reperitur, qui rem omni diligentia obſervârunt. Sed an hoc hiſtoria, aut fabula dici mereatur, Andreas Matthiolus rerum naturalium ſtudioſis & peritioribus judicandû relinquit, *lib. 5. c. 73. Commentar. in Dioſcor.* Id tamen non leviter affirmat Theomneſtus, gravis Veterinariorum medicinæ auctor: dum *lib. 1. artis Veterin.* ſcribit: Cervos vermes inteſtinorum involucris implicitos, ſerpentium eſu enecare quos è cavernis narium ſpiritu eliciunt. Nã ut & Plin. *lib. 8. c. 33.* retulit, Cervis cum ſerpentibus pugna eſt, veſtigant cavernas, nariumq; ſpiritu extrahût renitêres. Unde Martial. *lib. 12. Ep. 29.* Hermogenê furem ita ait mappas ſubtrahere,

Cer-

Cervinus gelidum sorbet velut halitus anguem

Et ne illorum virus ipsis obsit, ad fontes aquarum accelerant, quibus ad labra usq; se immergunt: tum oculis lacrumæ lentè destillant, quæ viscedine sua coagulatæ, in angulis oculorum in lachrumas nucis juglandis pondere coalescunt. Deindè cùm sese veneno exoneratos senserunt, aquam egressi, in latebras divertunt: & ut lapis ille, visus obstaculum, decidat, caput arboribus affricant. quem inventum, ut Bezoar cōtra quodvis venenum antidotum efficacissimum, venatores Siciliæ & Orientis magni vendunt. De quo Aven zoar Arabs *libr.1.tract.13 cap.6.* pondus trium granorum hordei, in lacte aut aqua cucurbitæ vel rosarum dissolutum, filio Hali regis Contestabuli potandum dedit, & eum à virulenta Ictericæ aurigine liberavit. Quandoquidem verò nemo Scaligero lachrumam cervi exactius descripsit, *de subtilitat. adversus Cardan. Exerc. 112.* placuit ipsamet ej sdem verba hîc apponere. Ante centesimum (inquit) annum in Cervo nulla est lachruma: post eam ætatem accrescit, ad Oculi canthum, ipsis ossibus atque in os protuberans concrescit, eâ duritiâ, qua cornu superet, qua parte prominet, rotunda est, insigni nitore, coloris fulvi, non sine vestigiis acriorum venularum: tanta levitate, ut penè tactum effugiat. Ita enim sese subtrahit, ut propemodum se ipsam movere videatur. Adversus venena remedium præstantissimum. Peste correptis datur cum vini momento: unde tantus cietur sudor, ut pene totum solvi corpus credas. Quum hæc in Circulis aliquādo recitarem, unus ex his, qui è Legatorum comitatu rerum Asiaticarum cognitionem profitebatur, negabat ad cervum quicquam attinere; sed esse verè lapidem. Ego illi postridiè ostendi, qua parte ex osse fuisset avulsa, hanc Solimanus olim dono dederat Samblancardo trierarchæ: at ego posteà, ejus filii Bernhardi munificentiam expertus sum. Hactenus Scalig. quib. adiiciendum est, quod Scribonius Largus de Lapide Bezoartico, *c.163.* scribit: Cervis Siciliæ in angulo oculi, qui nares versus vergit, nasci sordes, quas Venatores contra omne Jobolorum virus & pharmaca deleteria in Cincto (quod capitis involucrum est) deferant. Has sordes Johan. Langius testatur, semet ex patulis infra Cervorum oculos foraminibus eruisse, & in solo papyri involucro benè olentes per septennium illabatas servasse. *Epist. Medicinal. lib 2. ep. 24.* Quæ quamvis ita se habeant: aliam tamē lapidis Bezoartici generationem Garzias ab Horto & Nicolaus Monardis tradiderunt, dum Bezoares eximi scribunt ex hirci quodam genere, Cervi magnitudine & agilitate, sed cornibus in dorsum reflexis, & corporis forma Capreis ferè simili: quam ob caussam ab incolis *capra montana* vocetur, tametsi potiùs Cervicapra dici debeat: pilo brevi & colore plurimùm cinereo & ruffo. In ejus itaq; animalis ventriculo nascitur hic lapis, circa tenuissimam quandam paleam semper augescens, & veluti multis è tunicis contextus. Invenitur verò hoc animal in India super Gangen, montibus Chinarum regioni finitimis. itemque in Corasone & Persia, & in Insulis quæ à Vacca cognomen adeptæ sunt, itemque in promontorio Comorim, & nonnullis Maluccæ locis: quandoque etiam in Peru. Etsi autem Orientales meritò præferri, atq; omnib. Persicos antecellere scribit Christophorus à Costa: testatur tamē Monardis, etiam qui in Peru reperiuntur, Orientalibus nequaquam inferiores esse viribus. quemadmodum constat ex epistola Petri de Osma & Xarayzeio, *29. Decemb. Anno 1568.* ad Nicolaum de Monardis scri-

ſcriptæ: quam, utpote rem omnem dilucidè explicantem, hic adſcribere è re tua, Lector, fuerit. Jam ſunt, ait Petrus de Oſma, plures quàm viginti octo anni quòd militiam ſequens, per has Indias peregrinor: in quibus non ſolum, quæ à te deſcripta ſunt, naſcuntur: ſed etiam pleraq; alia, quorum fama nondum ad nos pervenit, ob Medicorum huc à vobis commeantium magna ex parte negligentiam & inſcitiam, quibus publica utilitas (quā tamen ſummam præſtare poſſent) curæ non eſt: ſed ut quæſtui duntaxat ſerviant. Formam animalis, ex quo lapis Bezoar extrahitur in tuo libro deſcribis. Ea diligentiùs perpēſa, animalium genus quoddam in iſtis montib. s frequens invenimus: valde ſimile iis hircis (niſi quòd cornibus orbum eſt) quos in Orientali India reperiri tradis. Ruffi ſunt coloris, magna ex parte & herbas ſalutiferas depaſcuntur (quarum magna eſt copia in montibus, ubi iſta animalia degunt) ita fugacia, ut ſolo tormentorum æneorum ictu adſequi poſſimus. Decima quinta Junij hujus anni 1568. ego cum aliquot amicis ad venationem profecti ſumus, in hujus regionis montes: In eam quinque dies inſumſimus: & aliquot ex his, quæ dixi, animalibus confecimus. Cumq; eorum cauſa venationem ſuſcepiſſemus, librum tuū contuleramus. Aperto itaque maximo & provectioris ætatis animali, neq; in ventriculo, neq; in alia parte corporis lapides invenimus, quo factum eſt, ut Indicis animalibus ſimilia non eſſe putaremus. Percunctati Indi, quos, ut nobis inſervirent, deduxeramus, qua corporis parte lapides hæc animalia haberent, ſe quidquam de lapidibus ſcire negabant: (ut ſunt nobis infeſtiſſimi, nec ſua ſecreta, nobis innoteſcere vellent) Indus tamen puer, decem aut duodecim annos natos, cùm videret, nos tantoperè id ſcire cupere, in animali receptaculum quoddam, & velluti marſupium nobis oſtendit, in quod de paſtas herbas recipiunt, donec eas poſtea ruminatas in ventriculum trajiciant. Ibi puerum ilicò interficere voluerunt Indi, quòd nobis id indicaſſet: Eum tamen poſteà, nobis in venatione occupatis interceperunt; &, ut intelleximus, ſacrificarunt. Illud autem admiratione non caret, hoc animal per totas has Indias (Occidentales intelligit) non reperiri, præterquam in montibus iſtis Regni Peruani. Nam ego omnia Mexicana regna, omnes Peruanas provincias & regna, provincias & inſulas Marannon, Floridam, & multas prætereà Occidentalium Indiarum regiones peragravi: attamen nuſquā hæc animalia conſpexi, quàm in ſolis hujus regni Peru montibus. Sola etiam, quę in montibus paſcuntur animalia, lapides iſtos præſtātes generare obſervatum eſt. Nam quæ in planis pabulum ſumunt, ut herbas minùs ſalubres depaſcuntur, ſic etiam lapides eorum, tametſi utiles, iis, viribus non pollent, quibus præditi ſunt, qui ab animalibus in montanis degentibus eruuntur. Ex animalis igitur, quod ſecuimus, burſulâ novē lapides exemimus, qui Naturæ beneficio iſtic creari videntur ex ſalutiferarum illarum herbarum ſucco, quæ in burſulam illam congeruntur. Secuimus & alia hujus generis animalia, quæ confeceramus: in quibus omnibus lapides invenimus, plures aut pauciores, pro animalis ætate. Cœpimus iis uti eo ordine, quem in tuo libro docuiſti, & adverſus eoſdem etiā morbos, in quib. ſanādis mirabiles eorum effectus experti ſumus, quos longū eſſet referre, Quę omnitibi accepta referre debent non modò Hiſpani, ſed etiam univerſus orbis, &c.

Animal lapidem Bezoar gignēs.

Occaſio inveniendi.

Addunt nonnulli, animal iſtud ſerpentibus quoque veſci, partimq; in ſuccum & ſanguinem, partim in lapidem Bezoarticum

ticum eos convertere. Quo mysticè declaratur, ab iis vitiis vel rebus etiam adversis, quibus alii succumbere aut omninò perire solent, viro forti ac virtute prędito nihil periculi esse metuendum; sed eum insuper inde p optec constantiam & recti judicii robur magis confirmari, & spiritus alacriores conquirere. De quibus exstant Gregorii Nazianzeni versiculi, è Græcis ita Latini facti:

Gravibus nihil movetur incus pulsibus,
Infracta casus mens repellit anxios.

Ioach. Camerarius.

Idemque hoc Emblemate expressit Dn. Joachimus Camerarius, Inclutæ Reipub. Norimbergensis Medicus quondam celeberrimus, *Centur. 2 Embl. 64.*

Nulla venena probis vitiis fortisque maligna
Obsunt: quin potius robora dant animis.

Animaliū lapidem hūc gignentium venatores.

Diximus supra, Lapides istos alios aliis graviores & majores esse. quā in rē proditum est, iis regionibus, in quib. animalia lapidem Bezoar generantia inveniuntur, Venatores adeò peritos esse & exercitatos, ut quænam animalia majores lapides contineant, solo conspectu dijudicare possint. atque ea quidem, in quorum ventriculis majores lapides lateant, minus mobilia agiliave esse, sed & lenta subtristiaque apparere. quinimò extincta etiā interdum reperta, in quorum receptaculis lapides fuerint graviores, ut retulit Christophorus à Costa.

Lapidis Bezoar facultates.

Facultates autem Bezoartici lapidis quòd attinet: scribit Garzias ab Horto, Indos eo uti adversus deleteriæ facultatis medicamenta. Ormuz verò & Corasonæ incolas tam adversus violentorum animalium morsus, quàm contra omnes melancholicos morbos. quod probat Garzias, ideoque & in mala scabie, lepra, pruriginibus, impetiginibusque rectè hunc usurpari contendit. Eademque ratione etiam quartanis convenire posse arbitratur. Ac quoniam exanthemata sive pustulæ & herpetes in India admodum noxia sunt, & subinde ægros necāt: solere ait ægris per singulos dies pulverem lapidis Bezoar ex aqua rosacea propinari ad unum aut alterum granum, magno cum successu. Quod verò Petrus de Osma scribit, lapidem istum non haustum tantùm, sed & foris impositum mirificè venenis ac toxicis resistere; in tantum, ut, ex Matthioli sententia, omnia superet venena, si scilicet ita adalligatus fuerit, ad nudam sinistri lateris carnem contingat: Negat tamen Garzias, se quenquam vidisse unquam, qui simili modo id fuerit expertus. Illud autem constare, quòd ejus pulvis vulneri impositus, à mortiferis animalibus ictos liberet: iisdemque viribus polleat, apertis carbunculis in peste impositus: quandoquidem venenum exsugat. Cui sententiæ & Petrus de Osma accedit, dum pulverem illum scribit vulneribus sagittarum toxico illitarum utilissimè inspergi: adeoque lapidem Bezoar non tantùm cordis atrectibus auxiliari, & tineas ventris expellere, sed & præsentissimum esse alexipharmacum perniciosissimi illius toxici, quo sagittas suas illinunt Indi, ad sese mutuò conficiendos, atque etiam nos Hispanos, (inquit) quorum plerique post vehementes cruciatus & furoris mortui sunt, nullum auxilium invenientes. ut rectè dixerit Garzias, Viros planè deploratos, atq; à Medicis derelictos, hujus lapidis usu pristinæ sanitati fuisse restitutos. quod Claudius Richardus uno atque altero exemplo confirmavit. quorum utrumque Diomedes Cornarius suis historiis Admirandis raris inseruit. Nam Reo cuidam Pragæ drachmam unam pulveris Napelli oblatam scribit. Cumque infirmis planè se deficere assereret, nisi statim subveniretur: oblatis quinque granis lapidis Bezoar-

Bezoartici in vini modico, continuò cum fuisse alleviatum. Similiter Viennæ cuidã ad mortem condemnato furi, ex Imperatoris mandato exhibitum fuisse bolum ex Arsenici pulverisati drachma dimidia, cum Conserva Rosarum præparatũ. Post cujus boni venenati deglutionẽ, elapsâ fermè horâ unâ, ebiberit Bezoartici lapidis grana decem, in aqua Boraginis dissoluta; & exinde meliùs habere cœperit, & in pristinum sanitatis statum fuerit redactus. Ex quo concludit Cornarius, manifestum hinc fieri, Bezoar medicamentum esse regium, facile, placidum, omni periculo carens: & tu Aretii verbis utar, pueris, mulieribus, & senibus medicinam hanc vel sub ipso Canis fervore, quo præcipuè tempore reliqua medicamenta omnia ferè suspecta sunt, tutissimè dari: quandoquidem corpus nullo alio pacto aleret, aut debilitet, sed maximè roboret. Quocirca in India, dicebat Garzias, opulentiores bis se purgare singulis annis, Martio videlicet & Septembri: & à purgatione quinque subsequentibus, diebus continuis haurire in singulas doses decem hujus lapidis grana, macerata in stillatitio rosarum liquore, atq; eo remedio, juventam & membrorum robur sibi conservari dicunt. Hoc amplius scripsit Christoph. à Costa, Garziæ plagiarius, quosdam hujus lapidis pulvere singulis quindecim diebus uti, existimantes eo medicamento partes corporis vitales, generationisque membra roborari.

Lapidis Bezoar preciũ.

Tam præstans itaq; cum lapidum istorum Virtus sit, nulli equidem mirum videri debet, quòd tanto in precio habeantur. Nam & Garzias testatur, habuisse se unum, qui etsi quinque duntaxat drachmas penderet, in ipsamet tamen India pluris, quàm sexaginta quatuor aureis Hungaricis fuerit emptus: succrescente autem tempore etiam precium illorum adrevisse: siquidem nunc omnes ad ejus regionis, in qua generantur, Regem præferri oporteat: nec sine difficultate haberi inde queant. Quòd si Petro de Osma credimus, tantæ apud Indos dignationis sunt lapides isti, ut in Idolorum suorum delubris, quæ Guacas vocant, collocatos eos habeant, & preciosissima quæque, veluti aurum, argentum, gemmas, monilia, animalia, & pueros iis offerant, & attestante Christophoro à Costa, in hæc verba prorumpere soleant: Licet Deus omnia in hominum utilitatem creârit: damnum tamen quodam modò esse, eum lapidem in alium usum convertere, quàm Principũ & nobili stemmate progenitorum: quandoquidem in plebis usum, loco lapidis Bezoar, radicem *Moringa* creârit. Nam arboris illius Moringæ radicẽ, Unicornu & Lapidis Bezoartici vires supplere, vereque theriacam esse; qua vulgò Incolæ utantur, cùm adversus omnis generis venena, tùm contra morsus serpentium maximè noxiorum, aliorumque insectorum & virulentorum animalium, idem Costa præcedente capite docuerat.

Radix Moringa.

Sed quoniam, ex Matthioli sententia, Bezoar lapis propterea inventu difficilis, quòd non desint paribus notis lapilli, qui tamen nullam adversus venena vim habeant: ideò operæ precium fuerit, de probandi ratione videre. Qua in re etsi Garzias adeò dextros ait esse Lusitanos, ut facilè qua in regione singuli lapides nati sint, discernere & dijudicare possint: nolunt tamen Mercatores ea conditione eos vendere, ut an legitimi sint, periculum emptori facere liceat: sicuti Carolus Clusius prodidit. Ut autem adulterinos à legitimis dignoscant, manibus eos comprimunt, deinde spiritu inflant. Nam si aër aliquis permaneat, adulterini indicium est, quod Garzias tradidit. Cui aliam probandi rationem Clusius addit, cum ait: Duci

Lapidis Bezoar probatio. 1.

2.

Ducitur cum acu filum per toxicum (herba ea *Balestera* vocatur) deinde per canis aut alterius animalculi pedem transmittitur acus, atq; filium relinquitur in vulnere. Canis illicò ex symptomate incipit sentire, quæ comitari solent eos, qui toxicum biberunt. Cùm planè concidit Canis atque desperatus videtur, tum pulverem ab hoc lapide abrasum & aqua dilutum Cani in os iniiciunt. Si auxilium senserit Canis, legitimi probatio est: sin minus, adulterinum censent. Nicolaus Monardis inde legitimi esse indicium scribit, si priora lumina demtâ, subsequens multò inveniatur splendidior: Item, si in meditullio cavus sit, & pulveris ejusdem cū lapide substantia plenus. Etenim qui adulterati sunt, neque laminas splendentes habent, neque pulverem illum in meditullio continent, sed granulum aliquod, aut semen, supra quod Indi illum efformârunt. Sunt qui hunc probandi modum putant certissimum: Calx viva in manu, salivæ pauco exstinguitur: mox lapide illo fricatur, atq; calx fulva redditur: quemadmodum ille retulit, quem Sereniss. Saxoniæ Elector Augustus, ad ejusmodi lapides & alia preciosa apportanda ablegaverat in Portugalliam.

3.

4.

Nec verò silentio prætereundum est, Lapidi isti Bezoartico valde affinem esse lapidem *Malacensem*: quem unicè venenis resistentem in Malaca inveniri tradūt; saltem in Pam Regni Malacensis provincia: & quidem in felle Histricis. Lapidis ejus color dilutioris videtur purpuræ, gustu amaro, tangendi levis & lubricus, quemadmodum Gallicus sapor. Estque tanta in æstimatione apud ipsos indigenas, ob raritatem, ut è duobus, qui Garziæ tempore simul reperti fuerunt, alter pro ingenti munere missus sit ei, qui pro Rege Lusitaniæ Indiā gubernabat. quod literis contestatus est ipsemet Garzias ab Horto *lib. 1. c. 46.* Cui planè consentiētia scripsit Joh. Hugo Linschot *in sua Navig. in Indiam Orientalem cap 87.* nisi quòd in felle Porci lapidem istum inveniri tradit (unde & Lusitanis vernacula lingua *Petra di Porco*, id est, porci lapis dicitur) eūdemque majori quàm Bezoar virtute adversus venena laudari. Quòd autē lubricus sit, & Gallico smigmati similis, idem quoque asserit. Etenim usu ita exigente, inquit, lapidem in aquæ pelvim iniiciunt: quo post aliquod tempus exempto, aqua amaritudinem contrahit, omnemque veneni vim tollit, ut experimentis est cognitum.

Lapis Malacensis.

DE RHABARBARO; ET CASSIA TIT. IV.

R*Habarbari usus in medicamentis notus non erat, sicuti nec* Cassiæ *soluti-væ aut fistulatæ, quanquam species ipsas exstitisse non nego. De quarum tamen virtutibus nil dicam, Physicis eas discutiendas relinquens.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

RHabarbarum, quod singulare medicamentum, & veneratione dignum apud omne humanum genus vocat Christophorus à Costa, Dioscorides quandoque *Rheon*, interdum *Rhian*, nonnunquā *Rhaponticum* dicit; Galenus *Rheum* & *Rha*, Plinius *Rhacoma*; Celsus, ut & Actuarius, *radicem ponticā*; Pœni *Ravedsceni*; vulgus Medicorum *Rheubarbarū*, *Rheobarbarum*, & *Rhabarbarum*. Etsi autē Joh. Mesues *lib. de simpl. c. 5.* tria facit Rhei seu Rhabarbari genera. 1. Indicum:

Rhabarbari nomina.

Genera.

cum: quod Ravedsceni, & præstantissimum esse dicit. 2. Barbarum: quod generis nomine sic appellat, nam omnes regiones, unde hodie affertur, maximè verò Troglodytica, Barbariæ nomen olim acceperunt. 3. Turcicum: quod omnium ait esse ignobilissimũ atq; ignavissimum, fortè quod ad Turcas vicinos inde deferatur, Turcicum appellatum à ponto enim, unde affertur, non longè illi distant. Paulus tamen, Actuarius, & Nicolaus Myrepsus, præter Barbaricum & Indicum, nullum agnoscunt. Et illud quidem ex Barbaria apportari dicunt: hoc, ex India aut locis Indiæ proximus, nempe Scenitis populis, ut auctor est Stephanus de Urbibus Persitis, unde & *Scenisicum* à quibusdam nominatur. Contrà literis contestati sunt Garzias ab Horto. & Christophorus à Costa, nullum omninò esse Rhabarbaricum aut Indicum, sed solummodò *Chinense*: unde id Persæ *Ravam Chini*; Mauritani plerique solummodò *Ravam* vocant (quod interiore Chinarum regione duntaxat natum, in urbem Cantan, nobilissimum totius illius provinciæ portum & emporium, à Lusitanis inhabitatum, exportatur atque inde vel navibus in Indiam advehitur; vel alia via, & quidem ex eadem interiore Chinarum provincia Camelis defertur per Tartariam & Uzbeqee in Ormuz, & inde in Persiam, Arabiam & Alexandriam: unde posteà universæ Europæ communicatur. Et hoc quidem, quod Jumentis apportatur, minus teredinem & cariem sentire dicunt, quàm quod navigiis advehitur: siquidem plus corrumpantur aromata, quæ per mare invehuntur, unius mensis spacio, quàm quæ terrestri itinere importantur, totius anni tempore.

Omne Rhabarbarum nascitur in China.

Sciendum autem inprimis est, Rhabarbarum Veterum tam Græcorum, ut Dioscoridis, Galeni, Theophrasti, quem & Plinius sequitur; quàm Arabum, ut Serapionis & Avicennæ, à Recentiorum cùm Græcorum, ut Actuarii, Pauli, & Nicolai Mirepsi, tùm Arabũ, ut Mesuæ, &c. Rhabarbaro plurimùm differre: & quidem Loco, Colore, Odore, Pondere, & Facultatibus. 1. *Loco:* Nam Veterum Rhabarbarum ex Aquilonaribus regionibus, ubi Bosphorus & Rha fluvius, qui huic radici nomen dedit, exsistunt, afferebatur: ut ex Dioscoridis descriptione *lib. 3. cap.* 3. colligitur, cùm ait: Rhabarbarũ nascitur in iis, quæ supra Bosphorum sunt regionibus, unde etiam affertur: radix nigra (Plinius *lib. 27. c. 11.* costo nigro similem dicit) Centaurio magno similis, sed minor & magis rubens, sine odore, laxa & parum levis. Cùm quo planè congruit illud Plin. *d. c. 11.* ubi Rhacoma, inquit, affertur ex his quæ supra pontum sunt, regionibus, &c. At recentiorum Rha-barbarum ex meridionalibus Regionibus ad nos defertur. 2. *Colore*: Veterum Rha-barbarum cum costo nigro similitudinem habet, & nigrum, est teste Plinio: At Recentiorum neque nigrum est: neque ullam cum costo habet similitudinem: imò flavum potius exsistit. 3. *Odore*: Veterum enim sine odore est, ex Dioscor. & Plinii descriptione. Unde Galen. *Radicem inodoratum* appellat *lib. de simpl. Medic. ad Paternianum, c. 228.* At recentiorum vehementer odoratum est 4. *Pondere:* Veterum enim leve est. At Recentiorũ grave: & quò gravius, eò melius. 5. *Facultatibus:* quia Recẽtiorum Rhabarbarũ purgat. At illi Veterũ nulla purgandi vis inest. Neq; enim Dioscorides, neq; Plinius, neq; Galenus, nec Veterum præterea quisquam Rhabarbaro unquam usi sunt ad alvem subducendem: sed potiùs illi maximam adstringendi vim adscripserunt: sicque sanguinem exspuentibus, Cœliacis, & dysenteriacis conferre dixerunt. Sic Aetius, qui sub Con-

Rhabarbarum Veterum differt à Recentiorum Rhabarbaro.

1. Loco.

2. Colore.

3. Odore.

4. Pondere.

5. Facultate.

ConſtantinoMagno vix, inter ea, quæ adſtringendo ventrem cohibent Rheum ponticum recenſet, *Sermone 9. c. 47.* Et Avicenna *ſecundi Can. c. 585.* Rhabarbaro nullam purgandi poteſtatem tribuit, ſed diverſam potiùs. alibi enim inter medicamenta alvum cohibentia id enumerat. *Fen. 16. can. 3. tr. 1. c. 4.* Sed nec ſuccedaneum ejus ulla purgandi facultate eſt præditum. Nam Veteres pro ſuo Rha ſeu Rhabarbaro, ſive Rhapontico, uſi ſunt Centaurio magno. Galenus enim in libello περὶ ἀντιβαλλομένων inſcripto ait: pro Rheo Centaurium uſurpandum. Nicolaus autem Myrepſus, pro Rheo non tantùm Centaurio majore, ſed & radice Symphiti utendum eſſe docet, Si enim, inquit, deſtituaris Rheo; Centaurio magno aut radice Symphiti utendum. Jam verò nulla Veterum unquam fuit, qui Centaurio aut Symphiti radici purgatoriam facultatem ineſſe ſcripſiſſet. Denique idipſum etiam teſtatur experientia. Nam Rhaponticum illud, quod D. Gerardus Caroli V. Imperatoris apud Solymanum Turcarum Imperatorem Orator, propriis manibus in Ponti regionibus eradicatum, in noſtras regiones invexit, itidem purgandi facultate deſtitutum eſt. Hujus enim drachmarum duarum pondus datum, alvum haud movet, ſed potius adſtringit. quod pluribus proſequitur Leonhard Fuchſius *libr. 1. de compoſ. Med. cap. 84. & lib. 1. Paradox. medic. cap. 4.*

Incolæ non tranſmittūt nobis Rhabarbarum exoctum contra Meſuen.

Quod verò ſcribit, Meſues, Regionis ejus in quo Rhabarbarum naſcitur, incolas ſive indigenas, illud dies quinque macerare aqua, deinde ſuccum exprimere; è quo ad Solem depurato trochiſcos parare ſoleant, Regibus & principibus viris purgandis idoneos: reliquum verò exſuccum & exanimatum, & vi purgatrice tota, aut propè tota privatum ad alios tranſmittere: id & pro fabula habet atque inde ortum arbitratur Chriſtophorus à Coſta, quòd nonnulli gentiles Mercatores Rhabarbaro fungoſiori & vetuſtiori (ut faciliùs à corruptione liberent, néve teredo, quæ id erodere ſolet, innaſcatur) aquam tepidam affundant; deinde lineis pannis emundatum bacillis aut filo trajiciant, & exſiccent, ut nonnulla foramina piperis tenuiſſimè triti polline & cera obturent, deinde probè ſiccatum in pſylli ſemine adſervent. Hæc mihi, ait Coſta, retulit mercator Canarinus, vir probus; ſanctéque affirmabat, ea duntaxat fieri ad præſervandum à corruptione Rhabarbarum: addebatque, id Rhabarbarum, in quo conſpiceretur foramen, quo trajectum pependiſſet, ea ratione præparatum fuiſſe, neque ideò improbari, neque affuſam aquam multum de ipſius viribus detraxiſſe. Cæterùm de Rhabarbari temperamento, duplici ſubſtantia & viribus, videatur Meſues *libro de ſimplicibus c. 5.* Mihi ſatis fuerit, hiſtoricam ejus cognitionem ex optimis quibuſque auctoribus collectam hîc tradidiſſe, quod & in Caſſia ſolutiva enarranda ſequar.

Caſſia ſolutiva.

Ait Garzias ab Horto *cap. 29.* Caſſiam fructum eſſe arboris, pyri magnitudine, foliis mali Perſicæ, anguſtioribus tamen aliquantùm & virentibus: floribus geniſtæ perquàm ſimilibus, luteis, cariophyllum odore æmulantibus: quibus decidentibus exſiliant oblongæ ſiliquæ, virentes admodum ante maturitatem, ſed quæ per maturitatem nigreſcant, longitudine interdum quinque palmorum, nunquam verò infrà binos palmos.

eius natale.

Naſcitur non in India tantùm, & quidem per univerſas Indiæ provincias; ſed & in Ægypto quoque. Unde & ſiliqua Ægy-

Ægyptia, & à forma atque colore Cassiæ fistularis, fistula nigra: uti & ab effectu Cassia solutiva nuncupatur. Et quoniam ea in locis sylvestribus etiam absq; satione nascitur: non mirum, tantum ejus proventum esse, ut toti Europæ, atque adeò universo Orbi sufficiat. Neque enim ex Orientali tantùm India, atque Memphi & Alexandria Ægypti hodiè ea mittitur: sed & ex America, & quidē Insulis D. Dominici & Johannis de portu divite, in Orientem, unde prius deferebatur, plures naves ea onustæ vehuntur, quàm Cantabri ferrum mittunt: ut testatum reliquit Nicolaus Monardis *in historia simpliciū Medicam. ex Novo Orbe delator. capit. de Cassia solutiva.* quo in loco etsi Cassiam istam Orientali longè præferre videtur: non desunt tamen, qui hoc ejus judicium improbent, ut Carolus Clusius notavit: asserentibus contrà Gartiâ & Christoph. à Costa, optimam esse, quæ ex India Orientali deferatur, & quidem locis ad Septentrionem magis vergentibus, ut in *Cambaya*: item quæ crassa, gravis, & in qua nihil sonet, cùm quatitur; cum autem frangitur, splendet, & pulpam ento nigro seu atramentario plena est: ex Joh Guintherii Andernaci sententia, *in Comment. 2. dialog. 15.*

Delectus.

Sed ne vocabulorum homonymia decipiamur: sciendum est, aliam esse Cassiam Arabum, de qua nobis hîc sermo est, aliam Græcorum veterum. Arabum enim Cassia, quam partim in India, partim in Ægypto nasci diximus, siliquas habet prælongas ac teretes, utrinq; fastigiatas, duos ferè pedes proceras, carne intus nigra, gustu prædulci, sed planè medicato, ligneis distinguentibus membranis, & ossibus siliquarū intercusantibus. Græcorū verò, teste Galeno, *lib. de Theriaca ad Pison.* rubescit & rosam exspirat, sicut etiam dulcem gustum præ se fert, fistulis plena, & vinum naribus obolens, & aromatum modo vehementer odorata. Differunt etiam Usu & Viribus. Nam Arabum, & quæ hodiè in officinis venditur, ad leniendam alvum pulchrè conducit. At Græcorum id non facit. Ea enim urinam atq; menses cit, aliaque vires à priori diversas habet. Illa itaque Cassia, de qua Arabes scribunt, veterib. Græcis planè incognita fuit. Neque enim Galenus, neq; Dioscorides ejus mentionem faciunt. Unde si in Græcorum libris Cassia fistula legatur; non illa intelligenda est, de qua Arabes & recentiores agunt: sed Cassia lignea seu odorata, ut satius fuerit, Arabum Cassiam vocare *solutivam*, aut siliquam Ægyptiam; Græcorum autē Cassiam *ligneam* seu odoratam, quemadmodum Fuchsius putavit *lib. 1. paradox c. 5.* vel ideò, quòd hæc species quædam Cinnamomi, imò ipsum Cinnamomi sit, ut ait Garzias *lib. 1. cap. 15.*

Cassia Arabum & Græcorum antiquorum differt. 1. descriptione. 2. Viribus

Porrò de vi & facultatibus Cassiæ consulendi erunt Medici. Illud saltem hîc disquirere lubet: Cùm Mesues *lib. de simplicib. cap. 6.* dicat, Cassiam absq; nocumento & mordicatione solvere, ita ut & prægnantibus conveniat: qui fiat, quòd idem scripserit, Cassiam intestina debilia & lubrica habentibus obesse? Sed respondet Joh. Costæus in suis ad eum locum annotationibus, id non eò contingere, quòd Cassia flatus & tormina ventris excitet: sed quòd nimis levia reddat intestina iis, qui spontè levia habuerint. Solere enim id nonnunquam accidere aliquibus, ut assumpto vel levissimo medicamento alvus per dies multos reddatur lubrica, ac si intestinorum levitate laborēt. Hinc Mesues Cassiæ adstringentia quædam admiscere jubet. Ridiculum verò inprimis est, quòd crediderunt nonnulli, Regionis ejus, ubi Cassia nascitur, incolas continua alui solutione laborare: quòd boves, quarum

An Cassia sit flatulenta.

Incolà Regionis, ubi Cassia nascitur.

cat-

an laborẽt continua alui fluxione.

carnibus vescerentur, Cassiam solutivam depascerent. Nam arbores altiores sunt, quàm ut à Bobus depasci possint: neque tanta est arborum istarũ copia (quantum quantum etiam Cassiæ proventum esse diximus) ut infinitum Vaccarum numerum (quas multas equidem alunt, sed nullius carnibus indigenæ vescuntur) sustentare posset. Deinde cùm duro cortice sit prædita siliqua, verisimile est, vaccas graminis pabulum, quod semper ferè istic viret, istarum siliquarum aviditate, quàm maximè etiam has possent pertingere, non relicturas. Quod ipsum cùm ab incolis quæsiisset Garzias, non mediocrem se illis risum movisse scribit. Sanè quod flatus tormina excitat Cassia; id non tam Cassiæ, quæ si ad nos recens atque integra deferretur, nunquam tale quid cieret; sed Mercatorum vitio & dolo adscribendum est. Nam ut pinguior & minùs vetustior appareat Cassia, solent Mercatores pharmacopœi eam in arena madida, & locis humidis adservare. Unde mirandum non est, si excrementitio eo humore oppleta, datus postmodum & tormina excitet: ut Joh. Costæus ad Mesuem annotavit.

DE SACCHARO. TIT. V.

Saccharum.

Saccharum quoque olim quidem fuit: sed non admodum magna ejus erat notitia, & nec alium in finem, quàm in Medicina facienda usurpabatur. Retroactis jam aliquot centum annis, inventus est conficiendi illius modus: & nostra hac ætate quidam Venetiis artem ejus expurgandi & perficiendi reperit; eaque ex inventione ultra centena millia aureorum adquisivit, quas opes filio suo Equiti reliquit, qui & planè eas consumpsit. Hodie ad eam subtilitatem deducta est ars ista, ut Rhabarbarum, Nuces pinnæ, pistaceæ, Cinnamomum, & alia species Sacchare condiantur, atque ita quasi recentia adserventur. Efformantur quoque ex Sacchare figuræ, & imagunculæ pulcherrimæ; nec non omnis generis fructus repræsentantur, ita ut naturales & veri videantur. Id quod à Veteribus fieri non poterat, ob Sacchari, quod tum erat, paucitatem opinor.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

VAldè anceps est quæstio, Utrum Saccharum, quo hodie utimur, etiam Veteribus fuerit cognitum. Nam & Joseph. Quercetanus Medicus Regius non satis sibi constare ait ex scriptis antiquorum Hippocrat. nempe Galeni, illos ejus cognitionis fuisse imbutos; & temporibus demum Æginetæ illud cognitum & in usu fuisse, ex scriptis ejus colligit *in diætet. polyhistor. sect. 3. c. 8. fol. 384.* cui adde quod Joh. Bruyer. de saccharo tradidit *libro 10. de re cibaria, cap. 8.* Qua in re ea utendum erit distinctione, quam adhibitam video ab Leonhardo Fuchsio *lib. 1. de Composit. Medicam. cap. 10. & lib. 1. paradox. Medicin c. 35.* quibus ex locis historicam utriusque cognitionem haurire lubeat. Saccharum itaque Fuchsio duplex est: Veterum & Recentiorem. Veterum rursus duorum est generum. Et quidem primi generis Saccharum nihil aliud est, quam Mellis species. Unde & de illa inter mella loquuntur Veteres. Nam & Dioscorides *lib. 2. c. 75.* & Galen. *l. 7 de simpl. Medic.*

Saccharum Veterum duplex.
1 Mellis species.

Medicam.facult.& lib.8.de Medendi ratione cap.4 & Plinius *lib.12.cap.8.* unanimes scribunt, hoc ipsum Saccharum esse mellis in calamis concreti genus, in India atque felici Arabia inventum, & illinc advectum. Quinetiam Seneca inquit: Ajunt inveniri apud Indos Mel in arundinum foliis. Is utique melleus ros. Salis modo supra calamos sive arundines coactus & concretus, Archigeni *Mel arundineum*, quòd noctis frigore primum adglutinatum arundinibus, mellis speciem habeat; Paulo Æginetæ, à jam dicta concretione & natali solo, *Sal Indus* fuit nuncupatus: quia scilicet interdiu calore Solis superveniente induretur, & ita concrescat, ut salis effigiem capiat. Quibus accedit, quod Alexander Aphrodiseus *libro 2. problem.74.* in hæc verba scriptum reliquit: Quod Sacchar Indi appellant, mellis coagulum est, Sole cogente rores, convertenteq; ad mellis dulcedinem. Saccharum autem antiquorum primi generis, à Sale Indo nihil differre, ostendit in primis antiquissimus scriptor Archigenes, id Salem Indicum, & arundineum mel vocans. Sed & Paulus Ægineta *libr.2. cap.54.* Archigenis auctoritate, Salem Indum non diversum esse à Saccharo innuit, dum ad asperam linguã plurimum conferre scribit. Id quod omnium maximè descriptio ejus indicat, quam ponit: Sal Indidicus colore quidem & concretione communi sali nihil dissidet, gustu autem melleus. Avicenna etiam *Fen.1. Can.4. tract. 2. cap. 23.* Paulum sequens, de asperitate linguæ febricitantium, inter cætera sic scribit: Aut teneat in ore salem, qui asportatur de India, & est in colore salis, & dulcedine mellis: & sumat de eo, secundum quod dixit Archigenes, quantitatem fabæ unius.

a Sale Indo nil differt.

Alterum genus Sacchari Veterum, sed vetustioribus scriptoribus cognitum, ex arundinibus quibusdam, vel ex earundẽ radicibus exprimebatur: eoq; tum veluti liquido melle, tum in cibo, tum in potu utebantur. Hinc est quòd à nonnullis Mauritianis sit Mel Cannæ nominatum. Idque ex Ægypto & India maximè afferebatur. Fuisse autem id genus Sacchari Veteribus cognitum, versiculi Narbonensis Varronis docent;

ex arundinibus expressum.

Indica non magna nimis arbore crescit arundo.
Illius & lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeunt succo contendere mella.

Lucanus, quem C. Cæsare & L. Cæsiano Cos. natum esse constat, tertio Pharsaliæ ejus Sacchari meminit eo versu:

Quique bibunt tenerâ dulces ab arundine succos.

Statius Papinius, qui Nervę Imperat. temporibus claruit, *lib.1. Suar. Sylv.* de eodẽ Saccharo ita scribit:

Et quas præcoquit Ebosia cannas

Strabo, quem sub Octaviano celebrem fuisse liquet, *lib. 15.* non solum arundines illas exprimi, sed & decoqui solitas fuisse, memoriæ prodidit, sic scribẽs. Eratosthenes arborũ radices, præsertim magnarum arundinum, & natura, & decoctione dulces esse tradit. Solinus, qui Plinii contemporaneus fuit, *c.45.* de India scribẽs, inter alia ita ait: Quæ palustria sunt, arundinem creant ita crassam, ut fissis internodiis, lembi vice vectitet navigantes: E radicib. ejus exprimitur humor dulcis ad melleam suavitatem. Galenus quoque *l. 4. de simpl. Medicamen. facultat c 41* arundinum illarum in Ægypto nascentium dulcium, unde melleus ille humor exprimebatur, meminit.

Recentiorum, seu Officinarum Saccharum, est succus à planta bene contrita expressus, calore ignis plus minusve excoctus, coactus & desiccatus. Tradit autem

Saccharum recentiorũ.

tem Manardus *lib. 2. Epist. Medin*, se à Lusitanis & Siculis cognovisse, plantam è qua Saccharum exprimitur, exteriore quidem specie arundini magnæ similem, interiore verò substantia valdè esse dissimilem pulposam enim esse, gravẽ, mollem, & succi plenam: cum arundo sit levis, dura & vacua.

Saccharum quò plus coquitur, eo magis purum & elaboratius fit, candescit & durescit. Coctio namq; depurat, defecat & cogit. ideo ex multiplici coctura, diversos quoque bonitatis gradus recipit.

Proinde primò plantam illam arundini similem excoquunt: deinde flava pars secernitur, & Saccharum exsistit: Hoc iterũ coqui potest, atq; ita candidius fit, & concretius. Quòd si tertiò coquatur, maxima in eo & candoris & densitatis fit accessio. Quartum & quintum quoque concoqui solet, donec specie aluminis scissilis ferè transluceat. hocq; genus *Candidum* seu, ut hodiè loquuntur, *Candum* atq; *Taberzeth* barbaris vocabulis nominant.

Saccharum Candi.

Saccharũ Candi est res factitia ex Saccharo quater vel quinquies excocto, majoris quæstus faciendi gratiâ per Seplasiarios Venetos confecta. Hi arundines etiam immittunt, ut supra has videri possit conglobatum. Gossypio denique involvunt, ut navi ex Orientalibus regionibus advectum putetur.

Saccharum quando primò coquitur, adhuc lentum ac feculentum est. Deinde verò semper magis atq; magis defecatum, durius, ac solidius fit, donec ad bonitatis fastigium pervenerit, ac perfectionis finẽ consequutum fuerit. Hinc illud hodiè *Finum* Saccharum appellatur purissimum & præstantissimũ, nomine à Fine mutuato: quia cãdore, duritie ac suavitate ad finem bonitatis perveniret. *Infimum* autem est lentum, humidum, nigricans, insuave, feculentum, & primæ decoctionis nominatur. Inter hæc duo extrema, duo quoque sunt media. Alterum quidem. Infimo proximum, secundæ decoctionis: Alterum verò Summo proximum, tertiæ decoctionis dictum.

Finum Saccharum.

Infimum.

Quale sit optimum.

Saccharum itaque nostrum optimum & præstantissimum est, quod durum, solidum, & mutuo metarum allisu sonorum, ligni sicci & solidi instar, exsistit: tamen ob siccitatem & imperceptam raritatem leve, dulcissimum, candissimum, & nivis in morem scintillans, coherens: quale *Valentinum* in metas pyramidum æmulas coactum, parvas ponderis libræ unius & dimidiæ; carissimum, & confectionibus siccis aptissimum. Illi dotibus & precio est proximum, quod *Madere* vel *Medere* appellant: sed in metas ponderis librarum 6.7.8.9.10. formatur; confectionibus expeditum. Affertur & Saccharum *ex Canariis*, in ripa fluminis Nigui nunc dictis insulis, olim fortunatis: etiam intus albicans, bonitate prædictis inferius, meti constans maximis, pondere librarum 10.12. *Ignobilissimum*, est foris albidum, intus subrubrum, tanquam alio fartum, & foris alio tectum, metis æqualibus, omnium glutinosissimum. quod quidem condituris sive confectionibus siccis ineptum est; liquidis autem servit, Syrupis scilicet. Conservis, & similibus. quia misturà vilitatem suam tegit. Id si mara sentit (nam eo Naves ob gravitatem saburraut (efficitur id, quod vulgò Rubrũ vocant. quanquam sunt, qui rubrum Saccharum, spumam & spurcitiem omni Sacchari se coquendo purgantis existimant, ut Jac. Sylvius *lib. 1. de simpl. Medicam. natur.* tradidit: quemadmodum quod purius & candidius est, Officinæ Finum appellant.

Valentinum.

Madere.

Canaria.

Nostrum Saccharum a Veterum Sacchoaro.

Nostrum igitur Saccharum à Veterum Saccharo primi generis differt Materia, forma, Efficiente, Loco, Usu & Viribus.

primi generis differt. 1 Materia. 2. Forma.

bus. 1. *Materia:* quia Veterum Sacchri materia eſt Mel & Ros: Noſtri autem, eſt plantæ ſuccus. quæ certè ita diſtant, ut planta & aqua. 2. *Forma:* Mam Dioſcorides & alii Veteres Saccharum ſuum, quo ad conſiſtentiam & concretionem, ſalis modo fragile dicunt: Plinius etiam gummi inſtar candidum eſſe ſcribit. Contrà Noſtrum priusquam excoquatur, colore potius nigricans & ſubflavum, quàm candidum exiſtit: nec dentibus perfringitur, ſed per ſuccum deglutitur. 3. *Efficiente:* nam Veterum Saccharum primò noctis frigus agglutinat, dehinc ſuperveniens Solis calor obdurat. At Noſtri Sacchari efficiens primùm eſt ipſa plãta; ſecundum artifex calor ignis coquens & defecans, & demum in hanc, quam videmus, metæ formam in ligneis vaſculis deducens. 4. *Loco:* Veterum enim Saccharum in India & felici Arabia tantùm in arundinibus, & illarum foliis naſcitur. At Noſtrum in Siciliæ & Canariæ Inſulis. ubi nimirum pulpa plantæ, effigie tantùm arundini ſimilis, illud Saccharum continet. 5. *Vſu:* Veterum Saccharum, teſte Plinio, tantùm ad medicinæ uſum accommodabatur. Noſtrum autem ad dapes ſuaviſſimas faciendas adaptatur: adeò ut nullum magnificum jam ſit epulum, quod non multo ſit Saccharo conditum. 6. *Viribus:* Veterum Saccharum, teſte Dioſcoride, alvo eſt idoneum, & ſtomacho utile. Noſtrum autem thoraci potius, quam ventriculo accom̃odum experimur. Prætereà Veterum, atteſtantibus Galeno & Paulo, ſitim non effert, hoc eſt, ut Avicenna *lib. ſui Canonis 2. cap. 757.* explicat, minorem, quàm mel, ſitim efficit. Noſtrum verò non minorem ſitim, quàm mel ipſum excitat: quod certè cotidiana confirmat experientia.

3 Efficiente. 4. Loco. 5. Vſu. 6. Viribus.

Hactenus, quomodo Noſtrum Saccharum à Veterum Sacchharo primi generis differat. At ab eo, quod ſecundi generis eſſe diximus, Noſtrùm non quidem genere differt: nam quemadmodum illud fuit arundinum ſuccus; ita & Noſtrum. Differunt tamen inter ſe aliqua ratione, quod Veteres Saccharum ſuum magna ex parte ex arundinibus expreſſerunt: licet interdum etiam decoquendo, ut ex Strabone, Statio, & aliis ſupra oſtenſum fuit, extraxerint. Noſtrum verò decoctione tãtùm efficitur Siquidem. Sacchari arundines minutim conciſæ ignis calore tantisper decoquuntur, donec univerſus liquor, diu effervescens, igneque conſumtus, in Saccharum, ſalis modo in vaſe concreverit, indureturque ac dealbetur. Ex quibus manifeſtum fit, priſcos non ignoraſſe quidem hanc rationem decoquendi Saccharum: ſed de induſtria eo uti noluiſſe, fortè quòd ſuccus ille expreſſus, ſuaviſſimum eis potum præberet. Maluerunt igitur eo liquore ob melleam ſuam ſuavitatem pro potione uti, quàm ignis calore, ut hodie fieri ſolet, ad ſalis conſiſtentiam ac duritiem decoquendo deducere. Poſtquam verò ſpes lucri quotãnis arundines incidere, adeoq; artem & modum, quo liquor ille iis ipſis priùs minutim cõciſis, ac deinde decoctis, ad ſalis conſiſtentiam redigere Indos docuit: veriſimile eſt, quòd ſpe illa lucri allecti, ſucco expreſſo pro potu uti deſierint. Aut certè cum ſuccum illum incorruptum in alias, & maximè diſtantiores regiones transferre haud potuerunt; in eam, quæ hodiè affertur, formam redigere voluerunt. Quapropter cùm Veterum Saccharum ſecundi generis & noſtrum ſive Recentiorum, ex eadem arundine colligantur; ut inter ſe genere differant, fieri nequit. Differunt autem hac ſolùm ratione, quòd Noſtrum arte duntaxat & igne præparetur, ideoq; artificiale ſit: Veterum verò interdum expreſſum, aliquando decoctione elicitum extra-

à Veterum Saccharo ſecundi generis non differt genere. Saccharum Noſtrum quomodo efficiatur. Veteres non ignorarunt modum coquendi Saccharum.

extractum: sicq; naturale & artificiale fuerit. Quibus ita consideratis, nequaquam cum his pugnabant, quæ Joh. Langius scripta reliquit *Epist. Medicinal. lib. 1. Epist. 64.* antiquorum Saccharum à nostro non diversum esse contendens. Sacchari porrò vis & usus cui ignotus esse potest? Acria lenit: acida retundit; salsa suaviora reddit: austeritatem vincit: acerba mitescere docet: fatuis & insipidis sensum tribuit: &, ut paucis dicam, omnium saporum domitor videri potest. Tum verò Seplasiariorum officinæ quot figuras, effigiesq; ei tribuunt? num fructuum, olerum, animalium quadrupedum ac volucrum? quot semina eo incrustantur ad delicias hominis? Certum est, in eo monstrificum esse Gulæ ingeniũ. Nihil hodiè penè sine Sacchare ventri conditur. Saccharum panificiis additur: Saccharum vinis miscetur: aqua Sacchare suavior salubriorque: carnes Sacchare asperguntur, pisces, ova. Nec pluribus locis utimur sale quàm Saccharo. Joh. Bruyerin. *de re Cibaria lib. 10. cap. 8.* Cum quo planè sentit Joseph. Quercetanus frequentiorem ejus usum ob insitam saccharo qualitatem calidam, quæ facilè in bilem vertitur, omnibus interdicens. Qui enim, ait, avidiores sunt ad saccharum, & saccharatas confectiones immodicè deglutiunt, sanguinẽ sibi retorrent, perpetuam sitim incurrunt ac fœdam dentium nigredinem contrahunt. Ac juvenibus inprimis nocentissimum est, qui calido & bilioso temperamento esse solent, Quercetanus *in diætet. Polyhistor. sect. 3. cap. 8. fol. 349.*

Sacchari vis & usus.

DE MANNA, TIT. VI.

Manna.

MAnna etiam nota, quidem fuit Virgilio, qui eam roscida mella dicit; itemquè Plinio, Galeno & aliis: sed, meo quidem judicio, virtutes ipsius ignorarunt: ideoq; medicamentis eam non adhibuerunt. Idq; voluisse puto Averroëm & alios Arabes, dum ante se incognitam hanc fuisse scribunt. Ipsa per se non tantùm delicata est, sed & aliorum medicamentorum amaritudinem mitigat. In usu quoque hodie sunt alia Simplicia, à Veteribus non usurpata: sed quæ non adeò magni momenti sunt. Itaque his omissis, ad Artes progrediar: & primùm quidem ad Alchymiam.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

QUemadmodum in plerisq; aliis, quę hactenus fuerunt exposita, ita & hoc loco cavendum, ne verbi homonymiâ decipiamur. Inter Mannam igitur Græcorum & Arabum, distinguendum inprimis est. Nam Græci, præsertim vetustiores, per Mannam nihil aliud intelligunt, quàm pluvisculum seu pollinem thuris confracti, cui admistum nonnihil est corticis thuris: hoc est, exiguas ex magnis fasciculis glebisve thuris micas, concussu motuque, dum ad nos advehitur, elisas, à thure levigato diversas, & cum fragmentis quibusdam exigui corticis thuris permixtas. Græcorum itaque Manna nihil aliud est, quàm mica thuris, concussu elisa. Hanc enim *Mannam* vocari Plinius testatur *lib. 12. c. 14.* quæ in hoc differt à pulvere thuris, quòd Manna thuris semper aliquid corticis thuris admistum habeat: pul-

Manna Græcorum.

pulvis, non item. Olim namq; tota thuris substantia trifariam fuit divisa: in Thus ipsum, Corticem thuris, & thuris Mannam seu pollinem. At Arabum Manna est substantia ex Rore originem habens, in quosdam seu globulos, seu granula collecta, coloris albi, consistentiæ solidioris, saporis suavis, in arborum frondes, ramos, & quandoque in terram decidens.

Arabum.

De materia hujus Mannæ antiqui valdè dubitarunt, Plin. *lib. 2. c. 12.* tres opiniones eorum, qui de hoc disputarunt, recensens. 1. Alios nimirum putasse, esse sudorem cœli 2. Alios, salivâ siderum. 3. Alios, succum aëris se expurgantis. quæ tertia opinio licet sit verisimilis, valde tamen obscura est. Constat autem hoc ferè inter omnes, qui de Mannæ materia aliquid solidi affirmârunt; Eam constare ex vaporibus sublatis in regionem aëris, ex infimis corporibus, ex terra & aqua: qui vapores à terra & crassiori materia expurgati, deinde calore Solis percocti & quodammodò pinguiores redditi, subsequentis noctis frigore condensantur: condensati autem in folia, frondes, terram decidunt. Quòd verò hæc sit Mannæ materia, potissimùm ex eo potest elici, tum quod non nisi tempore æstivo, ubi caloris qualitas est ferventissima, & noctes sequentes frigidissimæ, Mañа reperiri soleat: tum quòd iis in locis aut regionibus reperiatur, ubi æstus Solis sunt vehementiores: sicuti in Ægypto & aliis in locis, atq; etiam in parte Italiæ.

Vera Mannæ materia.

Videtur nostra Mañа ejusdem esse generis cum illa, qua Israelitæ in deserto aliquamdiu, tanquam cibo nutriti sunt. *Exod. 16. & Num. 11.* Idq; disertè affirmat Franciscus Vallesius *libro singulari de sacra Philosophia, c. 57* Joh. Franciscus Picus Mirandulæ Comes, his eruditione plenis versibus:

Manna Israelitarum, an eadem cũ nostra.

——Nubes
Sed placidum rorem verno liquefacta tempore
Gignit, si pulsi nebulis Nox ipsa refulsit.
Hoc etiam semen Coriandri imitata rotũdum
Cogitur, & ramis frondosæ stirpis adhæret:
Flavam corporibus bilem eductura. Sed olim
Dum Iudæ cohors sitientibus exsul arenis
Degeret, in pastum cecidit divinitus. inde
Attoniti patres, Man hu, dixére vetusti.

Idq; vel ideò verum putandum est, quòd Notæ hujus illi conveniant. Nam Mannæ Israelitarum tribuitur: 1. quòd confertim nocturno tempore instar pruinæ decidebat. 2. quòd saporis erat similis, ac si quis farinam aliquam cum melle commisceret. hæc autem omnia reperiuntur & in nostra Manna. 3. quòd è populo Israelitico non nisi antelucano tempore colligebatur. Sic & in Manna nostro tempore peculiariter hoc observatur, ut necessarium sit, eam colligi, priusquam Sol oriatur: quandoquidem eo exorto, Manna dissolvitur & evaporat, ut nulla deinde reperiatur. Dices; si Manna pro alimento & cibo usi fuerunt Israelitæ, qui fieri poterat, ut non laxatis ac dissolutis corporibus perirent, profectò ipsi me sentiebant hunc cibum esse levem. Nam 21 *Num.* ita conquerebantur: Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo, at vero cibos leves, & qui solidam substantiam corporib. non tribuunt, medicamenta etiam esse atq; expurgare, Hippocrates testatur *Libello de Medicam. expurg.* Et fieri quidem potuit, ut principio is cibus illis contulerit, ut medicamentum, ad deponendã cacochymiam, quam ex esu cucumerum, peponum, porrorum, cæparum, & aliorum, quib. multo tempore in Ægypto erant cibati, contraxerant: expurgatis verò jam consuetudo fecerit idoneum & sua-

ſuavem cibum. Quid, quòd lenientibus medicamentis hoc peculiariter ineſt, ut propter familiaritatem, quàm cum natura habent communem, facilimè in nutrimentum convertantur? idq; tum potiſſimùm, ſi quando aliud alimentum naturæ non ſtatim exhibeatur. Cùm igitur Iſraëlitæ ſola hac Manna pro ſolo nutrimento uſi fuerint: non mirum eſt, eos quoque alimoniam inde ſumſiſſe. Quibus accedit, quòd conſuetudo etiam ex venenis poteſt cibum reddere idoneum, præſertim ſi lenta & moderata ea primùm fuerint: tum enim in corporibus humanis venena & pharmaca illa digeri, & in alimoniam converti, Medicis placuit: quum nihil nutriat, quòd non priùs naturæ viribus concoctum ſit. Conſuetudinem certè in cibo plurimum valere; & quoſdam venenis enutritos duraſſe, Joh. Bruyerin. *de re Cibaria lib. 1. cap. 22.* demonſtrat. Sic Thraſias pharmacopola & plerique, in Græcia paſtores, integros ellebori manipulos citra noxam devorarunt & concoxerunt: cujus frequentes potiones, ob pharmaci aſſuetudinem, Eudemum illum Chium, nec vomitu, nec alvi dejectione purgare poterant, ut eſt apud Theophraſtum *lib. 9 de hiſtor plantar. cap. 18.* Et proditum eſt? puellam præſentiſſimo napelli veneno nutritam, & puellari Venere decoram, ab Rege Indorum, Alexandro Magno muneri datam. Cujus ſcintillantes & ſerpentum more nictantes oculos cùm Ariſtoteles ipſius præceptor vidiſſet: Cave tibi ab hac, inquit, ô Alexander: hac nempe tibi exitium paratur. Nec fefellit hoc Ariſtotelis judicium eventus. nam plerique proci virginis commercio intoxicati interierunt. ut ex Ariſtotele & aliis retulit Johan. Langius, *Epiſtol Medicinal lib. 1. Epiſt. 12.* Jam ſi conſuetudo ex venenis cibum poteſt facere idoneum, ut diximus: quanto magis ex cibis medicamentoſis.

Venena in alimoniam conversa.

Accedente præcipuè Dei concurſu, qua non cibus ſolùm, ſed ſuaviſſimus etiam, & delectamentum omne in ſe habens, efficiebatur. Neque verò hinc Dei elevatur majeſtas, cum naturales rerum cauſſæ inveſtigantur: ſed laudatur potiùs infinita ipſius ſapientia, qua omnia ita diſponit, ut etiam quæ ſunt portentoſiſſima, videantur bona ex parte, ſecundùm naturalem rerum ordinem eveniſſe. Etſi enim Deus omnia juſſu nutuque ſolo, nulla etiam adhibita materia poſſit agere; videmus tamen ſæpe numerò eum & rerum naturalium, quarum ipſe effector eſt moderator, adminiculo & velut inſtrumento voluiſſe uti, eaque ratione proſpicere viſum eſt, atque afflictis mentibus ſolatia afferre. Quòd igitur Hebræi in vaſta illa ac ſiticuloſa ſolitudine Mannâ paſti ſunt, divinæ potentiæ adſcribendum eſt illud quidem, ſed quæ tamen naturæ uſa ſit miniſterio: uti etiam coturnicibus gregatim in caſtra delatis, aut cùm percuſsâ petrâ, refocillando populo aqua proflueret, lignoque aqua amara dulceſceret, tum etjam cùm Euri violentiſſimo flatu rubrum mare exſiccatum, tranſitum Hebræis patefaceret, ad internecionem deletis inſequentibus. Similis eſt ratio de farina multiplicata, & adaucto oleo, Heliæ, & Heliſæi præcibus *3. Reg. 17.* Eodemq; pertinet, quòd Hiskiæ apoſtema, admoto cataplaſmate ex caricis ſeu ficubus contuſis, quæ maturandi facultate pollent, ad ſanitatem perductum eſt. *Ieſa. 38.* Sic Chriſtus ipſe in diſpellenda cæcitate mendici, medendi rationem non reſpuit, confecto collyrio ex luto & ſaliva, eaq; abluta exterſive in piſcina Siloë. *Ioh 9.* Eſt quippe ea ſalivæ hominis jejuni vis, ut vel hoc ſeculo lippitudini oculorum medeatur. Plin. *lib. 28. c. 4.* Sic Civis in Alexandria cæcus, dum Veſpaſianus ſupplicis ad genua devoluti cœcos oculorū orbes ſalivali oris excremēto

Saliva hominis.

aspersisset, risum recuperavit. Cor. Tacit. *lib.21. de Vespasiano.* Johan. Lang. *lib. 3. Ep. Medici.* Similiter Christus in discutienda surditate, digitos in aures inseruit, immissoque in lignam sputo, loquelam muto restituit. *Matth.9. Marc.10.* Cujus generis miracula aliàs solo tactu aut verbo peregit, ab iis tantùm stipulatus impetrandi fiduciam: quam cum inter alios clamosus ille cœcus Bartimæus inter turbæ fremitus testaretur, confestim nullo adhibito visibili externoque signo, visum recepit. *Luc.18.* qua de re plura videri poterunt apud Levin. Lemnium *in Herbar. Biblic. explic. c. 3.* & Franc. Vallesium *in lib. singulari de sacra Philos.*

Manna Arabum an Græcis cognita fuerit sub alio nomine.

Sed an hæc Arabum Manna, veteribus Græcis fuerit cognita non parum controversum video. Sunt qui hoc negant proptereà, tum quòd nomen hoc apud illos non reperiatur: tunc quòd hanc purgandi facultatem nulli alicui rei simili tribuant, tùm quòd Averroës 5. *Coll. cap. 55.* disertè scribat, Inveniri quædam medicamenta apud Medicos, de quibus Galeni testimonium non exstet, atque inter hæc *Terentabin* ponat, quam Mannam interpretantur. Sunt contrà, qui Mannam veteribus Græcis cognitam quidem fuisse affirmant, non tamen sub Mannæ nomine (quam vocem Arabes ab Hebræis mutuati sunt, quibus *Man hu* idem est, ac si dicas, *Quid est hoc?*) sed appellatione Mellis aërei, seu roscidi, sive roridi. Atque ea de re ipsum etiam Galenum loqui *lib.3. de alimēt. facult.* ubi fatetur, suo tempore in Asia hoc mellis genus ita copiose repertum fuisse in frondibus arborum, ut Incolæ dixerint Jovem pluisse mel; Unde inditum illi nomen, ut vocaretur ἀερόμελι καὶ δροσόμελι, quasi dicas, mel aëreum, mel roscidum, rorem melleum. Quinimò longo ante Galenum temporis intervallo Amyntam Græcum auctorem *in 1. de Asia ponderibus lib.* Mannam sub aërei mellis nomine exactè descripsisse, Johan. Langius asserit *lib.1. Epist. Medicin.64.* Et quidem appellationum istarum ratio vel inde est evidens, quoniam mel illud non secus atque ros antelucanis temporibus è cœlo seu aëre cadit: ubi halitus è terra & aquis prodeuntes, Solis calore sublati, ac deinde exactè extenuati & cocti, à frigore noctis in unum coguntur & densantur, atque in mellitos grumos coëunt, herbarum & arborum foliis atque frondibus, lapidibus quoque & solo interdum inhærentes. Incolæ itaque coria super terram extendunt, arbores ac stirpes excutiunt, quodque ab eis mellis instar defluit, excipiunt, & fictilia eo implent. quod quidem relictum brevi temporis curriculo coalescens, grumosum, gumi modo efficitur, ut Fuchsius tradidit. Collectionem autem illam matutino tempore, & quidem anteculanis horis fieri, etiam ex Matthiolo discimus: qui *Commentar. in lib.1. Diosc.73* ab incolis se accepisse ait, quòd Manna manè legatur priusquam Sol exortus admodum excalefaciat: postea enim Sole liquefactam & absorptam facilè evanescere. Quapropter pleriq; (inquit) ubi in magna deciderit copia, summo mane ramos arborum præscindunt, & in opacis collocant, ubi concretam majori commodo legunt.

Mel aëreum cur dicatur.

Mel verò aëreum seu roscidum, ab Arabum Manna nec forma, nec viribus differre, collatis utriusque descriptionibus erit evidentissimum. Nam teste Mesue *lib. de Simplicib. cap.8.* Arabum Manna est ros supra plantas & lapides cadens, cujus materia est vapor, qui elevatur, cui accedit & digestio & maturatio in aëre, quando est æqualis & secūdus lætis aspectibus. Diversificatur autem secundùm diversitates rerum, super quas cadit. Et cadens super plantas, suscipit de virtute planta-

Mel aëreum ab Arabum Manna non differt.

rum, & est cum permixtione particularium foliorum & florum. Jam si cum hac Mannæ descriptione conferatur Galenica Mellis aërei descriptio, *lib. 3. de facult. aliment.* prorsus certè cum ea conveniet, ut Fuchsius rectè animadvertit.

Mel apum differt à melle roscido seu aëreo.

Licet autem Galenus eo loci; hoc drosomeli, id est, melleum rorem seu Mannam, adeò affinem Melli apum faciat, ut horum unam & eandem materiam esse asseveret, Rorem scilicet: tamen Rorem melleum, seu mel aëreum, seu mel roscidum à melle apum, quod ex floribus colligitur, materiâ distare, multis demonstrat rationibus Valerius Cordus, *in annotat. in Dioscor. lib. 2. cap.* 104. 1. Primùm enim Mel apum semper, quocunq; Veris & æstatis tempore in floribus reperitur. At ros melleus non semper, sed rarissimè decidit. 2. Deinde Mel apum tam noctu, quàm interdiu, in floribus invenitur. At melleus ros tantùm matutino tempore. 3. Adhæc, mellis apum circa meridiem plurimum in floribus deprehenditur. At malleus ros, incalescente Sole, statim perit. 4. Tum Mel apum, dum in floribus continetur, semper est liquidum. At Ros melleus est concretus. 5. Posteà Mel apum continetur in floribus. At Ros melleus super folia plantarum decidit. 6. Præterea, Mel apum vetustatem non tantùm per se longam ferre potest, sed etiam omnia alia, quæ hoc excipiuntur, in multos annos conservare, quod Theriaca, Mithridaticum, & aliæ hujusmodi confectiones clarè ostendũt. At Ros melleus, ne solus quidem incorruptus unum atq; alterum annum durare potest; nedum alias res à corruptione tueri. 7. Insuper, in Septentrione maxima mellis est copia, ut Lithuania, Livonia, & vicinis regionibus: In quibus tamen rarissimi mellei rores conspiciuntur. 8. Quinimò, si Ros melleus est mellis materia: quî fit, quòd hic in flores tantùm decidat? Cælo enim delatus in ea potiùs se demitteret, quæ lata & expansa sunt, veluti folia plantarum: & minimè in tantillos flores. Quoniam verò mel apum non in foliis plantarum, sed floribus reperiatur, atque iis non totis, sed absconditis eorum anfractibus & posteriori tantùm parte atque recessu: haud verisimile est, Mellis apum materiã Rore constare, quomodo enim his prætentis latissimis etiam foliis, in florum ultima penetralia tanquam furtim irrepẽs, atq; ex industria in latebris se absconsum recipere potest? Accedit, quod Rore mellito delapso ad hunc frequentius quidem convolant apes, non quidem ut eum in alvearia revehant; sed tanquam ad cibum & pastum: quo adeò se replent, ut prorsus inertes & ignavæ reddantur; multæ emoriantur. Hinc Rustici dicere solent: Mellitos rores bonum quidem pastum apibus præbere, sed ad mellificationem minimè conducere. Interim enim, dum roris suavitate allectæ, cibi avidæ detinentur, nihil ad alvearia convehunt. Quapropter Mellis apum materia non est Ros, sed cujusq; plantæ dulcissimus succus, à Sole ad extremas ejus partes (quales flores sunt) elicitus, perfectè excolatus & excoctus, dum per tãtum spatium ad flores trahitur. Unde quando tempestivos imbres serena cœli constitutio sequitur; plurimum mellis gignitur, imbre nimirum succum & materiam plantis præbente, Sole verò in dulcem liquorem excoquente.

Quæ sit vera Mellis apum materia.

Different. seu genera Mannæ.

Cæterùm Manna duûm in universum est generum. Alia enim est liquida, alia arida.

Liquida.

Liquida, fictilibus asservatur, & Arabico nomine *Tereniabin*; Hippocrati *Mel cedrinũ*; Galeno *Mel aereum, mel roscidũ Ros Libani*. Hæc quia nunc nullo in precio habetur, servari desiit.

Arida.

Arida, hodie in arculis ligneis aut vitreis asservatur: estq; duplex. Vel enim ex Orientali plaga defertur, vel ex Calabria. Quæ ex Orientali

tali plaga defertur, vel ex Calabria. Quæ ex Orientali defertur plaga, triplex est: 1. *Granata & Mastichina*, quæ præstantissima putatur, & exiguo grano Masticha est similis, unde & nomen sumsit. 2. *Bombycina:* quæ vilis est, grano constans grandiori, floccorum lanæ & bombycis effigie: estque nihil aliud, quàm aut evanida & senio exhausta Mastichina, aut sacharo aliisq; imposturis adulterata. 3. *Briansona:* quæ compacto est grano, pingui, dulci, flavoque prædita. Quæ ex Calabria defertur, itidem est triplex. 1. Quæ stirpium frondib. insidens colligitur, & primas obtinet partes. Hinc appellatur *foliorum Manna*. Constat autem minutis granulis translucida, gravis, candida, gustu dulcis ac suavis. 2. Quæ ramis insidet. Hæcq; secundas sibi adsciscit partes. 3. Quæ lapidibus & solo inhæret, granis constans crassioribus, & colore minus sincero. Sicque prioribus duabus vilior existit.

Delectus Mannæ. In delectu Mannæ, Ætas, Locus, & Arbor, consideranda. Nam aliquid ex ea re, super quam cadit, sibi acquirit, & propter contactum facultatem attrahit. Hinc quæ super foliis arborũ reperitur, optima censetur, quia nihil ab ipsis recipitur: neq; ipsa est ingrati odoris. Quæ verò ex caudice arboris colligitur, non tam bona est quàm quæ in foliis. attamẽ in trunco collecta melior est, quam quæ super lapidẽ aut terram recipitur. Rursus præstantior est, quæ in saxo provenit, quàm quæ in terra: ex qua facilius corrumpitur. In erdũ igitur lanæ bene mundæ arboribus subiiciuntur, ex quibus illa sumitur: ut videre est apud Andernacum *in dialogo 5 2. Commentarii.*

Optima item censetur, quæ recens est, splendens, candicans, & in purissimos grumos concreta, gustu melleam præ se ferens dulcedinem: ex stirpib. s odoratis & salubribus collecta: nullis surculis aut folliculis implicata. Mala est cineritia. Pessima est fusca, cœnosa, antiqua. Hæcque tempore mollescit, & dolum prodit.

Durationis tempus. Variat etiam Durationis tempus. Alia enim statim post annum exolescit & situm redolet, ut Mastichina, quæ uno duntaxat anno in suis viribus persistit. Alia tardiùs corrumpitur, ut ad quinquennium adservari possit: veluti est, quæ in Italia provenit, præsertim in Calabriensi agro. Omnes tamen sicciori loco gaudent. Sed an Manna illa, qua nos vulgò utimur, sit roscida Manna Arabum; id disputatum habes apud Johan. Costæum *in annotat. ad Mesnæ libr. de simplic. capit. 8.* & Donatum Altimarum *in libell de viribus & differentiis Mannæ.* quibus adde, quæ de Manna scripta reliquit Mesues *libr. de simplic. capit. 8.* Petrus Andreas Mathiolus *in lib 1. Dioscoridis capit. 73.* Johannes Langius *Epistol. Medicinal. libr. 1. Epist. 64.* Andernacus *in dialogo 5. secundi Commentarii:* Leonhardus Fuchsius *libr. 1. de Composit. Medic. cap. 6.* Ex istis enim Medicorum hortulis hæc nos delibavimus.

DE ALCHYMIA, TIT. VII.

Alchimia notatio. *ALchymia, infusionem significat. Chymia enim, Græ â dictione, Latinis Infusio denotatur; & Al Arabum est articulus: quibus Alcoranus, Hic Coranus est; & Al. megistus Ptolomæus, idem quod Hic Megistus vel Maximus Ptolomæus.*

Orige. *Magna est controversia, quando inventa Alchymia fuerit. Neque enim*

Plinius

Plinius auctor alioquin diligentissimus, neque etiam Graecus aut Latinus scriptor ullus mentionem ejus facit. Equidem hanc antiquissimam credo licet posteà intermissam. Scribit enim Suidas, artem istam usque ad tempora Argonautarum durasse, cum Iason surreptum ivit aureum vellus: quod nihil erat aliud, quàm liber quidam, ex aliis metallis aurum docens conficere. Eum enim tecto nomine aureum appellabant vellus, fabulam illam confingentes. Ægyptii artem istam, imperante Diocletiano, strenuè professi sunt: qui odio illos habens, ob excitatum tumultum, scripta eorum de fusione argenti atq; auri conquisita combussit, ne ex arte hac ditati Ægyptii, & pecunia freti copiis, in posterum rebellarent, ut idem Suidas refert. Creatus autem fuit Diocletianus Imperator anno 287. ut ita ars ista renovata potius, quàm nova dici possit.

Multa autem hoc seculo nostro egregiè & ingeniosè inventa sunt, quae anteà planè fuerunt incognita. Inter quae referri potest Lato, *sive aes illud coronarium, quod est aes illustratum certo aliquo pulvere, qui admiscetur, & splendorem metalli, quod revera non est, ei indit, quoniam si cochleare ex aere isto coronario ibi immergatur, purum illud aes, ut prius erat, revertitur consumto enim pulvere, adscititium splendorem amittit.*

Lato.

Excolentes Alchymiam modum etiam excogitarunt Saphyrum dealbandi, ut Adamas videatur. Soletque annulo ita inseri, ut nemo, quantumvis peritus, Saphyrum eum esse, possit dignoscere. Equidem ejus rei periculum fieri vi à Gemmariis Venetis, curante Duce Reipublicae illius cùm Praetorem Patavii ageret. Orta enim disputatione, & sponsiõe facta, utrũ lapis illi annulo insertus, Saphyrus esset, an Adamas; pro Adamante fuit responsum; & dixerunt Artis hujus periti, non potuisse Saphyrum istum ab Adamãte discerni.

Saphyri dealbatio.

Proferunt quoq; Alchymistae Stanni genus, quod ipsumet argentum putes. Idq; malleo quidem percussum constans manet & stabile, at non in vase illo, quod Lacopella sive Cupellam nominant. Habent praeterea multas alias inventiones egregias.

Stannum pro argento.

Invenerant etiam Aquas fortes, quibus aes ab auro & argento separant. quod antiquitus fieri non poterat, teste Vlpiano Iurisconsulto in l. 5. §. 3. ff. de rei venditat. ubi, si aes cum auro mixtum fuerit, non amplius id deduci posse ait. Aquae istae fortes, cùm aurum ab argento separant, mirabiliter visum afficiunt. Videtur enim argentum quasi columna quadam per medium adscendere; mutaturq; in viridem, puniceum & alios colores: denique per aquam spargitur, ut nihil de argento videatur amplius: sed omnia aquâ plena sunt, auro in fundo subsidente.

Aqua fortis.

Noviter quoq; reperta fuit Lacopella *sive cupella, vasculũ mirabile, ex bu-*

Cupella.

buio

bulo osse factum. In hoc aurum & argentum poliendum; & ab omni macula expurgandum mittitur, ut nihil praeter purum putum aurum ibi remaneat. Aurum igitur vel argentum tenui bractea plumbi involutum, & vasculo illi immissum, igni imponitur, tum Cupella sive vasculum istud quicquid inest metalli, absorbet: ipsum verò aurum aut argentum, quod in fundo absque omni mixtura residet: intactum relinquit. Idque aurum di Copella dicunt.

Alchymia an sit licita.

Sed dubitatur, *Vtrùm Alchymia sit licita, nec ne? Et sanè tam Civilis, quàm Canonici juris interpretes uno ore offirmant; Etsi prima fronte negativè concludendum videatur, eo quòd solius Dei sit, unam substantiam mutare in aliam: id quod nemo, quam magni etiam nominis sit, praestare queat: Ideoque & Diabolus Christum tentaturus, & veluti dubitabundum redditurus, Vtrum filius Dei esset, nec ne;* Si, *inquit, filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant, hoc est, ejusmodi quid fac, quod solius Dei est: Nihilominus tamen concludunt tandem, Alchymiam esse licitam. Idq; hoc fundamento: quia scilicet omnia metalla ex sulphure & argento vivo, quod Alchymistis Mercurius vocatur, procedant: quae si recipiant aerem, aquam & solem satis idoneum, in aurum convertantur: at si temperamento deficiantur, ut ad perfectionem illam deduci nequeant; tum argentum inde conficiatur, aut stannum, aut plumbum, aut aes, pro influxu & dispositione elementorum. Ars igitur humana non transmutat unam substantiam in aliam: sed calor & temperamentum, vim & potestatem habens sulphur & argentum vivum in aurum commutandi, quòd si ob defectum fieri hoc non poterit, tum Alchymistae eum arte supplent calorem & temperamentum istud: quod si naturaliter adfuisset, utique ipsum sulphur ad auri substantiam deduxisset. Id quod Alchimistae faciunt, Naturae defectum artis adminiculo supplentes. Iohannes Andrea, celebris Iuris Pontificii interpres, scribit* Arnaldum in

Arnal. de Villa nova.

Villa nova, *in Curia Romana, praesentibus multis Cardinalibus aes in virgulas auri commutasse: mox discedentem permisisse, ut probationi omni subjicerentur. Ars quidem vera esse potest: sed paucissimos, imò vix unum esse credo, qui eam calleat. Nam qui hanc profitentur, aut fatui sunt, aut admodum proclives ad paupertatem. Est enim tritum vulgi sermone proverbium:* Nunquam vidi Alchymistam divitem.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Video multorum literis consignatum, Hannibalem, magnum illum Carthaginensium Ducem, patriâ expulsum, cùm Ephesum ad Antiochum regem venisset exul invitatum fuisse ab hospitibus, ut Phormionem Philosophum & Rhetorem, si vellet, differentem audiret. Atque ubi is, se non nolle, ostendisset, verba fecisse

ciſſe Philoſophum ſatis multa, de Imperatoris officio, & de omni re militari. Applaudentibus itaque & laudantibus eum Antiochi Satrapis, qui ipſum audierant; interrogatum & Hannibalem, quid de eo ſentiret? Reſpondiſſe *Pœnum* dicunt, Multos ſe quidem deliros ſæpè vidiſſe, ſed qui magis, q̃ Phormio deliraret vidiſſe neminem. Vereor mehercule, ne futuri ſint, qui de meo hoc facto idem judicent, cum me de Alchymia, quam neque diſciplinâ ſatis, neq; etiam & quidem multò minùs uſu mihi cognitam eſſe, nequaquam eo inficias, verba feciſſe viderint; ad te præſertim, Illuſtriſſ. & fortiſſ. Princeps qui nō tantùm, ut Hannibal, militari prudentia & bellica virtute Dux paſſim deprædicaris inclutus: ſed & omnium præthereà laudabilium ſcientiarum cognitione ita polles, ut ipſi ob id Neſtori meritò comparandus ſis armato, niſi ille plus ætatis habuiſſet; tu plus veræ ſapientiæ. Debueram ſcilicet animo mecum perpēdere, rectius me cùm conſcientiæ, tùm famæ conſulturum fuiſſe tacendo, quam inſcitiæ meæ teſtes advocando: ſapienter monente illo, quicunque etiam fuit, ſatius eſſe à culpa abſtinere, quàm eâ commiſsâ, errati veniam poſcere. Hanc tamen vel propterea faciliùs me impetraturum confido, quòd cùm inſtituti mei ratio expoſceret, etiam ad præſentem hunc Titulum Notas meas adſcribere; non quidem animus mihi fuerit, integram Alchymiæ artem, aut Artis præcepta tradere: ſed ſatis fore exiſtimarim, ſi quæ partim ex probatiſſimorum Auctorum lectione, partim etiam virorum doctorum converſatione & colloquio didiceram, ea materiæ huic convenientia, hìc loci, vel hiſtoricè ſaltem exponerem; interim non modò haud invitè cuivis permittens, ſuo ut abundet ſenſu, & de his pro arbitrio ſtatuat: ſed & eo me non parum ſuſtentans, quòd ſi erratum hìc forſitan à me fuerit, honeſta tamen dicatur erroris excuſatio ejus, qui multos & præſtantes in re magna Duces fuerit ſequutus. Ut igitur ab ipſius verbi notatione exordiar, conſtat ex Julio Firmico & aliis, antiquiſſimū eſſe Alchymiæ, chemiæ, chymiæ, aut chimiæ nomen, ipſis etiam Arabibus & Ægyptiis uſurpatum. Suidas in recitandâ illâ Diocletiani hiſtoria, cujus Pancirollus hìc meminit, ut & Cedrenus dicit χημείαν, quam nos rectè vertere poſſumus *Chemiam*. Plutarchus *in Oſiride* ait, Ægyptum ſacrâ lingvâ à ſacerdotibus dictam eſſe χημείαν. Quid abſurdi eſt, putare, artem ipſam jam inde ab Hermete Triſmegiſto ſacerdotibus Ægyptiis familiarem, Chemiæ; quaſi Ægyptiæ, nomen traxiſſe, ad perpetuam ortus ſui memoriam? Quid Arabes appoſuerint & quo ſenſu, ſatis notat Pancirollus noſter: etſi Cœl. Rhodiginus non Al, ſed Archimiam nominet. *lib. 7. cap.* 11. quaſi ut quibusdam placet, ἀργύρου χημείαν. Quòd ſi Arabib. id verbi fuſionem ſignificat, non ineptè Recentiores nominis rationem reddunt ἀπὸ τοῦ ἁλὸς καὶ χέειν quod eſt, *fundere Salem*, ut Libavius *lib. 1. Epiſt. Chymic. Epiſt. 6.* & Heinricus Kunrad. Lipſenſis *in ſua confeſſ. cap.* 7. tradidêre: modò ne à Græcis acceptum dicamus cum Libavio. Neq; enim ſatis eſt, ut idem putabat, Græcam linguam cognitam fuiſſe in Ægypto: aut ibi fuiſſe fertiles metallorum fodinas & ſcaptenſulas. Cur enim à Græcis non petitam artem illorum potius, quam domeſtico appellarent nomine? Eodem modo *Chymiam* dicere liceat ἀπὸ τοῦ χυμοῦ, id eſt, humore, ſapore, &c. ut quomodocunque notio exprimatur, at non, ut origo. Infrà enim demonſtrabitur, non à Græcis primò, aut Latinis, ſed ab Ægyptiis artem hanc fuiſſe excultam. Recentiores (in quibus fortaſſe primus Paracelſus) Artem *Spagyricam* vocant, vel ἀπὸ τοῦ σπᾶν

Alchimiæ notatio.

Spagyrica.

Panciroll. lib. 2.

ἐξ ἀγ-ςα.

καὶ ἀγγείρειν, (quod eſt divellere & congregare: cùm, ut annotat Quercetan. *in Antido Spagyr. ſclopet.* per eam eliciatur, ac tum cogatur comprimaturq; ſubtilis quædam & ſpiritualis natura, in qua vis & effectus medicamenti præcipuè conſiſtit:) Vel, ut placet Libavio *adverſus Germannum, & dicto Epiſtolarum loco*, quaſi Magiricam, aut excoctoriam. Non deſunt, qui *Deſtillatoriam* vocant, à deſtillationibus artificioſis: quam tamen Hieron. Rubeus *Sect. 4. lib. 2. Deſtillat.* ut & Pancirollus noſter, diverſam facit à Chemiâ: ſed ita, ut una ex altera ortum duxiſſe videatur: &, qui ad deſtillationem, metallorum præſertim, incumbit, is ſtatim, ab omnibus ferè, Chemicæ arti operam navare credatur. Nimirum diſcernit, non tam ſubjecto, q̃ ſcopo. Facit enim *Deſtillationem* rei Medicæ præparationẽ ad uſum Medicum: *Chemiam*, metallorum transmutationem & perfectionem. Libavius contrà, Chymiam eam dicit Alchymiæ partem, quâ perficiuntur quævis opera Chymica, Eſſentiæ, Magiſteria, &c. *lib. 2. Alchym. c. 1.* Sunt, qui latiùs adhuc accipiant verbum Chemiæ, quam ut ſuperiorum nominum ratio competat. Non enim ſolam Medicinam & Operationem, ſed omnem etiam Naturæ rationem, & ex aliis principiis, *Sale, Sulphure & Mercurio*, ipſi tribuunt. Ita ferè Theophraſt. Paracelſ. poſt Veteres (neq; enim ipſe ſe authorem, ſed reſtauratorem paſſim venditat, qui multa didicerit à patre Wilhelmo, Setthagio, Tritthemio, aliis. 1. *Tom. Chir. Mag. lib. 2. tract. 3. cap. 1.*) & qui cum ſequuntur, Petrus Severinus Danus *in Idæa ſua Medicina*, Thomas Mufettus Anglus *in dial. Apologet. adverſus Eraſtum*, Gerardus Dornæus *in artific. Chymiſt. & de luce Naturæ Phyſ.* & alij plurimi. Indeq; eſt, quòd in Dialogo, qui inſcribitur *Chryſorrhimon*, dicatur ſcientiarum, ut ingenioſiſſima, ſic maximè utilis & neceſſaria. Eandem ob cauſam Dornæus *in Clave lib. 1. c. 1. & alibi*, conſtituit eam Theoricam & Practicam, ut Philoſophiam, quam etiam dicunt, ſed cum adjectione, *Philoſophiam adeptam*: licet artis hujus profeſſores etiam abſolutè & abſq; adjectione iſta *Philoſophos* ſe appellent. *Theorica* Phyſica eſt ſcientia, ut Libavius ait, honoratior; deſumenda Dornæo *lib. 1. de luce Natur.* ex Geneſeos *cap. 1. & 2.* & fundamentum Chemiſtici artificij ſeu *practica*, quæ conjuncta eſt, ut Chryſorrhimon ait, cum naturalib. rationibus, ex ſympathia & antipathia manātibus: quippe quæ ex Naturæ ſecretis admirandos, pulcherrimos, ſalutares, & divinos effectus ſoleat proferre.

Deſtillatoria.

Deſtillatio a Chemia quomodo differat.

Chymia & theorica, et practica.

Non diſputo, quàm ineptè: hoc obſervo, neminem adeò inſaniiſſe, ac nuper Rulandum, qui, (ut mihi hunc Titulum recognituro oſtendit Vir Clariſſimus, Johan. Ingelſtetterus, Medicus Palatinus) in Dedicatione Progymnaſmatum Alchemiæ, ferè ex Harvetti Demonſtrat. Verit. Chym. & exam. Pariſ. Cenſ. Libavij tranſcriptorum, in ipſam Aulam Auguſtiſſimi Imperatoris transmiſsâ, auſus eſt totidem verbis ſcribere: Si Paulo (Apoſtolo) conſentienter ratiocinari licebit, eminentior (ſic enim legendum cenſeo ob propoſitum, quod eſt demonſtrare, hanc artem, ut paulò antè ait, eſſe omnium eminentiſſimam) Dei notitia, ex hujus artis Alchymiæ praxi hauriri poteſt, ipſis ſacrarum literarum monumentis. Sed hæc vindicent ij, quibus præcipuè hæc cura incumbit. Ego ad ſubjectam materiam officiaq; pergo.

Joh. Ingolſtetterus.

Etſi autem Dornæus & alii ſubjectam artis materiam ponunt Vegetabilia, Mineralia, & Animalia, horum enim omnium uſus eſt in medendo) in quibus ad Medicinam præparandis ſeparatione impuri à puro (quod, illo rejecto, uſurpant, quip-

Chymia ſubjectũ.

quippe essatâ, quam vocant, Anatomiâ Essentificatum, & à Compedibus, quo plus virium haberet, corpori humano seorsim aut conjunctim applicatum, tum ad morbos depellendos, tum ad valetudinem confirmandam, liberatum) versatur: qui tamen usum Medicum primò non spectant, sed Politicum aut Oeconomicum, hoc est, divitias aut delitias, illi totam occupatam censent circa Metalla & Metallica. Primò dixi. Nam quòd decantatum illum lapidem Philosophicum cum GEBRO MAURITANO, & DORNÆO, ut posteà dicetur, Medicinam faciunt non minus corporum nostrorum, quam Metallorum: id prætexi magis, quàm credi à plerisque hanc artem tractantibus censent *Sapientes*, qui ubique rari. Sed ego hanc litem aliis dirimendam relinquo: & in instituto pergo. Ex eorum numero, qui Alchymiam ad Metalla & Metallica adstringunt, est Pancirollus noster, ut colligere est ex iis, quæ ad hanc artem & vetera, & recentia profert Inventa. Ex veteribus est, aurificium: ex recentioribus, Lato, Saphyri dealbatio, Stanni præparatio, Aqua fortis, & (reclamante Libavio, *Comment. Alchem. part. 1. lib. 6. cap. 14.* ex Budelio & Matthesio, allegantibus *Psalm. 11. Hierem. 6. Malachiæ 3* Platone item & Plinio: quam rectè, alii viderint. Equidem probationem aliquam agnosco: illam, quâ de sermo, non video) probatio per Cupellam: de quibus passim Chymici & allegati jam, & allegandi deinceps. Verùm sunt longè plura, si non vetera: saltem recentia. Quæ cum in certa redigat capita Chrysorrhimon; operæ precium duxi ea hîc adscribere; eoq; amplius, quo uberiorem nobis suppetitabunt dicendi materiam. Ipsa autem exempla & modos infinitum foret hic recitare: & peti possunt à Libavio *libr. 2. Alchym.* & Baptista Porta *de Magia naturali.* qui ex aliis ea diligenter collegerunt. Ait ergò Chrysorrhimon: ab ingeniosis hominibus quædam ita sunt eruta atque vulgata, ut jam artes amplius dici non mereantur. Quædam autem inventa nondum sunt. Quædam inventa quidem sunt, sed ea paucissimis, atque ferè nemini tot seculis constiterunt. Ex quibus unum est præcipuum (totius artis Chymicæ unicus scopus ac verus finis) miro tamen artificio, altoque silentio semper absconditum, aut arcanum dici adhuc mereatur. Et paulò pòst: Chymica inventa (ut præcipua persequar) sunt partim circa metalla, partim circa metallica. Circa Metalla hæc ferè possunt constitui: Ea commiscere simul, ut aliquid aliud esse appareat: cujus exempla satis sunt vulgata. Ea immutare, ut circa ferrum & æs maximè solet contingere: ponderi adjicere, aut, quod facilius, detrahere: solidiora quædam reddere: colorem in quibusdam mutare, ut circa ferrum ut plurimum: molliora quædam, alia duriora efficere: omnia verò hæc absque fallendi studio. Alia, & quidem subtiliora, circa Metallica versantur: ut deaurationes, argentationes, separationes. Ex quibus indagatæ sunt Metallicorum admirandæ vires, sympathiæ, antipathiæ: ut Antimonij, Hydrargyrij, Caphuræ, Sulphuris, Chrysocollæ, Plumbi cinerei & candidioris cum auro, argento, orichalco, &c. Huc pertinet pyrij pulveris inventum: & vitri deducendi scientia in longissimas lineas. Omitto ea, quæ ad remedia pertinent, Destillationes, suffitus, fusiones Metallicas: quibus vix quicquam ingeniosius, accuratiusque. Quæ autem inventa nondum sunt, de iis verba quî facere possum? Inveniri tamen adhuc plura posse existimo: veluti vitrorum absq; igne mollities, Electri cõpositio, lapidum durissimorũ fabrefactio, aquarum tenuissima-

Chymica inventa.

ſinarum excoctio, &c. Quæ verò inventa ſunt, ſed pauciſſimis conſtant: ex his eſt, vitrum in adamantinam duritiem perducere: morbis deſperatis ex Metallis & Metallicis præſentiſſima ac ſubita exhibere remedia. Item contrà venenorum omnium vim antidotum exquiſitiſſimum certiſſimumque. poſtremo, quod omnium eorum, quæ enumeravit, vim atque efficaciam excedit, eſt certa ac compendioſa methodus, qua ſubtiliſſimi ſpiritus parantur, quorum efficaciâ abſolutoria metalla multiplici proportione perfectiora atque auctiora (nullâ prorſus tentatâ fallaci Metamorphoſi) produci poſſunt. Et paulò ſuprà: Ad hunc ſcopum pertingendum cùm tot ingenia fruſtra laborarint: ut tamen aliquid egiſſe vulgò videantur, ad Sophiſticam confugere exiſtimarunt, & ſic *aureo*, quod dicitur *hamo* piſcati ſunt. Hæc ille. Ad hanc Sophiſticam ſunt qui referant lapides, ſeu tincturas auri particulares, quas ſic dicunt, propter univerſalem: qua de multus eſt Henr. Khunrad. *in ſua Confeſſione, præſertim cap. 9.* ex authore Conſilij Solis & Lunæ, Com. Bernhardo, Riplæo, Zacharia, aliis Philoſophis poſt Gebrum: qui hoc dat conſilij *cap. 7. Sum. perfect.* ut deſertis particularibus Univerſalis quæratur lapis: Cujus materiam ajunt eſſe parvi, imò nullius precij: ubiq; inveniri: ideoq; ipſum ubiq; parari poſſe; & facilè: nec fas tamen eſſe, nomen materiæ proprium, ut cæteram artem præparandi (nam in his duobus, 1. materiæ cognitione: 2. ejus debita præparatione, totum Chymicorum officium conſiſtere ait J. Aurelius *lib. 2. Chryſopœja*) divulgare, niſi ubi non prodeſt. Loca allegantur in Henr. Khunradi *Confeſſ. cap. 1.* ex Philoſophis ſed explicantur tum ab aliis, tum vel inprimis à Theobald. Hoghelande *lib de Alchemia difficultate.* Sunt qui pro lapide Philoſophico habitum fuiſſe

Lapis Philoſophicus.

dicant celebratiſſimum illud Theophraſti *Laudanum*: quam Melchior Adamus *in Theophraſti vita* medicinam eſſe dicit laudatiſſimam ex rebus, quas orbis habet, præſtantiſſimis, quæ vitam conſervant confectam, & in omnibus morbis, præterquam in lepra, efficacem, adeóque promptam, ſalutarem & mirabilem, ut vere de ea dici poſſit, quod Philo apud Galenum *de Theriaca* prædicavit. Nam, cum *Albertus Baſa*, Poloniæ Regis medicus, ex Italia redux, deveniſſet ad Paracelſum, qui tum temporis ad S. Viti urbem agebat; cum eo ad ægrotum acceſſit, quem ſupervicturum paucis horis affirmabant omnes, ex caſu virtutis & pulſus defectu, laborante etiam pectore. Ibi Theophraſtus idem affirmabat fore, ſecundum Humoriſtarum artem Medicam: ſed facilè reſtitui poſſe ex vera arte, quam Deus in natura occultaverit: atque ægrum illum in craſtinum ad prandium invitavit. Producto igitur quodam deſtillato trium guttarum, id in vino illi exhibuit, illicoque hominem ita reſtituit, ut ea nocte prorſus convaluerit, & ſequenti die comparuerit in hoſpitio Theophraſti cum ſumma omnium admiratione, Laudani quoque iſtius vires in curanda hydropiſi ex eo deprehenduntur, quod ſubjiciendum putavi. In Bavaria Nobilis quidam familiæ præcipuæ hydrope laboravit. Ad eum, Baronis cujusdam cui nobilis illi chariſſimus, rogatu Theophraſt. inviſit: ſuoq; medicamento favente & annuente Deo, ſtatim hydropicũ liberavit, adeo ut aquæ intercutis quaſi rivus in conclavi deflueret. Supervixit ille Nobilis, hydrope illa liberatus, decem inſuper annis. dolendũ inprimis eſt, quod Laudani iſti conficiendi rationem nemini aperuerit, ſed tanquam ſingulare myſterium ſecretò ſemper habuerit: adeò ut ne moriturus quidem ulli mortalium id manifeſtare voluerit: Ac quoniam

Laudanũ Theophraſti.

quo ſemimortuus reſtitutus

Hydrops curata.

ejus conficiendi ratio occultata.

varia

Theophr. Encomia varia variorum & mira de Theophrasto Paracelso traduntur: placuit è multis unicum illud Petri Rami in medium proferre. In oratione enim de Basilica palàm profitetur, quod in intima naturæ viscera sic penitus introiverit: metallorum stirpiumque vires & facultates tam incredibili ingenij acumine exploraverit, ac perviderit: ad morbos omnes vel desperatos, & opinione hominum insanabiles percurādum: ut cum Theophrasto nata primum Medicina perfectaque videatur. Tanta Asclepiadi fama Romæ in populo militiæ studiis dedito contigit, ut totam veterum Medicinam abrogaret, novamq; sectam conderet: quá sæpe vino, aliis abstinentia cibi vinique, fricatione corporis, ambulatione, gestatione, morbi omnes curarentur. Itaq; cum eâ fama excitos Mithridatis Regis Legatos & pollicitationes sprevisset, hominemq; è funere relatum servasset: universum propè hominum genus in se convertit. Theophrastus nempe Germanicus, hic Asclepiades fuit: Sed de Theophrasto ista hic inseruisse satis sit. Plura desiderans consulere poterit Melchior. Adamum in ipsius *Theophrasti Paracelsi vita.*

Ipse Asclepiadis par.

Chymica ars vetustissima. Porrò de Artis hujus, quando partes variæ sunt & latè patent, authorib. & antiquitate quæritur variè. In sacris habemus, Tubalcain filium Lamech erudiisse omnem fabrum ærarium & ferrarium, *Genes. 5. v. 22.* Inde credunt quidam, annotante Libavio *lib. 1. Alchymiæ cap. 1.* cum primum in aliqua artis parte sudasse, quæ dicitur Metallurgia. quasi verò hinc amplius aliquid concludi possit, quàm quâ ad agriculturam faciunt illa metalla, aut eorum usum, & in universum cognitionem: de qua disputat Polydor. Vergilius *lib. 2. cap. 19.* post Plinium. Artem verò transmutandi metalla in aurum & argentum, omnes vendicant cuidam Hermeti Ægyptio, seu Mercurio Trismegisto: quem sic dicunt, non tam ad differentiam cæterorum,) tres enim memorantur à Roberto Castrensi, ex Mesue: quib. Hier. Rubeus quartum accenset *sect. 1. cap. 4. de Destillat.* cujus sunt citra controversiam pilulæ de Giera Hermetis apud Mesuem, contrà quam Libavius *Alchym. lib. 1* censet, nescio an etiam Pellicanus, seu vas & sigillum Hermetis) quam ad laudem. Qua de re sic scribit Robertus Castrensis *in præfat. ad Mortenum Rom.* à se ex Arabico Latinè, quamvis minus eleganter, conversum: Legimus in historiis Veterum, tres fuisse Philosophos, quorum quisque Hermes & Mercurius vocabatur. Primus fuit Enoch: alter Noë: tertius, qui post diluvium in Ægypto regnavit diu. Iste autem à nostris Antecessorib. dictus est Triplex, propter trinam virtutum collectionem, sibi à Deo tributam. Erat autem Rex, Philosophus, & Propheta. Is verò fuit, qui post diluvium omnium artium & disciplinarum, tam liberalium, quam mechanicarum primus fuit inventor & editor. Hactenus ille. Eandem rationem nominis Trismegisti reddit Paulus Scaliger *lib. 4. Epistem. Cathol.* verum Tabula Hermetis, Smaragdina quæ dicitur, seu Sermo veridicus, ut Dornæus vult *præfat. Comment. in ipsam*, huic instituto convenientiorem reddit, his verbis: vocatus sum Trismegistus, habens tres partes Philosophiæ totius mundi. Thomas Mufettus Anglus *Epistol. Chymic. 3* coætaneum hunc Mosi fecit: Paulus Scaliger, loco citato, pronepotem Atlantis, Promethei physici fratris. Mosis autem nativitas cadit in Annū mundi 2373. qui est ante natum Salvatorem nostrum 1598. Argonautarum expeditio circiter Annum Mundi 2740, ante natum Christum 1231. ut supputat Abraham. Bucholz. *in indice Chronico.* Diocletianus verò Imperator floruit

Hermes Trismegistus.

Hermetes tres. imò quatuor.

ruit circiter annum 284. post natum Christum. Ultra ergo mille octingentos viguisse hanc artem in Ægypto ante Diocletianam Chymicorum librorum devastationem, de qua ex Suida auctor noster loquitur, recte potest colligi. Cum autem Moses eruditus fuerit in omni sapientia Ægyptiorum, adeo ut potens esset in dictis & factis. *Actor. 7 v. 22.* fortè quis hinc concluserit, neque eum ignorasse hanc artem: eoque amplius, si verum est, quòd affirmare non dubitat Dornæus, Trismegistum tabulam suam Smaragdinam, in qua contineri artificium hoc, omnes contendunt Chymici, ex historia creationis omnium, ut à Mose descripta est, desumsisse. Sic enim ait *lib. de luce Natur. præfatio. exposit. ad tab.* Hermes ille Trismegistus, cognomento Mercurius, in doctrina Genesis per Mosen traditâ non vulgariter instructus, hâc posteritati physicam Spargiricam inde desumtam reliquit. Quæ si vera sunt: quis non cum Pancirollo dicat, hanc artem esse antiquissimam? Sed præstat ipsam Hermetis inserere tabulam, ut legitur apud Dornæum loco citato: Verum, inquit, sine mendacio, certum & verissimum. Quod est inferius, est, sicut quod est superius. Et, quod est superius, est, sicut inferius, ad perpetranda miracula rei unius. Et sicut omnes res fuerunt ab uno, meditatione unius; sic omnes res natæ ab hac una re adaptatione Pater ejus est Sol: Mater ejus Luna, Portavit illud Ventus in ventre suo. Nutrix ejus Terra est. Pater omnis Theolesmi totius mundi est hic. Vis ejus integra est, si versa fuerit in terram. Separabis terram ab igne, subtile à spisso suaviter cum magno ingenio. Ascendit à terra in cœlum, itemque descendit in terram, & recipit vim superiorum & inferiorum. Sic habebis gloriam totius mundi: ideoque fugiet abs te omnis obscuritas. Hæc est totius fortitudinis fortitudo fortis: quia vincet omnem rem subtilem, omnemque solidam penetrabit. Sic mundus creatus est. Hinc erunt adaptationes mirabiles, quarum modus est hic, Itaque vocatus sum Hermes Trismegistus, habens tres partes Philosophiæ totius mundi. Completum est, quod dixi de operatione Solis. Hactenus tabula: quam omnes Commentatores, ut Hortulanus, Raymundus Lullus, Arnoldus de Villa Nova, Comes Bernhardus, Libavius & alij, præter unum Dornæum, sensu allegorico potissimum de Metallorum transmutatione exposuerunt. Ille enim de universali medicina tum præparanda ex vegetabilibus, mineralibus, & animalibus; tum applicanda corpori & animo explicat, ut videtur, ingeniosissimè. Verba sunt *Com. ad tab. Hermet.* hæc; Est igitur scopus istius Hermeticæ doctrinę, Medicina quædam Universalis, quæ nedum insensatorum corporum (materiam omnem ad Medicum corporis usum præparandam intelligit, ut ex contextu colligere est) sed hominum etiam corruptiones, atq; morbos omnes indifferenter auferat. Et mox: Non parum sanè se fecisse putent homines, si tot ac tam varias corruptiones amoverint: quandoquidem ultra quòd sanitatem corporis hac ratione sibi conciliare valeant, mentis etiam tenebras omnes, atq; velamina tollunt; quibus amotis facilè veritatem cùm creaturarum, tàm conditoris omnium Dei, ad ejus gloriam proximorumq; salutem, diligentiùs exquirunt, &c. hoc est, Physicè, Chymicè, & Theologicè seu Metaphysicè, & Moraliter exponit, tum *lib. de luce Natur. physica*, tum ex professo, & distinctè magis *in Comm. in tab.* tum denique cæteris à se editis libris. Alij perspicuè magis requirunt Chaos & ejus elaborationem: quæ consistit in separatione & definitione seu fixione: quomodo condita sunt

Tabula Smaragdina Hermetis.

Tab. Hermet. scopus.

ſunt primùm, referente Moſe, omnia. Videatur Paracelſi & Dornæi expoſitio Geneſeos. Henric. Khunradus *Confeſſ. ſuâ* ad myſterium Incarnationis confert hoc negotium. Sunt, qui ad alia ſacra. An autem hoc profanare ſit, Theologorum eſto judicium. Ego, quæ ſparſim invenio alicujus momenti, refero, & ad Hermetem redeo, à quo quaſi per manus tradita eſt & propagata, non ad Græcos, non Latinos, ſed Arabes. Qua de re audiamus Th. Muſertum: Chemiam (inquit) tractavit Mercurius ille ter maximus, circa Moſis ætatem natus; ſed ita obſcurè, ut capere eam nec coævi, nedum Latini potuerint. Succeſſit poſteà Zoroaſtres, Salomo, & poſt ipſum Arabum familia: quorum tamen ante Gebrum nemo, quod ſcimus, Chimiam definivit, ſuisq; organis actionibus, materia, effectibus locupletavit. Huic tamen Paracelſus, aliiq; præclari Chymici, tàm ſermonis perſpicuitatem, quàm rerum ordinem addiderunt, vereque affirmare poſſunt illud de ſeipſis: *Ditavit ille nos, & nos illum.* Jam ut de *S*alomone, cujus plusquam humanam ſapientiam abundè ſacræ teſtantur literæ, nihil hìc commemorem: de *Z*oroaſtre utique, cujus jam memini, Clemens Rom. Pontifex ſcripſit, eum, ob reconditos haud dubiè ſcientiæ theſauros, Magiæ magiſtrum, & Dei amicum, Perſis fuiſſe creditum: quamvis fulmine ictus interiiſſet, cum in Græcia multi ſimili fato perempti, & ſepulchro honorati legantur. Id quod & principibus Romanis non inſolitum fuiſſe conſtat, ut ſcilicet flammis cœleſtibus interciderent. Nam & Romulus Sylvius Albæ Rex, à quo genus Quirini defluxit, fulmine periit: & Tullius Hoſtilius tertius Romanorum Rex, dum Anteceſſoris ſui Numæ ſacrificia parum ritè imitatur, cum tota domo fulmine conflagravit. Livius *libro 1. Decad.* 1. Similiter &

Zoroaſter fulmine ictꝰ.

Sylvius.

T. Hoſtil.

Anaſtaſius Imperator de cœlo tactus vulgò perhibetur, quanquam Zonaras *in Annalib.* paulò aliter de hoc prodidit, vidiſſe eum in ſomnis virum terribilem, qui librum manu geſtans diceret: Ecce ob perverſitatem fidei tuæ annos XIV. vitæ tuæ deleo, & quia fatale ſibi præſciverat, ut fulmine interiret, vir alioquin non peſſimus; Juris civilis diſciplinâ imbutus apprimè, at veſanæ & nimium curioſæ religionis, quippe qui divinitatem Chriſti ſimul cum carne conflatam, & unicâ naturâ confuſam aſſeveraret, perſuaſꝰ ab impiis, cùm aliquando tonitrua & fulgura præter modum eliderentur, ipſe perterritus in regio cubiculo mortuus inventus eſt, ad quod trepidus confugerat: experturus tunc Chriſti veri Dei & hominis judicium, & vanitatem ſectæ utramque naturam commiſcentis. Quam ut aliquando confutaret Aragenorum Rex Alamundarus, recenter ab Orthodoxis inſtitutus, mœſtitiam vultu coram ſceleſtis ſimulavit: quòd, ut fingebat, rumor pertuliſſet, Michaelem Archangelum mortuum. Illis id fieri non poſſe affirmantibus; Ecqua igitur ratione, inquit, ô vecordes, Anaſtaſio Cæſari impoſuiſtis, dum ſuaſiſtis divinitatem Chriſti promiſcuè cum carne conglutinatam pati potuiſſe? Hoc lepido & ſcito reſponſo, ait Forcatulus *lib. 2. de imper. & Philoſoph. Gallor.* pleriq; illecti, à ſolita perverſitate diſceſſerunt; eò lubentius, quòd Anaſtaſius meticulosè ſemet territâs occubuiſſet, morte ſola verum ſequi edoctus, atq; eundem minitans exitum ſceleratis *Vbiquitariis*, idem, ſi non tetrius dogma hodie etiamnum impiè & nefariè aſſerentibus. Quòd autem Ægypti (ad hos enim jam redeundum eſt) artem iſtam Chymicam occultam ſervarint, etiam Suidas teſtatur. Quo minus mirum eſt, ad Græcos & Latinos tardius hâc perveniſſe: licet nobiliores olim Philo-

Attende ô Vbiquitarq.

Chymia ab Ægyptiis occultata.

ſophi

sophi, ut Democritus, Pythagoras, Plato, alij in Ægyptum dicantur profecti, ut Magiæ arcana, quibus Medicina annexa fuit, addiscerent. Cicero 5. *de Finibus 4. Tusculanarum.* & Philostrat. *in vita Apollonij libro 1.* cùm certum sit Ægyptios Medicinam admirandam effecisse & illustrasse Magiâ illâ naturali, quæ & rerum naturalium sympathiæ & antipathiæ peritiâ, conspirantibus astrorum, & non rarò etiam Spirituum vicibus constabat, ut ex Plinio & Suida docuit Joh. Langius *Epist. Medicin. lib 2. c. 2.* Apud neminem certè ex antiquioribus sive Græcorum, sive Latinorum, quod sciam, Chimiæ nomen exstat, nedum res. Suidam tamen, Plutarchum, & Julium Firmicum, Virum Consularem, qui Constantini Imperatoris tempore, ab annis jam mille ducentis & amplius vixit, supra excepi, illorumq; loca attuli. Hic autem nominatim Alchymiæ meminit scientiæ *libr. 3. sua Mathes.* (quam vocat disciplinam Ægyptiam) *ad Mavortium Lollianum cap. 15.* dicens, Lunam in nono ab Horoscopo loco in nocturna genitura hominem ad scientiam Alchymiæ propensum reddere. Nam quæ ex Aristotele vulgò afferuntur, ad transmutationem parum faciunt. Non multò plus facit, quòd teste Plinio *libr. 33. cap. 4.* Cùm princeps ex auripigmento aurum fecit. Plus enim ibi separationis, quàm transmutationis est: ut ex contextu patet. Non desunt tamen, qui ex Hippocrate, Platone, Hesiodo & Hermete, aliquid ejusmodi posse intelligi contendant. Ex Hippocrat. est in Epistola ad Cratevam, ubi sæpius admirabatur rem herbariam, ut & Universorum naturam ac constitutionem, sacerrimum terræ fundamentum: ex qua animalia, plantæ, alimenta, medicamenta, fortuna, & ipsæ divitiæ enascuntur. Neq; enim aliàs haberet, ubi consisteret avaritia: neque sanè Abderitæ nunc decem talentis inescassent me, pro Medico mercenarium declarantes. Ex Platonis Timæo afferunt aureum ramum, qui propter crassitiem durissimum quid sit & nigricans, Adamanta dictum. Ex Hesiodi 1. *Operum* ajunt ænigmaticum id esse, quod ignorare dicuntur stulti, quanto plus sit dimidium toto: & quam ampla sit in malva & asphodelo utilitas. Ex Pœmandro Hermetis ænigmatica quoq; putantur illa: Exiliit confestim ex elementis Dei, deorsum latis, Sermo Dei, in purum naturæ opificium, & unitus est menti opifici. Ejusdem enim substantiæ fuerat: & relicta sunt irrationalia deorsum moveri solita, naturæ elementa, ut essent sola materia. Vide Jac Zwing. *Exam. prin. Chim. c. 1.* Sed quid multa? Sat antiqua est, si sat vera: hoc est, si id præstare potis est, quod promittit ars, sive particulariter sive Universaliter: & quidem non sine fœnore, quod artifices, ut hoc obiter dicam, pro ea liberalitate, quæ est in verbis, vocat multiplicationem in millesimum, imò infinitum. Jam si hoc præstare potis est Ars ista, rectè Pancirollus cum Juris utriusq; Interpretibus concludit, Eam esse licitam. Sed inde tamen non efficitur, animum esse applicandum. Nam & difficilis est ejus assecutio, & periculosa possessio. Quæ ubi more meo exposuero, quantum licet per eos, quos consului authores, finem faciam.

Magia.

J. Firmicus

Principiò de Artis veritate disputanti non possunt firmiora esse argumenta, quã quibus usus est Pancirollus noster, ductis à sensu seu experientia, & ratione. Inde enim alia omnia robur capiunt, quæ in utramque partem disceptantur, non tam in hoc, quam omni alio negotio. Qui veritati se opposuerunt, ut Agricola, Cardanus, Scaliger, Carerius, Fenottus, Erastus, Aubertus, Seidelius, & nuperrimè, quod sciam, Moresinus Scotus (prætereundas enim

Chimicæ artis veritas.

enim censeo Quotlibetarias infinitorum Scholasticorum, & hujus fecis questiones) cùm aut negare debuissent experientiam & sensum: aut, ut ait Libavius *Sirraxi Metall. Thes 40. & 43.* modum, quem posuere Artifices, in genere per rationes Logicas, hoc est, ex merâ phantasiâ desumptas, aggressi sunt ostendere, non posse fieri artificiale Metallum. Quantò rectius illi, quando, uti idèm ait, Peripatetici sunt omnes, audissent suum Magistrũ & principem Aristotelem, præclarè & propè divinè monentem, in iis quæ sensilia sunt, non rationẽ, sed sensum (quippe judicem omni exceptione majorem) esse consulendum; Qui etiam, neglecto sensu, rationem quærere (quando disputat contra eos, qui omnia dicebant moveri. 8. *Phys. 8. t. 22.*) imbecillitatem mentis meritò censet: & absurdũ, præter rem imaginationi seu rationi credere. *3. Phys. t. 37.* imò insaniâ amplius, contra evidentiam opinari. *1. de ortu & inter. cap. 3. t. 59* Sensu enim constat & experientia, seu testimonio indubitato, & factum esse aurum, (nam de hoc potissima lis est) & factum esse ea arte, quam norunt Artistæ, profitentur Sophistæ, fraude ea, quam multiplicem (sex enim & triginta ejus species recensentur) ex Riceni Thrasibuli admonitione, *ad calcem suæ Confess.* bene docet Henric Khunradus. Et quoniam hujus jam facta est mentio, non abs re duxi, ex admirandæ diligentiæ ejus Amphitheatro ipsamet illius verba hîc adscribere, ut quanta & quàm ampla Experientiæ, de qua dixi, vis sit atque potestas, omnes intelligant. Hanc ille certè & meritò in hujus pugnæ acie collocat prima, præferens eam Rationi, Sapientibus Naturæ Dei, Mentis-igniculis, Naturæ parenti, Consensui typico, Potentiæ & voluntati Dei.

Experientia vis.

Tot enim argumentis utitur, quibus Lapidem esse demonstrat. Sic enim *ait Fig. 3. Amphitheatri:* Lapis philosophicus est. Hunc enim rerum experientia, omnium etiam sola sufficiens magistra, infallibiliter attestatur: cui refragari nónne esset plus quàm stultum; Hunc (ab aliis tamen præparatum) virtuosè efficacem vidit & Pontifex Romanus & Cæsarea Majestas. viderunt & Reges Orbis terrarum non pauci: nec non Imperij Romani Electores nonnulli. viderunt & Principes aliquot, Comites, Barones, Nobiles, & propter virtutem & doctrinam à Nobilibus proximi Doctores: imò ex omni gente, Judaica, Ethnica & Christiana, statuque ac ordine passim, multi tam Ecclesiastici, quàm Politici; literati pariter atque illiterati, oculis (obstupescentes Naturæ per artem miraculo) viderunt, manibusq; tetigerunt suis. Sciens loquor. Hos omnes voco testes. tu Physico-Chemiæ-mastix eos interroga, in subsidium veritatis, veritatis amantes. Rem ita habere testabuntur lubentes. Sequitur ratio. de qua priusquam agam, pauca aliorum efferam exempla, præter illud Johan. Andreæ (*in addit. ad Speculat. Rubr. de Crimine falsi*) Cujus mentionem facit Pancirollus. Qui enim plura volet, petet ab Artificibus, Gebro, Hermete, Comite Bernhardo, aliis; inprimis *Roberto Vallense*, qui ex professo scripsit de Artis hujus Certitud. & Antiquitate. Henr. Cornelius Agrippa *libro 1. de Occulta philosoph. c. 14.* affirmat. Spiritu auri, aut potiùs ejusdem formâ & parte puriore, imperfecta metalla & argentum vivum in argentum verti posse, seq; id vidisse & novisse. Johan. Franciscus Picus *lib. 3. c. 2* de Auro plurima recenset, quæ quantum potero, in pauca contraham. Obiit (inquid) ante paucos annos Nicolaus Mirandulanus, Sacerdos ex Minorum ordine, senex, nobis notus, integer vitæ, &c. Is & Bononiæ argentum, & Carpi aurum fecit ex ære,

Exempla.

Nic. Mirandulan.

Panciroll. lib. 2.

mul-

multorum testimonio. Fecit & Hierosolymis, ubi multos annos versatus est: ubi ipsum aurum fecisse, vivit adhuc qui contestatur. Præterea fuit inter Mortales ætate nostra Apellinaris, ex ordine Prædicatorum Sacerdos, boni nominis: qui non dubitavit amicis affirmare, se modos plus viginti constanter tenere, quibus verum aurum conficeret. Romæ publico in templo scriptum erat: *Auri ex plumbo collectori.* Fuit ante paucos annos Venetiis, qui publico multorum Nobilium virorum testimonio, ex re parvula, quæ nec piperis gravi quantitatem excederet, magnum satis auri pondus ex vero argento fecerit. Fuit in ditione mea, qui tribus testimoniis ex re tritici granum æquante, argenti vivi unciam vertit in probatissimum argentum: atque unum ex his, qui viderunt, cùm aloquerer, audivi dicentem; se diligenter conversionem inspexisse, colorisque cinerei fuisse Medicinam. Vivit adhuc vir mihi notus & amicus, qui plus sexagies suis manibus, ex rebus metallicis aurum & argentum confecit, me præsente; nec una tantùm via, sed multis, id est consequutus. Vidi in confectione aquæ Metallicæ, in qua nec argentum nec aurum, nec sulphur, nec hydrargyros poneretur, ex insperato simul aurum & argentum generatum. Vidi aquarum vi ex ære argentum extrahi. Est alius, cui quoties libuerit, suis ex furnulis promitur aurum, quod publicis officinis pro purissimo vendit: cui satis amplæ sunt opes, & cæt. Vivit adhuc, cui non desunt opes, cujus manibus vidi æs conversum in argentum & aurum, succu quodam plantæ. Quidam inops monstrata sibi in somnis aqua, aurum fecit: qui item ferrum bis in aurum vertit: ex auripigmento ter quatèrve fecit. Vidi alium, qui duobus modis in verum argentum mistum auro vertit argentum vivum. Vidi ex Cinabari, adjectis quibusdam rebus, excluso auro & argento, simul aurum fieri, simul argentum. Vidi ex mera Cinabari olei cujusdam simplicis admistione, aurum & argentum, sed parvi momenti fieri. Vidi sæpenumerò hydragyron, qui erat ex plumbo & ære detractus, in argentum & aurum transformari. Superioribus diebus & oculis vidi, & manibus contrectavi aurum, quod me inspectante factum fuit, ex argento, trium circiter horarum spacio, nulla prius facta argenti mutatione, nec in hydrargyrum, nec in aquam. Vidi non semel minùs decima parte horæ disjici metallum, sic ut sulphur alta petierit; hydrargyros ima. Vidi, prioris metalli formâ prorsus abolitâ, subitò novam, id est, auream, solertiâ artis imponi. Ego seorsim aurum, seorsim argentum diversis granulis effici uno eodemque pharmaco; itemque simul & aurum, & argentum eodem tempore, eodemque pharmaco sæpenumerò sum intuitus. Hæc Picus. quibus similia multa leguntur apud H. Rubeum *lib. de Destillat. Sect. 4. c. 1. & 2.* Libavium *lib. 2. Alchym. tractat. 1 c 19* Robert. Vallensem *loco citato.* qui etiam hæc habet Alexandri Imperatoris, in epistola quadam ita scribentis: Homo noster antiquus est Draco noster. Ille comedit caput suum, „ cum cauda sua. Et caput & cauda est ani- „ mus & spiritus: & anima & spiritus sunt „ creati de luto: & hoc ex Oriente & Occi- „ dente per expellentem nocumenta. Non „ mentior. quia quod dixi, vidi in civitate. „ Fernelius *lib. 2. de abditis rer. causs. cap. 18.* ex professo de veritate & ratione artis testatur in hæc verba: Non olfeci modò (de Lapide philosophorum loquitur) verùm etiam de hoc non parùm fortasse degustavi, lucro fœnoreque maximo, ut qui eo studio verum comprobaverim, quod fabuloso figmento haud absimile

Apellinaris

simile putatur. Dicam vestro hortatu non solum thesaurum deprompturus, sed edocturus, quàm verè subsistat. Lapis philosophicus, Elixir Arabibus, gignẽdi propagandique auri verum semen, nonè sulphure, argento vivo, alio; sed solo ex auro eoque purissimo quærendus.

Lapidis philosophici materia.

Hordea cui cordi, demum serit hordea, ne tu
Nunc aliunde pares auri, primordia, in auro
Semina sunt auri, quamvis abstrusa recedant
Longius, & multo nobis quærẽda labore.

Augurellus.

Maxima vis seminis oleo quodam inhæescit, atque id quidem in cæteris inflammari cremarique potest: qua ex caussa id nullius ignis ardore torreri absumiq; potest, & omnem artis vim tolerat:

—uni quoniam nil deperit auro
Igne, velut solũ consumit nulla vetustas,
Ac neque rubigo, aut ærugo conficit ulla.
Cuncta adeò firmis illic cõpagibus hærẽt.

Fecundum autem id semen sic eruito. Auri purissimi uncias duas, argenti vivi magno artis studio præparati decuplo permisce, igneq; languido dissolve, dum argentum vivum prorsus exspiret, pristinumque auri pondus subsideat, in atrum pulverem redactum: qui tamen liquatus possit in propriam auri naturam redire. Ex hoc dein pulvere igne acerrimo vaporarii aquam continenter elicies, dum pulvis totus in cinerem candidissimum, & in calcem devergat. Calcem septies aquâ resperge, quæ & toties exspiratione inde prolecta sit: omniq; arte elabora, ut hæc impulsione & incursione crebra sese extenuent, & ab omni sorde feceque purissima reddant, vires consecuta summas. Hæc duo sunt totius artis operisque conficiendi primordia, &c. Qui ænigmate hæc contexerunt, hanc aquam appellant *Argentum vivum*, *Calcemq;*, *verum Sulphur*, quorum permistione lapis fit, ut ex aqua farinaque panis. Opus autem postremnm ut compleas, calcem puram, obturato vase, reconde equino fimo calente, diebus 40. dum in humorem album liquescat. In hunc justis dierum intervallis aquam sensim infunde, eâ quidem viâ & ratione, quam artis periti abundè explicarunt, ut Calx aquam suam omnem sensim combibens, quasi illic enutrita in lapidem verum concrescat. Hic *thesaurus* immensus: hoc verum *Elixir*, hoc frugiferum *auri semen*, cujus drachma si in ducentas quinquaginta liquari plumbi aut stanni drachmas infundatur, id universum in aurum purissimum converteret: Imò etiam, ut cum Augurello loquar;

Ipsius ut tenui projectâ parte per undas
Æquoris, argentum si vivum tum foret æquor,
Omne vel immensum verti mare posset in aurum.

Hæc Fernelius. quæ ut vera non sint de Universali lapide; satis tamen, si de particulari. Recentissima exempla si desideras, pete ex Ewaldi de Hoghelande historijs nuper Coloniæ excusis, Anno 1604. Adeò autem clara veritatis hujus lux est, ut ex ipsis adversarijs aliqui eam non diffiteantur. Narrat Cardanus *libr. 6. de Subtilit.* coram Principe & Senatu Urbis Venetæ argentum vivum in aurum fuisse conversum à pharmacopola Tervisino. Et cur tot præstantes viri diversarum gentium, tot tamque præclara de hac arte edidissent volumina: an in nugis suæ famæ & gloriæ præsidium apud posteros quærebant Sunt? Ægyptii, sunt Arabes, sunt Chaldæi, Germani, Hispani, Angli: quos quis enumeret; Agricola certè eorum & numerum & studium admiratur, quamuis transmutationis adversarius. Sic enim *in præfat. Rerum Metallicarum*: Quò minùs multi sunt, aut, qui de re metallica

Chymicæ artis scriptores.

tallica scripserunt, eò magis mihi mirum videtur, tot exstitisse Chymistas, qui composuerunt artificiũ de metallis aliis in alia mutandis. Multos Hermolaus Barbarus, homo dignitate generis & gradus, & omni doctrinarum genere ornatus, nominatim protulit. Ego plures proferam, sed insigniores tantùm. Delectum enim servabo. Itaque χρυσᾶλκα scripsit Osthanes, Hermes, Chanes. Rosinus Alexandrinus ad sororem Theosebiam, Olympiadorus Alexandrinus, Agathodæmon, Democritus, Orus, Chrysorichius, Pebichius, Comerius, Johannes, Apulejus, Petasius, Pelagius, Africanus, Theophilus, Synesius, Stephanus ad Heraclium Cæsarem, Heliodorus, ad Theodosium, Geberus, Callides Rhachaidibus, Veradianus, Rhodianus, Canides, Merlinus, Lullius, Arnold. Villanovanus, Augustinus Panthes Venetus: fœminæ tres, Cleopatra, Virgo Taphontia, Maria Judæa. Atque hi Chimistæ omnes orationem solutam usurparunt, præter Joh. Aurelium Augurellum Ariminensem. Quibus si annumerarem Recentiores, Deûm immortalium, quantus exstiturus esset testium numerus; Laurentius Ventura *libr. de Arte Chymica* gloriatur, se 250. volumina in nobilem Bibliothecam Illustrissimi Comitis Palatini intulisse, & præter illa, quinquaginta adhuc alia habere. In judiciis, ubi de censu, capite, fama agitur, duobus aut tribus testibus, tam lege divina, quam civili credendum est, & ita difficiles sumus erga viros tot doctissimos, & integerrimos, quorum scripta prostant, propter paucorum ratiunculas, quibus toties responsum est: universè quidem à Gebro, Ventura, Petro Bono Ferrariensi: Nominatim autem Quercetanus creditissimè respondit Auberto: Erasto Mufettus, Severinus, Rubeus, Penotus, & Gasto Claveus subpræses Nivernensis, in doctissimo libello, qui inscribitur Apologia Chrysopœiæ & Argyropœiæ: Omnibus Libavius in Syrraxi sua Metallica altera; Alexandro Carrerio Patavino Thesi 46. Erasto Thesi 93. Fenetto Thesi 98. Scaligero Thesi 106. Auberto cum Fenetto Thesi 107. Moguntinis Baccalaureis Thesi 116. Cardano 119. Solus restat Thomas Moresinus Scotus, qui nuperrimè ausus est resumere caussam Auberti adversus Quercetanum *libro de Metallorum caussa & transmutat.* Sed qui & hunc compescat, forsam in mundo erit. Omnes certè in eo conveniunt, nihil contra rectam rationẽ committi, si ea, quam dixi, statuatur, transmutatio: pro quâ confirmandâ, infinita propè ab illis adducuntur, sed quæ hujus loci non sunt.

... mica ce- ... defensores ... ...ium ...as.

Cæterum etsi ex iis, quæ diximus, satis probabile sit, ne indubitatum dicam, Artem illam certã esse: (Aurum enim, quod sic paratur, omnes in quovis examine retinet proprietates, colorem, cæteraque accidentia substantiam auri sequentia) non ideo tamen & consultum videtur, ut nos Mari huic adeò impetuoso committamus. Hoc enim testat ad Pancirollum annotandum: qui Artem istam vix uni compertam arbitratur; plurimos eâ ad paupertatem redactos affirmat. Nimirum adeo difficilis est acquisitio tanti boni, & est Lapis Philosophorum, non Cerdonum aut Rusticorum. Præclarè Rogerius Baccho: In quib. Deus magnam virtutem posuit, in iisdem etiam magnam difficultatẽ collocavit. Difficultates istas Alchymiæ singulari libro exposuit Theobaldus Hoghelande, quam & anteà laudavi. Sunt a. hæ tum in discendo, tum in exercẽdo. In discẽdo aliæ à discẽte, aliæ à docentibus illbris. Discẽs à Deo donũ hoc petẽdo impetret oportet: & ut possit, ipse sese præbeat timentẽ Dei: à peccatis abhorreat: humilis sit: prudẽs: doctus: Latini sermonis peritus: Philosophus: Naturæ principia sciens

Difficilia quæ pulchra.

Alchymiæ difficultates. 1. in discente.

ſciens: laborioſus & induſtrius: conſtans: non iracundus: patiens: liber: vacuus à curis: ſecreti tenax: abſtinens à Sophiſtis: nō prodigus: non avarus: cautus in declinandis Diaboli illuſionibus: ſufficienter locuples: librorum copiam habens: ſtudioſus: faciat experimentum: ſanus, hoc eſt, corporis, animi & fortunæ bonis instructus. quos raros eſſe ſuo damno, docet parte prima. At major eſt, quæ ſequitur, propter libros, ex quibus petenda ars, intellectu difficiles. Vel enim ars in ijs diſperſa eſt: vel involuta ænigmatibus, allegorijs, & ſimilitudinibus, tum ab Elementatis, homine, animalibus, eorumq; partibus vegetabilibus, figuris, gemmis, metallis & metallicis. tum ab Elementis, diſſimilitudinibus, æquivocationibus, contradictionibus, nominibus inuſitatis, characteribus, literarum tranſpoſitionibus, pravis tranſcriptionibus, ſtyli varietate Impoſſibilibus. Parte tertia explicatur difficultas, quæ oritur in exercitatione, tum ex parte materiæ, quæ ut fundamentum operis aſſumenda: tum ex parte regiminis, quibus inſtrumentis tractanda. Ubique incredibilis obſcuritas & perplexitas, ut dictum etiam parte ſecunda. Hæc hæc illa, non autem (ut putatur) artis incertitudo, cauſa eſt, quòd adeò multi, & tantùm non omnes, qui huic arti indulgent nimium; non ſolùm oleum & operam; ſed & divitias, imò valetudinem & famam perdant: ut meritò dicere poſſimus cum Hieron. Rubeo, *lib. de Diſtillat. ſect. 4 cap. 2.* Eos in ſe mirabilem, quam in Metallis non efficiunt, experiri μεταμόρφωσιν; & cum Democrito Phalereo, quod capiendum illis erat minimè hos capere: amittere, quod poſſidebant. Hæ difficultates ſunt acquiſitionis & incommoda: At longè difficilior eſt adeptæ fortè poſſeſſio: nunquam certè tuta profeſſio: quæ ferè Sophiſtarum, nunquam Sapientum eſt.

2. Indocentibus.

3. in exercitatione.

Præſto enim ab aliis ſunt inſidiæ, & mille pericula, quæ expertus eſt à Toparcha Picolomineo Bragadinus; deteriori tamen hinc conditioni reſervatus, ut ait, parte 4. hic auctor. Poſſent Bragadino acceuſeri exempla recentiora fortunæ non diſſimilis ejuſmodi Sophiſtis dignæ, præſertim quæ dedit Illuſtr. Dux. Wirtenbergicus: ſed quia ea in ore omnium ſunt, ad autorem illum redeo: & ex eo colophonis loco adiicio carmen non inelegans, quando eo hæc omnia ſummatim, ſtatim à principio complecti voluit ad lectorem. Ita enim de ſuo libro eum compellat:

Bragadinus.

Non tibi, Lector, opes Crœſi, non vellera Ponti
Aurea promitto, nec verbis fallere quēquam
Fucatis quæro, potius ſed vera profari.

Sic poſtea ſubjungit:

Chemiam vita, ſi mentis cura quieta
Eſt tibi. Namque parum lucri, ſed damna, reiq;
Proluviem, morboſque adfert; nimiumque ſenectam
Accelerat triſtē; nec famæ parcit honeſtæ
Cultoreſq; ſuos ſub inani nomine gazæ
Quærendæ ludit miſeros, ſanabile nunq̃
Infligens vulnus, quo læſus, pectoris imo
Suſpirans: fluxas deplorat tēporis horas.
Artis at hæc minimè, qua non præſtantior ulla
Culpa, ſed artificum eſt, hæc qui myſteria tentant
Prædari & clauſas naturæ irrūpere portas.
Qualis ſacrilegus, juris contēptor & æqui,
Periurus, latro, mœchus, fraudator, avar⁹.
Stultus & imprudēs, & quos Eccleſia telo
Sancta petit crimen propter, ſcelus atq; nefandum,
Fur, rapiens res alterius, quē cæca fatigat
Ambitio, cogitq; inſomnes ducere noctes,
Et ſua profundens nimium, vulguſq; profanum,

Hostes Naturæ cuncti, quos odit & arcet
Hæc ars non facilis, quamvis per vota vocetur
Quin etiã blandè seductos ridet, & auro
Privat, quo poterant felicem ducere vitã,
Contenti tantùm propriâ si forte fuissent
Fœdos substituens fumos, tetrosque vapores
Argenti vivi, Carbonum & Sulphuris usti;
Queis inimica luant condignas corpora pœnas
Illorum, temerare manu qui sacra penẽtis
Audent Naturæ turpi, digitisq; nefandis.
Nec tamen his contenta malis: sed & insuper addit
Pauperiem, cunctis vitatam, animique dolores
Perpetuos, stultæ nec non ludibria plebis.
Doctos atque pios hæc contra amplectitur ultrò
Prudentesq; fovet gremio, portasq; patẽtes
Ostendit, auctiq; manu, penetralibus imis
Sepositum monstrans thesaurum, & sumere mandans
Quantumcunque velint, ceu præmia grata laborum,
Et fructus studiis meritos, si fata Deusque
Annuerint. si non, salvos permittit abire
Corpore, nec rebus lasos, animiq; potentes
Gaudẽtes Christo grates persolvere dignas,
Qui bonus avertit, poterant quæ fortè nocere.

Quippè cùm toties & tam anxiè à tam multis ingens illud Bonum, quod Ars ista pollicetur, fuerit indagatum: at rarissimè à quàm paucissimis invẽtum: ut non desint, qui Chimistas subiiciendos esse existimẽt acerbæ illi Agenoris Sidoniorum Regis legi, qualem Cadmo filio ipse præscripserat, ne nisi inventâ sorore, unquam rediret: Itaque aut inveniendam, aut pereundum esse. Nec verò animus mihi est, singula, quæ in Artis hujus cultores indifferenter quidem, jure tamen in circulatores illos, aliosque ejus farinæ passim evomuntur, hîc recensere. Miror tamen, ipsum etiam Jul. Cæs. Scalig. affirmare non dubitasse, *Exercit. 23 ad Bardan* se Chymistas odio odisse plus quàm Vatiniano. Sunt enim (inquid) Noctuæ ad aucupia crumenarum, à quibus aurum, quod posteà pollicentur aliis, sibi captent priùs. Hinc Alchymiam Philipp. Melanch. Sophisticam quandam imposturam nominabat *in explic. Evangelii in festo Epiphan.* Petrarcha, mentiẽdi & fallendi artem, *lib. 1. de remed. utriusq; fortunæ dial. 111.* Peucerus eo amplius, etiam Dæmonis præstigias dicebat *in divino Divinat. tract.* Nec enim, si eidem Petrarchæ credimus, ex Alchymia ulli alii successus sperandi sunt, præter fumũ, cinerem, sudorem, suspiria, verba, dolos, ignominiam: quib. inopem nunquam ad divitias evectum, multos à divitiis ad inopiam redactos sæpe vidimus. Notatumq; est, aliquos cæteroquin prudentes, hac insania laborare: quosdam opulentissimos hac vanitate consumtos, dumq; opulentiores fieri student, & fœdo quæstui inhiant, benè parta prodigere, censuq; omni in supervacuis effuso, tandem necessarijs etiam fuisse destitutos: nonnullos deniq; amissis primùm animi luminibus, in hoc exercitio corporeos insuper oculos amisisse. Magna quidem promittunt Alchymistæ: sed ea sibi præstare debebant, quæ promittunt aliis, primamque suam pellere inopiam. Est enim ferè mendicum genus hominum: cumq; se pauperes fateantur, ditare alios volũt: q. aliena illis, quàm propria molestior sit paupertas. Adversus has fuliginosas Chymicorũ fallacias exstãt Natalis Comitis versus non ineruditi *lib. 2. Mythol. c. 4.* quos ut apponerẽ, ipse mihi Cynthus aurem vellit, & admonuit:

Ars fallax, invisa bonis, dulcedine captos
Iucundè ut perimis! de mentibus improba Siren.
Naturam superare putas te posse per ignẽ
Stulta

Agenoris lex.

In Chymicos.

Stulta, quid insanis? te longis passibus illa
Deserit, ac tandem nil perficis, illa colorũ
Te fallit, rerum te fallit mille figuris
Sic fertur Protheus se in multas vertere formas,
Cum fieret serpens dirus, cumque unda, vel ignis.
Vris opes, properans quas fumus portat in auras.
Inde ardens miseris torquet præcordia virus,
Exitialis amorque auri, sæviq; dolores,
Quos semel insana fallacia ceperit artis.
Occupat hac nulli misero vesania mentẽ,
Ne ꝑ peccatis hominũ Sator atq; Deorũ.
Supplicia, ingentesque paret mox sumere pœnas.
Mendici fiunt, semper caligine barba
Squalet, & immodico turpantur pallia fumo.
Et nova quærentes semper mendacia, jactant.
Defecisse sibi vires, ubi nova reperta est
Mercurium ratio qua possint sistere in aurum,
Ad notos homines inde hæc cõtagia serpũt.
Si quonquam arripiant, qui stultas præbeat aures,
Non prius effugiet, quàm & sit perpessus eandem
Fortunam, scopuloque ratem confregerit uno.

his accinunt de Alchimiæ obscuritate sivè futilitate concepti rythmi Germanici antiqui, sive receptum quod Medici vocant, exhibitũ nobis à Domino Georgio Remo JCto *in Notis ad Themistij orat. pag. 181.*

Nimb das ich weiß nicht was/
Thue es do ich weiß nicht wo/
So wird es dann/ ich weiß nicht wañ/
Blase drauß/ biß nichts bleibt im Hauß

Nec possum non apponere hoc loco illud Italicum

Sono sei cose; che atqui sta
Il pazzo & matto Alchemista
Fatti che, fumo fame,
Fetore friddo & fune,.

Ab Hippolyto Guarinonio recitatum, atque ita Germanicè redditum *lib. 6. de abominatiõe desolationis generis humani. c. ult.*

Sechs Stück thũ auß Alchemey folgẽ:
Müh/ Rauch/ Hũger/ Gstanck/ Frost/ vnd Galgen.

Et paulo post sequentes adjicit rythmos:

Ein Betrug der gantzen Welt
Ist wahr/ vnd hat noch nicht gefehlt:
Wol dem ders glaubt/
Vnd nicht drauff baut/
Dem wird nicht leicht geschehen
Daß er sein Leyd
An statt der Frewd
Zur letze muß ansehen.

Sed quid de his statuendum sit, æquus æstimabit Lector. Equidem ne litem hanc meam faciam, censoriam hîc virgulam adhibere nolo: sed ad subsequens caput progredior, amantissimum interim lectorem & artis aurifactoriæ cupidum, ad Martinum del-Rio Jesuitam, qui *libro 1. disquisit. Magicar. cap. 5.* rem omnem per quæstiones aliquot breviter & dilucidè examinat, remittens.

DE DESTILLATIONIBUS TIT. VIII.

Destillatio inventa est Imperio Romano jam constituto. Credibile est, eam in ipso Alchymiæ exercitio simul excogitatam. Sunt qui dicant, Medicum quendam, cum in mensa patinam caulibus plenam haberet, subito vocatum ad ægrotum invisendum, patinam istam aliã cooperuisse, deinde abijsse: reversum verò, superiorem patinam humectatam reperisse: atque hinc animadver- Destillationis origo

advertentem facilem fore humorum extractionem, eo ingenium intendisse, ut Destillationis initium inde fecerit. Hunc alios sequutos, artem istam excolendo perfectam reddidisse. Est verò ars ea in primis utilis: ex qua etiam Aqua vitæ promanavit, oleum Cinnamomi, & alii liquores innumerabiles, & maximi effectus. Sic evenit; ut omnes illæ aquæ Cichorea, Cappari, & herbis aliis, quæ ægrotis propinari solent, hodiè destillentur: cum antehac coqui saltem, & decoctæ ægris dari consueverint.

Utilitas.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Destillatio.

QUid destilllationis nomine aliâs intelligatur, supra vidimus ex Ruben. *lib. de Destill. sect. 4. in proœm.* Nunc adhuc pressius accipitur pro ea Chemiæ parte, qua elevati halitus & vapores resoluti in aquas aut olea, quorum usus est in Medicina hodiè frequentissimus. Hujus artis paulò latiùs sumtæ ambitum, & rationem his verbis eleganter describit Fernelius *libr. 2. de addit. rer. caus. c. 13.* Fusilis, inquit in persona Bruti, & metallicæ illius philosophiæ τῆς χημείας beneficio ex unoquoque tum stirpium, tum viventium genere substantias elicui planè varias: primùm quidem aquam, eamq; uberiorem, si stirps virebat; Parciorem, si arescebat. Deinde oleum, non id quidem pingue ac sordidum, quale pressu ex amygdalis & ex plerisq; seminibus trahitur; sed artis præstantioris opus, quod tempore nec rancescat nec facilè corrumpatur. Id autem duplex; Unum tenue & albicans: Alterum siccius atque rubens. Postremò fecem terrenamq; substantiam, subsidentem instar cineris atri & exusti. Hac dissolutione conabamur miris artibus ex unoquoq; corpore quatuor illa rerum primordia, quæ ortu Natura permiscuerat, sejungere: Aquam in concreto vapore, Aërem in albicante oleo; in rubente Ignem; in fece Terram. Cæterùm neutiquam præstare licuit, ut ex ijs quicquam prorsus simplex purumque secerneretur; quòd, ut inquit Augurellus,

Fius descriptio ex operibus quæ sūt.

Aqua.

Olea.

Quæ miscet Natura potens, cōfundit eodem
Haud ars ulla potest prorsus disjūgere.——

Quanquam autem secreta hæc simplicia non sunt: puriora tamen, quàm in permistione elucent, iisque ignis beneficio non parum sordidæ materiæ ab Elementis cōtractæ decessit. Quocirca si quæ densandi, astringēdi, corroborādi, detergēdi, aut aliæ à materia vires incrāt in composito, hæ in secretis illis minore sunt efficatia. Jā verò totius substantiæ proprietatem nusquā seorsim puram consistere deprehendimus: sed in singula illa etiamnum secreta penitus immergi: Infirmiorem in aqua, quæ præsertim è stirpe viridi proliciebtur: ea quippe humor exuberat alimentarius, nondū stirpis vim omnem ac proprietatem adeptus. Efficaciorem in oleo, multoq; in rubente quam albo: illud siquidem & odore & sapore totius substātia referens, propria sedes dignoscitur insiti spiritus & caloris, in quibus proprietas tota subsistit, foveturque. A fece terrena, & ab aquoso humore, quasi ab impurorum Elementorum vinculis vindicatum oleum, purius quidem evadit; perinde atque venarū sanguis ab alvi fece nonnihil etiam occultarū virium manet, quod & arte eximi potest. Fex uritur, dum prorsus albescat, & in calcem redigatur, quæ certè proprio humore dissoluta eximiis virib. præcellit. Ad verò qui neglecto quatuor substantiarū direptu quidpiā secernere student, in quo maxima sit proprietatis efficacitas, & illa, quæ multis dici solet

let *Quinta Essentia*; primùm è re subjecta aquam lento vaporario prolectant: hac deinde feces respergunt, ut secundò humorem eliciant: sicque septena respersione & exspiratione feces torreri non sinunt, & ex his vim facultatemque omnem exhauriunt, aquæ maximeq; assidenti oleo innixam, quæ ad multa utilis accommodataque sit. Quin etiam exceptas aquas vase Pelicani effigie, multa agitatione anfractuque longo circulantur, quo hæ vires sortitæ efficacissimas, in Quintæ illius Essentiæ naturam vix ulli corruptelæ obnoxiam facessant. Hæc Fernelius. Quæ si nondum satis præstantiam & rationem hujus artis ostendunt, eam cognoscas licet ex Joh. Baptista Porta *Magia Natural. lib.* 10. in cujus proœmio Destillationem & Neotericorum appellat inventum, & rem miram, ultra mortalem sortem laudandam. Docet enim (ait) hæc ars admirabilis, ut gravia corpora fiant Spiritus, & subliment, & Spiritus crassescant, & corpora evadant. Rerum vires, quæ mole obrutæ, conculcatæ, suis veluti in loculis delitescentes, puriores, tenuiores, & absque ulla impurioris materiæ accessione è plantis, metallicis, lapidibus, & gemmis elicere, easque veluti non sua sorte contentas, nobiliores in sublime educere, ac veluti in cœlum sustollere poterimus, itemq; Chymisticis organis plantarum virtutes investigare, & melius quam veteres gustu. Quid igitur majus poterit excogitari? Naturæ est res producere, ac viribus dotare: artis est, productas nobilitare, ac multiplicibus viribus ditare. Pōtest hæc Destillandi ars aquas & oleum extrahere; item Esse, Tincturas, Elixires, Sales, & ejusmodi similia. Item Mistum quodammodo in elementa dissolvere, ac singula puriora reddere: varias & adversantes suas facultates separare, & elicere, ut ex voto uti possimus. Hæc ille. Quæ

Destillat. præstantia.

Panciroll. lib. 2.

autem ad Artem istam Universam pertinent, non tantum apud eundem Portam, sed ab aliis infinitis habentur exposita: à Recentiorib. quidem, Gesnero, Rubeo, Andernaco, Quercetano, *Severino*, Wekero, Langio, Dornæo, Aragosio, Libavio, Mufetto, Medulla destillatoriâ, Epistolis Cratonis & Zwingeri, Carolo Wittenstein, &c. post Veteres, Lullum, Philippum, Ulstadium, Paracelsum, Arnaldum de Villa nova, Hi enim non tantùm Aquarum & Oleorum; sed Essentiarum, Salium, Tinturarum, Magisteriorum, Elixirium, aliorumque infinitorum, non sola Destillatione, pressissimè sic dicta Pancirollo nostro de aquis & oleis; sed & pluribus aliis modis (qui omnes tamen ad solutionem & coagulationem, ut in transmutatione referri possunt) artificiosè factorum. Inprimis verò diligenter eos videbis expositos apud Dornæum in Calve, *lib.* 2. *cap.* [illegible] apud Libavium *in Epistolis Chym. lib.* 1. [illegible] *& com. part.* 1. *à l.* 3. Qui ad præparationes Medicamentorum accommodant omnia, variant. Alij enim, in quibus primas facilè tenet Cæsalpinus *li.* 2. *de Med. fac. à c.* 15. prima genera faciunt: Separationem solam, & Alterationem quoque, sub qua Destillatio propriè dicta, ad differentiam non solum etiam sublationis, in qua ex halatio in loco refrigerij non convertitur in liquorem, sed adhæret sicca, ut fuligo in caminis, Jacob. Zwing. autem *Exam. princ. Chy. c.* 6. ponit Alterationem & Corruptionem, sub qua Destillatio. Ad rem.

Nec verò summe delectatione caret Destillatio. Nam ut Hier. Rubeus ait *in Epist. Dedicat. lib. de destillat.* Artis istius cum Natura ludentis, ac potiùs, ut Zeno dicere consueverat, Naturæ artificiosè ambulantis miracula conspici jucundissimè à nobis possunt, dum varij ex aridissimis quandoque rebus destillantis humoris,

Destillat. oblectatio.

ris, halituumque colores prodeunt, perinde ac riparum vestitus viridissimi, ac prata florib. distincta, cœlumq; ipsum versicolore, sub Auroram, facie: præter quam quòd hinc quandoq; latè diffusam planiciem, quandoq; montes in ipsis vasibus videre videamur: sæpè liquores perlucidos animum, sæpè lacus, sæpè fontes. Species etiam se nobis objiciunt frugum, species arborum, quæ & fructus ferant: quarum præterea inductionibus Terris quandam quasi fœcunditatem damus, sic ut artis ope in rerum Natura ferè alteram Naturam efficere videamur.

Antiquitas. Cùm itaque tanta sit Artis hujus præstantia & suavitas: non immeritò de Antiquitate & origine ipsus dubitatum video. Verùm si ad nobilissimum philosophorum lapidem præparandum opus est iisdem operationibus: id quod omnes uno ore clamant: Antiquitatis jam confecta res est in superioribus; nec repeto. Sin aquas & olea hoc modo præparata considero; plus controversiæ invenio, Rubeus ait *lib. de Destillatio. sect. 1. c.4.* hanc artem ad sexcentos amplius annos durasse, cùm Rasis & Albuchasis de ea perinde ac de recepto jam & satis noto modo verba faciant, viri in arte medica celeberrimi circiter Annum Christi 1080. sunt tamen (inquit idem) inquibus Hermolaus Barbarus est, qui velit eam multò antiquiorem esse, ad ducti area quandam Atestino in agro reperta; in qua elementa à Maximo Olybio secreta, Plutoni sacratum munus visa sunt. Sed quoniam verumne sit an fictum ab aliquo, qui vasit in arca illa locatis, fidem hinc arti facere voluerit, nescio: neq; si destillatione aliave arte aut methodo fuerit elaboratum: idcircò nec rejicio, neq; affirmo: quanq̃ carmina illic reperta, antiquitatem sapere videntur. Hæc ille.

Præstat autem ex Petri Appiani Antiquitatibus. huc referre Patavii ante aliquot annos mirabile artis Alchimicæ argumentum inventum est. Urna fictilis arat his versibus notata:

Plutoni sacrum munus ne attingite fures:
Ignotum est vobis hoc quod in orbe latet.
Namq; elementa gravi clausit digesta labore
Vase sub hoc modico Maximus Olibius.
Adsit fecundo cupos sibi copia cornu;
Ne precium tanti depereat laticis.

Intra hanc Urnam reperta est minor alia: quâ apertâ quę ampullę inventæ sunt affabrè elaboratæ, altera ex argento, altera ex auro, purissimo quodam liquore plenæ, quo lucerna adhuc ardens per multa secula conservata putatur. Urnulæ inscripti erant hi versus.

Abite hinc pessimi fures;
Vos quid vultis vestris cum oculis emissitiis.
Abite hinc vestro cum Mercurio petasato caduceatoq;.
Maximus Maximo donum Plutoni hoc sacrum facit.

Hæc P. Appianus.

Langius *l.1. Epist. Med 53.* affirmat, usum stillatitij liquoris (de hoc enim præcipuè hîc sermo) Græcorum & Arabum Medicis esse acceptum: quippe ex Gręcis Actuarium ferè postremum, primum tamen àquæ rosarum meminisse hisce verbis: Stillatitii rosarum liquoris, quē Rhodostagma nominant, libra una cum Sacharo ferveat, donec evanescat. Ac inter Arabes Mesue (qui vixit anno Christi 1160. teste Bucholzero *ex Gassaro*) sublimationis aquarum absinthij & rosarum meminit primus: Aqua, inquiens, sublimationis absinthii, fit sicut aqua rosata & similia, quæ fiunt in vasis sublimationum. Sunt tamen qui Hipprocrati, Aristoteli & Galeno cognitam fuisse hanc artem censeant. Rubens loco allegato sententiã illam tribuit

Jacob.

Jacob. Antonio Cortuſo patricio Patavino: quam ibi refutat: ut & R. Lulli, qui ad Hippocratem argumentatur ex illo divino, quod fit in morbis, *1. Prognoſtic.* quod & de principiis & tota Medicina Chymica conatus eſt oſtendere Petrus Severinus Danus, in nobili ſua Idea philoſophica, potiſſimùm ex lib. Hippocr. *de veteri Medicina.* Hinc ſeſe oppoſuit Eraſtus *part. 3. ſuar. deſputat. adverſus Paracelſum* quàm feliciter, alij judicent. De Ariſtotele Melchior Guilandinus demonſtrare conatur *in tractat. de papyro, membro 6.* ex quodam problemate. Propè affirmare auſim (inquit) ſtudium artis Chymicæ apud Barbaras gentis antiquiſſimum fuiſſe, ad Romanos verò & Græcos derivatum tardiùs, præſertim cum Ariſtoteles quoque ejus meminiſſe videatur. Nàm 23. *Problem. 13.* quærens, cur mare potis ſit flammam emittere; aqua potabilis non item? cauſſam reddit, quia oleum arte ex ſale extrahi poſſit. Quod quidem oleum nemo niſi Chymica arte eliciet, etiamſi ſalem mille torcularibus quàm arctiſſimè comprimat. At Rubens *in dedic. l. de Deſtillatione,* extenuat hoc argumentum præ illo, quod de aqua ardente, ſeu Spiritu vini conjicit *ex 2. Meteorologic* quàm de mari. Sed & de cæteris, qui volet, conſulat Rubeum *dicto loco,* & Libavium *lib. 1. & 2. Epiſt. Chymic.* Hic enim ſparſim multa de hac diſſerit quæſtione.

Deſtillationis origo.

Reſtat origo, ſeu Artis occaſio, quam profectò ex ipſa natura magni & parvi Mundi hauſtam eſſe, evidentia ipſa docet: ut præclarè obſervavit idem Rubens *libr. de Deſtillat. Sect. 1. c. 1.* Nubes, pluviæ, venti, ſic fiunt in Magno mundo: Catarrhi in homine, Parvo mundo; ut Deſtillationes artificioſæ. In re familiari, culinâ præſertim, nihil eſt motius. At Pancirollus mavult petere ex furtuito illo Medici exemplo de patellâ. Cujus, ut & operculi cùm menſio hoc loco fieret, venit mihi in mentem frequentiſſimi illius Adagij, quo ſimile ſimili obtigiſſe innuere volentes, *Dignum patellæ operculum* acceſſiſſe dicere ſolemus. Atque eo quidem ipſum etiam M. Varronem uſum in Satyra, cui titulum fecit: εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα, περὶ γεγαμηκότων: id eſt *Reperit olla operculum de nuptiis.* Ita enim præſtantiſſimus Philoſogus & Medicus Hadrianus Junius *lib. 6. Anim adverſ. cap. 3.* Titulum illum reſtituit: qui, ut & alii in vulgus eo uſque deformati alioquin circumferuntur, ut plus vulnerum vel unus Varronis liber, quam Scœvæ apud Cæſarem clypeus tela prætulerit; plures ſordes contraxerit, quàm ſi ætatem in Camarina palude jacuiſſet. Cajum igitur Cajæ obveniſſe gratulantes, aut mordaci ſale Caſcam Caſco nupſiſſe inſimulantes, Dignum patellæ operculum obtigiſſe dicimus. Sic cùm nefandæ Veneris & puerilis amoris ſectatores, non ſecus atque Cinodi ipſi & pathici, plerumque calamiſtrati eſſent, & alendæ Comæ ſtudioſiſſimi: factum inde eſt, ut *Comati* per opprobrium dicerentur: tanquam huic iſtorum mollitiei Coma, dignum ſcilicet patellæ operculum acceſſiſſet. Hinc videlicet Syneſius Sophiſta ſcripſit, Cinœdos eſſe pueros omnes, qui alerent comam. Et apud Suidam eſt: οὐδεὶς κομήτης, ὅςις οὐ περαίνεται, aut πυγίζεται: *Nullus Capillatus, qui non ſubigatur.* Unde Martialis inter cætera, quæ ad pueri pulchritudinem faciunt, exigit, ut molles ei colla flagellent comæ. Quò ſpectat illa apud Horatium commendatio:

Dignum patellæ operculum.

Comati, pro mollibus.

—teretis pueri, longam renodantis comã.

Pueris autem iſtis Comæ tondebantur, uxores ducentibus Dominis, aut alioqui cùm ipſi jam exoleſcerent. quod interdum munus novæ Nuptæ obibant. Martialis:

Flammea texuntur Sponſæ: jam tæda parata eſt:

Tondebit pueros jam nova Nupta tuos.
Interdum Tonsores ad hoc peculiariter conducti: qui *Cinerarij* dicebantur, quod unum de Ministeriis eorum esse, calafactis in Cinere Calamistris torrere ac vibrare crinē: sicuti ad illum Catulli locum,

—— nunc tuum Cinerarius Tondet os,

Muretus rectè annotavit *Cinerarij* illi dicti & *Ciniflones*, ab eo, quod in cinerem stabant, ad cinerem calefaciendum, quo capillos crispabant. Calefactos enim acus & veruta subministabant ornatricibus. *Ornatrices* a. puellæ mulieribus comas exornabant, & crines disponebant, edoctæ artis Magistris ad hoc artificium, ut colligitur ex *l. legatis servis. 65. §. ornatricib. ff. de legat.* & pulchrè explicat Taubmannus *in Mostellaria Plauti act. 1. scen. 3. adverb.* Capillum satis compositum; *Acus* autem qua ornatrix, utitur *comatoria* Petronio, *crinalis* Apulejo dicitur, ut notat Titus Popena *de operis servor. verb. ornatrices.* Plautus *Curculione*, Calamistrum vocat, quo crispatur in annulos capillitium. Sicenim calamistro crispare comā *Iuvenalis*; & comam in gradus frangere *Plinius* dixit; vibrare ferro crinis, *Virgilius*; & ustulare candente ferro crinis *Pacuvius*. Sed & pueri illi meritorij, sive Cinœdi, ut internosci possent, etiam tunicas cum manicis gestabant, more mulierum: quæ si honestæ erant, insuper à meretricibus vitta, stola & in stira discernebantur. Docet hoc Tertullianus *libr. de Cultu Mulier.* Quid minus habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ, quas si quæ leges à matronis & matronalibus decoramentis coercebant, jam certè seculi improbitas honastissimis quibusque fœminis usq; ad errorem dignoscendi coæquavit. Quid enim aliud sunt matronalia decoramenta, quàm stola, instita & vittæ? quas Ovid. pudoris insigne appellat, cùm castam à scripto parum casto arcet:

Este procul vitta tenues, insigne pudoris,
Quæq; tegis medios instita longe pedes.

De meritorio verò puero, illud Plauti *in Pseudolo:*

Manuleatam tunicam habere hominem decet,

Justus Lipsius rectè interpretatur *libro 4. Antiq. lect. c. 8.* motus altero illo Plauti loco *in Pœnulo:*

Quis hic est cum tunicis longis quasi puer Cauponius?

& illo Scipionis Africani in Sulpicium: Qui in convivijs cum amatore cum *Chirodota tunica* accubuerit; eumne quisquam dubitet quin fecerit, quod Cinœdi solent? Chirodotis enim tunicis, quæ latinis vel manicatæ, vel manulatæ dictæ sunt, manicarum longitudo nomen dedit. Quod vestimenti genus probrosum fuisse, etiam Cœlius Calcagnin. notat. *l. 3. ep. 1. fol. 84.*

Parœmiam porrò istam in illum, quem dixi, sensum etiam usurpavit D. Ambrosius: Habeat quoque Jupiter (ait) comam, dignum videlicet patellā operculum, egregius ille stupri artifex; & prodigiosus luparum omnium insessor. Idem privilegium cedat Apollini, amatori non minùs strenuo, & in pathicos furiato. Neque abeat hinc asymbolus Neptunus, cujus libidinum fervorem marinæ undæ nullæ exstinguere potuerunt, quin in omne Nympharum genus effervesceret. Baccho deliciis diffluenti, semperque puero, & assiduè præter pocula aliud non tractanti, ocium non suppetijsse tollendæ comæ verisimile sit, propterea intonso semper. Egregiam vero laudem & encomium hinc reportent, Tyanæus, impostorum columen, &, si Diis placet, medicus Æsculapius, circulator & lucripeta summus: (talis enim à Cyrillo & Pindaro describitur) quem auri sitis & intolerandus fastus, quo supra hominem se gessit, excusent

Cinerarij.

Ornatrices puellæ.

Acus comatoria crinalis.

Calamistrū.

Manica.

Matronalia ornata.

Manuleati pro mollibus.

Chirodota tunica.

Rursum de comatis love

Apolline.

Neptuno.

Baccho.

Æsculapio.

cusent comatum. Eodem jure absolvemus Simonem, Magum illum insignem, & Christi plagiarium, quem etiam κομήτην, hoc est, comatum fuisse constat: & illum Divorum contemtorem Mezentium Virgilianum, cui comti tribuuntur capilli. Quibus addatur unoculus ille Polyphemus, laudans hirtas virili in corpore setas: ut tam huic, quam alteri illi fides fiat proverbio, quo dicuntur *labra similes habere lactucas*. Sanè in Capillatos & Comarum nutricones gravissima exstat D. Pauli reprehensio *1. Cor. 11. vers. 14.* Nonne, inquit, natura quidem ipsa docet vos, quòd Viro, si comatus sit, probro sit: cōtrà Mulieri; si comata fuerit, decori sit? eò quòd Coma pro velamine illi data sit. quam in rem plura videri poterunt apud Hadrianum Junium, in eligantissimo tractatu *de Coma:* præsertim verò *cap. 4.* Ubi præstare docet, cæduam fruticantium crinium sylvam tondendo resecare, quàm inutili Comæ alendæ studio divexari.

Simone Mago.

Mezentio.

Polyphemo.

Ad adagium porrò istud allusisse videtur Æneas Platonicus, summæ Philosophus integritatis: dum Euxitheum introducit Theophrasti commenta deludentem, qui dictitabat, animas relicto humano corpore, id genus bruta sectari, eisque inhærere, quorum opera visæ fuerint imitari. Nam ut Hyperbolum quendam impudentiæ notaret, inquit: Musca item trahet Hyperbolum, quippe par fuit utriusque impudentia: ac si diceret, Dignum esse patellâ operculum. Per Muscam enim hominem importunum & imprudentem hieroglyphicè denotari, Joh. Pierius docet *lib. 26.* Quantumvis etenim hanc sæpius & assiduè expellas, & à te submovere contendas: tantâ tamen est impudentiâ, ut identidem redire, & infestare te minimè vereatur, nullamque tuorum commodorum rationem habeat. Sive loquare, sive dormias, sive bibas, sive cibum capias, sive legat, scribas parata semper adstat, ut in faciem insiliat tuam, infestat, importuna, incommoda, nulli rei nisi fastidio de se concitando idonea.

Hyperbolus in Muscam.

Musca impudentia.

> *Quæ quamvis de pelle viri sit sæpe repulsa*
> *Assultat morsura tamen.*

ut est apud Homerum. Quo spectat Plauti jocus in hominem curiosum, & ad omnia advolantem, *Mercatore*:

> *Musca est meus pater, nihil potest illum clam haberi.*
> *Nec sacrum, nec tam profanum quicquam est.*
> *quin adsit ibi illico.*

Hinc apud Ciceronem *2. de Oratore*, ridiculè dictum de molestissimo. Juvene: *Abige Muscas puer*, quanquam frustrà, opinor & incassum. Nam & apud Athenæum Hegisander narrat, cum Alexander dixisset, se morderi à *Muscis* (sic vocabat *Parasitos*) jumq; conaretur illos abigere: Cinesias unus ejus ordinis, qui fortè aderat: profectò, *inquit*, aliæ muscæ siticulosæ magis urgebunt te, semel gustato tuo sanguine. Referente Erasmo *Chil. 4. cent. 7. adag. 43.* Unde muscam *sanguisorbam* scitè appellat Jul. Cæs. Scaliger, teste Taubma. *ad Epidicum Plauti act. 2 sce. 2 verb. exsugebo.* Mihi quidem herclè meditanti hæc & scribenti plus quàm molestæ sunt. Ideoq; *Myjagron* illum Muscarum Deum, cui ab Eleis ad avertendam pestem litarum legimus apud Plinium *libr. 10. cap. 28.* semper eis iratum imprecor. felicissimis interim deprædicatis Montis Carini Incolis: apud quos nullam omnino muscam comperiri idem Plin. prodidit *lib. 21. cap. 14.*

Parasiti Muscæ.

Myjager Muscarū Deus.

Nec verò absimile Parœmiæ isti est, quod adagij specie itidem usurpatur: *Vara sequitur vibiam.* quo Ausonius *in præfation. Technopægnij* usus fuit, cùm ita scripsit: Ut in vetere verbo est, sequitur Va-

Vara vibiam sequitur.

ra vibiam, similium nugarum subtexo nequitiam, &c. Quo loco vetus glossa Varam & Vibiam duas exponit perticas, inter se colligatas, quæ asserem sustineant. *Vara* igitur significabit perticam ab summo furcillatam: *Vibia* autem perticam transversam, quæ furcillæ illi imposita est & colligata. Quare si vara cadat, & Vibiam cum illa cadere necessum est: ut ex Vitruvio *lib. 10. cap. 19.* Joseph. Scaliger rectè interpretatur *lib. 1. Ausonian. lection c. 18.* Proverbium id quadrat in eos, qui cum uni vitio indulserint, deplorata omni verecundia & profligato pudore ad alia præcipites feruntur, quasi omni jacta bonorum alea. Cum quo planè convenit, quòd Hispanis in hoc sermonis genere argutis, familiare esse idem monet Scaliger. Eodem quippe sensu dicunt, *Funis sequutus est situlam*. Cùm enim situla decidit in puteum; & funis quoque, quo illa apta pendebat, sequitur, Nec dissimile his multum est, quod *similes habere labra lactucas* dicimus asello carduos comedente: & quòd *ipsa olela olla legere* dicitur, quod posterius proverbiali sententia Catullus usurpavit de Mamurra, quem ob nimiam libidinem, ad infamiam usq; Mentulam appellat, hoc disti ho:

Funis secutus est situlam.

Olla legit olera.

Mentula mœchatur, mœchatur Mentula: certè

Hoc est, quod dicunt, Ipsa olera Olla legit.

Dicitur proverbium in eos, qui, quod se facere oportet, faciunt: ut cùm libidinosus & salax scortatur & mœchatur; ebriosus potat. Olera enim in olla coquuntur: quæ, cùm eis repletur, ipsa legere videtur, id est colligere. Mamurra igitur Formianus, adulter & nequam, cùm mœchabatur, id faciebat, quod Nebulonem facere oportebat. Hadrian. Turnebus *l. 3. Adversar. c. 13.*

DE CAMPANIS TIT. IX.

Campanarū inventio.

1. Notatio.

Usus.

C*Ampanæ repertæ fuerunt circa annum CCCC. à Paulino Episcopo Nolano. † Est autem Nola Campaniæ oppidum, in quo Augustus vitam cum morte commutavit. Dictæ fuerunt* Campanæ, *quia in Campania inventæ. Dictæ &* Nolæ, *à loco, in quo primùm fuerunt factæ. Harum maximus usus est earum quippe beneficio horæ etiam procul audiuntur, sive noctu in lecto cubamus, sive interdiu ab horologio procul simus dissiti, sive etiam nubibus obductus sit aer. Anteà verò necessaria erat Clepsydra, ut supra diximus. Præterea invitant nos ad divina officia: exorto incendio auxilium poscunt: & cum ad arma deventum est, concilium Civitatis convocant: ut Scholares ad lectiones frequentandas; Judices ad jus Litigantibus dicendum; ac ut uno verbo dicam, omnes actiones publicas intimant: & sine his videri possumus, quasi deperditi.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Paulinus

Campanarum inventor.

VUlgaris error est, quo Paulinus Episcopus Nolanus, Divi Hieronymi æqualis, & sanctimonia vitæ spectabilis, primus in suam Ecclesiam Cambanæ usum invexisse creditur: quasi priori seculo ignotus ille fuerit. Verius namque est, Virum illum sanctissimum Gentilium sacrorum abusum correxisse, & ad pia munia transtulisse, ut nimirum ejus strepitu exciri possent semotius habitantes ed concio-

ciones precationesque. Cæteroquin enim iisdem, quibus hodiè usibus deputatas fuisse priscis quoq; seculis Campanas, Hadrianus Junius disertè docet *lib. 3. Animadvers. c. 11.* Nam, ut hodie etiamnum moris est, ita & olim si quis è vita excessisset, æra Campanæque pulsabantur, ut per vetus Theocriti Scholiastes annotat: quòd eo sono averti credebantur spectra & Dæmonum ludibria. Magicas certe incantationes Campanæ pulsu inhiberi, non obscurè indicat Tibullus, cùm ita canit:

Campanis spectra fugari credita. Magica incantationes inhibita.

Cantus & è curru Lunam deducere tentat,
Et faceret, si non æra repulsa sonent.

Æris enim tinnitu credebant fieri, ut ne magicorum carminum sonus ad Lunã perveniret; eamq; hoc modo laborantem adjuvari. Quo sensu accipio illud Statii Papinij, *Thebaid. 6.*

——attonitis quoties avellitur astris
Solis opaca Soror, procul auxiliantia gentes
Æra crepant, frustraq; timent.

Quanquam Junius locum illum de vi hostium ingruente intelligat, cujus indicium æris Campani tinnitu datum olim fuerit. Hinc Livius: Campanorum, inquit, multitudo cum æris crepitu, qualis in defectu Lunæ si ēti nocte fieri solet, edidit clamorem. Sanè deficienti Lunæ crepitum dissonum auxiliari, etiam Plinius innuit *lib 2. Natural. histor. cap. 12.* Idque Temeseo æri nominatim tribuitur ab Ovid. qui propterea æra dixit auxiliaria Lunæ: ut & Juvenalis.

Aera laboranti poterũt succurrere Lunæ.

Et manilius *lib 1.*

Seraque in extremis quatiuntur gentibus æra.

Cujus superstitionis eandem, quam nos, rationem adducit, & ex Ambrosio confirmat Hadr. Turneb. *lib. 22. Adversar. c. 24.* Laborantem igitur Lunam cùm dicunt, rubore eam præ verecundia suffundi intelligunt, quòd magico victa carmine cogatur cedere Seneca *in Hippollyto:*

Luna laborans.

Et nuper rubuit, nullaq; lucidis
Nubes sordidior vultibus obstitit.
At nos solliciti lumine turbido,
Tractam Thessalicis carminibus rati,
Tinnitus dedimus.

ubi Thessalicis carminibus, idem est, quod magicis: quemadmodum & per *Thessalam* mulierem, Statius magam, incantatricem & sagam intelligit:

——Thessala victrix
Ridet anhelantes audito carmine bigas.

qualis erat Philænis illa apud Martial. *l. 9. Epig. 30.* (rhõbo

Quæ nunc Thessalonico lunã deducere

Sciet? ubi per rhombum vertigo intelligitur magica, quam turbinem Horat. appellat *Epod. 19.*

Canidia parce vocibus tandem sacris
Citumq; retro solve, solve turbinem

Rhombum enim sive gurgillum, & instrumentum illud veneficæ filis involvebant, atq; iis impletum agebant in orbem. Theocritus *in pharmacutria:* ut vertitur iste turbo cæteris & Ovid.

Rhombus turbo.

——Quæ torto concita rhombo Licia.

Idque pluribus communit Rhaderus Jesuita *ad Martial. l. Epig. 3.* In Thessalia enim Magiæ studium q̃ maximè floruisse, vel iis notum est, quib. Apulej. non ignotus. In cujus Apologiam, qua se ipse defendit publico de Magia judicio, nuper in lucem prodiit Cõment. (doctus Jupiter, & laboriosus!) Viri Clariss. *Scipionis Gentilis IC.* quem si evolveris, Lector, magnam studiis tuis accessionẽ feceris. Atq; hæc superstitio (quãq̃ ne Anaxagoræ quidẽ persuaderi potuit, ut scriptum reliquit Laert.) ipsis etiam Christianis quandoq; adhæsit: adeò ut Divo Maximino causam dederit, seriò populum increpandi Homilia, quæ inter Divi Ambrosij exstat LXXXII.

Thessali magia infamis.

Scipio Gentilis.

Hinc

Hinc tamen receptum arbitror cur ronante cœlo campanarum boatu perstrepatur: quandoquidem illarum complosu aërem longè lateq; diverberante, vim tonitrui infringi sit creditum. quibus adde, quæ ex Papicularum sententia de campanarum usu & superstitione testatur Martinus del-Rio Jesuita *lib. 6. disq. Magic. c. 2. sect. 3. q. 3 fol. 221. seqq.*

Campana tonitrua infringunt.

Lacones, Rege defuncto, lebetes vice Campanarum complodere, solebant. Africani populi, & inprimis illi, qui regi Præstigani parent, *Campanis lapideis* utuntur. Judæi Tibicinibus utebantur, ut ex *Matth. 9.* colligitur. Ubi sospitator humani generis Christus, Scholarchæ filiam ex morte in vitam quasi postliminio revocaturus, Tibicines funeris deductionem præstolantes jubet facessere. Eundemque morem etiam alijs usitatum fuisse, Statius Papinius *libro 6. Thebaid.* indicat.

Campana Lapidea.

Tibia in funeribus.

Cùm signum luctus cornu grave mugit adunco.

Tibia, cui teneros suetum producere manes

Lege Phrygum mæsta.

quo loco etsi Statius Tibiam ad puerorum funera restringere videtur: proclivius tamen est, ut eam etiam inadultiorum funeribus adhibitam dicamus. Docet id Ovid. *1. Tristium.*

Tibia funeribus convenit ista meis.

Quanquam etiam dici poterat, Papinium eo loci ad originem respicere, & velle apud Phryges næniam ad Tibias primùm cantari solitam, in funere infantium. Phrygium enim id inventum fuisse, vel Catullus planum facit, qui ob id Tibiam dixit barbaram. Atqui *Barbarorum* nomine inter alia, & quidem inprimis Trojanos poëtis significari, Joh. Bernartius ad illum Statij locum rectè observavit: licet hac appellatione ipsos etiam Romanos quandoq; notatos fuisse, negari non possit. Alciat. *l. 6. Parerg. c 16.*

Barbari.

Planè Apollodorus in libro, quem *de Diis* inscripsit, Hierophantam, hoc est, Proserpinæ sacerdotem tintinnabulum sive nolam pulsare Athenis consuevisse scribit. quod jam antea & Mosaicus Sacerdos, Pontificio habitu gestare jubebatur *Exodi 28.* Ad imas enim tunicæ fimbrias aurea tintinnabula, malaq; punica alterna appendebantur, ut eorum sonitus, quotiescunque Pontifex ingrederetur egredereturve sanctuarium, exaudiri posset. Significabat id, oportere Sacerdotem vocalem esse; non quidem calumniando, & saniorem, ac needum satis cognitione perceptam doctrinam ad imperitum vulgus plenis buccis criminando, ut *Clamatoribus* illis, quos Philippus Melanchthon Europæ decus & ornamentum, ita appellare solebat, frequens & familiare est: sed eo ore Dei nunc docendo, nunc arguendo, nunc exhortando, sæpissimè verò consolando, atque ea conquirendo opportuna remedia, quæ nostra sibi fragilitas videbitur exposcere. Itaq; Tintinnabulum prædicationis & institutionis esse hieroglyphicum, Joh. Pier. monet *l. 37* Meminerint tamen verbi divini præcones, nisi & ipsimet ad vocis suæ clangorem, vivendi rationem instituerint, atq; ita ad normam illam vitam accommodarint suam, Campanis se vel in hoc quoq; assimilandos fore; quæ, etsi clarissimum edendo sonum alios cieant, ipsæ tamen sibi surdæ fiant & stupidæ. In quos effictum mihi videtur elegans illud Theodori Bezæ Emblema:

Tintinnabula in sacris.

Clamatores.

Æra gravi cunctos veluti Campana sonore,

Ipsa licet penitus sint sibi surda, cient:

Sic es, recta docens alios, perversa sequute,

Quiq; alijs sapiens, non sapis ipse tibi.

Eodemque planè sensu Apostolus: Si vel homi-

hominum (inquit) vel angelorum linguis loquar, charitatem autem non habeam; factus sum æs resonans, ac cymbalum tinniens. 1.*Cor*.13.

Monet etiam Suidas, Excubitores olim in nocturnis vigiliis Tintinnabula secum tulisse; ad quorum pulsum ilico fuerit respondendum. Idem auctor est, Tintinnabulis pulsandis exploratos fuisse equos generosos, an consternaces essent, & pugnæ tumultu percellerentur. Sed & qui ob facinus ultimo supplicio afficiebantur, tintinnabula sive nolas gestare solebant sive ad convocandam plebem; sive etiam ad eam arcendam: ne quis intereundum illorum contactu contaminaretur, & piaculo se obstringeret; ut est apud Zonaram *lib*.2.*Annal*. quanquam tintinnabula ista non tam Reos ipsos, quam Carnifices gestasse, ex Plauto fiat probabile, *in Pseudolo*. Scene, *Pseudolo non*.

Tintinnabula in Excubiis.

In supplicio.

Lanios accersā duos cum Tintinnabulis.

Et *in Truculento*. Sc. *Ego ne tibi*.

Ne ego bilingues vos necem, nisi

Ad Tintinnaculos voltis vose luci viros.

ubi per *Tintinnaculos* viros nulli alii possunt intelligi, quam Carnifices: ut à Turnebo rectè est observatum *lib*.1.*cap*.21.

Constat etiam, Campanæ sonitu apud Romanos populum in thermis, statis horis, vel advocari, vel dimitti solere. Unde Martialis.

In thermis.

Redde pilam, sonat æs thermarum: ludere pergis?

Virgine vis solā lotus abire domum?

Monet enim eum, qui in gymnasio est, ut si lavari velit, sonanti Tintinnabulo properet: paululò pòst enim nullum lavandi locum futurum; sed sola aqua frigida, cui *Virgini* nomen erat, fore lavandum. Tintinnabulo igitur Romani è gymnasio revocabantur loturi ad thermas mox claudendas.

Græci quoque in piscatorio foro sub cœnam pulsabant Nolam, teste Plutarcho *lib*.14.*Sympos*. ubi heluones obsonatoresque dici notat, qui in foro piscatorio esitarent, celeriterque Tintinnabuli pulsum exaudirent. Verba Plutarchi ita Latinè reddidit Hieronymus Mercurialis *lib*.1.*Variat*.*Lection*.*cap*.25. Ad hæc opsophagos sive obsoniorũ amatores minimè eos, qui bubulis carnibus delectantur, esse dicimus, qualis fuit Hercules: neque ficuum amatorem, ut Plato, quem virides ficus unà cum carnibus edisse notatum est; neque Uvarum cupidum, sicuti fuit Arcesilaus, sed eos, qui quotitiè tabernas ubi veneunt pisces, circumambulant, exquisitéve tintinnabulum audiunt. Ejus rei non injucunda exstat historia apud Strabonem *lib*.14. Nam cum citharœdus quidam apud Jassios artem ostentaret, iterimq; Nola, quæ in cupediario erat foro, vendendorum piscium signum increpuisset, omnes ad piscium negotiationem dilapsi solum illum destituerunt; excepto tamen uno, qui Surdaster erat. Accedens itaque ad eum Citharœdus Gratias tibi ago, inquit, qui & Musices studiis hunc honorem habueris, &, sicus cæteri, audito tintinnabulo me non deserueris. Tum ille: Numquid tintinnabulum sonuit? Vale ergo præceptor, & benè tibi sit. Sicq; & ipse, non secus atq; alii factitârant, cõfestim atq; curriculò abiit.

In foro piscatorio.

Nec verò ignotũ est, Dodonæum æs, illud in loquaces & obstreperos directum proverbium: quòd in Dodona duæ essent columnæ, in altera pelvis ærea, in altera puer cum flagro pelvim vento impulsam percutiens. Unde tinnitus in multas horas perdurabat. quanquam Plinius *lib* 36.*ca*.13. etiam absque flagri istius percussione, tintinnabula illa vel sola vento agitata longè sonitus retulisse scribit: ut meritò cum Juvenali.

Dodonæũ æs.

Tot pariter pelves, tot tintinnabula credas.

Quem versum hodiè non ineptè de sacrificulis & importunis campanarum pulsatoribus usurpare possis. Etsi enim olim solis parochis permissum fuit, eatenus campanis uti: ut populum congregare possent; deinde Mendicantium fratrum familiæ unicâ tantummodò pro loco quolibet contentæ esse jubentur. *c.unic. de Offic.Custod. in extravag.comm.* hodiè tamen tot habent, quod volunt, summamque religionem in eo constituunt, si vicinos, tanquam Nili cataractis (quæ sunt præcipites & horridæ montium angustiæ, per quas Nilus ingenti aquarum mole devolutus, non fluere inter occursantes scopulos, ut ait Plinius, sed ruere videtur) proximos populos cogant obsurdescere: quod quondam Jovianus Pontanus conqueritur: ut & Alciatus, qui cùm Biturigibus ægrotaret, parum abfuisse ait, quin impedito somno maximè tum necessariò ad Orcum demitteretur. *l.8. parerg. c.11.* Ex quo quæsitum est, an sicuti fabri ferrarii & lignarii, itemque malleatores alii, qui juxta scholas aut Doctoris domum arti suæ operam dantes, diurno nocturnoque strepitu meditationes Doctorum impediunt, è vicinia expelli possunt; ita etiam immodicus Campanarum pulsus inhiberi queat? Et quidem de fabris & malleatoribus ferè incunctanter id asserunt, Bartolus *in l ff.solut. matri. nu.30.* Jason *nu.46.* Franc.Ripa *nu.127.128.129.130.* & Alciatus *n.51.52.* ob publicam præsertim utilitatem & spem, quam de iis, qui liberalibus studiis dant operam, sibi pollicentur Imperatores *in l.1.C. qui ætate vel profess. se excus. lib.10.* ut adeò sedulò cavendum censuerit Theodosius, ne quovis strepitu, aut etiam linguarum confusione permixta aures quorundam, aut verò mentes à studio literarum avertantur, *l.un. in fin.C.de studiis liberal.Vrb.Romæ l.11.* cum certùm sit, silentium discendis artibus non minus, atq; otium esse accommodandum *l.C.de excusat. artific. lib.10.* Idque vel eò magis, si Doctor prævenerit fabrum, & præ malleatore isto sedem ibi occupaverit: quandoquidem præventionis causa in jure potissimum consideretur: prout rationem hanc assignat Jacob. Menoch. *l.2.de Arbitrar.Iud.cent.3.casu 237.nu 6 per l.2 § si quis nemine ff. Ne quid in loco pub.cum l potior.l.qui balneũ ff. Qui potior. in pign. habeant.* Atque ita in facto obtinuisse se scribit Matthias Colerus, contra vietorem quendam, qui se illi ad latus ingesserat in vicinia, & sub mediam noctem surgendo ac compingendo stipandoq; vasa vinaria, tãtos strepitus & clangores excitarat, ut multas noctes coactus fuerit insomnes transigere. Ideoq; vietorem illum compulsum, ut habitatione ea dimissa, de alia cogitaret, vel operas suas in ista vicinia omitteret. Matthias Coler. *de processibus executivis par. 1.cap 4 nu.8.* Campanarum verò pulsum quod attinet, distinctum video ab interpretibus. Nam si ægrotanti Doctori, itemq; Scholari & vicino cuilibet gravis sit immodicus ille & non necessarius Campanarum strepitus: placuit, cum non secus ac gravem & pestilentem odorem coercendum esse *l 2.§. Idem ait.29 ff. Ne quid in loco publ.* Bartholomæus Cæpolla *de Servitut. rusticor. prædior. c.43. de Aere.* Alciatus *d.l.in 56.* siquidem salus hominis, cujus gratiâ Natura omnia comparavit; *l.si.pecudum 28 ff.de Usur.* nullo modo æstimari queat. *l.si pater 34.in fin.ff.de donat.* & exinde rebus omnibus & cuivis commodo sit præferenda. Luc. de Penna *in l.un C.de studiis liberal.Vrb.Romæ.l.11. circa.fin.* At si bene valentes & sani sint vicini: obtinuit Oldradi sententia *cons.228.* existimantis, minimè ferendos esse, qui adversantur, ceu nimis delicatos Nam & Demosthenes, Plutarcho teste, sponte procu-

Nili cataractæ.

Faber è vicinia quando pelli possit.

Campanarũ pulsus an inhiberi queat.

Sybaritarum mollities.

procurabat, ut strepitui adsuesceret: damnatique à veteribus Sybaritæ, ceu nimis molles, quod artifices omnes obstreperos civitate excluserint, tanquam eorum quietem turbantes. Alciat. *l 8 parerg. c. 11.* De Sybaritarum porrò mollitie dixi quędam *lib. 1. tit. de Equis.* Quibus addantur, quæ in eandem rem scriptis commendavit clariss. Jurisconsultus & historiarum scientissimus Philip. Camerar. *c. 20. Oper. succis centur. 1.*

Nola.

1. Est autē Nola Campaniæ Oppidum.) Oppidum hujus apud Virgilium quoque olim fuit mentio: si verum est, quod Gellius prodidit *lib. 7. Noct. Attic. c. 20.* Scriptum enim in quodam commentario reperiisse se ait, versus istos à Virgilio ita primùm esse recitatos atque editos:

—dives erat Capua, & vicina Vesevo
Nola jugo.

Posteà Virgil. petiisse à Nolanis aquam, ut duceret in propinquum rus: Nolanos beneficium petitum non fecisse: Poëtam offensum nomen urbis eorum quasi ex hominum memoria, sic ex carmine suo derasisse, *Oraq;* Pro *Nola* mutasse, atq; ita reliquisse.

—& vicino Vesevo Ora jugo.

Idq; & melius & suavius ad aures esse Gellius adserit.

Nolanorum turpitudo.

Nec verò dissimulandum hoc loco est, Campanos, & ex his Nolanos, inprimis oris impuri & immundi fuisse habitos. Unde & *Osci* à quibusdam dicti, quasi obscœni, ut Porphyr. ad Horatium notavit: ex Festo fortassis, qui Oscis ait frequentissimum fuisse usum libidinum spurcarum. Hinc lucem accipit illud de Clodia usurpatum ænigma: *In triclinio Coa, in cubiculo Nola.* Eo ipso enim Clodiæ objicitur oris obscœnitas, & omnis infanda libido, qua notati sunt Nolani; vel, ut Ausonii verbis, Crispæ fœdissimā Venerem objicientis, utar:

In triclinio Coa, in cubiculo Nola.

—quam Nolani Capitalis luxus inussit: ut cùm libidinosa & lasciva in convivio esset Clodia, & quædam Venus Coa; in cubiculo à nulla obscœnitate, quæ Nolanis familiaris erat, abhorreret. Turnebus *lib. 3 Adversar. cap 19.* scio hoc aliter explicari apud Ludovicum Cælium Rhodiginum *lib. 10. lection antiqua cap 11. & lib. 29 cap. 1.* aliter item ab Alciato *lib. 2. parerg. cap 12* de Clytemnestra muliere balnearia loquacissima, proverbium illud accipiente: quæ præter linguam nihil meretricium habuerit: ideoque in triclinio seu convivio fuerit Coa, tanquam coitum petenti nemini abnuerit; in cubiculo verò nola, á negando, sed nihil causæ est, cur à Turnebi interpretatione discedendum putem. Capitalem igitur luxum cùm dicit Ausonius, videtur oris, quæ præcipua capitis pars est, spurcitiem & obscœnitatem notare. Eodem certè sensu Catullus, *Capite demisso*, dixit in Gellium incestus infamia notatum:

Turnebi opinio defensa.

Capitalis luxus.

Capite demisso.

Nam nihil est quicquam sceleris, quod prodeat ultrà,
Non si demisso se ipse voret capite.

ubi, *demisso capite*, malè audit, & de oris fœditate illa erit accipiendum: ut apud Ciceronem, *de Sexto Clodio*: Sed si requiri jusseris, invenient hominem apud Sororem tuam, occultantem se capite demisso. Quibus verbis quid innuatur, ii intelligunt, quibus notum est, quid *Phœnicissare* dicatur Veteribus; & qua nota Phœnicissantes secernantur à *Lesbiantibus*. Neutrum me explicare sinit pudor meus. vel Linocerii illius exemplo, quem Petron. Arbit. ita inducit differentē: *cætera nisi eloquēti Timantis silentio, dicere pudor non sustinuit.* Quotus enim quisque est, qui ejusmodi ne quidem antea cogitata semel tamen lecta stupefactus non admiretur, & inter admirationem & incredulitatem

Phœnicissare

Lesbiare.

 litatem

litatem fluctuans ad aliquid turpe, cæca quadam cogitatione ebrius, non pelliciatur? ut gravis est P. Guirandi Alosiani censura in *quadam ad Arnaudum Epistola*. Quod si quis tamen utrunque illud cognoscere tantoperè gestit, adeat sanè Hieronymi Mercurialis *l.4. Variar. lect. c.13.* Nec me latet, Lugov. Cœl. Rhodig. ænigma istud aliter explicare *lib.19. Antiq lect. cap.11. & lib.19 c.1* Sed illa Turnebi interpretatio & argutior, & vero mihi propior videtur.

Luxuriam verò illam ex Regionis istius fertillitate promanasse, quis dubitet? quandoquidem totum illum Campaniæ tractum, locorum omnium, quæ uspiam vidi, fertilissimum esse, mecum fatebuntur, qui & ipsi Neapolitanum Regnum peregrinando collustrarunt. Adeò verum omninò deprehendi, quod Polybius jam antè *l.4.* scripserat: nempe Campanum agrum esse & copia rerum, & fertililate regionis, denique & amœnitate ac pulchritudine situs excellentissimum. Scripserat id ipsum & Florus *lib.1. cap.16.* his verbis: omnium non modò in Italia, sed toto orbe terrarum, pulcherrima Campaniæ plaga est: nil mollius cœlo, nil uberius solo: denique bis floribus vernat: ideò Liberi Cererisque certamen dicitur, &c. Plinius etiam ipse *lib.3. cap.5.* Campaniæ felicem illam ac beatam amœnitatem deprædicaturus; palam esse ait, eam uno in loco gaudentis opus esse Naturæ. Jam verò (addit) tota ea vitalis ac perennis salubritatis cœli temperies est, tam fertiles campi, tam apricicolles, tam innoxii saltus, tam opaca nemora, tam munifica sylvarum genera, tot montium afflatus, tanta frugum & vitium olearumque fertilitas, tam nobilia pecori vellera, tot opima tauris colla, tot lacus, tot amnium fontiumque ubertas, totam eam perfundens: tot maria, portus, gremiumque terrarum commertio patens undique: & tanquam adjuvandos mortales ipsa avidè in maria procurrens. Idem Plinius, cùm de totius Campaniæ præstantia, utpote quæ universæ terræ antestaret, satis multa disseruisset *lib.18. cap.11.* Sigillatim etiam de *Laboriis*, Campaniæ scilicet parte subjungit: Quantum autem universas terras campus Campanus antecedit: tantum ipsum pars ejus, quæ *Laboria* vocantur. Cujus verbi rationem ipsi quoque Itali observasse videntur, quibus tractus ille *Terra di lavoro* etiamnum appellatur; sive quòd in agro colendo plurimus exsudetur labor, quòd pingue solum vi sua molientium manibus reluctetur: sive quòd hoc inprimis solum dignum sit, in quod hominum industria & labor insumatur, neque unquem à cultu cesset: ut Ubertus Folieta de laudibus Urbis Neapolitanæ interpretatur. Et his quidem deliciis magna etiam sit accessio fœcunditate & fragrantia Citri arboris lætissimæ, fructum cum floribus suavissimè miscentis. Quid multis? putes te spectare Alcinoi Regis pomaria, in quibus ver quotannis non renovatur, sed quæ jugi perflantur Favonio:

Et pyra adulta pyris succedunt, malaque malis,

ut Homerus tradidit *Odyss.7.* Possit præ fertilissimo hoc Campaniæ tractu vel ipsa etiam sordere Hymettos Attica, & Isthmos Ephyræa, & Tænaros Spartiaca: quamvis glebæ felices has tantoperè Apulejus deprædicet. Sordeat etiam *Eresus* feracissima Lesbi civitas, Theophrasti patria: licet cives ipsios Eresios, simulachrũ Cereris ἑρμόχον, quasi tu *Mercurivcham* dicas, Delphico apollini consecrasse Athenæus fabuletur, *lib.10. Dipnosoph.* eò quòd ager Eresius præstantissimũ candidissimumq; frumentum producere, cujus pollinem Mercurius ad Deos, si quando

pane

Campaniæ fertilitas & amœnitas.

Laboria.

Terra di lavoro.

pane vesci voluerint, subvehere fingebatur. Quod ipsum & Archestratus poëta expressit iis versibus, quos ex Græcis ita Latinos fecit Hadriad. Jun. *l.5. Animadvers.c.4.*

Vbere agri dives Eresus circũflua põto
Fert nive canoidius frumentum, atque inde farinam,
Si quando est usus Superis, Cyllenius emptat.

Possit etiam fœcundissimus ille Campaniæ tractus, omnigenas cùm segetis, tum arbores pomiferas suaviter educans, refractum ab Hercule Acheloi cornua appellari, copiæ omnimodæ Pulchritudinem ostendans. Nam Hercules,

Acheloi cornu.

Dum tenet, infregit, truncaq; à fronte revellit.
Najades hoc pomis & odoro flore replerunt
Sacrarunt, divesque meo bona Copia cornu est.

ut ait Ovidianus Achelous *lib.9. Metam.* ex quo tamen loco notat Forcatulus, non aliunde inductum à poetis fuisse Herculem cum Achiloo Tauri speciẽ præ se ferente certasse, quàm quod ipse in Calydoniorum gratiam fluvium Acheloum in alium cursum devertens, plurimos agros irriguos fertilesque reddiderit, & per salebras mugientem in fœcundos campos traduxerit. Nec enim novum auditu est, Herculem fluminibus aliorsum labentibus modum præstituisse, & quasi repugnantibus imperasse, atque ipsi etiam *Arno Getruriæ fluvio*, veluti leoni, (ita enim *Arnus* Ægytio vocabulo appellabatur) per devia loca nõ sine murmure currenti limites salubriter dedisse. Idque pluribus manifestum facit Steph. Forcatulus *lib.4. de imper. & philosoph. Gallor. fol.453.* De hac autem tum Campaniæ ubertate, tum verò de aliis quoque locis tam in Europa, quàm Asia atque Africa vel ad miraculum fœcundis, eruditè disserit Joh. Bruyerinus

Herculis cũ Achelco pugna.

Arnus.

de re cibaria *l.4. c.13. & 14.* Verùm quemadmodum agris fertilibus plerunque zizania solet innasci: ita etiam in fœcundissima illa ubertate & abundantia, videre in Campania est maximam perditissimorum quorumque, & contra Naturam luxuriantium improbitatem: ut tritum vulgi sermone ibi circumferatur proverbium: *Il regno Napolitano è un delicato paradiso, mà habitato da gli Diavoli.* quod Philippus Camerarius itidem annotavit *Operar. succisiv. c.85.* Adeò, ex Poëtæ sententia,

Campania improborum hominum ferax.

Luxuriant animi rebus plerũq; secũdis!

Pabuli certè ubertatem, quæ geniture redundantiam plantis etiam, nedum animantibus affatim subministrat, in homine quoq; salacitatis causã existere, Empedocles tradit. Quò pertinet illud Euripidis: *Vult crapulatũ Cypris, haud famelicũ.* quod ab Achæo samptum, qui multò antè dixerat: *Amara Cypris est esurientibus.* Latini dixerunt: *Sine Cerere & Baccho friget Venus.* Hinc est, quòd Ægyptii sacerdotes, victus luxum & lasciviam ex Porci simulachro, ob animãtis istius multiplicem & assiduam voracitatem atq; ingluviem significabant. Sic enim Thebis Ægyptiis olim erecta erat columna, in qua plurimæ in Menin Regem exsecrationes descriptæ erant: quòd primus omnium Ægiptios à parsimonia ad luxuriam, à modestia ad intemperantiam, à virtute ad effœminationem illexisset, quapropter simulachrum ejus Porcum esse voluerunt. Sic & Plotinus, cùm animal hoc maximè voluptarium agnosceret, ubi dissertat de Palingenesia, in id eos reverti dicit, qui vitam omnem in libidinibus & voluptatibus egerint. Joh. Pierius *lib.9. Hieroglyph.* Et Epicurus, qui felicitatem in volptuaria vita posuit, scitè notatur ab Horat. sectatores ejus Porcos nominante *l.1. Ep.5.*

Ex ubertate luxuria.

Porci Hieroglyphicum.

Epicurus.

Me pinguem & nitidum benè curata cute viſes
Cùm ridere voles, Epicuri de grege porcum.

quippe cùm ſectæ iſtius aſſeclæ ita ſe in voluptates abjiciant, & proſternãt, ut immundi ſues in volutabra. Non ergo intelligo (inquid Cicero ex Epicuri dogmate *l.2. de Finib.*) quid ſit, aut ubi ſummum bonum præter illud, quod cibo & potione, aut aurium delectatione & obſcœna voluptate capiatur.

Luxuria triumphans.

Planè Luxuriæ cauſam ipſemet quoq; Bernhardus rerum abundantiæ adſcribit, dum triumphantem illam graphicè in hunc modum depingit: Luxuriæ currus, ait, quadrigis volvitur vitiorum, Ingluvie ventris, Libidine coitus, Mollicie veſtium, Ocii ſoporiſque reſolutione: trahitur Equis æquè duobus. Proſperitate vitæ, & rerum abundantia: & qui his præſident, duo; Ignaviæ torpor, & inſida Securitas. Quanquam non tam ipſa rerum opulentia, quàm abuſus reprehenſionem debebat incurrere. Rectè enim Hieronymus? Non uſus rerum, ſed libido utentis in culpa eſt. Quæ ſi ſemel hominis animum invaſerit, tam altas inibi radices ſolet agere, ut vix ac ne vix quidem exſtirpari inde poſſit: cùm certum ſit, eam Gangrenæ inſtar latiùs ſubinde ſerpere. Nam, ut veriſſimè dixit Cicero *in Cat. Major.* impedit conſilia voluptas, & rationi inimica eſt, ac mentis, ut ita dicam, perſtringit oculos. Et *Paradox 1.* ait: Quò major voluptas eſt, eò magis mentem à ſua ſede ſtatuque dimovet. Gradatim & diſertè hoc docet Gregorius *in Moral.* cùm ita ſcribit: Ex quo luxuria ſemel mentem alicujus occupavit; vix eum bona cogitare permittit. Sunt n. deſideria viſcoſa, quia ex ſuggeſtione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectione conſenſus, ex cõſenſu operatio, ex operatione conſuetudo, ex conſuetudine deſperatio, ex deſperatione peccati defenſio, ex defenſione gloriatio, ex gloriatione damnatio. Quocirca Seneca 28. *Epiſtol.* monet, indurandum eſſe animum, & à blandimentis voluptatum procul abſtrahendum. Et quidem libidinis initium continebis, ſi exitum cogitaveris, ut idem Sapiens ſcribit *libro ſecundo de Moribus.* quanquam adeò blandum malum Luxuriam dixit Valer. Maximus *lib.9* ut accuſare id aliquanto ſit facilius, quam vitare. Eſt ſcilicet malorum eſca voluptas, qua homines capiuntur, ut hamo piſces. Cicero *in Cat. Major.* Eſt itidem imitatrix boni, malorum mater omnium: cujus blandimentis corrumpuntur, quæ naturâ bona ſunt. Cicero *lib.2 de Legib.* Teſtatur id diſertè de Campana Luxuria (qua de nobis potiſſ. ſermo eſt) Valerius Maximus: quam pe: quàm utilem Romanæ civitati fuiſſe ſcribit. Etſi enim Ciceroni *1. Officior.* non eſt conſentaneum, qui metu non frangitur, eam frangi cupiditate; & qui invictũ ſe à labore præſtiterit, vinci à voluptate: Invictum tamen armis Annibalem (ait Valerius) Campana illa luxuria illecebris ſuis complexa, vincendum Romano militi tribuit. Illa vigilantiſſimum ducem, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundanti vino, unguẽtorum fragrantia, Veneris uſu laſciviore, ad ſomnum & delicias evocavit. Idque etiam expreſſit Seneca *Ep.51.* his verbis: Vim Hannibalis hyberna ſolverunt, & indomitum illum nivibus atque Alpibus virum enervarunt fomenta Campaniæ: *Armis vicit: vitiis victus eſt.* Atq; eo alluſit Sidon. Apollinaris *carm. verſ 343. & ſeqq.*

Hannibal à voluptate victus.

—Barchaeus opimam
Hannibal ad Capuam periit cum fortia bello
Inter delitias mollirent corpora Baiæ.

ubi

ubi *Capuam*, ob illam quam modo dixi rerum abundantiam, *opimam* dixit, & Hannibalem, *Barchaum*, quod Gentilitium ei nomen fuit ab Asdrubale, qui non minus ac Hamilcar cognominatus fuit Barchæus sive *Barcha*, uti Savaro ad illum Sidonii locum doctè annotavit, ubi inter alia etiam illud Prudentii *l. 2. contra Symmachum:* de Hannibalis effœminatione illa itidem tractantis adducit:

Hannibal Barchaus.

Bajanis resolutus aquis, durissima luxu
Robora destituit, ferrumq; libidine fregit.

Verùm quod tum Annibali, idipsum anteà & Romanis ipsis acciderat, cùm primum Capuam occupassent, Jam tum, ait Livius, minimè salubris militari disciplinæ *Capua* instrumentum omnium voluptatum, delinitos militum animos avertit à memoria patriæ. Solent enim hujusmodi loca tot deliciis abundantia, sine cæde ac sanguine, peculiari quadam ratione ulcisce, & pœnas de iis sumere, à quibus occupantur. Nam cùm eos pravis moribus imbuant effœminatosq; reddant; facilè tales efficiunt, ut postmodum à quovis, nullo ferè labore opprimantur. Quod & Juvenalis expressit illo versu:

Luxuria incubuit, victumquè ulciscitur orbem.

Innuit enim ex Capuanorum, utpote mollissimorum conversatione, Romanorum animos fuisse immutatos: ut qui priùs parcè ac duriter vivere solerent, posteà gulæ luxuriæq; sese tradiderint: quemadmodum rectè explicat Nic. Machiavel. *l. 2. de Republ. c. 19.* Id quod pari eventu ipsi etiam *Lydi* comprobarunt: quos victos jussit Cyrus cauponas, & ludicras artes, & lenocinia exercere. Et sic gens industria (inquit Justinus *lib. 1.*) quondam potens, & manu strenua, effœminata mollitie luxuriaque virtutem pristinam perdidit: & quos ante Cyrum invictos bella præstiterant, in luxuriam lapsos, ocium ac desidia superavit.

Lydi.

Quippe nec ira Deûm tantum, nec tela, nec hostes,
Quantũ sola noces animis illapsa voluptas.
Ebrietas tibi fida comes, tibi Luxus, & atris
Oreum te semper volitans infamia pennis.

ut quinto decimo Punicorum apud Siliũ legimus. Unde eleganter Petrus Chrysologus *Sermon. 41.* Bella gentium legimus superasse quamplurimos, quos tamen pugnans carnis non vicisse: & auderemus eos dedisse delitijs pectora, qui dorsa hostib. non dederunt, proh dolor! victores gentium fuisse captivos: nationum dominos turpi serviisse criminibus servitute! stetisse inter sævientes gladios: & inter enervata lenocinia corruisse! Quid ergo (ait Valer. Maximus) his vitijs fœdius, quid etiam damnosius, quibus virtus atteritur, victoriæ languescunt, sopita gloria in infamiam convertitur, animiq; pariter & corporis vires expugnantur? adeò ut nescias, ab hostibusne an ab illis capi perniciosius habendum sit: & vel hinc liquidò constet, in voluptatis regno non posse virtutem consistere. quod Cic. in *Catone Majore* egregiè disputatum reliquit.

DE HOROLOGIIS TIT. X.

IN ventis campanis, introductus quoque fuit Horologiorum usus: quorum conficiendorum ratio desumpta est à VITRUVIO, *qui docet, quomodo Rhedæ fieri queant, demonstrantes, quot milliaria singulis horis feceris: easdemque ille rotas disponit, quales hodie in horologio usurpantur. Loco autem* Calculi, *qui singulis horis in pelvim decidebat, adinventus est* Malleus, *quo percussa campana*

Horologia.

Varia horum forma.

pana horarum numerum designet. Quidam Angelorum imagines effingunt, loco se moventium, & pulsantium Campanas, ac dum Mariæ virginis simulachrum prætergrediuntur, honorem ei exhibentium. Alij alia excogitarunt. † *Hodiè ita subtiliter elaborabantur, ut, qua velis hora, te excitent: inventusque est conficiendorum istorum modus, ut etiam absque libramine appenso, vel in mensa poni, vel à collo suspendi possint, amygdali instar, vel aliter efformata. Quædam etiam Lunæ statum in cælo repræsentant. Neq; his tamen terminis constitit humanum ingenium. Quoddam enim apud Reverendum* D. Delphinum *vide, quod circa coronarium illud as suos habebat circulos. Solis etiam Eclypsin demonstrantes. Per eos quoque Sol procedens in eodem deprehendebatur signo, quo in cælo. Vesperi occidebat: manè exoriebatur supra id Orizontis punctum, quo in cælo solebat. Luna similiter à Sole modò disjungebatur, modò cum ipso rursum, non secus atque in cælo conjungebatur. Audio* Carolo V. *horologium à Cremonensi aliquo donatum fuisse, quod universam cæli machinam, cum omnibus stellis firmamenti complecteretur; itemquè cum signis, quæ non aliter atq; in cælo circumagerentur: ita ut ipsum Cælum quasi in terram delatum videretur. Nec verò negari potest, Inventionem istam egregiam, & notatu dignam esse.*

1.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Hora.

Horam, Providentiæ Deam, olim nuncupatam fuisse Quirini uxorem, docet illud Ennii:

> *Tequè, Quirine pater, veneror, Horamq; Quirini.*

Docet id etiam Ovidius, quamvis primã nominis istius syllabam corripiens, cùm ita canit

> *—& priscum pariter cũ corpore nomen.*
> *Mutat, Horamq; vocat, quæ nunc Dea jũcta Quirino est.*

Eandem olim & Hortam & Stimulam, ab hortando atq; stimulando dictam fuisse, Labeo existimavit: & ædem ejus nunquã claudi solitam Plutarchus propterea tradidit, quòd negligentes socordesque Dea illa nunquam pateretur, sed semper aliquid præclarè fieri hortaretur, nunquãque cessandum. Posteà tres à Veteribus excogitatæ fuerunt.

Horæ tres.

> *Et Iovis & Themidos Horæ ac fœmine nata,*
> *Eunomia atq; Dice, atque Irene dives, & omnes,*
> *Florentes, vernæ.*

Earum officium.

quarum etiam officium Hesiodus describit, cùm eis curæ esse ait, mortalia facta maturare. & Ovidius has cœli portas servare dicit, cùm Janum ita introducit loquentem:

> *Præsideo cœli foribus cũ mitibus Horis.*

Unde & cœli Janitrices dicuntur Homero,

> *—quis cura poli est, regioq; superna est,*
> *Nubila quæ pellunt, quæ inducunt nubila cælo.*

De quib. plura videri poterunt apud Joh. Guilielmum Stuckium *in descriptiõe Sacrorum Sacrificiorumq; Gentiliũ mihi fol. 17. & 18.* Per horas autem intelligi per est tempus opportunum ad quippiam agendum: quod Græci ὡραίαν; Latini *Occasionem* vocant, habentem in se ordinem

nem actionum. Nec aliud est καιρὸς, quàm tẽpestivitas & punctus temporis. Jam verò omnibus rebus certa statáque tempora & accommoda esse constat, ex superioris Demiurgi provida atque inenarrabili sapientia distincta, ut rectè dixerit Ecclesiastes *cap. 3.* Omnia tempus habẽt, & suis spaciis transeunt universa sub cœlo. Tempus nascendi, & tempus moriendi: tempus plantandi, & tempus evellendi quod plantatum est: *& quæ sequuntur.* Ac ut singulis actionibus sua meliùs accommodarentur tempora, necessaria horum in suas partes facta fuit distributio. Hinc Annus in Menses: hi in Dies: Dies rursum in Horas fuerunt divisi: & quidem quisque horum in suas duodecim: vel ex cœli dimensione, quæ secundum musicam rationem in duodecim partes distincta fertur: vel ex Cynocephali observatione, siquidem id animal utriusque Æquinoctii tempore duodecies, per horas quippe diei singulas, ac duabus item noctibus ejusmodi potus excrementa profundere, ab Ægyptiis Sacerdotib. fuerit animadversum. Accedebat, quòd in his ipsis temporum cardinib. Cynocephalus duodecies, horis quippe singulis, quantò potest ululatu, soleat vociferari. Hinc mos inolevit ap. Ægyptios, ut in horologiis aqueis Cynocephalũ adsculperent, ex pene cujus fistulato aqua destillaret. Quò haud dubiè Victorinus respexit, dum ex Ciceronis auctoritate Trismegistum ait, quum in Ægypto esset; sacrum quoddam animal Serapidi dicatum duodecies toto die urinam facere observasse: Idque pari semper interposito intervallo. Unde ipsi diem per duodecim horas distributum fuisse conjecerit, exindeque hunc horarum numerum constitutum. Etenim Cynocephalum animali illo intelligi, Joh. Pierius rectè monet *lib. 6. Hieroglyphic.* illud ibi subjiciens, horarum observandarum rationem Clepsydris priùs excogitatam; earundemq; præcipuum usum in Urbe Achanta trans Nilum fuisse: ubi inter alia vas admodum ingens fuerit, in quod singulis diebus Sacerdotes singuli, numero trecenti & sexaginta, ad anni scilicet rationem, qui apud eos habebatur, subductis intercalaribus quinq;, aquam ex Nilo detulerint: quæ suo emissa cavo per ejus generis horologium horas indicaret. Arat autem Clepsydra vasculum vitreum, per quod guttatim defluebat aqua inclusa, stillicidioq; exhauriebatur; ducto nomine ἀπὸ τοῦ κλέπτειν, quod abscondere sive suffurari τὸ ὕδωρ aquam significat. In vasculo autem illo conficiendo ea adhibebatur diligentia, ut quantum satis esset aquæ immitteretur, & ut cavum illud non nimis arctum, neque nimis patens esset: hoc nimis celerem effusionem; illo strangulationem sæpius efficiente. Ejus formam & usum pariter describit L. Apulejus *l. 3. de Asino aureo*, his verbis: Sic rursum præconis amplo boatu citatus accusator quidam senior exsurgit, & ad dicendi spatium vasculo quodam in vicem coli graciliter fistulato, ac per hoc guttatim defluo, infusâ aquâ, populum sic adorat, &c. Nec enim libera olim ad agendum Oratorib. spacia, sed ad aquæ stillicidium dabantur Clepsydræ: quibus exhaustis amplius dicere vetabantur. Hinc idem Apulejus *in Apologia pro se prima* adversus Sicinium Æmilianum; dum in ipso Orationis cursu ex libro quędam suo, ipsi causæ inservientia; recitari cupit, quam sustinendam monet. *At tu* (inquit) *intereà dum legis, aquam sustine.* Qui locus; haud scio, an ab ullo ab hoc fuerit observatus: Metuebat enim Apulejus, ne, si aqua interim effluxisset, amplius sibi dicẽdi præcisa foret potestas. Quod institutum damnat Plinius *lib. 6. Epist. 2.* paucioribus dapsydris causas præcipitari scribens, quæ anti-

Temporis distributio.

à Cynocephalo causata.

Horarum origo ex Clepsydris.

Clepsydræ descriptio.

Clepsydra oratoribus data.

antiquitus pluribus diebus explicabantur: Ideoque morem illum posteà exolevisse, libero dicendi spacio cōcesso. Quid enim (ait) jucundius, quàm subalternis invidia quàm diu velis, & in alieno auditorio quasi comprehensum commodè dicere? Significat enim eum, qui libera dicendi spacia petebat, itidem adversario concedere; ita ut is, qui respondebat, posset vel longiorem, vel breviorem orationem habere citra invidiæ aut pudoris periculum: cùm ex tempore respondere videatur. Et ideò increbuisse passim & invaluisse consuetudinē ait, binas vel singulas clepsydras, interdum & dimidias, & dandi & petendi. Quibus addantur, quæ lib. *Epist.* 11. idem scribit Plinius, dum clepsydris, quas spaciosissimas acceperat, quatuor dicit fuisse additas. Hinc notæ illæ phrases: *Ad clepsydram*; supra clepsydram dicere, & præter aquam, & *aquam perdere*, apud Quintilianum, Ciceronem, alios: de quibus videri poterit Guilielmus Budæus *ad l. ult. §. defensores ff. de Munerib.* & Clepsydrarum usum tangit etiā Scipio Gentilis (quem in revisione hujus in Cōmentarii primum vidi) in *doctissimis notis ad Apuleji apolog. n. 331. cum seq. & n. 401.* itemq; Frācisc. Philadelphus *ep. n. 11.* quæ reperiuntur *in centur. 1. Epist. Philologic.* & Lud. Cælius Rhodigin. *l. 18. lect. antiqu. cap. 39.* ubi etiam Metichen Scortillum *Clepsydro* cognomentum sibi adoptasse scribit, cum ad Clepsydram concubuisset, ac universa defluxisset aqua. Et alibi Physicam adducit rationē, cur clepsydræ tardius multo hyemali tempore profluant, quàm æstivis horis *l. 26. c. 7.* Sed & antiquitus rebus agendis legem clepsydras sive solaria vel horologia dixisse, ex Artemidoro *lib. 3. c. 17* liquet. ita ut ad horas viverent, & ad certum demensumq; tempus. Eoq; alludit Plautini parasiti jocus plantinissimus, quod horologia ventri suo famem induxerint; sicut in *Boeotia Comœdia* apud Gellium conqueritur. *l. 3. noct. Attic. cap. 3.* iis verbis.

Clepsydra Scortillum.

Ut illū dij perdāt, prim. qui horas repperit.
Quiq; adeo primus statuit hic solarium;
Qui mihi cōminuit misero articulatū diē:
Nam me puero uterus erat solarium
Multo omniū istorū optimū & verissimū.
Ubi iste monebat esse, nisi cum nihil erat.
Nunc etiam quod est, non est, nisi soli lubet.
Itaq; adeo jam oppletū est oppidū solariis.
Major pars populi aridi reptant fame.

Nec verò Clepsydris tantùm, ut jā dixi, horas metiebantur Veteres sicut nos horarum spacia vasculis arenariis distinguimus, in medio strigosis ac pertusis: in quibus arena adpollinariam exilitatē succreta, vasculi conversionibus ultrò citroque commeando horas metitur: (& quidem multo rectius, quā aqua. Nam aqua facile motu attenuatur, & ita exhalat. Unde ejusmodi horologia non satis certè distinguere intervalla temporis possunt: ut *Dn. Becmannus* me monuit.) Sed & Solariis iidem, ac nos, utebātur, quibus horæ denotabantur ad Solem, veruto umbrā faciente, vel pinnula, aut æneo gnomone. cujus inventionē & rationem Gnomonici profitentur, & Anaximeni Milesio acceptam ferunt. Atque is quidem Gnomon Græcis σκιαθήρας dicebatur, quasi tu *Umbra indagatorem* dicas. Unde & Sciathericon horologium Plinio *l. 2. c. 72.* est umbræ indagatorium. de quo apud Budæum habetur *ad l. ex emto. §. ult ff. de actio. emti.* Estque memorabile illud in campo Martio olim insigne horologium, quod, annotāte Pōponio Læto *in suis Antiquit. Rom.* habuit septem gradu circum, & lineas distinctas metallo in aurato: solum etiā campi eo loco, ubi horologium istud fuit, lapide amploquadrato stratum, & lineas habuit easdem, & in angulas quatuor ventos, cum inscriptione, ut Boreas spirat, ex opere musivo.

Solaria.

Sciatherica.

musivo. Ejus & Plinius meminit *libr. 36. cap. 10.* ab Augusto Imperatore id conditum innuens.

Antiquissimum autem esse Solariorum usum, vel sacra docemur pagina. Etsi enim ex Lucretii sententia,

Nec mare, nec tellus, nec cœli lucida templa,
Nec mortale genus, nec Divûm corpora sancta.
Exiguum possent horai sistere tempus:

Tēporis vis. unde etiam Falcem Tempori attributam legimus, qua omnia fingitur incidere, prosternere & labefactare, ut ex illo *l. 3. Epigramm.* licet cognoscere:

Marmora discindit vis temporis, ac neque ferro
Parcit: inhumana cunctaq; falce secat.

Constat tamen, præpotentem illum rerum omnium arbitrum & moderatorem Deum, cujus neque certis regulis voluntas abstringitur, nec ullis terminorum finibus circumscribitur potestas, non tantùm ad Josuæ preces Solis cursus, cæteroquin perpetuos, inhibuisse, ut immobilis ille staret, nec moveretur contra Gabam. *Iosua 10. & Eccles. 46.* Sed & Ezechiæ tempore Solarem umbram lineis decem, per quas ea ascenderat, in horologio sive solario Achaz revocasse. *Esa. 38.* Quam in rem exstat elegans Philippi Melanchthonis epigramma: quod vel ideò adscribere placuit, quòd summum illum virum in epigrammate jucundum atque festivum, & ingenium ipsius magnum atque ad omnia comparatum, vel ex poëmatis quibusdam intelligi, Jul. Cæsar. Scaliger, gravissimus censor rectè judicavit *lib. 6. poetices*: quem Hypercriticum inscripsit. Id verò ita habet:

Sol stare jussus.

Ph. Melanchthon.

Non Deus est numen Parcarum carcere clausum,
Quale putabatur Stoicus esse Deus.
Ille potest Solis currus inhibere volantes.
Ille, velut montes, flumina stare jubet.

Temporis observatio. Ceterùm quemadmodum Temporis observatio & divisio in omnibus aliis disciplinis necessaria est, ut Petrus Gregorius perspicuè ostendit *in prælud. optimi Iureconsf. l. 4.* Ita nulla ferè Juris nostri pars est, in qua temporis alicujus mensura & consideratione non indigeamus. Ac ut aliqua saltem ex his commemorem: (singula enim recensere, infinitum foret) cōstat utique Pubertatis tempus in masculo definiri decimoquarto ætatis anno; in fæmella duodecimo §. *1. Inst. quib. mod. tut. finiat.* Cum enim minùs durabilia per naturam celerius cōpleantur, & fœmininus sexus masculino virtute inferior exsistat: consectarium inde est, fœmellas animi & corporis perfectionem sibi congruentē citius acquirere: cū exploratum sit, quòd in masculo per septennium; in fœmina autem per senarium naturaliter fiat mutatio post Cynum, Baldum & Castrens. *in l. qua ætate. 5. ff. Qui testa. fac. pos.* Joh. Dauth. docuit *in tr. de Testament. nu. 146.* & pluribus id prosequutus sum *libr. 1. horum Commentarior. Tit. de Habitu & vestiment. veter.* Quibus accedit, quod Plinius *l. 7. c. 4.* & ante illum Aristoteles *lib. 7. de Histor. animal. cap. 3.* scripsit fœminas celeriùs gignere, quàm mares, sicuti & celeriùs senescere. Ex quo Zeuxis Agatharcho itidem pictori, de pingēdi celeritate se jactanti, cùm ipse diutius immoraretur operi, ita respondit: Diu pingo, quia pingo æternitati. Citò nata, citò pereunt: diu elaborata, ferunt ætatem. Nō mirum igitur, idipsum quoq; e pubertatis tempus, etiam nuptiis contrahendis commodum atque idoneum jure civili fuisse judicatum *l. minorem 4. ff. de ritu nupt.* Quamvis enim Pontificum placitis vis coëundi attendatur potiùs, quàm annorum habeatur ratio: *cap. puberes. & ibi gl. Ex. de Desponsat. impub.* quandoquidē qui

In pubertatis annis.

In Nuptiis.

qui morbum vitiatæ naturæ humanæ norupt, ne cui laqueus injiciatur, graviter judicarunt, non debere certis annorum cancellis Nuptiarum libertatem concludi: ne legitimo hoc remedio destituta Juventus, turpius polluatur, & ruat in libidines nefarias. Fr. Balduin. *in princ. Inst. de Nupt* Vix tamen est, ut ante 14. annum à masculo mulierem iniri posse dicamus? cum circa annos bis septem pubertas demum contingere plerumque soleat. Indeque est, quòd Justinia. non credat quemquam esse tam acceleratæ & effusæ libidinis, qui ante 15. annum cogatur Uxorem ducere. *Novella 100. cap. 2.* quanquam D. Gregorius *lib. 4. Dial. cap. 19.* pueri cujusdam meminit, qui vix novem annorum, Nutricem imprægnarit suã. gloss. *in summa. 20. q. 1.* quod ipsum & Hieronym. attestatur *in Epi. ad Vital presbyter.* de puero decennali; addens, ipsum etiam Salomonem nondum decem annos natum, suo complexu Nutricem filio Roboam gravidam fecisse. Et de Achaz commemoratur, quòd undecimo anno Ezechiam filium genuerit: Johan. Corasius *lib. 6. Miscellan. cap. 22. nu. 4. & 5.* Didac. Covarruvias *in Epitome lib. 4. Decretal. part. 2. c. 5. nu. 4.* Quod pluribus exsequitur Prosp. Farinac. *in tract. de Pœnis imperandi. q 92 nu. 80.* Sanè Reipublicæ interest, præmatura Venere juventutem non enervari, quod in fœmillis æquè receptum est: cùm periculosum perinde atq; nefarium sit, Veneri subjici puellam nõdum Viripotentem; &, quæ, juxta Horatium.

Præmatura quorundam Venus.

Nondum subacta ferre jugum potest
Cervice. ——

Acerba quippe res est immatura Virgo. Et ideò, dicebat Tertull. *l. de Virgin. velãd.* penes Israel illicitum erat ad virũ tradere, nisi post contestatã sanguine maturitatem. Quò pertinet illud Hor. 2. *Car. 5.*

——*tolle Cupidinem immitius uvæ*——

Hinc, cùm Imperator Honorius Thermantiam Stilichonis filiam sibi matrimonio jungi cuperet; Zosimus, immaturam virginem maritali connubio tradere, nihil aliud esse dixit, quàm injuriam Naturę facere. *lib. 5 histor.* ut rectè Labeo scripserit Nuptam non esse, quę virum pati nõ potest. *l. penul. ff. quand. dies. legat. ced.* Quo sensu & ab Ulpiano responsum accepimus. Hinc conditioni, *Cùm nupseris*, eam non paruisse, quæ nondum nubilis ætatis in domum mariti deducta est. *l. hac cõditio. 10. de condit. & demõst.* Nubilis autem ætatis eam intelligi, quæ, ut dixi, duodecim annorum est, Pomponius manifestò probat, dum Minorem annis duodecim nuptam, tunc legitimã Uxorem fore ait, cùm apud virum explesset duodecim annos. *l. Minorẽ 4. ff. de rit. nuptiar.* Secundùm quæ si minor duodecim annis in domum deducta, adulterium commiserit: mox apud enim ætatem excesserit, cœperitque esse Uxor; non poterit jure Viri accusari ex eo adulterio, quod ante ætatem nupta commisit; sed vel quasi sponsa poterit accusari, ex rescripto Divi Severi, ut Ulpianus retulit *in l. si uxor. 13. §. si minor. ff. ad L. Iul. de adulter.* Quid ergo? si puella pubertati proxima, quam parentes puberem affirmabant, cuidam nupserit, cujus posteà nuptias, cùm jam duodecimum annum attigerit, aversetur: poterintne ad separationem agere, & ut alteri nubere liceat, petere? eò quòd priori, ætatis ratione neque consensisse, & insuper intactam se esse dicat: Marito contrà asserente, Ignorantem se duxisse impuberem; Nubilem verò credidisse, quia ita à parentibus dicebatur: veruntamen adeò viripotentem, adeò pubertati proximã duxisse, ut Mulierem fecerit? (cujusmodi puellas, quæ ætate jam maturæ virum appetere incipiunt, scitè admodum & opertè *nu-*

πίζου

μίζειν hoc est *Cyamissare*: puto, quia Cyanos non legumentum modò significat, sed cibos quoque, propterea quod sint εἰς τὸ κύειν δυνάμεις, id est, utero ferendo validæ ex interpretatione Ludovic. Cœlii Rhodigini *lib. 28. lect antiq. c. 24.*) Et quidem post longam causæ examinationem pronunciatum est: cùm impotentia non fuerit objecta, nihil opus esse turpi inspectatione. Adhæc viri juramento credi, qui Uxorem cognovisse diceret. Itaq; separationem rectè prohiberi: quemadmodum ab Alexandro III. scriptum est *in c. continebatur 6. de Desponsat. Impub.* & P. Ærodius retulit *l. 4. Rerum Iudicatarum. tit. 15. c. 11* Præterquam enim quòd turpis est illa partium verendarum, & Venereæ colluctationis atq; congressus inspectio, quam Gallis suis usitatam graphicè depinxit Annæus Robertus Aurelius *l. 4. Rerum Iudicatar. c. 10.* solet ea sæpe numerò etiam fallax esse: si Cypriano ita ad Pomponium de virginib. scribenti credimus Nec aliqua putet (ita) se posse hac excusatione defendi, quod inspici & probari possit, an virgo sit: cum & manus obstetricum, & oculi sæpè fallantur. *can. nec aliqua. 27. quæst 1.* Nec est, quòd minoris ætatis intuitu separationem speret mulier, si ita pubertati fuerit proxima, ut copula carnali potuerit conjungi, ætatē scilicet supplente malitia, *c. de illis 9. Ex. de despons impub.* quam & prudentiam appellat Innocentius III. *in cap. ult. d. titulo.* Quòd si inficiata fuerit fœmina, se à viro cognitam; Maritus contrà id asseruerit: placuit, Mariti assertioni standum esse: quia scilicet Vir caput est Mulieris: ut in Concilio apud Compendium habito decretum legimus. *can. si quis 33. qu. 1.* Nam qui congrediendi vim certo annorum numero definiri posse putat; næ ille frustra est, & vehementer errat: cùm & Plinius regiones quasdam memoret, in quibus fœminæ etiam septimo, imò quinto ætatis anno possint parere *l 7. c. 2.* & his consentaneum planè sit, quod Arrianus de ea regione, in qua Pandæa Herculis filia regnavit, memoriæ prodidit, *lib. Rerum Indicar. cap 174.* Ab istis ego mulierculis rectè, nisi fallor, usurpari posse crediderim, illud libidinosæ Quartillæ dictum quod Petronius Arbiter, efferatam mulieris libidinem, & passivam prostituti pudoris nundinationem exsequens, ita concinnavit: Junonem meam (inquit Quartilla) iratā habeam, si me unquam memini virginem fuisse. Nam infans cum paribus inquinata sum, & subinde prodeuntibus annis majoribus me pueris applicui, donec ad hanc ætatem perveni, qua scilicet, ut est in proverbio, Taurum ferre potest, qui vitulum tulerat. Johan. Nevizan. *in Sylva Nuptiali lib 2. nu. 37.* Porrò in juvenili ætate qui sunt constituti, eos incentivo libidinis ut plurimum inflammari; notius est, quàm ut pluribus explicari debeat. Majoran. in Novell. *de sanctimonial.* vitandæ etenim sunt; & magnis attentionibus transeundæ humanæ cupiditatis illecebræ; In quas præcipuè primus ætatis ardor impellit. Et Concilii Toletani quarti *canone 23.* legitur: prona est omnis ætas ab adolescentia in malū, &c. Unde *adolescentiari* Varroni luxuria est. *Nonius cap. 1.* Impune enim adolescentibus adolescentiari licebat. Terentius *Adelph.* Nō est flagitium, crede mihi, scortari adolescentulum: non est. *Panegyr. Maximiani & Constantini initio:* nihil de vagis cupiditatibus, nihil de concessis ætati voluptatibus in hoc sacrum pectus admitteres? Hinc *juvenum publica cura* Horatio *meretrix* est: & quidem meretrix *Nonaria* dicta: quia apud veteres in nona hora prostabant prostibula: ne manè omissa exercitatione illi irēt adolescētes, ut habet vetus interpres Persii *Satyr. 1.* &

Cyamizare.

Fœmina 5. anno parientes.

Quartillæ Petronii.

Iuvenes in libidinem proclives.

Adolescentiari.

Meretrix nonaria.

& notat Savaro ad *Sidonij Apollinaris Ep. 2. lib. 7.* sed ne ætatis lubricæ juvenes ad Venerem projecti, vaga libidine diffluerent: jure Canonico provisum est hoc modo, ut matrimonio jungantur. Sic enim Clemens *Epist. 3. ab Iacobum fratrē.* Sacerdotes ante omnia ut pudicitiæ studentes, adolescentes nuptiis jungant: quo calorem ferventis ætatis conjugali lege præveniant. Nec abludit Apul ejus *lib. 6.*

Adolescentiæ luxuria matrimonio coercita.

Tollenda est omnis occasio & luxuria puerilis nuptialibus pudicis colliganda: ut vel hinc colligi possit, in pœnam quasi luxuriosis juvenibus datas olim uxores. Fierique docet prudens educationis magister *Plutarchus.* Quin & hodiè dissolutior juvētus uxoria hac habena castigari solet. Quod post Joh. Guilielmum ad illum Plauti versum *Trinum. actus 2. scen.*

Nam si pro peccatis centum ducat uxores parum est.

Notat doctissimus Tanbmannus: hac tamen cautione, ne impares ætate ad matrimonii jugum arctarentur.

Nota men impare.

Monet hoc Quintilianus *declamat. 306.* At tu, si quietem mavis, *duc parem.* & Calpurnius *declamat 20.* Ne pecora quidem, nisi paria, jugum succedunt. At impares ætatis sub jugum mittere Natura & civilitas aversantur. Ut ex Ambrosio idem monet Savaro *ad Apollinar Epist 4. lib 2.* Cæterum muliebris lasciviæ exemplum singulare retulit Gaudentius Merula: qui Augustæ Taurinorū vidisse se testatur adolescentulam satis elegantem & adeo libidinis avidam, ut quinque & triginta viros ordinis militaris ad coitum seriatim admiserit.

Lascivia puellæ Augustana.

Ant. Mizaldus *Memorabil. cent. 8. aphorismo 10.* Matronæ nimirum illi inertiā hujus ordinis probro objicienti, & quod nihil ageret operis nulloque lanificio exerceretur, hoc forsitan regestura: *se tot jā telas exiguo tēporis spatio pertexuisse*, ut est apud Erasm. Roterodam. *Chil. 1. cent. 4. adag. 1.* Vel Messalinam Claudii Cæsaris uxorem victura.

Messalina.

quam Plin. scribit ancillam in Venereum id certamen è prostitutis electā, die ad nocte superasse quinto ac vicesimo concubitu. *l. 10. c. 36.* quam etiam in artis istius professione, nomen *Lycisca* assumpsisse Juvenalis innuit, cui propterea dicitur

—nomen mentita Lycisca.

Solebant enim mulieres, meretricium quæstum capturæ, apud Ædiles licentiam stupri vulgare, ut de Vestilia, prætoriā familiā genita Tacitus scribit *l. 2.* atq; insuper mutatum nomen cellæ in lupanari, ubi prostabant, inscribere.

Cella meretricum inscripta.

Alex. Sardus *de Morib & ritib. l. 1. c. 15.* Unde cella inscripta apud Martialem:

Intrasti quoties inscriptæ limina cellæ.

Et de Nominis mutatione Plautus *in Pœnulo*:

Namq; hodiè earum mutarentur nomina,
Facerentq; in dignum genere quæstum corpore.

apud quem etiam Thusco modò dotem quærere, est, Dotis acquirendæ causæ corpore quæstum facere.

Thusco modo dotem quærere.

Sic enim illa Plauti verba *in Cistellaria*, accipio:

Tu jam locere in luculentam familiam,
Vnde tibi talenta magna viginti pater
Det dotis, non ut hic, etiam Thusco modo
Tute tibi indignè dotem quæras corpore,

quod à Volsiniensibus Thuscorum principibus tractum videtur: in quos à servis suis superatos, sancita à victoribus lex fuit, ut stupra sua in viduis pariter ac nuptis impunita essent: ac ne qua virgo ingenuo nuberet, cujus castitatem non ante ex numero ipsorum aliquis delibasset: ut est apud Valerium Maximum *lib. 9. cap. 1.* Id ipsum Herodotus & Nasomonibus tribuit: apud quos præterea, ut & Baleares, in usu esse scribit Alexander Sardus

Nasomenes & Baleares.

dus, ut prima nocte Nova nupta singulos admittat convivas, à quibus ineatur. & dona recipiat. Marito postemùm succedente. *libro 1. de Moribus & ritibus gentium c. 5.* quas primitias Insulæ Fortunatæ Regibus; Calicutæ, Sacerdotibus offerunt ut constanter asseverant, qui ab Indos navigant. Sanè locus, in quo Tyrrhenorum, itemque Lydorum virgines servis prostituebantur, γλυκὺς ἀγκών, id est, *dulcis cubitus* dicebatur, quemadmodum ex Athenæo Alciatus retulit *libro* 10. *parerg. cap. 5.* Cui annotandum est, eâs quæ capturis quæstuique meretricio renunciabant, liberum sibi ingeniumque nomen, pectore illo deposito, assumere solitas, ut ex Dousa & Pithæo probat Taubmannus *ad Plauti Pœnulum act. 5. scen. 3. verbo mutarentur nomina.*

Porcum vendere. Cæterùm quod Latini Corpus prostituere, quæstuiq; exponere dicunt, id Græci unico verbo eleganter exprimunt χοιροπωλεῖν, quod est *Procum vendere*, id est, capturas corpore quærere Nam & apud Aristophanem χοῖρος, id est, *porcum* pro muliebri natura positum invenias: & Romani identidem porcum, virgineum inguen blando & jocoso nomine appellavêre. Inde *Subare*, illud nequitiæ verbum, ab Horat. de anu extremæ libidinis usurpatum,

—jamque subando.

Tenda cubilia, tectaque rumpit:

quod est perditè impudenterque, & brutorum more commiscere, sicuti Johan. Pierius interpretatur *lib. 9 Hieroglyphic.* Eam ipsam partem Julia Augusti F. Agrippæ uxor, festivissimè *Navim* quoque appellabat. Roganti namq; conscio libidinum, qua arte, cùm tam vulgò se vulgaret, liberos tamen simillimos produceret Agrippæ: Non enim, respondit, nisi plena navi tollo vectorē. Antiquitas enim hortum muliebrem, inter alia nomina, etiam Navim dixit: ut Just. Lipsius *lib. 4. Epist. q. Ep. 3.* Rectè observavit ex Aristophane & Plauto: apud quem etiam *Concham* ab eadem mente usurpatam videas: cùm *in Rudente* servus ita ad Venerem:

Navis.

Concha.

Ignoscere his te convenit: metus has, ut id faciant, subegit:

Te ex concha natam esse autumant, cave tu harum conchas spernas.

quod examussim festivissimum inquit Douza: & scita est Lipsii observatio, conchas inter verba nequitiæ usitatas antiquitus. neq; id tamen propter illud concharum genus, quæ à Conchigena illa alma Æneadum genetrice Venerearum nomen sortitæ (quarum mentio est apud Senecam *Ep. 96.*) sed verò ob alterum illud potius, quod virginalium, & spuriorū titulo venit Apulejo. Idq; pluribus exsequitur Taubmann. *ad illum Plauti locum Rudente act. 3 scen. 3 & act. 2 scen. 4. verb. pollucta* Quis ille fungus, inquit, qui hoc negat, conchā hic accipi, qua mulieres sunt? Inde & conchis comparatur ab Aristoph. *in Pluto:*

Iupiter! quàm fortiter, concha modo

Isthac anicula adhæret adulescentulo?

Porta. Sed & partem illam etiam *Portam* quandoq; dictam legimus. Sic enim illud Veteribus usurpatum sapientib. intelligo: *Portā ingredi nefas esto, qua exieris.* Quò pertinet illud Propertii *lib. ult.* de meretriculis ipsi subblandientibus:

Cantabāt surdo nodabāt pectora cæco,

Lanuvij ad portas, heu mihi, solus erā.

Significat enim, se Venerem obire nusquam evaluisse, sed perinde ac solum jacuisse, quamvis scortilla cantillarent, quāvis ad prolectandam concubitus appetētiam, & libidinis pruritum, papillas retegerent; quamvis & ipse jam mutonem admoveret genitalibus, quæ non minùs festivè Portas, quàm Terentianus ille adolescens *Ostium* nominavit, qui pessulum

Ostio pessulum obdere.

lum ostio obdidit, non fores occludens, sed quod acutè solertiorib. excogitatum est genitalibus immissum mutonem præmonstrans, ut Cœl. Rhodigm. interpretatur, *Lection. Antiq. l. 4. c. 7.* Nec abludit Hadrian Turneb. *lib. 23. Adversar. c. 8.* Poëtam ibi per Lanuvii portas, obscœnam mulierum partem (qua Astaphium Plato mulier erat, & ubi amicitiam habitare scripsit *Palmerius*) veluti quodam lanitio vel lanugine hirtam intellexisse scribens. Idque latius explicat Simon Bosius, differentiam simul inter coleos *Lanuvinos & Clunarninos* docens *l. 15. Epist. 9. ad Attic.* vir acutissimus indigitatus à Taubmanno in Notis *ad Plauti Truculent. act. 2. sc. 2* Cui interpretationi facilè adstipulabitur, qui ex Celso Medicorum latinissimo didicerit, quinam Medicis dicantur *pessi*, fœminarum naturis adhiberi soliti Sacræ literæ partem illam simplicissimè *Nuditatem* dicunt. *Levit. 18. vers 19.* Ad mulierem in separatione immunditiæ ejus ne acceditio, ut ejus nuditatem reveles. Ubi separationem immunditiæ Lex vocat profluvium mensium; & Nuditatem, pudenda mulieris. quam revelare dicitur, qui cum ea rem habet. Illo igitur verborum circuitu vetat, ne cum muliere menstruis laborante quisquam rem habeat. Qui autem contrà fecerint, eos exscindi præcipit. *Levit. 20. v. 18 Vir qui cõcubuerit cũ muliere menstruali, & revelaverit nuditatem ejus, nudaverit venã ejus, & ipsa revelaverit nuditatẽ sãguinis sui, ambo tollantur è medio populi sui.* Cõstat enim, qui profluente mensium illuvie Veneri operantur, eorum genitalem humorem fœdo congressu inquinari: idcircoque non tantùm ineptum ad generandum effici; sed &, si quid gignatur ab iis, deforme id plurimum ac mutilum esse. Ea de re Lex erat, quæ mutili hominis patrem lapidibus obrui præcipiebat, cò

Mutili hominis pater.

quòd tantisper se continere, atq; à muliere, dum munda esset, abstinere nequivisset, ut est apud J. Drusum *l. 3. Observ c. 20.* Nec enim est, quod sacræ literæ istiusmodi metaphoram abhorreant, ut cum *portã clausam, hortum obseratum fontẽ obsignatum* dicunt, pudicitiam illæsam & integram significantes. Item cum *puteum & aquas* eodem significatu usurpant: ut esse ex eodem puteo, id est, ex eadem matrice. *Esa. 51. vers 1.* Bibe aquam è puteo tuo. Item. Ne bibe ex alieno fonte, *in Prov. Salomon.* ut post commemoratum modò Joh. Drusum & alios notavit Taubman. *ad Plauti Epidicum act. 4. verb. ærumnã obsevisti* Sic partem quoque virilem, quæ inter res serias nominari non debet, & quam Dea Bona à Sacello suo exsulare voluit, nonnunquam *Trabem*, quandoq; *Columnam*, modò *Pyramin*, interdum & *Palũ* appellari apud poëtas videas. Plautus etiam vasa nominat *in Pœnulo: Facio quod manifesti mœchi haud ferme solent, Refero vasa salva.* Inde *Vasculũ* apud Petronium scriptorem tersum & venustum; & nisi quod in re illa voluptatum nimis Latinè interdum loquatur, cætera laudatum: *Mox manum demisit in sinum, & protracto vasculo; Iam rude hoc, inquit, belle cras in promulside libidinis nostræ militabit.* Ita enim locum istum Lipsius emendavit *lib. 1. Antiq. lect. c. 8.* Hinc est, quod in Spartiano Heliogabulus Imp. benè vasatos conquiri jussit: quales sibi milites etiam Claudius Coteræus poscit, de re militari *libr. 1.* quanquam non desunt, qui apud Spartianum pro vasatis legant; *Nasatos*: ut à Naso flectatur Nasatus; non secus atque ab oculo oculatus. quo verbo Lampridius advertit dictos fuisse viriliores ac bellè mutoniatos: quales in complexum sibi potissimùm deligebat Johanna Neapolitanorum Regina, effrenatæ libidinis fœmina. Ita enim Tiraquello appella-

Vasa.

Vasculum.

Vasati.

Nasatorum peculium.

pellatur in LL. connubialibus *l.9. nu.99.* Sed hoc tamen *Nasatorum peculio* (ut est in proverbio) misere decepta fuit Mulіercula illa, quæ Nasi magnitudine Mutonis quantitatem mente præcipiens, at spe ista frustrata, O nase (inquit) quantum me fefellisti! Joh.Neviz. *in sylva nuptiali.*

De Messalino porrò, in lupanari, in palatio sese, & alias primarias fœminas prostituentis, portentosa libidine, exstat apud Dionem Cassium Nicæum *lib.60.* & ejus Epitomatorem Xiphilinum *in Claudio.* Cui non multum forrasse absimilis censeri possit lascivissima illa apud Ælianum muliercula, quam de notissima muris salacitate *Myoniam* dixit Epicrates. esse enim miram salacitatem murium, testimonijs auctorum, idem Ælianus probat *libro 12. cap.10.* Unde receptum videtur, ut inter amatoria blandimenta; quemadmodum *Turturis, Anseris, passerculi, columbbubulæ,* & id genus aliorum, ita & *Muris* cognomentum usurpetur. Martial.

Myonica. Murium salacitas.

> *Nam cum me murum, cum me tua lumina dicis.*

Eras.Rot. *Chil.2.cent.7.adag.8.* de quibus blanditiarum & lasciviæ verbis videatur Taubmannus *ad Bacchides Plauti act.1. sce.1. verb. Turturē.* Sic Semiramin (quæ, auctore Juba, tam immoderatæ libidinis fuit, ut Equum abominalili probro turpitudineque adamaverit & exinde deformis tauri amor in Pasiphaë non fabulosus, sed historicus esse credatur) ob libidinis fervorem Euphorion θιμβρὴν, hoc est, *ardentem* nominavit; perinde ut Callimachus Venerem θιμβρῆς κύπριδος ἁρμονίην, ardentem Cypridos harmoniam. Et quidem scorto cuidam Cyrenæ cognomen factum δωδεκαμήχανον, legimus; quasi tu dicas, *machinamentorum duodecim:* quoniam in Venereo usu duodecim excogitasset modos, quibus inscensori jucundius redderetur libidinis proluvium.

Semiramis.

Cyrene.

Panciroll. lib.2.

quanquam vix est, ut Mulieribus in hoc quicquam velint Mares cedere, Nam ut de Hercule taceam, quem Jupiter per adultimum ex Alcumena sustulit, & qui, ne non patris sui similis esset, nihil antiquius habuit voluptate, & quidem impura, & quovis jure vetita; exindeque triginta unâ nocte Mulieres aliquando fertur inijsse; atque ut apud Athenæum est, item septem diebus quinquaginta filiabus Thestij virginitatem imminuit: Traditum utique meminimus, Proculum, qui Probi tempore tyrannidem evasit, nocte una captivas decem ex Sarmatia constuprasse: atque ea de re peculiari eum epistola gloriatum fuisse, seque inter fortes numerari affectasse; dum mollitiem suam maximè commemorando manifestavit, ut graviter censuit Joh.Pierius *lib.10. Hieroglyph.* Hoc amplius Anton. Mizaldus prodidit, ex eodem Proculo centum virgines intra quindecim dies fœtum concepisse. *Cent. 1. Memorab. aphoris.88.* Cujusmodi libidinis validæ hominem, qui meretricio amore debacchatur, aut qui inexplebiliter Venerem consectatur, scitè admodum & doctè Hippubinum & Lastaurū appellari, ex Suetonio, Athenæo & alijs docet Ludov.Cœl.Rhodigin. *lib.21. lect. antiquar. c.22.* Et qua continentia fuisse dices eum, qui cùm viginti jam sepelisset uxores, eam sibi matrimonio copulavit, quæ vigesimū secundum maritum habuerat? De his D. Hieronymus *lib.3. tract.7. Ep.26.* Ante annos plurimos, inquit, vidi duo inter se paria vilissimorum è plebe hominum cōparata: unum, qui 20. sepelisset uxores; alteram, quæ vigesimum secundum maritum habuisset; & extremo sibi, ut ipsi putabant, matrimonio copulatos, summa omnium exspectatione virorum pariter ac fœminarum, post tot rudes uter alterum efferret. Vicit maritus, & totius Urbis populo

Hercules.

Proculus.

Maritus uxoris multinuba.

pulo confluente coronatus, & palmam tenens adoransq; per singulos sibi acclamantes. Uxoris multinubæ pheretrum præcedebat. Atq; hujus historiæ etiã *Boetius* meminit *q. 186. in fin.* & Iacob. Menochius *conf. 4. n. 40.* nuptias illas ultimas neque ab Ecclesia, neq; ulla lege damnatas fuisse cõcludens. Etsi enim Christiani Orthodoxi secundas, tertias, quartas, aut quotas libet etiam nuptias non improbãt illi quidem *can. aperiant. q. 1.* cùm ne ab ipso quidem Christo Septemviram illam condemnatam legamus, *Matt. 22. can. ult. 31. q. 1.* atque ideò illud Montani, Tertulliani & Novatianorum dogma de Monogamia, meritò improbatum fuerit, ut videre est apud Augustinum *lib. de hæresibus, c. 26.* & Theodoretum *lib. 3. de Fabul. hæreticor.* semper tamen parcè, & non nisi cum difficultate quadam illam toties nubendi licentiam Canones concessisse videntur. *can. de his. can. hac. ratione. 31. q. 1.* quandoquidem de Nuptiarum reiteratione cogitanti tam Univiræ, quàm omni viduæ illud inculcatur Apostoli: Beatior erit, si sic permanserit. *1. Cor. 7. & can ult. 31. q. 1.* Et D. Hieronymus *in Epistola ad Geruntium* de Monogamia: Quid igitur? (inquit) damnamus secũnda matrimonia? Minimè: sed prima laudamus. Abjicimus de Ecclesia digamos? Absit: sed monogamos ad continentiam provocamus. Nec verò quisquam sanæ mentis felicem negaverit aorum conjugum Hymenæum, quos thalamus primo & inexperto amore copulavit. Felices illos conjuges, quos mutuus amor & perpetua firmi affectus gratia conciliavit. O oculi, quos ego primus amavi! dicebat ille apud Calphurnium *declamat. 47.* Nam ut integræ & raræ fidei maritus meritò censetur, qui jactare cum Propertio & gloriari possit:

Cynthia prima suis miserũ me cepit ocellis,
Contactum nullis ante Cupidinibus:

Polygamia ανοσιότητα.

Ita non minore commendatione digna est Uxor illa, quæ æternam mortui mariti memoriam recolens amorem mutuum perpetua viduitatis castitate rependit:

Vidua laus.

Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit ille habeat secũ, servetq; sepulchro.

Cui planè respondet laudatissima Viduæ illius vox, defuncti mariti manes ita compellans apud Quinctilianũ, *declamat. 332.* Si quid inferi sentiunt, cognosce animum meũ: sicuti voluisti, tibi vixi, tibi moritura fui: Nulli alij in hoc pectore locus fuit. Quid? quòd ipsimet etiam Justinianus Univiris hanc dat gloriam, ut viduitatis cõtinentiam, pudicæ virginitatis integritati quodammodo æquiparet? Mulierem, inquit, quæ inviolatũ defuncti mariti thorũ servat, & miramur pariter, & laudamus, & non procul à virginitate ponimus. *Novel. 2. de nõ eligend. secund. nubent. §. Cùm igitur. vers. optimum.* E diverso, quæ iterũ nupsisset, tanquam impudicitiæ damnata, attingere pudicitiæ simulachrum prohibebatur. ut ex Festo probat Meursius *in Mantissa de luxu Roman. ca. 10.* Itaq; poëta Didonem sic inducit loquentem, cum post mortem Sichæi mariti de coniugio Æneæ cogitaret:

Huic uni forsan potui succumbere culpæ

ubi culpam vocat secundas nuptias, &, ut scribit Valer. Maxim. *lib. 2.* olim quæ uno matrimonio contentæ fuerant, corona pudicitiæ honorabantur: Multorum, inquit, matrimoniorum experientiam, legitimo cuidam intemperantiæ signum credentes, quod multis exornat Cujacius *ad l. C. de secund nuptiis.* ut sit sensus: legitimi quidem, at intemperantes tamen eam facere, quæ duorum se concubitu quasi prostituit, ut etiam Martialis:

Quæ nubit toties, non nubit: adultera lege est.
Offendor mœcha simpliciore minus.

Adulteram eam dicit, quæ prioris viri thorum,

thorum posterioris mariti adulterio polluit: quod quia lege facit non prohibente, adulteram esse legitimam: quæ tamen plus peccet ipsa, quam simplex mœcha: hæc enim & lege tolerante facit, quod facit, & finem suam non violat, quam nulli unquā obstrinxit, prout Franciscus Connanus interpretatur *lib. 8 comment. jur. civil. c. 7. num. 5. fol. 900.* At Scipio Gentilis illud Martialis succinctius ita explicat, quasi minus offendatur ea, quæ verè adultera est, tanquam melior sit & simplicior, quā illa quæ cum toties nubat, veneficij etiam crimen aut suspicionem sustinit. *in tract. de secundis nupt. c. 8.* Apud eundem verò Conanum etiam reperire est, nullum viduarum nuptijs solemne fuisse proprium, adeò ut & festis diebus possent celebrari. Cujus causa erat, quod nulla vis ipsis offerretur. Verrius autem Flaccus, juris Pontificij doctissimus, aliam quoq; joci caussa reddebat rationem, ut testatur Varro: quia ferijs veteres fossas tergere liceret, novas jus non esset. Ideo festos dies viduarum nuptijs convenire. Quod ipsum & Cœlius Rhodiginus tradidit *l. 28. Lection. antiquar. c. 18.* Ex quo Gryphum convivalem quondam proposui amico meo optimo *Dn. Martino Schreyero* Senatori Ambergensi, viduam sibi matrimonio copulanti *14. Sept. An. 2614.* honoris ejus gratia adscribere placuit:

Viduarū nuptiæ absque solemnitate

Martinus Schreyer.

Quæstio mota fuit, num connubialia lecti
Sacra maritalis si quis adire velit,
Innuptam potius sit, ut ardeat ille puellam,
Quam viduam, expertam jura marita thori?
Itum est in partes, sua quævis opinio vota,
Et sectatores partem in utramq; refert.
Non tulit hanc litem Flaccus gravitate verendus
Verrius, attollens grande supercilium:
Remque omnem justo libratam examine pensans
Alterutra quid fas parte, nefasq; docet.
Luce licet festâ veteres detergere fossas: "
Luce nefas festâ posse parare novas. "
Quid tibi vis Verri hoc obscuro ænigmate Flacce?
Quod Pythio magis est ambiguū tripode.
Conjectare licet solventi portio carnis.
Præstò erit: errantem potio salsa manet.

Solventi enim Gryphum præmium erit portio carnis: imperito ac segni mulcta irrogabatur, ut salsam hauriret potionem: quod idem Cœlius Rhodiginus adnotavit *l. 28. lect. antiq. c. 4.* Et joco illi simile quodammodo est quod tradit Accurs. *ad l. rem non novā aggredimur. C. de judicijs.* Hic, inquit, fuit derisus Bulgarus (antiquus ille apud Romanens. juris glossator) à scholarib. cum jam nocte duxisset uxorem viduā, & mane inciperet legē istam.

Bulgarus à Scholaribus derisus.

Quibus addendum est, quod in Viduitatis laudem scripsit Joh. Coras. *lib. 3. Miscell. c. 1.* & Annæus Robert. Aurelius *li. 2. rer. judic. c. 7.*

Necest, quòd Viduitatis servandæ difficultates objicias. Nam ut, ex Comici sententia, Nulla res tam facilis est, quin difficilis fiet, si invitus facias: Ita è diverso Seneca nihil grave esse monet, quod leviter excipias: siquidem, ut Amasis Ægypti Rex dicebat, facilimum est, quodcunque placet. Finge igitur. Continentiam impudicæ mulieri arduam fore, difficilem & molestam: at pudicæ facilis ea erit & jucunda. Nihil enim amantibus durum est: nullus difficilis cupienti labor est. Hier. *Ep. ad Eustoch. de custod. virg.* Ac ut cætera, quæ sedando Cupidini sunt, remedia taceam: cōmodissimum fore putarim (etenim *ridentem dicere verum Quid vetat?*) si à Pythagoræ κυάμων esu abstentū fuerit: non quòd a fabis, illo leguminum genere Pythagoras abstinuerit: quæ opinio vetus & falsa multorum animos occupavit, ne Cicerone quidem excepto, qui

Pythagoras à fabis abstinet

in lib. de de divinat 1. Pythagoreis interdictum scribit, ne fabâ vescerentur, quòd haberet inflammationem magnam is cibus, tranquillitatem mentis quærentibus contrariam: cùm Aristoxenus contrà *in libro, quē de Pythagora reliquit*, nullo sæpius legumento Pythagoram dicat usum, quàm fabis: quoniam is cibus & subduceret sensum alvum & levigaret: (quam fabis vim, ut & alias præterea virtutes etiam Jo. Bruyerin. tribuit. *lib. 7. de re cibar. c. 2.*) sed potiùs Veneris usum sectatoribus suis interdixerit Philosophus. Sic enim illud Empedoclis.

Δειλοὶ, πανδείλοὶ, κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχεσθαι,

Ah miseri, miseri, Cyamis subducite dextras:

Gellius interpretatur *lib. 4. Noct. Atticar cap. 11.* ut per κυάμους ibi non fabulam aut legumentum illud, sed *testiculos* significari putet: quia sint ferendo utero validi, & genituræ humanæ vim præbeant. qua ratione & κυαμίζειν sive Cyamissare dicimus virgines, quæ matura jam ætate virum appetere incipiunt, quod supra monui. Ideoque non à fabulo edendo, sed à rei Venereæ proluvio voluisse Pythagoram homines deducere: & quidem sectatores suos inprimis; quibus non mirum est adeò cordi fuisse præceptoris placita: quippe quem tantopere fuerunt reveriti, ut Plutarchus scribat quendam ex discipulis guttur sibi præfocasse, quod acriter coram puribus ab ipso guisset reprehensus. Voluit scilicet Pythagoras eam sibi apud discipulos auctoritatem esse, in qua ipse Magistros suos habuerat: inter quos non vulgari honore coluit Pherecydem ex Syria insula oriundum: cui multa admiratione digna contigisse, memoriæ est proditum. Nam & absque ullo magistro omnem philosophandi rationem sibi cōparavit: & cum cæteri carminibus Rerum naturas scriberent, primus versum nexu repudiato (ait Apulejus *Floridor. lib. 2.*) conscribere ausus est passis verbis, soluto loquutu, libera oratione quem etiam primum ex Philosophis animos hominum sempiternos asseruisse, suprà *ad Titul. 1.* à nobis relatum est. Sed & de mortis ejus genere controversum video. Nam phthiriasi sive pediculari morbo (qui ut ex Helladio refert Photius *fol. 1587.* tum fieri dicitur, cum totum corpus in pediculos resolvitur) Pherecydem periisse scribunt, Aristoteles *lib. 5. Histor. animal. cap. 31.* Plutarchus *in Sylla.* Q. Serenus medicus, & omnium manifestissimè Ælianus *lib. 4. Variar. histor. c. 28. & lib. 5. cap. 2.* quibus in locis Pherecydē misserrimè omnium hominum vitam exegisse ait, toto ipsius corpore à pediculis exeso atque consumpto. Nam in ipsis morbi propyleis ac ejus corpore deliquatum similem visco & mucori calidum sudorem, mox ferinum quendam, postremò succrevisse pediculorum diram sobolem, qua colliquatis carnibus contabuerint: Sed antea, cōspectu horrorem incutiente, familiarium reclinare cōsuetudinem cœpisse. Ubi verò accessisset vel Pythagoras, vel alius quispiam, ex eo ut haberet sciscitaturus: per foramen januæ extenso digito, jam carne prorsus denudato, respondisse fertur id, quod parœmiodes apud Philosophos mox est factum χροΐ δῆλα, *ex colore id palam esse:* innuens scilicet, Corporis reliquum compari affectum modo. At Plinius *lib. 7. c. 15.* non pediculis, sed copia serpentum ex illis corpore erumpente, Pherecydem exspirasse tradit. quem & Apulejus sequutus est, dum eum infandi morbi putredine in serpentium scabiem solutum fuisse scribit *lib. 2. Floridor.* Sed probabile est, Plinium & Apulejum per serpentes eo in loco nihil aliud intellexisse, quàm pediculos: & in hoc fortassis Diodorum Siculum fuisse æmu-

Pythagoræ auctoritas apud discipulos.

Pherecydes.

Phthiriasi correptus.

æmulatos, qui *lib.3 cap.3.* de Acridophagorum morbo disserens, modò φθεῖρας, modò ἑρπετά appellat, quæ Hieronymi Mercurialis sententia est *lib.5.Variar.lect. cap.6.* Sed unde tam tetram plagam Pherecydi incussam putemus? Et auctor est Ælianus, memorare Delios, id mali Philosopho Apollinis indignatione fuisse illatum, quòd tumidius insolentiusque ille cum discipulis in Delo sedens multa quidem de sapientia sua ostentasset, atque insuper etiam gloriatus fuisset, Nulli unquam se Deorum immolasset, nihilq; minùs jucũdè sibi ad id temporis actos vitæ annos, nec citra omne incommodum minùs, quam qui Hecatombas subinde oblatum eant. Atque hoc dicti tumore vel levitate potiùs, gravissimam eum rependisse pœnam, probabile prorsum fieri, quod ex Æliano, pro more tamen nomine ejus dissimulato, retulit Cœl. Rodig. *lib.19 antiq.lect.cap 30.*

Pherecydis fastus.

Pherecydæ huic ob similem Deorum contemtum rectè, opinor, adjungi posset Diagoras Melius: qui etsi prius satis quidem religiosus erat, postea tamen quàm pecunias amici fidei concreditas amisisset, atque ita abnegatum sibi depositum, & nihilominus negantem illum rem benè feliciterque agere videret; Dijs inimicus factus est adeò, ut θεομάχος diceretur, & mortales ad adversandum Diis immortalibus solicitaret. Is cùm in diversorio esset, nullaque adessent coquendis lenticulis ligna; Herculis simulachrum, quod tum fortè aderat, igni subjecit: Tertium decimũ inquiens, laborem nũc perfice, & Diagoræ Athæi lentem coq;. Unde argumentũ sumsisse Virgil. Catalectis verimile est:

Sed frigus metuo & vereor ne ligneus ignem.

Hic Deus ignaris præbeat agricolis.

Et quid vetat in eundem Herculem Palladæ epigramma adijcere, quod ex Græco ita Latinum fecit Alciatus *lib.9. parergon. cap.15.*

Herculis in trivio statua ærea capta jacebat,

Quæ quondam ante aras, nunc jacet ante fimum.

Heu trinoctigena, propulsatorque malorum,

Nunquam aliàs victus, nunc malè stratus agis!

Dixi: adstans noctu & ridens mihi retulit ille:

Hic servire Deus temporibus didici.

Verùm cùm Diagora, tum Pherecyde lõgè tolerabilior & moderatior fuit Demonax Philosophus, qui Lucani vixit temporibus. Is enim Athenis accusatus, quòd nunquam Minervæ sacrificasset, solusque omnium philosophorum atq; illustrium virorum, Eleusiniis sacris non initiaretur: Respondisse fertur, se huc usq; sacra Minervæ non fecisse, quod suis oblationibus eam egere non putabat. Deinde ideò participem Orgiorum esse noluisse, quòd si ea prava aut frivola comperisset, quæ quasi solo silentio sancta, & sola taciturnitate cœlestia videbantur; non potuisse tacere apud non initiatos: sed & omnes homines ab eorum cultu & celebratione dimovisset. Sin pia & veneranda: humanitate & benevolentiâ motus, eò tanto omnibus enunciasset, qua scelus & invidia esset, celare ac supprimere, quod didiceris optimum. Petrus Ærodius *Rerum judicat. lib.1.Tit.2.cap.5.* Eleusinia enim sacra cistis operta deferebantur, & ut arcana vulgari nefas erat: & vel noctu, vel per diem quidem, sed sub noctis specie, facibus quippe accensis, celebrabantur. Lilius Gregor. Girald. *Histor. Deor. syntagm.14.* Horum itaque abolitionem Athenis tentans Demonax dixisse fertur, omnia sibi sacrificia nocturna semper suspecta fuisse, ut nemini mirum videri debeat, quod Bodinus

Demonax.

Sacra non occultanda.

dinus scripsit, præstaret scilicet sacra, quæcunque tandem sint, in conspicua Civium luce fieri, quàm nocturnos cœtus religionis specie coire. quod evidenter doce *lib.3 de Repub.c 7.*

Alcman phthiriasi correptus.

Invenio præterea apud Plinium, pedicularis morbi fœditate etiam Sillam Dictatorem, & Alcmanem ex clarissimis Græciæ poetis obijsse, *libro 11. Natural. histor. cap. 33.* Et quem Alcmanem? Illum, inquam, quem alioquin & πολυβορώτατον, id est, *voracissimum, & pamphagum* ipsummet se vocitasse legimus: joco, an seriò, non facile dixerim. Certè in eorum numero aggregatum hunc video à Cœlio *lib.7. Antiquar. lection. cap. 11.* qui non satis esse putant, bonorum decumam contrivisse, nisi & sua omnia, & se denique in barathrum ita devolverint, ut in pollinctura ne supersit quidem, quod funeri infundatur: quorum bona instar sphæræ in ventrem devolvi Græcamicus pota dixerat. Syllam verò Dictatorem quid miremur simili infortunio mulctatum? quem à primo pubescentis ætatis vestigio in scurrarum gremijs, per damna venundati pudoris adolevisse, ex gravissimis auctoribus idem prodidit Cœl. Rhodiginus *libr. 15. cap. 10.* & quem trium pestiferorum vitiorum, Luxuriæ scilicet, Avaritiæ, & Crudelitatis magistrum vocavit Cicero *lib.3. de Finibus.* Et tamen unus hic hominum, ait Plinius *lib.7.cap.43.* Felicis sibi cognomen adseruit. sed quibus felicitatis inductus argumentis? quòd proscribere tot millia Civium, ac trucidare potuisset. At exitus vitæ ejus omnium proscriptorum ab illo calamitate crudelior fuit, erodente se ipso corpore, & supplicia sibi gignente. Perijt enim Sylla, ut Plutarchus *in vita ipsius* meminit, pediculari apostemate: de cujus putrilagine pediculi coacervati scaturiebant, corpus perreptantes & exedentes. quos cùm ministri de corpore Syllæ interdiu noctuq; avellerent, succrescentium tamen copia interemptorum turbam longè superabat: quorum sordibus dapes & vestes illius cōspurcabantur: & nec vestiū mutatio, thermæ, aut alia lavacra quidq̄ proderant, pædoris magnitudine omnia corporis purgamēta superante. De quo Quint. Seren.

Sylla quoq; infelix tali languore peresus
Corruit & fœdo se vidit ab agmine vinci.

Sylla Dictator.

Quos versus adducit Savaro *ad pollinar. Ep.13.lib.4.* pediculos illos, quibus homines exeduntur *ferales* appellari docens. Illud tamen in Sylla meritò mireris, quòd commentarios rerum abs se gestarum, quos libris viginti duobus conscripsit, duobus ante mortem diebus absolverit. Cujus rei Plutarchus, qui eos legit, & sæpè laudat, testis est. Igitur neq; horribilis morbi vexatio, neq; mortis instantis terror et jam sexagenario opus inchoatum potuit eripere. Adeò ille & Imperio sive Dictatura (qua ut in privato ocio cōmentarijs illis dictandis atq; componendis operā daret, ultro se abdicarat) & vita ipsa historiam hanc habuit chariorem! Fr. Balduin. *de Instit. hist. univers. lib.2.* Consimilis morbi fœditate correptus, & vermibus erosus Herodes Rex legitur, quòd non tribuisset gloriam Deo, sed totam sibi vendicasset, à Tyrijs adulantibus, eloquentiæ nomine supra hominem laudatus. *Actor.12.v.23.* Ejus enim corpus ob parricidij flagitia & sacrilegia contabuisse, Eusebius *lib.1. histor. Eccles.* ex Josepho *lib.17. Antiquit. Iudaicar.* testatum relinquens: Intestina, inquit, Herodis intrinsecus ulceribus obsita, verenda ipsa putredine corrupta, vermibus scatebant. Et Egesippus *de Excidio Hierosolymitano lib.1. cap.45.* Pudenda, inquit, corporis scatebant vermibus sparsim; anhelitus graviter olens, suspiria perniciosa, indicio erant illum

idem Herodes

lum injusti parricidij & sacrilegij pœnas luere. Nam nec illi trans Jordanem thermæ, nec Asphaltis in Judæa lacus, plerisq; alijs salubris, quinquã profuerant. Adeo acer criminum, & Numinis præsertim sui vindex est Deus; qui, ut de Hercule dicebat Valerius Maximus *lib. 1. ca. 1. nu. 17.* detractæ religionis suæ gravem & manifestam pœnam solet exigere, quę quò tardior est, eò & gravior. Ultor enim scelerum Deus, vindictæ tarditatem supplicij gravitate compensat, & quidem superbiæ inprimis: cui si seræ, non tamen lenes veniunt pœnæ, ut est apud Livium:

Vindicta divina.

—movet & cœlestia quondam
Corda dolor, lętoq; irrepũt agmine pœna,

rectè cecinit Papinius *lib. 5 Thebaid.* Quo sensu & Seneca ad Lucilium scribit: Propè „ Deus est, tecum est, intus est. Ita dico, Lu„ cili, sacer intra nos spiritus sedet, malorum „ bonorumq; nostrorum observator & cu„ stos: hic prout à nobis tractatus est, ita „ nos ipse tractat, qua gemma locum istum obsigno, & ad Veneris amuleta redeo: Inter quæ non postremo loco ponenda erit Bulborum abstinentia. Bulbos enim languentem Venerem impendiò excitare est creditum: quandoquidem, ut ille dicebat,

Bulbi Venerē proritant.

—viros acuunt, armantque puellas,
Quæ Megaris veniunt genitalia semina bulbi.

Megaricos enim bulbos præcipuè commendat Cato, & inprimis laudat Nicander: attestante Johan. Bruyerino *lib. 9. de Re cibaria, cap. 9.* Hinc viri prima nuptiarum die, ut est apud Varronem, bulbos comedebant. Ad quem morem haud dubiè allusit Aristophanes, apud quem Juvenis à duab. vetulis distractus, cum quæsisset ab eis, quanam posset ratione duo eodem remo navigia agitare? Respondit una: postquam bulborum ollam devoraveris. Quod irridens Martialis, in anu præsertim & viro effœtis, ita ludit, *libro 13.*

Cùm sit anus Conjunx, & sint tibi mortua membra, (potes.
Nil aliud bulbis quàm satur esse

Cæterùm bulbos aqua decoquere ad Veneris usum. M. Varro docet: quib. Apitius nucleos pineos, & semen erucæ cum pipere, Martialis etiam Satureiam addidit *lib. 3. Epig.* in Lupercum, ad Veneris munia obeunda emortuum:

Sed nihil Eruca faciunt, Bulbique salaces, (tibi.
Improba nec prosunt jam Satureja

Poterat etiam illam Veneris in lecto colluctationem sive palæstram, quam veluti exercitationis genus Domitianus Imperator *Clinopalen.* nominabat, pedum nuditas coercere. Hanc enim concubituris officere, Aristoteles quoque asserit *sect. 4. cap. 5.* quippe dum corpus frigore torpet, torpet & ipsa Venus: quod accidit, dum pedes nudi algent. Hic pedum nuditatem ex Veterum religione, castitatis symbolum fuisse constat. Sic enim pythagoras sacris Ægyptiorum edoctus, in symbolis suis, adorare & dijs sacrificare nudis pedibus jubet, i.e. animo casto, à libidinũ criminibus expiato. Quare & Moses à Deo Op. Max. jussus est in loco sancto stare discalceatus. Et Judæis, itemq; Mauris & Saracenis, templa aut loca Deo dicata, calceatis ingredi pedibus, nefas erat. Quod & Lacædemonij observarunt: qui, ut Eusebius in Chronicis refert, regnante Romæ Tullo Hostilio, *sacra Nudipedalia* instituerunt. Unde & Berenice Regis Agrippæ soror, ut Deo pro salute sua vota solveret, Hierosolymã venit, & cæsis de more patrio hostijs, derasisq; capillis, nudipes ante tribunal Flori præsidis quoque stetit, ut Josephus prodidit *Belli Judaici lib. 2.* Atq; ea propter, ut fama est, & piè creditur, Divi Francisci Monachi, ad servandam castitatis sanctimoniam, pe[illegible]

Pedũ nuditas

bus nudi, solis Callopodiis utuntur quorum professionis Auctor, libidinis tentiginem, de nive imagunculæ amplexu, Assisiis in horto refrenabat. Adeò frigus nativo Veneris calori noxium esse putatur. quod Joh. Langius diligenter exsequutus est *Ep. Medic. lib. 2. Ep. 9.*

Sal Veneris illicium

Sapienter etiam à salis usu crebriore sibi temperabit, quisquis Veneream illam titillationem vitare gestit. Sal etenim genuinum Veneris vigorem proritate, & prolificum reddere creditur: Nam nec ullibi in toto hoc Universo magis luxuriat generandi facultas, nec tam multiplex reperitur generatio, quàm in mari. Quo fit, ut marina animalia & numerosiora sint, & majora, & vegetiora, quàm terrestria: utpote cùm Salis vis consumendo alimẽti copiam hæc comminuat, nec ita adolescere sinat, ut quæ abduntur, si Aristoteles vera sensit *in problem sect. 11. §. 54.* Ob id Ægyptij canes ad coitum inertes salsamentis carnibusq; in sale maceratis ad Venerem alacriores reddebant. & in navib. maritimis immensam murium copiam enasci videmus: adeò ut nec desint Auctores, qui fœminas absq; masculi coitu, solo gustatu vel linctu salis cõcipere affirment. Inter quos & Plinius recensetur *libr. 10. c. 65.*

Murium fertilitas.

Hinc tanta murium multitudo perhibetur, ut omnes ferè quadrupedum species fœtu superare mures credãtur. Quippe quorum generationem Aristoteles, præter cætera animalia, majorem in modum mirabilem esse dicat, tùm numero tum celeritate. Jam enim fœmina prægnans in vase miliario aliquantò occupatas paulo post reserato vase, musculos numero centum & viginti repertos fuisse scribit *lib. 6. d. histor animal. c. 37.* Cui & Plinius assentitur *d. c. 10. nu. 65.* & approbat Simon Majolus *part. 1. dier. canic. colloq. 7. fol. 252.* Atque inde est, opinor, quod Mulieres salsamentarias & salinarias continenter prurire, atque numerosæ prolis matres, cum Lemnio dicat Ant. Mizaldus *Memorabil. cent. 3. Aphoris. 55. & 71.* Non certè abs re Poëtæ Venerem, omnis prolificæ genituræ principem, è salo natam, & ἁλιγενῆ dici finxerunt, ut Langius monuit *lib. 2. Epist. 32.* & nemo non novit, qui poëtarum scripta vel perfunctoria saltem lectione libavit. Quæ tamen ex Francisci Valesij distinctione ita temperanda sunt, ut multi salis usum cùm hominibus, tum reliquis animantibus morbidum esse dicamus, eò quòd sanguinem salsum faciat, & sterilitatem inferat, siccando vehementer & acrius efficiendo semen: moderati verò, salacitatem stimulare & pruritum augere, ac proinde ad generationem conferre. Fr. Valesius *de sacra philos. cap. 34.*

Vena sectio post aurem.

Nec minus rectè Incontinentiæ illo vitio laborantes, mederi ei poterunt, si post aures venas secuerint. Id enim Scythas factitasse legimus: qui cum ob frequentem equitationem coxis ac cruribus valde offenderentur, incisione venarum post aures sibi ipsis auxiliabantur, tanquam eo remedio capiti adhibito, pituitæ fluxum ad inferiora cohiberent. qui sani quidem, sed infœcundi semper manebant, ut Hippocrates tradidit *lib. de aere aquis & loc.* imò planè evirati & effœminati evadebant, *fœmineo morbo*, quem vocabant, affecti, ut est apud Herodotum in Clio. Sanè arteriarum sectione, quæ post aures sunt, homines ad generandum impotentes reddi, Franc. Valesius *lib. 2. Controvers. Medicar. & philos. cap. 7* vel inde putavit, quòd cerebrum imbecille reddatur, privatum influxu Spirituum vitalium. Unde nec mirum, si ignavi illi reddantur, & impotentes ad coitus laborem sustinendum, atq; satis vehementes edendum motus. Solere enim eo tempore cerebrum vehemẽter laborare. Aut verò (inquit) fortasse cum

se cum venis præscindebatur nervulus quidem, quem Andreas Vesalius, vir in dissectione exercitatissimus, dicit se vidisse in multis, à sexta nervorum cerebri cõjugatione descendere in testes, & vasa seminaria. In qua sententia jam antea quoque fuisse videtur Joh. Langius, Germanorum Medicorum doctissimus, dum prolifici seminis potiorem partem à cerebro & spinali medulla pervenas & arterias temporum ac lumborum, ad seminaria defluere vasa scripsit. Indicio esse, quòd coeuntes in spermatis effusione oculis nictent, & quòd coitu cerebrum exsiccetur. Hinc esse, quòd ob inopiam humoris calidi & pinguis, qui congressu illo consumitur, salaces citiùs calvescant: quod Julius Cæsar gravi scommate calvus mœchus proclamatus: quòd petulantissimi histrionis capite post funus dissecto, exigua cerebri portiuncula fuerit reperta: quòd bajulo cuidam ὀχευόντι luxatis dorsi nervis & vertebris, ob colligantiam illam, quam genituræ vasa consortij quadam lege cum spinali medulla, altera quasi cerebri parte, habent, involuntarium lotij & spermatis acciderit proluvium. Pueri contra & spadones, utpote quorum non exsiccetur coitu cerebrum, non calvescant: & boves insuper castrati majora ferant cornua: plantæ quoque pingues, ut arbores resiniferæ, perpetua fronde vireant: & quæ præterea ipsius argumenta sunt *lib. 1. Epist. 10. & lib. 2. Ep. 7.* Sed Scytharum, sive fœminei istius morbi luculentissima exstat descriptio apud Hippocratem: qui, ut Macrobius *lib. 1. Saturnal.* dicebat, nec fallere, nec falli novit. Ejus igitur verba, cùm clarissimam Herodoto lucem afferant, placuit ita ut ab Hieronymo Mercuriali latinè sunt reddita *libro 3. Variar lect. cap 7.* hîc adscribere: Amplius autem (ait Hippocrat. *lib. de aere, aquis & loc.*) plurimi Schytæ Eunuchi fiunt, &

Seminis pars potior à cerebro.

Morbi fœminei descriptio.

Pancirolt. lib. 2.

muliebria officia obeunt, instarque fœminarum omnia faciunt & loquuntur: vocanturque hi Effœminari. Et regionis quidem incolæ causam ad Deum referunt, coluntque hos ipsos homines & adorant, sibi ipsis timentes, ne quid tale accidat. Mihi verò hi affectus divini quidem esse videntur sicuti & reliqui omnes; neque ullum aliquem alio esse diviniorem aut humaniorem, sed divinos omnes: verùm unusquisque eorum suam propriam habet naturam, neque aliquis citra naturam accidit. Quare quomodo hic affectus contingat narrabo. Ab equitatione ipsa diuturni eos corrippiunt articulorum dolores, nimirum propendentibus semper ex equis eorum cruribus; deinde claudi fiunt, contrahunturque coxendices, cùm invaluerit morbus. Medicantur autem sibi ipsis hoc modo. A principio morbi utramq; venam retrò aures incidunt: quo facto, sanguine multo promanante, somnus eos corripit præ imbecillitate, sicq; obdormiscunt: quorum quidem aliqui depulso somno suavi exsurgunt, aliqui verò minimè. Atque mihi sanè videntur ea medicatio nõ se ipsos perdere. Sunt enim venæ post aures, quas si quis secet, sterile fiant ij, quibus secantur. Quare id etiam ipsis ex earum incisione accidere certum est. Quando igitur postea uxores adeunt, impotentesque se factos vident; cum illis coire, primùm quidem nihil molestius cogitantes, quiescunt: cùm autem bis, aut ter, aut amplius frustrà opus tentarunt, neque quicquam proficiunt, mox putant se Deum offendisse: in quem culpam rejiciunt, induuntque se veste muliebri, palam se eviratos esse confitentes, ad mulierumque contubernia transeunt, earum opera tractantes. Hoc itaque malo ditissimi Scytharum afficiuntur, minimè verò infimi; imò qui maximè & genere, & potentiâ prævalent, ex nulla alia quam

Effœminati.

continuæ equitationis causa hoc perpetiuntur: pauperes verò minùs, cùm non multum equitent. Atqui oportebat, siquidem is morbus alijs divinior est, ut non nobilissimis neq; ditissimis Scytharum ferè solis accideret, sed esset omnibus æqualiter peculiaris: Imò magis in vaderet pauperes, circa cultum Deorum negligentiores? si gaudent Dii etiam in hominum admiratione constituti, & pro hoc beneficia hominib. retribuunt. Divites enim sæpius Dij sacra faciunt, victimas offerũt, statuas erigunt coluntque, cùm pecuniis abundent Paperes autem minus id faciunt, cũ non habeant: quin etiam aliquando Deos detestantur, qui eis opes non suppeditent ut verisimilius esset, pauperes ac parum abundãtes hoc malo propter crimina sua puniri magis, quàm divites & qui opibus abundant. Verùm, sicut & alias dixi, divinus quidem hic affectus est, similiter atq; alii omnes; singulis aut secundum naturam fiunt. Atque ejusmodi morbus ex ea, quam dixi, occasione Scythis contingit. Ex quibus Hippocrat. verbis satis constare opinor, eundem ab ipso describi morbum quem Herodet. *Fœmineum* vocabat. Etsi autem ne ipse quidem Bod. *in Methodo histor. c.5. & lib.5 de Rep. c.1* planè diffitetur, Scythas plerosq; indignè ferentes, quòd ad Venerem inepti sint, seipsos castrare, parotidos venæ, quæ sub aures latet, sectione: Tamen ineptitudinis sive imbecillitatis istius ad Venerem caussam esse Equitationem crebram, & caloris inopiam, id verò pernegat; cùm & Aristotelis testimonio, & quidem certissima ratione, quam affert in Quæstionibus, salaciores sint, qui equitare consueverunt, atque ita Equitatio Venerem excitare soleat: & Scythas prætereà caloris copiâ abundare, tum corporum proceritas, tum robur earum nationum, tum ipsa Septentrionis universi natura cogat consiteri. quod ta-

Equitatio an Veneri reddat ineptiores

men pluribus hîc non disputo: quemadmodum & plura coerercendæ libidinis remedia hoc loco exponere, neque animus mihi est, neque instituti nostri ratio patitur: cùm vel istis recensendis à meta nonnihil, quanquam non præter voluntatem berrasse videri possim. Satis ergò exspatiatus tandem in viam redeo. Etsi igitur nuptiis contrahendis legitimum tempus constitutum diximus, Maribus quidem annũ decimumquartum; Fœminis duodecimum: ita ut qui ad id ætatis pervenerunt, nisi aliud quid impedimenti obvenerit, matrimonium quocunque velint tempore, licitè possint contrahere: Id tamen non in infinitum, sed in matribus usque ad sexagesimum; in fœminis ad quinquagesimum duntaxat annum, *Lege Iulia & Papia* fuit protensum. Ea quippe Lege maribus sexagenarijs, & mulieribus quinquagenarijs nuptias interdictas esse Ulpianus docet, *in fragment. Tit.16. in fin.* & Justiniauus *in l sancimus.27. C. de Nupt.* Credo, quia cesset in conjunctione, quæ ultra id tempus protenditur, prolis procreatio: quæ potissimus matrimonij finis est. *can. omne itaque, 27 quæst.1.* & nuptiarum sive conjung j præmium dicitur, quo, absque pudore carere non possunt fœminæ: quibus uti hæc sola causa est nubendi, ut pariant, *can. pud. 32. q. 1.* ita pij appellantur patres, qui liberorum procreandorum animo & voto uxores ducunt. *l. liberorũ. 220. §. præter hac. ff. de verbor. signif.* Hinc *Lege Iulia Miscellan.* viduitatis conditio remittebatur jis, qui intra annum jurassent, se liberorum procreandorum causa nuptias contrahere. Sic enim & Sp. Carbilius cum Uxore, quia liberi ex ea, corporis vitio non gignerentur, quam alioquin egregiè dilexerat, charissimamq; morum ejus gratia habuerat, divortium facturus, jurare à Censoribus coactus legitur, Uxorem se liberorum quærendorum

Sexagenariis nuptiæ interdictæ.

Liberorum procreatio matrimonij finis.

rum gratiâ habiturum. Gellius *lib.4. Noct. Atticar. cap.3.* Et L. Julia *Norbona* testatò deponebatur, Liberorum quærendorum caussa Uxorem duci: eaque formula tabulis Nuptialibus solebat inseri. quod præter alios ipse etiam Augustinus docet. *Sermone* 244 Dedique, ait, ipsæ tabulæ Matrimoniales hoc continent: LIBERORUM PROCREANDORUM CAUSSA. *& libro 3. cont. Iulianum* scribit: Pudicitia conjugalis facit, quod præscribunt tabulæ matrimoniales: ne ultra, quàm generandis filijs satis est, Conjugis corpus attrectetur. Estque memorabile satis *Zenobiæ* Palmyrenorum reginæ exemplum, quæ cùm omnium propè fœminarum (ut Julio Capitolino placuit) speciosissima tum ejus castitatis fuisse dicitur, ut ne maritum quidem suum admitteret, nisi tentatis conceptionibus. Nam cùm semel concubuisset, exspectatis menstruis continebat se, si prægnans esset: sin minùs, potestatem quærendis liberis dabat, ut testis est Trebellius Pollio. Eadem intentione *Thalestris* una illa ex Amazonibus, circa Thermodonta amnem Themiscyræ campos incolens, & inter Caucasum montem & Phasim fluvium imperitans, trecentis fœminis comitata, Alexandrum M. ut est apud Curtium, victoria gliscente elatum adijsse videri possit, duas lanceas dextrâ præferens, læviâ corporis parte ad pectus nuda haud dubiè ausa fateri, ad communicandos cum Rege liberos se venisse, ut Regni generaret hæredes: fœminei sexus se retenturam, Mares redditurain patri. Cumque exorasset, tredecim dies in obsequium desiderij absumsit, antequam regnum suum repeteret, uterum plenum referens; ut *Saba* plenum animum, dum ab Austro, ultimisque terræ finibus venit, sequuta Salomonis famam, & periculum factura sapientiæ admirandæ. *3. Reg. 10.* Q. Curtius *lib. 6. de reb. gestis Alexand.* Stephan Forcatul. *l. 7. de Imp. & Philos Gall.* Qui ergo ait Ambros. *super Lucam*, non causa procreandæ sobolis, sed explendæ libidinis sibi invicem copulantur, non tam conjuges, quàm fornicarij videntur. *can. pudor. 32. q. 2.* Cùm quo Augustinus sentit, dum matrimonium sine spe prolis contractum, non Matrimonium, sed *Concubium* dici scribit, *lib. de bono conjug. cap. 5* & habetur *in can. solet. 32. q. q. 2.* & apud Menoch. *cons. 786 nu. 14. lib. 8.* Quanquam quæ in effœtis senibus libidinis explẽdæ haberi debet ratio? quæ idem spes sobolis in quinquagenaria præsertim fœmina? cui juxta illud Virgilij,

— *tarda gelu, seclisque effœta senectus.*

quam vel sterilem, vel certè sterili æquiparandam censet Paulus *in l. sterilis. 21. ff. de ævaria actione empt.* Ideò haud dubiè: quia major Mulierum pars quadragesimo anno profluvium genitale (quod Ovidius Lunare virus appellat, teste Taubmanno, doctissimo commentario *in Cirin. fol. 51.*) sistere dicatur Plinio *libro 7. cap. 14.* ex Aristotele fortassis, qui plurimis Mulierib. menstrua circa quadragesimum annum desinere scripserat: quod tempus quæ excesserint, ijs ad quinquagesimum servari. Et jam nonnullæ (inquit) eo tempore pepererunt: sed ultra hoc tẽpus nulla potest protrahere. *libr. 7. de Natur. Animalium cap. 5.* Ea propter fœminis pariendi terminum ultimum constituit annum quinquagesimum. *libro 5. Histor. Animalium cap. 14.* quem Plinius loco anteà allegato sequutus, Mulier, inquit, post quinquagesimum annum non gignit. Idque & Menochius retulit *cons. 537. num. 1.* optima sanè ratione. Quemadmodum enim ante menstruum sanguinis fluxum concipere non possunt fœminæ: posse autem incipiunt, cùm jam sanguine illo redundare incipiunt: Ita nec cum ob senium laborare sanguinis penuria cœpere, con-

Zenobia.

Thalestris.

Regina Saba.

Quinquagenaria Mulier pro sterili habetur.

ceptui amplius aptæ esse poterunt, ut rectè docuit Fr. Valesius *libr. de sacra philos. capit. 10.* & latè de hoc disserit Georgius Draudi. *ad Solini memorab. l. c. 3. in princ.* Quo fit, ut si ea ætate, quod rarò evenit, pariat Mulier; partum illum mirabilem Justinianus dicat, *l. si. major. 12. C. de legit. hered.* quo tamen in loco, dum rarò id contingere ait, haud obscurè innuit, communem quidem fœminis generandi statum esse annum quinquagesimum: quòd si tamen tantus sit corporis vigor, ut tempus illud pariendo excedat Mulier, tum partum hujusmodi pro legitimo se agniturum; & nihil eorum, quæ probabiliter à Natura noscuntur esse producta, velle respuere. Multò igitur magis, Quadragenarias nuptias non impediturum se, peculiari sanctione jam ante fuerat contestatus *l. sancimus 27. C. de Nupt.* Evenire autem quandoque, ut Quinquagenaria pariat, exemplo nobis est Henrici Imperatoris Uxor: quæ ea ætate jussu mariti publicè & in propatulo, ad avertendam suspicionem suppositittij partus, *Fridericũ* Imperatorem fuit enixa, ut multorum auctoritatibus probat Joh. Nevizan. *in Sylva Nuptiali lib 2. nu 17.* & Jacob. Menochius *de arbitrar. Iudic. lib. 2. casu 89. num. 60. Cent. 1.* Ultra id tempus vix est, ut pariendi extentetur facultas. Quod posteris etiam Paulus *1 ad Timoth. 5.* considerasse videtur, cùm quales viduæ in Ecclesiæ curam recipiendæ sint, ostendit. Non enim nisi sexagenariam vult recipi: ne, si juniores fuerint, & per ætatem adhuc vegetæ, alijs essent onerosi, aut enim mutato animi proposito ad novas nuptias adspirarent. Jam verò quoad nubendi cupiditatem, satis huic periculo occursum putat, ubi annum sexagesimum attingerit Mulier: si præsertim unum duntaxat maritum (ut vult) tota vita experta fuerit. Iste enim quiddam veluti pignus continentiæ

Henrici Imp. uxor quinquagenaria peperit.

& pudoris, cum Mulier ad eam usque ætatem pervenit, unico marito contenta: ex vera & docta Johannis Calvini sententia.

Nec verò secius multo in Viris constitutum esse videmus. Etsi enim Viris sexagenarijs Nuptiæ olim Lege Papia inter dictæ erant; *d. l. sancimus 27 C. de Nupt.* eò quòd ad generandum id ætatis homines minùs censerentur idonei, ut *ex l si pater. 15. §. in arrogationibus. ff. de Adopt.* & Comica illa lege manifestè colligitur,

> *Annos natus sexaginta qui erit, si quem scribimus;*
> *Seu maritum, sive herclè adeò Cœlibem scortarier.*
> *Cum eo hic nos Lege agemus, inscitum arbitrabimur.*

Ideoque effœtuli isti Proletariorum numero nequaquam adscribi possint: quos à munere officioque prolis edendæ ita appellatos accepimus: quòd cùm re familiari parva minus possent Rempubl. juvare, sobolis tamen gignendæ copia Civitatem frequentarent, ut ex Gellio *lib. 16. cap. 10.* Jac. RæVardus adnotavit *libro singulari ad Leges VII. Tab. cap. 9.* & Gulielmus Budæus *ad l. ult ff. de pignorat. act.* Fibulam tamen illam quam Lex ista, ut cum Seneca & Lactantio loquar, sexagenarij imposuerat, Senatusconsultum Claudianum solvit, ut ex Ulpiano *in fragment.* & Suetonio *in Claudio*, Jacobus Cujacius rectè observavit *lib. 6. Observat. cap. 20.* & sub Anton. Mercatoris nomine *lib. 1. Notator. cap. 1.* asserente præsertim Aristotele, Maribus magnæ ex parte sexagesimum quintum annum procreandi finem esse: sed id ipsum tempus tamen ad septuagesimum usque annum extendi. *lib. 5 de Historia animalium, cap 14.* Quinimò ipsum etiam Catonem Censorium octogesimo anno exacto, è filia Salonii clientis sui generasse.

Proletarij.

Senes quandoque gignunt.

Pli-

Plinius scribit *lib. 7. cap. 14.* addens, ad octogesimum quintum apud Ignobiles vulgarem reperiri generationem. Sed & Valerius Maximus auctor est, Masinissam Numidiæ regem, Veneris usu ita semper viguisse, ut post sextum & octogesimum annum filium generârit, cui Methymnato (Plinius loco citato Methymnatnum legit) nomen fuit. *lib. 8. ca. 13.* Qua tamen in re urgentes probationes Menochius requiri scribit, *de casu 89. n. 64* ut qui tali parente se editum velit asserere, id apertissimis rationib. ostendere necessum habeat: quandoquidem assertioni tali cùm juris præsumtio, tùm naturalis ratio obstet, *arg. l. ult ff quod met. caus.* & nequaquam verisimile sit, in tam effœta senecta fœtum gigni posse. Quo fit, ut omnibus se deridendas meritò propinent Mulierculæ illæ annosissimæ: quibus etsi ob ætatem, ut cum Martiali dicam,

In vetulas lascivas.

Et tres capilli, quattuorve sunt dentes,
Pectus cicadæ crustulumque fo mica,
Rugosiorem quæ gerant stola frontem,
Et aranearum cassibus pares mammas:

æque ideò ab Apulejo *lib 4* busto dignæ, vitæ dedecus & Orci fastidium dicuntur; in tantum, ut cum Plauti Demæneto *in Asinaria*, Nauteam bibere malis, quàm illas oscularier, & Quarum ego vel nebulæ scyatho septem noctes non emam, ut idem Plautus dicebat *in Penulo*: Nihilo tamen minùs maritalia gaudia sectantur, &, ut idem ait Martialis,

Gaudent ducentas ire nupum post mortes.

non quòd prolis spe ducantur ulla; sed ut urigine percitæ (ita Apulejus *lib. 1.* Uredinem & pruritum nominat, ab urendo fortassis) libidinem omnem expleant, quandoquidem ut est apud Horatium,

Vredo.

Indomitam properant rabiem sedare, nec illis
Iam manet humida certa, colorque
Stercore fucatus crocodili: jamq; subando
Tenta cubilia, tectaque rumpunt.

ut rectè hinc notum sit, *Anus hircum redolet*, de vetula libidinante proverbium: propterea quod alarum & reliquarū partium odor excitetur ad libidinem incensus. Hinc Hora, in lasciviëntem ejusmodi anum,

Namque sagacius unus odor.
Polipus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis,
Quam canis acer ubi lateat sus.

Id genus prodigiosæ libidinis fœminas Apulejus *lib. 10.* ex unguibus perpuriscentes vocat: quod est, toto corpore prurire, tentigine & Veneris appetentia concitari & vel extremis corporis partibus, & rigentibus unguibus exstimulari in Venerem, quam concitationem significaturi Græci Satyrion appellat, teste Plinio *lib. 26. cap 10.* Atqui in hanc procliviores esse vetulas, vel proverbiali monemur sententia, quæ habet: quod *Capra quidem juvenis sal comedat; vetula autem & sal & saccum devoret.* Et: quòd vetus corium majori adipe indigeat, Joh. Neviz. *in sylva Nuptiali li. 2. n. 57.* Hinc *bis virum requirere* dicitur ætas affecta seu effœta mulieris. Ea res nec Augustinum fugit Teologum. Nam quæstionem, quod Abraham, authore Paulo, Saræ fuerit effœtus, tamen ex Kethura sustulisse prolē legitur; sic explicat, ut dicat illū Saræ anui effœtū fuisse; Keturæ puellæ fuisse virum. Puella sc. propter ætatis felicitatē facile gerit uterū, etiamsi cur viro non admodū viro rem habuerit. Non item anus, ut declarat Erasm. *chil 2. cent. 7. adag 30* Ridiculū itaq; est, quod libidinosa illa *Meroe* saga apud Apulejū cum vetula jā esset atq; annus obsit, sed puellares tamē lusus & amores appeteret, ætatulam suam illudi conqueritur *lib. 1. Milesiar.* Quod tamen rectius conveniebat puellis, quas *pueras* M. Varro appel-

Ex unguibus perpuriscere.

Satyrion.

Bis virum quærere.

Meroe saga.

Pueræ.

appellat, atque ita exhortatur: properate vivere pueræ, quas finit ætatula ludere, esse, mare & Veneris tenere bigas. Et quidem è Medicorum Placitis traditum accepimus; ut quò frigidores sunt fœminæ, eò minùs expleri voluptate possint. Quod fit, ut in Venerea illa voluptate viris perdurant magis. Quemadmodum enim Vir, utpote Muliere calidor, velociores motus habet, quorum causa ardentùs & citiùs desideria sua terminat: Ita Mulier, ut est frigidior ad cuncta atq; tardior: sic in voluptate finienda frigidiusculè se habet, & perdurat magis. Exẽplo nobis est Messalina illa, inexpletæ libidinis fœmina,

Mulieres in Venere durãt magis.

Quæ lassata viris; sed non satiata recessit.

Ad quod allusisse videre potest Tiresias ille: qui arbiter ad decernendum electus, Jovisne an Junonis major esset in concubitu voluptas? sententiam tulit: Viros ardentiùs, Mulieres pertinaciùs amare atq; concumbere. Atque ita & Arabum opinionem, Mulieri majorem, quàm viro voluptatem tribuentium, intelligendam esse Hieron. Mercurialis putas *lib. 4. variar. lect. c. 16.*

Utut sit: meâ certè sententiâ à Vetularum conjunctione sapiens sibi quisq; sedulò cavebit; nisi maluerit cum illo Cæcilii deruptа sibi anu ita conqueri: *Dum ejus mortem inhio, egomet vivo mortuus inter vivos:* ut est apud Gellium *lib. 2. Noct. Atticar. cap 23.* Per manus enim traditum est, Vetularum commercium istud admodum esse noxium. Hinc ille apud Apulejum *lib. 1* de Meroe anu, quamvis admodum scitula: Et statim miser (inquit) ut cum illa acquievi, ab unico congressu annosam ac pestilentem contraho. significans, se ex concubitu ipsius contagione quadam pesti lenti fuisse infectum, ut vel hujusmodi.

Vetularum commercium noxium.

Noctem, mali auctorem plurimi,

apud Gellium modò laudatum Menander appellet: & non improbabiliter creditum sit, pro leviori peccato haberi, si quis cum Juvene & formosa potiùs, quàm cum vetula & deformi tale quid commiserit, *gloss in can fur. 14. q. 6.* siquidem illius vegeta & florenti ætate ac pulchritudine (quam Plato, *Naturæ privilegium*, Socrates, *tyrannidem* vocat: Publius Syrus, *mutam commentationem*; Laertius, *quavis epistola ad commendandum efficaciorem*, Theophrastus, *tacitam sive silentem fraudem*, quòd sine verbis persuadeat; Carneades *regnum absq; Satellitio*, quòd formosi sine vi impetrẽt, quicquid volũt; Theocritus *elephantium sive eburneum* detrimentum, quòd grata sit aspectui, sed multorum incommodorum causa) illâ inquã formosâ specie facilè quis ad amandum possit illici: quippe quæ vallidissimum sit libidinis irritamentum, ut Saxo Grammaticus indigitavit *li 3 Histor. Danic fol. 36.* hujus autem deformitate ab omni cupidine deterreri debeat: cùm vel formosiori tantum occurrisse cuipiam, omen olim habitum fuerit præstantissimum: at deformi, inauspicatissimum. Ad quod Juvenalis illud Satyricum,

Pulchritudinis appellationes.

Et cui per mediã nolis occurrere noctẽ,

haud dubiè spectare putat Cœl. Rodigin. *lib. 24. cap. 9.* quanquam eò videas inexplebilem hominum quorundam libidinem prorumpi, ut & in fœdissimas mulieres cupiditatis ignes evomant, nec ullum ferè discrimen constituunt, formosæne an deformes sint mulieres. Cum ea sit vis amoris, ut quæ uni formosa alteri deformis videatur, & contra. atq; facilius Herculi clavum extorseris, quam illos ab insania illa averteris. Usque adeò verum est, quod Virgil. *in Bucolicis* tradidit

etiam deformes quandoque appetit.

—trahit sua quemq; voluptas.

Et ante eum Homer. *Odyss. 14.*

Denique non omnes eadem mirantur amantque.

Tum

Tum & Libanus servus apud Plautum *in Asinaria*

Non omnia eadem æque amantibus, here suavia esse scito.

Eo planè modo, quo Plinius non eadem omnibus amara esse scripsi, aut dulcia *lib. 22. cap. 24.* & pluribus confirmat Joseph. Mascard. *de probat. conclus. 60. Adulteriũ porrò nn. 5.* Etsi autem Senecæ non formosa est mulier, cujus crus laudatur & brachium: sed illa, cujus universa facies admirationem singulis partibus dedit, *libr. 4. Epist. 33* & ut de Lesbia sua jactat Catullus.

Mulier formosa.

—quæ cùm pulcherrima tota est.

Tũ omnib. una omnes surripuit Veneres: Favorinus tamen Philosophus, inter pulcherrimam fœminam & deformissimam, mediam quandam intercedere rectè putavit eam, quæ à nimiæ pulchritudinis periculo, & à summæ deformitatis odio vacaret. quam formam Ennius perquam eleganti vocabulo *Statam*; Favorius *Uxoriam* appellabat: & ob id eas ferè fœminas incolumi pudicitiâ esse idem dicebat Ennius, quæ statâ formâ forent, ut Gellius retulit *lib. 5. Noct. Attic. cap. 11.* Rectè ait, *incolumi pudicitia:* quam Demades apud Stobæum *Serm. 72.* dicere solebat, in muliere pulchritudinis arcem esse. Et profectò, nec vestimentorum nitor, nec auri magnitudo tantum habet momenti ad Mulieris præconium, quantum modestia valet & approbati mores, ut Aristoteles auctor est *in Oeconomicis.* Ex quo Propert. Veteres laudans:

Forma stata uxoria.

Non illis studiũ vulgò conquirere amãtes:
Illis ampla satis forma, pudicitia.

Sed quid Ethnicorum opus est suffragijs? quin potiùs Apostoli sequendum erat consilium; qui in mulieribus commendat *occultum illum cordis hominem, situm in incorruptione lenis ac quieti Spiritus, qui est corã Deo speciosus.* Cum quo planè cōjungendum est. quod Tertullianus *libro de Cultu fœm.* vel aureis consignandum literis memoriæ prodidit: Proditæ, inquit, vos jam meditamentis & ornamentis exstructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundiâ & Spiritus taciturnitate, inserentes in aures sermonem Dei, annectentes cervicibus jugum Christi: caput maritis subjicite, & satis ornatæ eritis. Manus lanis occupate: pedes domi figite; & plus quàm in auro placebunt. Vestite vos serico pietatis, byssino sanctitatis, purpurâ pudicitiæ. Taliter pigmentatæ, Deum habebitis amatorem, &c. Talis cùm *Sibyllula mea* obtigerit forma: non est, quod ulli mortalium uxoriam beatitatem invideam: cùm Conjugem mihi ex animi mei sententia in manum convenisse verè gaudeam, & Spiritum illius in meo verti sciam: cui ut consulam, mihi cōsulere incipio. Ac quoniam ego ab illa non impetro, ut me fortiùs amet; impetrat illa, ut me diligentiùs amem. Jam, quid jucundius, quam Uxori tam charum esse, ut propter hoc tibi charior fias? quemadmodum de *Paulina sua* gloriabatur Seneca *lib 17. Epist. 105.* haud scio, an majori adfectu, quàm Leopoldus Dickius de *sua Agatha*, in Oeconomia constituendi & explicandi Judicii ordinarii, *tit. de Testib. mihi fol. 309.*

1. Pet 3.

Nec minùs omnium se risui exponunt Seneciones illi Acheruntici, decrepiti, & capulares, qui tametsi capulo sive feretro, quo efferri debebant mortui, jam vicini sint; Mulierum tamen, & quidem Juvencularum consortium etiamnum affectant. A qua tamen amoris dicam, an furoris insania?. sedulò eos vel Plautus dehortatur in Mercatore. Sc. Profectò. *Tun' capite cano ames, senex nequissime?* & Sc. Addicam:

Senes mulierum affectatores.

Iam plenis ætatis, animaq; fœtida.

Senex:

Senex hircosus: tu osculere mulierem?
Utine adveniens vomitum excutias mulieri?

Cujus postea rationem reddit, quòd scilicet ætate tam grandi temporare sibi ab amandi arte jam diu debuerat. Unde in Sc. *lam redeo.* ait;

Temperare istac ætate istis decebat artibus:

vel ideò, quòd amori operam dati Juvenibus magis conveniat. Addit ergò:

Adolescentes res agendæ istis magis solent operam dare.

Quanquam enim Luxuria, ut Cicero *1. officior.* tradidit, omni ætati est turpissima: constat tamen, Senectuti hanc esse fœdissimam. Proinde Ovidius:

Militat in teneris unis Amor hospes amœnus:
Est in canicie ridiculosa Venus.

Nam quoniam ex ejusdem poëtæ sententia, Militiæ species amor est, atq;, ut alibi ludit,

Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido:

non immeritò Senibus, ut emeritis caussariam à Cypridos castris missionem concedit, vel tanquam segnes & inertes jubet inde discedere: quandoquidem.

Turpe senex miles; turpe senilis amor.

Optima sanè ratione cùm Seniores infirmæ ætatis dicantur, *in leg. civitatibus, 122. ff. de legat. 1.* & canicie graves læsis corpore æquiparentur, *in auth. de Quæstore. coll. 6.* Imo minùs vivere præsumantur quàm ægri. Johan. Nevizan. *in Sylva Nupt. lib. 2. num. 4.* ut non immeritò Plautina illa Bacchis Senecioni cuidam delicias factura, odiosum esse dixerit, *Mortem amplexarier*, Senem videlicet exsanguem, atq; Acherontium, & mortuo, quam vivo similiorem. Quo sensu confectum credo illud Alciati, de sene puellam adamante Epigramma, quod venustatis ejus gratia scribendum in his commentarijs esse duxi:

Senex æquiparatur mortuo.

Deum Sophocles (quamvis affecta ætate) puellam
Aquæstu Archippē ad sua tecta trahit,
Allicit & precio: tulit agrè insana Iuventus
Ob zelum, & tali carmine utrumque notat.
Noctua ut in tumulo, super utque cadavera Bubo:
Talis apud Sophoclem nostra puella sedet.

Plautus, illud linguæ Latinæ decus (sic enim à Gellio *lib. 19. cap. 8.* ut & homo linguæ atq; elegantiæ in verbis Latinæ princeps appellatur *libr. 7. cap. 17.*) non minùs festiviter istiusmodi Amatorem senem *picta imagini* comparat in Mercatore:

Picta imagini.

Si unquam vidisti pictum Amatorem, hem illic est.
Nam meo quidem animo vetulus decrepitus senex
Tantidem est, quasi sit signum pictum in pariete.

ut proinde quæ ejusmodi seni vel impotenti copulata fuerit adolescentula, & nupta simul & vidua optimo jure dici queat. Id enim idem Plautus *innuptas nuptias* vocat *in Mil. glor.* Non itaq; iniqua aut injusta censeri debet fœminæ illius apud Apulejum *libr. 5.* de Marito sene & calvo, & languido conquerentis lamentatio: At ego misera (inquit) primùm patre meo seniorem maritum sortita sum, dein cucurbitâ calviorem, & quovis puero pumiliorem; cunctam domum seris & cathenis obditam custodientem. Quibus posterioribus verbis Zelotypiæ sollicitudinem (qua *Ita & Hispani* sæpè insaniunt: *Pani* verò & *Americi* mortem præstabiliorem dicunt, teste Bodino in Methodo histor. *cap. 50. fol. 160.* & de cujus purga-

purgatione multa præclare tradidit Martinus del-Rio Jesuita *lib.4. disquis. Mag. c.4.q.4.sect.4.fol.238.cum seqq.*) graphicè depingit. Habent enim in more positum Zelotypi & senes: ut seris obdant fores & pessulis, cathenisq; cuncta diligenter occludant: cùm tamen impudica servari non possit; pudica non debeat. Infida enim (juxta Hieron.) custos castitatis est necessitas: & illa verè pudica dicenda est, cui licuit peccare, sed noluit.

Zelotypi.

Nam nihil invitæ tristis custodia prodest:
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est;

ait Propertius. Nam ut rectè quærit Juvenalis *Saty.6. quis custodiet ipsos Custodes.* cum edoctæ satis sint mulieres, quo pacto fallere possint custodes, ut Tibulli verba usurpem, sibi à maritis appositos. Meminisse scilicet debuerant miseri illi Maritelli, Iovem per impulvium aureum descendisse ad Danaen, quam pater incluserat intra turrim æneam, vallaveratque sepimento inexpugnabili. Adeò verum est quòd pecuniæ cunctæ sint difficultates perviæ, auroque soleant adamantinæ etiam perfringi fores, ut Apulejus dicebat *lib.9.* Et C. Verres: Nihil tam sanctum, quod non violari: nihil tā munitum, quod non expugnari pecuniā possit. ex quo natū est illud *Pauli Silentiarij.* epigramma à Iosepho Scaligero latinè redditum:

Aureus intacti temeravit vincla pudoris
Iupiter, ut Danaes ferrea tecta subit.
Fabula sic loquitur, me judice, ferrea septo
Omnipotens aurum duraque vincla domat.
Hoc hoc nempe seras, hoc ænea claustra resignat.
Hoc frangit fastus, dura puella, tuos.
Hoc rigidam Danaen tentavit. Si quis Amator
Fert preciū, tibi ne supplicet, alma Venus.
Pancirol. lib.2.

Sic Philippus Rex Omnia castella expugnari posse dicebat, in quæ modò asellus auro onustus posset ascendere. quod ex oraculi præcepto illo, cujus & Suidas meminit, haud dubie didicerat;

Ex argento hastas vibrato; ac omnia vinces.

Idq; eum, quod ita dixerat, factitasse quoque Demonsthenes in Oratione *pro Ctesiphonte* retulit. In quam sententiam Horat. cecinit.

—Diffidit urbium
Portas vir Macedo, & subruit æmulos
Reges muneribus.

& alibi:

Aurum per medias ire Satellites,
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo.

quibus adde, quæ in eandem rem scripta reliquit Stephanus Guazzius *lib.2. de convers. civili.* & Philippus Camerar. *Medit. hist. c.53. cent.1. & c.34. cent.2.* ubi de Zelotypiæ tyrannide & sævitiâ multa lectu & notatu dignissima, Lecto invenies. Inter Barbaros autem præcipuè *Parthos* Zelotypos esse proditum historia est. Quippe qui non modo uxorum sed & pellicum pudicitiam ita suspectam habent, ut non nisi capite operto, & velato vehiculo illas prodire in publicum sinant, neminique propius accedere liceat. Si vera sunt, quæ de Parthis Alexander ab Alexandro scripsit *libro 5. genial. dier. cap.24.* ubi tamen veretur Tiraquellus, ne lapsus hic ille sit, *Parthis* tribuendo, quod *Persarum* est. De Persis certè Cœl. Rhodigin. disertè scribit, quod hac in re peracerbos se ac difficiles præstent, nec uxores modò solicitè asservent; sed servas item & concubinas: ita ut domi occludantur, aut si prodeundum sit, obseratis vehantur vehiculis *lib.8. lect. antiq. c.18.* Esse autem inprimis Zelotypum Mulierum genus, docet Erasm. *Chil.2. cent.10. adag.98.*

Temporis observatio in Testam.

Verùm ad institutam temporis considerationem tandem revertar. Eadem igitur Temporis definitio, quæ in Nuptiis contrahendis, itidem & in Testamenti confectione observabitur: ut scilicet in masculis quartum decimũ annum spectemus; in fœminis verò duodecimum completum. Atque hoc verius esse Ulpianus ait, quasi rem controversam explicaret & assereret, *in l. qua ætate. ƒ. qui testamen. fac. poss.* Id quod etiam ad Spadones & Eunuchos non ineptè extenderis. Etsi enim Julius Paulus Spadones eo tempore testamẽtum facere posse scribit, quo plerique pubescunt, id est, decimo octavo anno, *lib. 3 Sentent. c. 4 §. 2.* quo tempore plenam alioquin pubertatem definitam legimus: §. *Minorem. Instit. de adopt. l. arrogato. 40. §. 1. ff. eod.* quia tamen ab Imper. Constantino rescriptum est, licere Eunuchis exemplo omnium testamẽtum facere, & postremas condere voluntates. l. *Eunuchis. 4. C qui testa. fac. poss.* consectarium hinc erit, eandem ætatem, quæ in alijs omnibus consideratur, etiam in Eunuchis satis futuram ad hoc, ut decimo quarto ætatis anno incipiant testamẽtum posse facere, juxta *d. l. qua ætate ƒ.* & consequenter substitutio pupillaris eisdem facta eodem tempore evanescat: quemadmodum per §. *Masculo. Inst. de pupill. substit.* rectè concludit Emanuel à Costa *in c. si pater. part. 1. verb. Impuberes. de Testamẽ in 6.* Quæ rit autem Ulpianus, utrum excessisse quis debeat quartum decimum annum, ut testamentum facere possit? an si sufficiat complesse? Propone, aliquem Kalend. Januariis natum, testamentum ipso natali suo fecisse, quarto decimo anno: an valeat testamentum? Dicit, valere. Plus arbitror: inquit. Etiamsi pridie Kalendarum fecerit post sextam horam noctis, valere testamentum. Jam enim complesse videtur annum quartum decimum, ut Martiano videtur *d. l. qua ætate, ff. qui testamen fac. poss.* Ex quo textu datur intelligi, Diem cœptum haberi pro completo. Idque & in Manumissionibus & aliis Juris nostri locis obtinere legimus. Nam & repõsum est, placere eum, qui Kalendis Januariis natus fuerit, pridie Kalendas post sextam Noctis horam posse manumittere: quasi annum vicesimum compleverit. Non enim Majori viginti annis permitti (lege Ælia Sentia) manumittere: sed minorem manumittere vetari. Jam aũt minor non est, qui diem supremum agit anni vicesimi. *l. 1. ff. de Manumiss.* Similiter & Anniculum dicimus, die trecentesimo sexagesimo quinto, incipiente planè, non etiam exacto. *l. anniculus. 134. de verbor. signific.* & quoad munera municipalia capessenda, dies cœptus habetur pro impleto. *l. ad Rempublicam. 8. ff. de Munerib. & honor.* quemadmodum & in fidei commisso filio relicto. *l. qui filium. 74. ff. ad SC. Trebell.* Sic qui hora sexta diei Kalendarum Januariarum possidere cœpit; hora sexta noctis pridie Kalendas Januarias implet Usucapionem *l. ideoq. 7. ff. de Usucap.* In Usucapionib. enim non à momento ad momentum, sed *totum* (Viglius Zuichemius legendum censet TANTUM, *in §. præterea Instit. Quibus non est perm. test. fac.*) postremum diem computamus, *l. in usucapionib. ff. d. tit.* quasi diceret Ulpianus, non ab hora in horam, sed à die ad diem fieri computationem, ut qui illum attigerit, eum usucepisse dicamus. Id planius explicans Vernulejus, in usucapione ita servari, ait, ut etiam si minimo momento novissimi diei possessa sit res nihilominus repleatur Usucapio, nec totus dies exigatur ad explendum constitutum tempus. *l. in usucapione. 15. de divers. & tẽpor. præscrip.* longe aliter quàm in temporalium actionum præscriptionibus: cum responsum à Paulo sit, In omnibus temporalibus actio-

Die cœptus an habeatur pro completo

à momento in momentũ quando fiat computatio.

ctionibus, nisi novissimus totus dies compleatur, non finiri obligationem. *l. in omnibus. 6. ff. de oblig. & act.* Cur tam variè? Varias rationes tradiderunt Interpretes.

Cõciliatio 1. E quibus verissima videtur Viglij Zuichemij sententia, ideò hoc ita constitutum existimantis, quoniam Usucapio introducta sit bono publico; ne res ipsæ deteriores fiant & negligantur, quod erat futurum: si quocunq; tempore dominus vendicare eas posset. Utile itaque fuit, ait Zuichemius, præmio Usucapionis invitare ad diligentiorem culturam ipsos possessores. At in præscriptionibus nullus est ipsius rei favor, ne ipsa negligatur: sed ideò tantum introducta præscriptio, ne lites sint perpetuæ, sed ut aliquis harum finis esset. *l. ult. ff. pro suo.* Ita fit, ut citiùs compleatur Usucapio, quam personales actiones exstinguãtur. Virg. Zuichem. *in §. præterea Inst. quib. nõ est perm. testam. fac. n. 5.* & facilius usucapere debeat, qui bona fide possidet; difficiliùs verò adversus bona fide possidentem: Ideoq; hîc non habeat locum Regula: *Quod parum distat, nihil distare videtur*, ut Gothofredus annotavit *ad d. l. in omnib.*

Cõciliatio 2. Nec verò inconcinna videri debet, in hanc temporis supputatione, Accursij & Bartoli traditio *in l. 3. §. Minorem ff. de Minor.* quæ habet, favorem hac in re cumprimis esse attendendum: ut cœptus nimirum dies pro cõpleto habeatur, si favor id suadet: & rursus à momento ad momentum spectari tempus debeat, si itidem favor hoc exigat. Verbi causa; Favorabile est, ut quis liberam bonorum suorum administrationem, tam in testamentis faciendis, quàm etiam servis manumittendis habeat: ut lege Papia Poppea Latini liberti filio filiaq;, nato natave, anniculo anniculave, facto factave, jus Quiritum consequantur: ut ad honores capessendos quis admittatur: ut fideicommissum filius capiat: ut rerũ dominia diutius non sint in incerto, neve deteriores fiant, aut negligantur. In his igitur omnibus definiri temporis dies ultimus, etsi vel cœptus tantùm fuerit, pro completo habebitur. Atque ita exaudiendi erunt textus *in d. l. qua ætate. 5. ff. qui testam. fac. poss. l. 1. de Manumiss. l. Anniculus. 134. de verb. signific. l. qui filium. 74. §. Sabinus, aliâs, Fabius Antonius, ad SC. Treb.* (qui textus de fidei commisso filio relicto disertè loquitur, ne pugnare hunc putes cum *l. non putabam. 48. de cõdit. & demõstrat*) *l. in usucapionib. 6. l. ideoq; 7. de Usucap. l. in usucapione. 15. de diver. & tẽporal. præscript.* E diverso, non satis erit ultimũ venisse diem, nisi & completus ille fuerit: si favor itidem hoc suaserit. Suadet autem Reipub. favor, ne à tutela, ne ab aliis muneribus publicis facilè quis excusetur: ne Minores à Restitutionis beneficio properè excludantur: ne personales actiones per præscriptionem citiùs exstinguantur. Ergo his casibus ultimus ille dies à momento ad momentum erit computandus. Quo sensu accipio text. *in d. l qui filium 74. in fin.* illis verbis: quamvis scire se diceret, à D. Marco non excusatum, qui cum septuagesimum annum ætatis ingressus fuisset. *ff. ad Senatus Cons. Trebell l. Majores. 3. de Iur. immunit. l 3. §. Minorem de Minoribus l. in omnibus. 6. de oblig. & act.*

Cõciliatio 3. Etsi autem me non latet, quomodo in articuli hujus explicatione Joh. Gœddeus inter Civilem & Naturalem diei supputationẽ verè & doctè distinguendum censeat: ut per illam quidem dies exactus intelligatur, & si inceptus tantùm fuerit: per hanc autem, non exactus videatur, nisi omninò actus, & suis horis ac momentis absolutus fuerit, atq; ita effluxerit & pertransierit, ut jam sequens incipiat. Joh. Gœddeus *in l. 2. §. 1. l. cum bis sextũ 98. l. anniculus. 132. 134. & l. inter illam conditionem. 217. de V. S.* quod ipsum jam anteà & Joh.

Brechæus tradiderat in *d.l. anniculus. 134.* Non tamen video, cur à priori illa opinione, quæ simplicior, & plurimorum Doctorum consensu comprobata est, recedi debeat. Sed his tamen addendum est, quod Angelus Aretinus *in §. prætereà. Inst. quibus non est permiss. testam. fac.* & Andr. Tiraquellus in hanc rem satis eleganter commentatus est *in tract. de utroq; retractu §. 1. gloss 11. verb. Et le jour. num. 20. cũ seqq.* Cæterùm Diei tùm Naturalis, tùm Civilis, descriptionem exactam habes apud Hieron. Fracastor. *in Homocentricis, seqq 3 c. 1. & seqq* quem in omni Philosophiæ, studiorumq; humaniorum judicio, seculi hujus facilè principem appellat Julius Cæsar Scaliger, *Exercitat. 131.* ad Cardanum.

Temporis observatio in liberis agnoscendis.

Sed & in legitimis agnoscendis liberis, quoad hæreditatis commodum scilicet, plurimum momenti habet Temporis observatio: ut quoto quis mense editus sit, consideretur. Quæ res tam variè & diffusè tractata est ab Interpretibus, ut quod incunctanter sequare, non facilè invenias. Communiter tamen in hoc itum video, ut si de tempore partus humani brevissimo quæratur, septimus huic definitioni mensis sit constitutus; à nuptiarum sive congressus tempore computatione facta. Nam, ut Paulus respondit, septimo mense nasci perfectum partum jam receptum est, propter auctoritatem doctissimi viri

Septimestris partus.

» Hippocratis. & ideò credendum est, Eum » qui ex justis nuptijs septimo mense natus est, justum filium esse. *l. 12. de statu homin.* Id quod de Mensibus lunaribus rectè acceperis cum Alciato, *in l. Gallus. nũ. 29 ff. de lib. & posthu.* monente præsertim Ulpiano, eundem scripsisse Hippocratem, Eum qui centesimo octogesimo secundo die natus est, justo tempore videri natum. *l. intestato. 3. §. fin. de suis & legit. hæred.* Cujus supputationis rationem exquisitam Francisc. Vallesius tradit. Quò pertinet illud, quod de Aristone Lacedæmoniorum Rege scripsit Herodotus *lib. 6.* cùm nunciatum ei esset, ante decem menses exactos, quàm uxorem duxerat, eam filium peperisse; jurasse eum apud Ephoros, Nõ videri ex se eum natum esse, qui legitimo decem mensium numero non natus erat. Idcùm filio Demarato Regi postea nocuisset; Demaratum, post damnationem, sacramento dirisque matrem provocasse, *An Aristone patre natus esset?* Matremque respondisse ait, Aristonem stultè fecisse. Neque enim semper Mulieres decimo mense parere, sed & nono & septimo. Eum certè *septimo mense* natum, sed Deo patre & Heroe Astrobaco, à quo dolo & fuco facto stuprata sit. Fœminis majorum gentium familiarissima latebra! ut ait Pet. Ærodius *lib. 2. Rerum judicat. Tit. 4. cap. 1.* Quanta autem septenarij numeri vis sit & potestas, doctè explicat Bodinus *in Method. histor. cap. 6. fol. 238.* ubi septenarium ab Hebræis *sacrum numerum* appellatum esse docet. Atq; hoc significant, ait, res humanas non temerè ac fortuitò fieri, ut Epicurei jactant; nec inviolabili fato, ut Stoici: sed prudentia divina; quæ, tametsi res omnes admirabili ordine, motu, numero, concentu, figura colligavit; nihilominus eas voluntate, arbitrioque suo interdum mutat, ut *Iesaias* de Ezechia scribit, aut precanti Deus vitam protraxit, & solem retrogressurum ostendit. interdum verò tempus maturare dicitur in scriptura sacra, præter scelerum ultionem vel commiserationem, ut Paulus de Oraculo Heliæ scribit; ut intelligant homines, nullis numeris aut ulla necessitate obligari Deum: sed naturæ legibus solutum, non à senatu aut populo, sed seipso. Nam cum naturæ leges ipse jusserit; nec ab alio, quam à se ipso imperium habeat: consentaneum est, suis legibus esse solutum aliter atque

Septenarij numeri vis.

Deus liberrime agens.

aliter

aliter decernere de rebus ijsdem, & quæ sequuntur.

Ante septimum mensem negat Plinius, partum unquam vitalem esse. *lib.7. cap.5.* quanquam Renatus Choppinus, Curiæ Parisiensis advocatus, Senatus Consulto Parisiensi patrem pronunciatum dicat hæredem filij, quinto mense, matris exsecto ventre, editi ac spirasse visi. *libr.3. de privileg rusticor.capit.8.* Ad hæreditatem hanc quippe capessendam satis fuit patri, cum qui exsectus est, cum spiritu fuisse editū. *l.quod dicitur.12.ff.de liber.& posth.* atque ita vivum ad orbem totum processisse, & vel momento matri superstitem fuisse filium, licet ilicò, postquam in terram cecidit, vel in manibus obstetricis ille decesserit. *arg.l quod certatum.3.in fin. C.de posth.hered.instit.* quo loco Justinianus, verbis illis (*postquā in terram cecidit*) haud dubie allusit ad priscum illum morem, quo puer simul ac sublatus erat ab obstetrice, statuebatur in terra, ut auspicareter rectus esse, ut est apud Varron. *lib.11.de vita pop.Rō.* quæ pueri in terram. constitutio *Statinæ* Deæ, utpote pueritiæ præsidi, sacra erat: quemadmodum ex illo Tertulli *de Anima*, colligitur: Dum prima etiam constitutio infantis super terram, *statim Ædea* sacrum est. Nam pro posterioribus illis verbis, legendum esse, *Statinæ Deæ*, Cujacius rectè monet *lib.11. Observ.cap 30.* Ita autem constitutum, vel humi depositum infantem pater solebat tollere, & in sinum recipere, Papin. Epicedio in filium:

Quinquemestris partus.

In terram cadere.

Statina Dea.

> *—meus, ille meus: tellure cadentem*
> *Excepi, & vi[illegible] genitali carmine fovi.*

Terentius: Qui sine ac jurabat se unum nunquam victurum diem: Qui in suo gremio positurum puerum dic. bat. Idq; plurimum auctoritatib. confirmat Joh. Bernartius *ad libr.1. Thebaid.Staty* Cæterùm ut Romani recens-editos Infantes in terra statuebant: ita Lacedæmonios legimus puerorum corpora, aquâ frigida, quod *Lacedæmonium ceroma* appellabant, ad tolerandos æstus atq; algores obdurasse. Unde Virgilius:

Infantes frigida loti.

> *Durum à stirpe genus, natos ad flumina primum*
> *Deferimus, sævoq; gelu duramus, & undis,*

Id quod & Seneca confirmat, dum *in Suasoriis* ait, Eurotam amnem, qui Spartam circumfluit, pueritiam, indurare ad futuræ militiæ patientiā, Germani recens-natos pueros Rheno immergebant & ipsi quidem; sed hoc fine, ut matris pudicitiam ita explorarent. Nam id prædicabatur Rheni ingenitum, ut legitimos partus in tremulas genitricis manus subveheret illæsos, tanquam intemeratæ pudicitiæ testis; adulterinos verò vel spurios veluti justus adulterij vindex absorbere. Hinc Claudiā. *lib.2. in Rufinum:*

> *Inde truces flavo comitantur vertice Galli,*
> *Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit,*
> *Et quos nascentes explorat gurgite* (*Rhenus.*

Quo pertinet illud Gregorij Naziāzeni:

εἰς νόθον δὲ γονὴ[illegible] Ῥήνῳ [illegible] ῥείθροις:

ut spurium generosi Rheni judicatum fluentis. Atque ista divinitatis opinio invexit fortassis & nominis religionem, ut non à puræ limpidæve aquæ nitore Rhenus dictus fuerit; sed ab intemerata thori puritate, cujus arbitrium penes ipsum erat, qua ratione duobus in locis à Nonno in Dionysiacis [illegible]. vocabulo purè putéque Germanico appellatur: quasi Zelotypum dicas, aut Zelo ardentem, ad enim nobis Germanos est Eyffer. Hadriā. Junius *in sua Batavia, capit.8.* Etsi autem Galenus *lib.1. Salubr.* Germanos & Celtas ob institutum illud graviter increpat: adeò ut à suis de salubri victus ratione præ-

 ceptis,

Galenus in Germanos invehitur.

ceptis, eos acribus sanè verbis, nedum convicijs excludat: Apud Germanos, inquit, ne nutriri quidem infantes crediderim, qui nuper editos infantulos, etiam ab utero adhuc cadentes, in flumen gelidum deferunt. Verum, ait porrò, nos neq; Germanis neq; alijs agristib. aut barbaris hominib. hæc prodimus: non magis equide quàm ursis, apris, leonibus, aut alijs id genus brutis: Sed Græcis, & ijs, qui, tametsi barbari sint genere, Græcorum tamen æmulantur studia: Germanos tamen egregiè defendit Joh. Langius, Galenum verbis his saltem barbarum illum, quem dixi, in educandis infantibus Germanorum morem incessere arbitrans: Quos alioquin virilis animi fortitudine, ac corporis robore Græcis vel præstare, vel saltem nō impares esse, ingenijque præclaris dotibus ad bonas capessendas literas nullis nationibus esse secundos, idem scribit Langius *in præfat. Epistol. Medicin.* tolerabilius tamen in multò videtur, quàm barbarus & inhumanus ille Hunnorum mos: quorum matres, auctore Jornande *in librum Rerum Geticarum* marib. ferro genas secabant adhuc lactentibus, & in vagientes sæviebant, ut vulnera perpeti jam in cunis discerent, & ephebi sine venustate apparerent, & senescerent imberbes, ad equitandum & jaculandum promptissimi, alacres & sævi; nigra & torva facie, aspectu truci, horribili voce, ac ore studiosè fœd[illegible] ut aeream Dæmonum fortunam posses agnoscere.

quos Langius defendit.

Hunnorum mos barbar.

Sed quoad partionis tempus attinet: scribit Fr. Valetius libro singulari *de sacra Philosoph. c. 18.* non ita pridem natā fuisse puellam haud dubiè *quinquemestrē*: quæ tum quoque vixerit, plus quàm duodecim jam annos nata. Cujus gracilitas ac tenuitas major quàm mulierib. esse consuevit: indicârit certam esse de ejus ortu fidem, præterquàm, quòd multis domesticis, neque inevidentibus id argumentis constiterit. Usque adeò in Physicis alterationibus vix quidquam est omninò aut impossibile, aut necessarium! Sed forte periculum est, ne, si id passim admittatur, contra Naturæ leges communes, tertio etiam mense post matrimonium vitalis obtrudatur partus. In Augustum certè vulgò jactatus fuit Græcus ille versiculus:

Trimestris partus.

τοῖς δ' εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία.

Sunt divitibus etiam trimestres liberi.

Etsi enim Pontifices ab Augusto consulti, an Livia Drusilla (quam, ut Suetonius scribit matrimonio Tiberij Neronis, & quidem prægnantem abduxit Augustus, dilexitque & probavit unicè ac perseveranter) concepto nec dum edito partu ritè sibi posset nubere? responderant, Utique posse, cùm constaret ex primo viro jam esse prægnantem; alioquin si id ipsum dubium esse, non posse: Verisimile tamen erat, Eum, qui adeò secundas Liviæ nuptias festinabat, vel vivente primo viro aliquid delibasse. *argū. ejus quod habetur Extr. de eo qui dux. in matri. quā per adult. poll.* Nec ignotum est id, quod *de Cunarum emtore* proverbiali sententia passim circumfertur: qui cum uxorem accepisset secundo vel tertio à nuptijs mense bellum parientem infantulum, quinas vel senas coemit cunas, in provisionem pro totidem infantibus annuam, si fortè singulis vel bimestribus vel trimestribus, ita parere Uxor pergeret. Boetius *Epo ad l. Gallus. in princ ff. de liber. & posthum. nū. 83* At fortean plus fidei meretur id quod Ferdinandus Mona *commentarys in libr. Hippoc. de septimestri partu* scribit quinto mense vitales in Hispania editos fuisse partus.

Cunarum emtor.

Quid ergò de octavo mense censebimus? Et quamvis pro vero receptum esse

Octimestris partus

Gel-

Gellius dicat, nunquam gigni hominem octavo mense: idem tamen postea subdit, Accuratè atque solicitè quæsitum fuisse Romæ, non parvæ tunc rei negotio postulante, An octavo mense infans, ex utero editus & statim mortuus, jus trium liberorum supplevisset. Nam abortio quibusdam, non etiam partus videbatur mensis octavi intempestivitas. Et, si partus interdum octavo mense nasci possit; non esse tamen vitalem, propter mensium signorumque in conjunctionem & discopulationem, ut ajunt Mathematici: ideoque partum imperfectum esse. Nam & numerum imparem, masculo; parem, fœminæ comparari, ut Pythagoricis videbatur: propterea que non nisi his numeris, utpote ex viro & uxore compactum ac conglutinatum semen, postremo suo die suis mensibus perfectum animal effici. Porrò antiquos Romanos non recepisse has quasi monstrosas raritates: neque existimasse aliam *γένεσιν* fieri secundum naturam, quàm quæ fieret nono aut decimo mense. Hinc Parcis quas à partu appellarunt, *Nona aut Decima*; non *Octava* imposuisse nomen. Si quandoque aliter accidat jura tamen accommodari ad ea, quæ plerunque, non quæ raro accidunt. Denique mulieribus quodammodo adulteria permetti, hæreditatum captationes, si eis ita facilè omnes menses legitimi fiant. E diverso dicebant alij, grave esse, ut nihil matri prosit, pudicè atque legitimè peperisse. In dubio pro matrimonio præsumendum, alioquin fore, ut bene concordantia matrimonia dissolvantur, si sola computatio mensium partum legitimum aut illegitimum faciet. Cùm eò ventum sit, ut editus septimo mense pro justo habeatur: qui item altero mense provectior erit, cur non pro nato habeatur? Narrari de Naxiis mulieribus, quæ omnes pariebant octavo mensa: & tralatitium esse, in Ægypto idem fieri: Jamque in Italia tales partus esse vitales, contra priscorum opiniones. Sic & *Cæsoniam* Caji principis conjugem, octavo mense matre Vestilia editam. Jam ut filius patri prosit, sufficere si semel eum vivum pepererit, ut filius potuerit appellari: licet statim editus decesserit. Nihil igitur interesse, mense feliciore an infeliciore natus sit, quo plus minùsve potuerit vivere. Et quamvis Gellius quæstionem hanc non definiat: valdè tamen probabile est, & hic vicisse, si ancipitem Hippocratis, at absolutam Aristotelis sententiam: quā Cæcilius poeta, & M. Varro, & Polybius, & Diocles Empirici sequuti sunt, ut Plutarchus ait: videlicet etiam octavo mense perfectum partum, licet imbecilliorem, nasci posse; ideoque jus trium liberorum supplevisse. ut memoriæ prodidit P. Ærodius *libro 2. Rerum Iudicatar. tit. 4. cap. 2.* ex Gellio fortassis *libro 3. Noct. Atticar. cap. 16.* & Plinio *libr. 7. Natural. historiæ. capit. 5.* quibus tamen addenda sunt, quæ de octimestri partu, cur nimirum vitalis perquam raro sit, scriptis prodidit Martinus del-Rio Jesuita *lib. 1. disq. Magicar. cap. 4. q. 7. lit. B.* Quod autem de Naxijs modò diximus mulieribus, id Asclepiadem auctorem habet: qui eas *ὀκτάμηνα*, id est, octimestria edere puerperia disertè scribit, vel Junonis munere, id illi gratificantis ob Dionysij benevolentiam: vel quia Bacchus ipse eo genitus sit intervallo. Hinc enim Naxum nominari Dionysiam, quamvis de vinearum fertilitate ita magis appellari Plinio placeat *lib. 4. ca. 12.* cum & in ea fons vino fluere tradatur, quod sit prædulce Cœl. Ludov. Rhodig. *lib. 22. Lection. Antiq. ca. 13.* ea haud dubiè fide, qua Diodorus Siculus scribit, densissima in Pyreneo monte, ipsarum etiam nubium limites spernente, & penè Divorum consilia exaudiente, sylvâ (inde

Parcæ.

Naxiæ mulieres.

Fons vino fluens.

enim monti nomen) argenti puri ac liquefacti rivulos passim inde fluxisse. quod & de montibus, qui olim Riphæi, posteà Obij, nunc verò Alpes in Gallia dicuntur, Athenæus prodidit *lib.6. Dipnosoph. cap.4.* ex quibus cùm sylva ipsorum sponte aliquando incensa esset; argenti rivi per terram itidem refluxerint. Unde Phœnices, dum Tartessum in Hispaniam navigassent, nihili mercibus permutatis, tantum argenti sibi quæsierint, ut coacti sint, ne naves obruerentur, anchoras ex argento conflare: Si verum est, quod de Galliæ suæ opulentia jactitavit Stephanus Forcatulus *libro de Gallorum Imperio & Philosophia.*

Argenti rivi.

Nec dissimulandum hîc puto, intempestivos illos partus Festo *exterricineos* nominari, tanquam eos mater exterrita alvo ejecerit. Græci ἠλιτομήνους vocant, veluti fallentes in mense. Sicuti *Epitoca* eleganter, quib. jam pariendi instat tempus. Cœlius Rhodigin. *lib.22. Antiqua. lection. cap.13.* Sic quorum in nascendo non caput, sed pedes primi exstiterant, qui partus difficilimus ægerrimusque habetur) *Agrippæ* appellati; vocabulo ab ægritudine & pedibus conficto, vel ab ægra partione, quasi ægrè partos dicas, Plinius putavit *lib.7. cap.8.* Esse autem pueros in utero, Varro dicit capite infimo nixos, sursum pedibus elatis: non ut hominis natura est, sed ut arboris. Nam pedes cruraque arboris appellat ramos: caput, stirpem atque caudicem. Quando igitur, inquit, contra naturam fortè conversi in pedes brachijs plerunque diductis retineri solent, ægriusque tunc mulieres enituntur. Hujus periculi deprecandi gratiâ Aræ staturæ sunt Romæ duabus Carmentibus: quarum una *Postverta* nominata est, *Prosa* altera; à recti perversique partus & potestate & nomine. Gellius *libro 16. Noct. Attic. cap.16.* & Cœlius Rhodiginus *lib.15. Antiquar. Lection. cap.22.* Tale igitur tautumque cum sit patus periculum, ut parturientibus mortem præ foribus consistere dicat Leo *Novell.17.* quam etiam matribus, quæ ob hoc multum laborare dicuntur, *Novell.156. cap.1.* sæpè hoc causa illatam Justinianus condolet *in §. Sed nos. Instit. de SC. Tertull.* meritò felices deprædicandæ erunt Illyricanæ mulieres, quas facilimi partus esse Varro testaturi *lib.2. de re Rustica, cap.10.* Nam in Illyrico hoc, amplius, inquit, prægnantem sæpè, cum venit periendi tempus, non longè ab opere discedere: ibique enixam puerum referre, quem non peperisse, sed invenisse putes. Sic Canarinorum mulieres in India, nullius obstetricis adjumento infantes vel solæ exponunt. Ita mihi (ait Johan. à Linschoten *in sua Navigat. cap. 39.*) quandoque ambulanti per villas Canarinorum, potumq; nimiâ sitis flagrantiâ petenti, apparuit mulier sola domi, quæ linteamen corpori circundabat, cùm ante pedes pelvis à ligno aquâ impleta staret, ibique illa infantem recens à partu lavaret, quem deinde folijs ficus Indicæ impositum, in terram collocavit, me rogans ut exspectarem, allaturam se aquam potui idoneam. Cæterum intelligenti sordes tam subiti partus potus aviditas abijt, donec alia casa appareret. Pòst visa nobis fuit eadem mulier, circa ædiculam ultrò citroque discurrens, secura omnium dolorum, nullaque recentis partus molestia. Quibus non malè Apollonij Tyanei parentem adjunxeris, quæ in prato florido somno capta, Cygnorum circumstantium concentu, deinde spirante Favonio, somno soluta, sine obstetricis officio puerum edidit: qui dum in virum evasit, Philosophia vel Magia adeò excelluit, ut à quibusdam non aliter atque Deus cultus, & simulachrum ejus sub Herculis Alexicaci nomine constitutum, ab Ephesijs fuerit

Exterricinei. *Agrippa.* *Postverta. Prosa.* *Illyricanæ faciles ad partum.* *Indicæ mulieres.* *Apollonij mater.*

Philostratus. rit honoratum: si verum est, quod de eo scripsit *Philostratus*, omnium cæteroquin, qui unquam historiam conscripserunt, mendacissimus, ex Cœlii Rhodigini judicio *lib.17. Antiquar. lection.capit.13.* Cassiodoro tamen *Apollonius Thyaneus* insignis philosophus habetur, & celeberrimæ eum famæ, authoritatisque sapientem, veterem Philosophum, omnium rerum doctum, ipsum etiam pro Numine frequentem dum scribit Suidas *in Thyaneo.* Quam Christo æquare impudenter ausus est Hierocles Stoicus: adversus quem librum Eusebius edidit, quem vide: & in veteri inscriptione Romæ propheta dicitur: ut notat Savaro *ad Sidon. Apollinaris Ep.3.libr.8.* Floruit autem Apollonius sub Nerva ceu Græca testantur monumenta. In cujus laudem etiam scriptum video, quod juvenilibus annis intentiva Venereorum & titillationes subinde lancinantes, vellicantesq; ita represserit, contuderitque ut præsignis in eo castitas noscitaretur, à qua nunquam ab eo reclinatum sit, atque discessum. Sed & Damis auctor est, Apollonium illum annuli ab Iarcha sapientum Indorum principe donati beneficio, Iuventæ nitorem prætulisse, quamvis annum jam centesimum exegisse. Nec puduit Platonicum Olympiodorum scribere Thyaneum Apollonium vi ac potestate sensuum, cùm in Vrbe ageret, tanquàm de illustri specula, quæ in Ægypto fierent, prospectasse. Sunt, qui & animalium sermonis gnarum eum fuisse dicant, scribente presertim Porphyrio *libr. de Sacrificiis 3.* eum in amicorum cœtu, cum adiret hirundinem aliis nuntiare, Asinum prope Vrbem onustum cecidisse, triticumq; humi diffusum, declarasse audita: idq; ita fuisse compertum, quanquam Philostratus non hirundinem, sed Passerculum fuisse tradidit. Cum Philostrato tamen idem sentit Eunapius: idq; verisimilius esse putatur. Hirundo enim frumento non pascitur. Planè Plinius *lib.10.cap.49.* Democritum scripsisse asseverat, Aves quasdam esse certis vocabulis; & earum avium confuso sanguine gigni serpentem; Eum si quis ederit, linguas avium & colloquia interpretaturum. Id quod tamen Gellio non fit verisimile, existimanti, Multa videri ab hominibus malè solertibus huiuscemodi commenta in Democriti nomen data, nobilitatis auctoritatisque ejus perfugio utentibus *libr.10. Noct. Attic. cap.12.* Nec desunt, qui illud Apollonii avium garritus intelligentis figmentum simile esse putant ei, quod veteres de Tiresia & Melampo fuerant fabulati. Sed hæc sunt incredibilia, *ait Martinus del-Rio Iesuita.* Cùm enim bestiæ ratione careant, nequeunt discursu uti tamen ad sermonem ex instituto proferendum est necessarius; sermonem, inquam, qui sit rerum velgestarum significativus. *lib.2. disquis. Magic. q.19. fol.168.* Quo in loco etiam hanc examinat quæstionem: an bestiæ eiusdem saltem speciei invicem se intelligant? Et quo ad effectus illos corporis & motiones corporis belluini affirmativam docet quotidiana experientia: quo ad cætera quoq; censuit probare conatur *Porphyrius*, aves scientiam habere vocis cantusque, sui generis avium, ac quod ipsis accommodatum sit, id posse aliis ostendere. Idem *Plato* censuit & *Oppianus* agens de Elephantis, quia si Elephas in cœnum ceciderit & clamaverit, socius id cernens abit, & redit, adducens gregem Elephantorum, ut opera communi juvant immersum. Exemplo poterit esse Surpius Lybicus: qui cum solus ferire non valuit hominem, revertitur cum pluribus aliis, & simul hominem aggreditur, annexis sibi annulatim sociis. Exemplo itidem erit piscis, qui confractum laqueum evasit, & aliis periculum indicat, quo fit, ut eo die generis huius

Apollonii Thyanei Encomiũ

Apollonius.

Avium sermonis gnarus.

Animalia eiusdẽ speciei an se intelligant.

Pancyroll.lib.2.

huius pisces nulli compareant: Qua de re videatur Pet. Gregor. *lib. 15 de Rep. c. 5.*

Nonimestris partus. Sed reliqua persequamur. Etsi igitur ex recepta omnium opinione, Nono mense hominem frequenter & sæpè gigni idem Gellius prodidit. *lib. 3. c. 16.* multis tamen sententiis variatum video, si mulier mortuo priore marito illico ad secundas nuptias transierit, & nono mense pariat, cuius ille filius præsumatur & hæres? Sunt, qui prioris Mariti filium præsumendum existiment. *1. Opinio.* Cùm enim jure nostro Nuptiæ intra annum luctus vetitæ sint, propter sanguinis turbationem: *l. liberorum 11. §. 1. ff. de his qui not. infam.* Iacob. Ræuard. *lib. 1. Varior. cap. 20.* Capienda est inquiunt, præsumtio filio favorabilior, ut ex nuptiis concessis, id est, primo matrimonio censeatur natus. Bald. *in l. si matre C. de suis & legit.* Quæ tamen ratio jure Canonico forsan non procederet: quo permissum est Vxori, etiam intra annum luctus alteri nubere, *cap. pen. & ult. Extr. de secund. nupt.* Sed fortè Lex Canonica ad hunc casum trahenda non est, cùm suboriri ambiguitas fœtus potest, ut quidem Alciatus *libro 9. parerg. cap. 12.* non improbabiliter arguit. Etsi enim Iuris Pontificii assertoribus placuit, etiam eo casu, quo ob sanguinis turbationem, & patris incertitudinem, secundæ intra annum luctus nuptiæ vetantur, Leges civiles per canonica jura correctas esse, propter ea, quæ tradidit Goffredus *in Summa de Secund. nupt.* illam tamen Canonistarum opinionem solidis & evidentibus argumentis confutavit Luc. de Penna, *in l. Mulieres. 9. C. de Incol. & ubi quis domicil. hab. vid. lib. 10.* non tam matrimonia, quam nimiam ipsorum festinationem jure civili inhiberi ostendens, quæ sententia haud dubiè vera est.

2. Opinio. Alii parum huiusmodi secundi viri potiùs præsumi censuerunt, in cuius domo vicinis scientibus natus sit: ideoque in ejus juris sive filiationis quasi possessione constitutus, ut voluit Imola, Lancellottus, & alii *in d. l. Gallus in princ.* quandoquidem filium eum definiamus, qui ex viro & uxore ejus nascitur. *l. filium. 6. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur.* quam conclusionem varie extendit, & rursum constringit Iohan. Baptista Asinius *in Iudicior. praxi, parte 2 §. 1. cap. 66. & seqq.* Eamque vel ideò veriorem fortè putaveris, quod imputandum sit secundo marito, qui nimis propere uxorem duxerit: quemadmodum & Vlpianus (ut ita argumentari inde liceat) omnem ei culpam adscribit, qui cùm posset non incidere in tempestatem, vel in vim fluminis, si opportuno tempore navigasset; ipsemet se arctaverit, vel nulla necessitate urgente, voluptatis causa fuerit profectus. *l. 2. §. si quis tamen. ff. si quis caution in judic. sist.* cùm præsertim suspicione non careat properata illa nuptiarum festinatio; nec infrequens sit, ut Marito fundi uxorii colono ignavo vicaria strenui & assidui magis cultoris opera succedat. Quò spectat perfacetum illud Epigramma, quod ex venerandæ vetustatis exemplari descriptum Martiali restituit Hadr. Iun. *lib. 5. Animad. cap. 17.* Martialis id esse, vel Iovel lapidem iurare paratus. Id verò sic habet:

Milo.

Milo domi non est peregrè at Milone profecto
Arva vacant, Vxor non minus inde parit.
Cur sit ager sterilis, cur uxor lactitet, edam:
Quo fodiatur ager non habet, Vxor habet

Vt taceam, eius esse præsumendum filium, qui in agro colendo diutius perseveraverit: maximè si favor testamenti sustinendi hoc suadeat: ut quia in testamento prioris mariti sit filius præteritus. *arg. l. ex facto §. pen. ad SC. Trebell.* vel si constaret, ea æ-

ea ægritudine affectum fuisse priorem maritum, ut uxori commisceri verisimiliter nō potuerit, *d.l.filium.6.ff.de his qui sunt sui vel al.jur.* Alciat.*in d.l.Gallus.in princ.n.31.de lib. & posth.* Asinius *in praxi Iudicior. part.2.§.1.c.80.*

3.Opinio. Angelus propter incertitudinem partum illum ad utriusque mariti hæreditatem admittendum existimat, tanquam utriusque censeatur filius: sicuti & servus quandoque duorum dominorum in solidum fuisse, juris commento intelligitur. *l.duo socii.8.ff.de hæredibus institu.* quamvis unius tantùm esse possit: cùm duorum insolidum dominiū vel possessio esse nequeat. *l.si ut certo.§.si duob. vehiculum.ff.Commod.* Contra naturam quippe est, ut cùm ego aliquid teneam, ut quoque id teneris videaris. *l.3.§.ex contrario.ff.de acquir.poss.* qua de re videndus est Arius Pinellus *l.1.C.de bon.mater.par.3.nu.*10. Proinde sententiam illam, ut ad utriusq; successionem filius iste admittatur, ceu somnium quoddam irridet Alexander *in d.l.Gallus.* quanquam certum est, eam Azoni placuisse, ut quæ magna æquitate fulciatur. *arg.l.qui duos.9.ff.de reb.dub.* Et hæc quidem uno sanè casu etiam Alciato probabilis videtur, cum scilicet utriusq; hæreditatem filius ille possideret. Poterit enim filius adversus agnatum primi mariti excipere, se ejus esse filium: eodemq; modo etiam adversus agnatum secundi: cùm licitum sit Reo adversus diversos Actores etiam contrariis exceptionib. uti *l.nemo.de except.* & ut Accursius ait, mantellum vertere. *in l.Papinianus.§.sed nec impuberis.ff.de in off.testam.* Quo fit, ut adseveratio erga primum nihil ei obfutura sit respectu secundi. *l.si duo patroni.in pr.de jurej.* quod Aretinus *in d.l.Gallus.* adversus Abbatem censuit *in c.afferte de præsum.* & verum est. Poterit enim Reus adversus unū obtinere, quia ille nihil probaverit: & adversus alterum, quia ipsemet filius se filium ostenderit. Alciat.*lib.9.parerg.& ad d.l.Gallus.in pr.num.*37.

4.Opinio Cæterùm Ruinus & Salomonius non utriusq; hæreditatem, sed alterius tantùm ei concedendam putarunt, electione scil. ipsi data, ut eius sit, cuius esse velit; atq; ita interpretatio in re dubia in partem fiat favorabiliorem. Nec videtur ratione destituta hæc decisio: quandoquidē filius matrimonium inter Titium & matrem suam fuisse probans, intentionem habeat fundatam. Sed quoniam hæc non leviter per adversarium obscurari potest, matrimonii cum alia quoque probatione, Bart.*in l.non solum.§.sed ut probari.de no.oper.nunc.* fit ut sententia ista non sat probabilis censeri queat.

5.Opinio Sicut nec illa quorundam Veterum: qui propter tantam dubietatem dividi hasce hæreditates, & utriusq; dimidium huic dari censuerunt. *arg.l.si paterfamiliâs.de hær.inst.*

6.Opinio. Verior potiùs & receptior, atque adeò Iuris regulis quàm maximè consentanea est Iacobi de Belviso sententia, *in l.C.quor.bonor.* quam & Baldus & Angelus sequuti sunt, *in l.liberorū.§.1.de his qui not.infam.* & Alberic.*in l.si vicinus.C.de nupt.* ut ob illam sanguinis turbationem, neutrius existimandus sit filius, & propter incertitudinem ab utriusque hæreditate excludi debeat. *l.si ita fuerit.de rebus dub.li.?.§.si duobus.de adim.legat.* Par enim est respectu utriusque mariti præsumptio, & nulla victoria inter pares esse potest. *l.cùm enim.de stipulat.servor.l.si reus de duobus reis stipul.* Quod tamen cum hoc moderamine accipiendum est, nisi aliquæ conjecturæ in alteram partem urgeant: atque eæ conjecturæ iis in casibus, qui difficiles sunt probationis, inprimis erunt attendēdæ.

Filiationis probationis. Inter quos merito referre debet filiationis probatio: Quæ & ipsa difficilis & penè impossibilis judicatur *l.Lucius.ff.de condit.*

dition. & demonstrat. Bart. *in l.1.C.quor.bonor.* sivè quia conjugalis cohabitatio & liberorum procreatio, est aliquid de occultissimis, ut latè differit Augustin. *lib.14.de Civit. Dei cap.16.17.18.& seqq.* Quis enim nescit (inquit) ut filii procreentur? quid inter se conjuges agant? Quandoquidem ut id agatur, tanta celebritate ducantur uxores, & tamen cum id sit licitum & honestum, remotum ab arbitris cubile requirit. Nam etsi peccator careat, tamen suadente verecundia, non nisi remotis arbitris & secreto pattari, nec in hominum conspectu quis liberis operam dare solet, nisi forte Cynicio Diogenes, qui *in trivia hominum plantabat*, auctore Laertio, ut non immertò Canina impudentia *Cynicum* dictum arguat Lactantius *lib.3. de falsa sapient.cap.15.* & Augustinus *de loco. 20.* sivè quia etiam concubitu probato vel confesso, tamen generatio & conceptio inde probata non esset: Cum vix unquam ipse pater certus esse possit de sobole sua: ut habet illa Menandri ita à Marq. Freher Latine redditum

Cur mater sobolem patre diligat acrius: hinc est:
Esse suam mater scit, pater esse putat.

Multò minus igitur extraneus de eo liquido deponere possit, sicuti elegãtur hoc prodidit *Dn. Freherus* in doctissimo tractatu *de Fama lib. 2. cap.6. ubi nu.5.& seqq.* articulandi modum circa filiationis probationem optime explicat. Inter conjecturas verò illas probandæ Filiationis, prima illa ponitur, cùm filius iste vel primi, vel secundi mariti, vel etiam utriusque ut modò diximus, hæreditatem possidet. Facit enim possessio, ut pro possessore, tanquam pro filio præsumatur, *arg. §. Recuperandæ. §. commodum. Instit. de interdict.* ubi commodum possidendi in eo esse dicitur, quod etiamsi ejus res non sit, qui possidet, si modò Actor non poterit suam esse probare remaneat in suo loco possessor. propter quam causam cùm obscura sunt utriusque jura, contra petitorem judicari solet. quippe qui intentionem suam non impleverit *l. fi. D. de rei vindicat.* Altera conjectura est, quæ ex lineamentis oris paterni assumitur: vt ejus judicetur filius, cujus imaginem & lineamenta refert. *l. quod si nolit.31.§. qui mancipia. & ibi gl. ver. non infamata. ff. de adilit. edict.* Quam opinionem Bartolus & alii, præcipuè verò Iason reprobat *l. Gallus. in princ. nu.68. ff de lib. & posthu.* & Iacob. Menochius *de Arbit. Iudic. cent. 1. casu 89. nu.98.* Cùm n. ex cogitatione figurati partus edantur, contingere sæpè, ut filii nascantur patri dissimiles. *gloss. in l. quæret aliquis 135. ff. de verb. signif. & l. non sunt. liberi 14. de statu hom.* Minimè certam hanc esse Naturę legem, ut similes patribus procreentur; sed species mortalium, prout fortuita fors conceptionis obtulit, attribui, atq; ideò plerunq; ex speciosis deformes, & ex robustis invalidos partus edi. Valer. Max. *lib.9.cap.14.* ex doctis; stolidos & stupidos; ex stultis, sępè prudentissimos: ut ex Alexandro Aphrodisæo luculenter docet Andreas Tiraquellus *in ll. connub. leg. 5. n. 154.* Sic etiam evenire, ut cùm adultera adventum mariti metuens de ipso semper cogitet, ex adultero liberos pariat patri tàm similes, ut non lac magis lacti simile videri possit. Eò pertinere illud Horatii:

Nec metuo, ne, dum coeo vir rure recurrat.

Ipsum etiam Empedoclem existimasse, eo quod sub conceptum offertur, infantem informari. Id quod Plinius eleganter *haustas imagines sub ipso conceptu* nominat, *libr. 7. cap. 12.* Ex cujus itidem opinione Cogitatio utriuslibet animum subitò transvolans, effingere similitudinem aut miscere existimatur. Ideoque plures in ho-

Dn. Freherus.

1. Conject. ex possessione.

2. Conjecturæ ex lineamẽtis oris paterni.

mine, quàm in cæteris omnibus animalibus differentiæ: quoniam velocitas cogitationum, animiq; celeritas & ingenii varietas multiformes notas imprimit: cùm cæteris animantibus immobiles sint animi, & similes omnibus, singulisque in suo cuique genere. Hinc mulieres simularcha sæpiusculè statuasque iis deliciis habuisse constat, similesque in partus enixas: ut videre est apud Ioh. Baptistam Portam *libr.* 2. *Magiæ Naturalis, cap.* 19. & 20. & Franc. Valesiū libro singulari *de sacra philosoph. cap.* 11. Nec desunt in eam rem exempla ex bonis auctoribus. Nam & D. Augustinus *libro* 5. contra Iulianum scribit, Regem quendam Cyprium cùm satis deformis esset, cubiculum suum pluribus imaginibus pulchris depingi curâsse, ut earum adspectu uxor pulchram quoque prolem conciperet, & D. Hieronymus in *Genesin*, Hippocratem scriptum reliquisse tradit, suspicione adulterii mulierem liberatam, quæ pulcherrimum infantem pepererat, utrique stirpi & paternæ & maternæ dissimilem, quod è regione cubilis non absimilis effigies depicta esset. Quo argumento & Quintilianus matronam defendit, quæ Æthiopem enixa erat, cùm ejus coloris imagunculam in thalamo haberet. Et vulgata est Iacobi astutia, etiam ab Augustino probata *libr.* 10. *de Civitate Dei*: qui ut versiculorum gregem haberet, in canalibus variegatas virgas ponebat, ut tales fœtus progignerentur, quales erant virgæ quas potum ducta pecora contemplabantur. *Genes.* 30. Nec ignotum est, quod apud Lucilium de Manilio pictore, filios deformes & forma sibi planè dispares habente legitur. Interrogatus enim à Geminio, qui fieret, quòd non similes sibi liberos aut eâ formâ fingeret, qua aliàs soleret pingere? Respondisse fertur, *in tenebris se fingere, ac luce pingere.* quod perquàm eleganti Epigram. expressit Georg. Sabinus

Pignora conjugij deformia pictor habebat,
Uxor in hunc talem protulit ipsa jocum:
Cùm tua præstantes manus exprimat æmula formas,
Cur secus ac pingis, corpora fingis? ait.
Nocte refert. soleo tenebrosa fingere, pingo,
Clara nitet Phœbo cum radiante dies.

Similitudo quorundam etiam exterorum.

Sed nec propterea putant probabilem conjecturam ex similitudine illa capi posse: quòd compertum sit, etiam diversarum gentium natales tam concordi figura repertos, & aliquos in dissitis & remotis admodùm locis ita sibi forma pares fuisse, ut neuter ab altero discerni potuerit, sed uterque pro vno eodemque fuerit habitus. Nam & Toranius M. Antonio triumviro eximia forma pueros, alterum in Asia genitum, alterum trans Alpes, ut geminos vendidit, tanta unitas erat! & Antiocho regi Syriæ, è plebe nomine Artemon in tantum similis fuit, ut Laodice conjunx regia, necato jam Antiocho, mimum per eum commendationis regnique successionis peregerit, ut Plinius scribit *lib.* 7. *cap.* 12. quanquam Artemona illum non ex plebe, sed & ipsum regiæ stirpis fuisse dicat Valerius Maximus *libr.* 9. *cap.* 14. ex quo sub obscura illa Plinii verba lucem accipiunt. Igitur adscribo. « Laodice uxor Antiochi (ait Valerius) interfecto viro, « dissimulandi sceleris gratiâ Artemona in « lectulo, perinde quasi ipsum Regem ægrū « collocavit: admissumque universum po- « pulum & sermone ejus & vultu consimili « fefellit: credideruntque homines, ab An- « tiocho moriente Laodicen & natos ejus « sibi commendari. Et, vt idem tradit Plinius, Magno Pompejo Vibius quidam è plebe; & Publicis etiam servitute liberatus, indiscreta propè specie fuere similes, illud os probum reddentes, ipsumque honorem eximiæ frontis. Quod quidem fortuitum ludibrium, ait Valerius Maximus, quasi hæreditarium ad eum penetravit.

 Nam

Nam pater quoq; eius eousq; Menogenis coci sui similis esse visus est; ut vir & ferox animo, & præpotens armis, sordidum eius nomen repellere à se nó valuerit. Sic provincialem quẽdam legimus Augusto Cæsari ita forma æqualem fuisse, ut cùm Romæ esset, omnium in se oculos converteret. Eum itaq; Cæsar ad se adductum percunctatus fuisse dicitur: Nunquid mater ipsius Romæ aliquando fuisset? Negavit ille; & jocum sentiens, *Meus*, inquit, *pater Romam frequenter accessit.* loco namq; lacessitam matris suæ pudicitiam ultus est, invicem suspicione in matrem Cæsaris regesta. Vt taceam, quod patrum nostrorum memoria Martinum quendam in Gallia factitasse legimus, qui alterius uxori sub specie veri ipsius mariti per quinquennium, ni fallor, cohabitavit, omnibus eum ob faciei & morum similitudinem pro vero marito habentibus. quâ de re exstat *Arrestum Tolosanum*, Iohan, Coratio commentariis illustratum.

Liberi legitimos parentes referunt.

Verùm etsi hæc ita sese quandoque habeant, negari tamen non potest, frequentiùs accidere, ut legitimo patres filii referant. Nec enim dubium est, homines genitali quadam lege trahi, non secus atque in animalibus, in plantis similia sibi gignentibus fieri videmus: ut non immeritò Favorinus insignis Philosophus apud Gellium *lib.* 12. *Noct. Attic. c.* 1. existimarit, ad fingendas animi & corporis similitudines; naturam & vim seminis plurimum valere. Hinc cùm similitudo, ut Naturæ magis consentanea, multum valeat; videmus patres familias omni studio curare, canum atq; equorum generationem ex optimis atque pulcherrimis fieri: admirante intereà, & ridente Platone *de Republ.* quòd non idem operæ in copulandis hominibus navetur: Nec ullum maternæ pudicitiæ testimonium certius putat Ioh. Corasius *lib.* 2. *Miscellan. cap.* 21. quam liberorum parentes referentium progeniem. Vnde Martialis *lib.* 6. *Epigram.* ad Nepotem:

Est tibi, quæ patrii signatur imagine vultus,
Testis maternæ Nata pudicitiæ.

Et Catullus Epithalamio Iuliæ & Manlii:

Sit suo similis patri
Manlio, & facilè insciis
Noscitetur ab omnibus:
Et pudicitiam suæ
Matris indicet ore.

Atque eò etiam pertinere videtur Dionis querela ad Æneam, *apud Virgil.*

Saltem si qua mihi de te concepta fuisset
Ante fugam soboles; si quis mihi parvulus aula.
Luderet Æneas, qui tantùm ore referret.

quos versus etiam Tiberius Decianus recitat *Resp.* 1. *n.* 117 *vol.* 3. Quo fit, ut nec verum putem, eos qui ex adulterio concipiuntur, Maritis maximè similes esse: cum nec verisimile sit, in ipsa titillatione Veneris, voluptuaria illa seminis per meatus emissione de Marito cogitare adulteram: & ipsemet disertè scripserit Phocylides,

Haud similes gignũ stuprata cubilia notos.

cui illud Theocriti concinit, *Idyll.* 17.

Non amatis mulieris in alieno mens semper;
Et faciles quidem fœtus; cæterum filÿ nunquam similes patri.

atque insuper etiam experientia sit cognitum, adulteris similes esse adulterinos partus. Hac etenim re deprehensum fuisse *Pasiphaes adulterium* legimus, quòd gemino partu, alterum Minoi marito, alterum Tauro notario eius, similimos genuisset. Hinc fabula, ut Minotaurum, mistum genus, edidisse diceretur. P. Ærodius *lib.* 8. *rer. judicat. Tit.* 1. *c.* 7. Sic Proconnesiam ancillam è duplici adulterio geminos fuisse enixam, utrumq; patri similem Solinus tradidit, *lib.* 4. ex Plinio fortassis, qui

Pasiphaes adulterium.

Proconnesia.

qui Proconesiam eiusdem diei coitu, alterum domino similem, alterum procuratori eius peperisse scripserat *lib. 7. Natural. histor. c. 12.* Nec immerito ridiculo fuit habitus Plumbini Dux, qui prægnantem de se concubinam credens, ad baptismi sacra quàm plurimos primarios viros invitârat. Verùm illa Æthiopem peperit, coquo suo simillimum: cum quo stupri commercium ipsam habuisse, quæstione deprehenderat: ut est apud Alciatum *in l. quæret aliquis 135. de verb. signif. n. 5.* & ridiculi istius partus historiam lepide & festiviter recenset Michael Piccart. *in Narratione Ridicul. capit. 11.* Quemadmodum igitur legitimis parentibus liberi legitimi; ita & adulteris adulterini sunt similes: quod Martial. perquàm faceto epigrammate in Cinnam ostendit *lib. 6.* & Informativæ virtuti adscribit Langius: cuius adminiculo, ex utriusque parentis semine & materno per acetabula in uterum attracto sanguine, fœtus ad parentum similitudinem effingi, eosq; parentum, ac nō rarò proavorum nævis, cicatricibus, & stigmatibus insigniri ait *lib. 1. Epist. Medicin. 10.* Rari quippe sunt, dicebat Hippoc. qui genitale aliquid ex utero non referant. Ac quamvis ab initio in ipso partu manifesta signa, vt nervi, cicatrices, &c. non appareant: attamen per ætatem recognoscimus, aut in ipso oris & corporis habitu, aut voce, pronuntiatione, incessu, gestu, morib. Nam quotidiè gētilitias virtutes, ac vitia, morbos, ægritudines rescimus, ut articulares, iliacas, phthisicas, podagras. quot præterea videmus apoplexia genitali cecidisse? quot lipposos, lusciosas, surdos, balbutientes, parentibus suis similes, ac ēt avit & proavis! Solet enim idem sanguis paterno pleraq; similia corpori producere; dicebat Euripides *in Electra.* Hinc tres in Lepidorum gente intermisso ordine, obducto membranâ oculo, genitos acce-

Plumbini Dux.

Vis formativa.

pimus. Plin. *l. 7. c. 13.* & Seleucum Asiæ regem anchorā in femore habuisse, Trogus scribit *lib. 15.* atq; id signum ceu naturalem notā in posteris quoq; eius perseverasse. Vnde Ausonius de Antiochia loquens,

> ---- *illa Seleucum*
> *Nuncupat, ingenitis cui præbuit Anchora signum.*

ut quasi in proverbium iverit *Seleucidarum anchora, Pelopidarum eboreus humerus, & Ænobarborum rutila barba.* à gentilitiis scilicet familiarum istarum notis. Nec vero infrequens est, ut tanquam diu latente imagine, Natura non in filiis, sed in Nepotibus refricet speciem, memoriamq; Majorem. Quod Lucretius signatè expressit *lib. 4.* his versibus:

> *Fit quoque, ut interdum similes exsistere avorum*
> *Possint, & referant proavorū sæpè figuras,*
> *Propterea; quia multimodis primordia multis*
> *Mista, suo celant in corpore sæpè parentes,*
> *Quæ patrib. patres tradūt à stirpe profecta.*
> *Inde Venus varia producit sorte figuras,*
> *Maioremq; refert vultus, vocesq;, comasque.*

Indubitatum enim, ait Plin. exemplum Nicæi Bizātii: qui adulterio Æthiopis natâ matre, nil à cæteris colore differente, ipse avum regeneravit Æthiopē. Id quod Aristot. *lib. 1. de generat. animal. cap. 18.* jam antè de Helide scripserat, quæ ex Æthiopis compressu albi quidem coloris filiam pepererit; sed ex qua Nepotem posteà Æthiopem susceperit. Quod Ant. Mizaldus *cent. 2. Memorabil. aphoris. 95.* suspicacibus maritis probè notandum monet: qui uxores stupri insimulare non erubescunt, si quando prolem alterutri dissimilem pariant: cùm fiat sæpenumerò, ut liberi avis aut etiam proavis magis, quàm parentib. assimilentur: sicut pluribus à nobis hactenus est demostratum.

in Maritos suspicaces.

Non

Cōjectura à similitudine ducta quādiu standum.

Non improbabilis igitur erit conjectura, quæ ab oris similitudine ducitur, ad quasi possessionem filiationis probādam, cui tamdiu erit standum, præsupposita scilicet Maris & fæminæ conjunctione, quamdiu ab Adversario, in quem onus illud reiicitur, contrarium fuerit probatum, quemadmodum Antonium adversus versutum ingenii mangonem Toraniū factitasse legimus, sermone puerorum detecta fraude. Plin. *d.c.12.in fin.* Quod & in iis, qui quamvis præsentes, aut etiam diversis in locis siti, formâ aliis æquales sunt, factu non erit difficile; si vel originis, vel regionis diversitas ab Adversario fuerit ostensa. Nec verò, quæ ex Hieronymo, Quintiliano & aliis adduximus, tanti facienda sunt, ut quotidianæ experientiæ præponenda ea existimem. Nam & in proposita ibi specie, de submovenda adulterii suspicione agebatur: adversus quam plerunque & facilè præsumitur. *arg. l. meritò 51. ibi, & sanè plerunque ff. pro socio.* & certum est, plus affectionis tabulam oculis subjectam inducere, quam absentis mariti cognitionem: de cujus forma in Venerea illa titillatione, ut dixi, admodum sollicitam esse adulteram, mihi quidem hercle non fit verisimile. Et quoniam Mulierculæ istæ, argumento & loco à speciali fuerunt excusatæ; consequens nimirum est, generalem è diverso Regulam ab ipsis fuisse comprobatam: quòd scil. Natura similem fœtum exigat, & similitudo suum exigat, sicuti dissimilitudo non suum. Ioh. Baptista Asinius *in praxi Judicior. §.1. cap. 14. circa fin.* Cæterùm ob quàm caussam fœtus aut patri aut matri fiat similior, id doctè explicatum habetur apud Fanc. Vallesium, *Controvers. Medicar. & Philosoph. lib. 2. cap. 7. circa fin.* & quomodo Mares vel fœminæ gigni possint, Ioh. Baptista Porta *tradidit lib. 2. Magia Naturalis, cap. 21.* quibus adde, quod Ioh. Langius. *Epist. 2. Medic. lib. 2. Ep. 7.* scriptum reliquit, rationem docens, cur Senes plerunque masculos, adolescentes autem fœmellas procreent.

3. Conject. ex nominatione Filij.

Tertia conjectura ex tractatione & nominatione desumitur, quando scil. partus ille non tantùm filius nominatur, sed & ut filius tractatur: dum ei alimenta, & alia vitæ subsidia nō secus ac liberis nostris suppeditantur. qua de re tamen videatur idem Iohan. Baptista Asinius *d. §. 1. capit. 16. cum multis seqq.* & Iacob Menochius *de Arbitrar. Judic. lib. 2. centur. 1. casu 89. num. 77.*

4. Conject. ex Fama ducitur.

Quarta Conjectura ex Fama deducitur. quæ hoc operatur, ut partus ille, qui communi populi fama pro filio fuit habitus, in quasi possessione filiationis constituatur. Etsi enim non desunt, qui famam hoc casu parum prodesse existiment; eò quod Fama dicatur vana populi vox, *l. Decurionum. C. de pœn.* & falsus rumor. *l. ult. ff. de hered. inst.* quemadmodum & Quintilianus Famam appellat rumorem sine certo auctore. *lib. 5. Orator. Institut. cap. 3.* Quandoquidem Fama, ut cum Tertulliano dicam *in Apolog. ca. 7.* ne tunc quidem, cum aliquid veri asserit sine mendacii vitio est. Vnde Ovid. *lib. 3. Metam.*

> *---- Fama loquax, quæ veris addere falsa*
> *Gaudeat, & minimo sua per mendacia crescit.*

Tamen cùm res conjecturis est definienda, tum Fama nō jam pro vana populi voce habebitur; sed populi illa vox Dei vox solet appellari. Nam, ut est apud Hesiodum,

> *Quam populi sermo celebrat creber, irrita nunquam*
> *Fama cadit penitùs; quædam Dea cùm sit & ipsa.*

in tantum, ut famâ rectè probatâ, de rei veritate constare dicatur. quippe cum in his, quæ difficilis sunt probationis, & à

Con-

Conjecturis potissimùm dependent (cujusmodi etiam est Filiatio) & quorum aliunde non potest haberi probatio, Fama etiam plenè probare dicatur, ex communi Dd. sententia, quam laudant & sequuntur Iacobus Menech. & Ioh. Baptista Asinius, locis modò allegatis. & omnium optimè explicat Dn. Marquardus Freher. *lib. 2. de Fama, cap. 6.* Atque hæc quidem de Nonimestri partu, & circa hunc mota passim à Dd. vulgata illa quæstione, dicta sint.

Decimestris partus.

De decimo autem mense indubitatum est, Veteres hunc frequentiorem esse ad partum credidisse. Indè illud apud Virgil. *Ecloga 4.*

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Et Ovid. rationem reddens anni à Romulo in decem menses destributi,

Quod satis est, utero matris dum prodeat infans,
Hoc annos statuit temporis esse satis.

Ipsa quoque Sapientia de partus humani tempore ita pronuntiat *Sapient. 7.* Decem mensium tempore coagulatus sum. Hinc in Aquiliana formula apud Scævolam: Si filius meus vivo me morietur, tunc si quis mihi ex eo nepos, sive quæ neptis, post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus nascitur, natus nata erit, hæredes sunto. *l. Gallus in prin. de lib. & posth.* Et in Iustiniani constitutione: Si filius vel filia intra decem mensium spatium post mortem meam editi fuerint, hæredes sunto. *l. ult. C. de posthum. hered.* Estque elegans hac de re locus apud M. Varronem in Satyra, quæ *Testamentum* inscribitur: Si quis mihi filius unus pluresve in decem mensibus gignentur, si erunt ὀνοιλύρας, exhæredes sunto. quod si quis undecimo mēse κατ' Ἀριστοτέλην natus est, Accio idem quod Titio jus est apud me. qui locus & illud inter cætera docet, vel ipsos etiam filios posthumos absque ulla prorsus ipsorum culpa potuisse exhæredari. quid enim culpæ habet ingenii stupiditas? Quid ergò, si vel solo biduo post mensem decimum à filii morte cōpletum pariat nurus? ecquid pro prole legitima ab avo hîc agnoscetur? Ius nostrum non agnoscet. Nam ubi certum tempus, certusve dies per ipsum testatorem præfinitus est; id quod ultra illum diem contingit, à testatoris intentione remotum est, *l. si ita quis. 21. de vulg. & pup. subst.* Vnde Vlpianus; post decem menses mortis natus, non admittitur ad legitimam hæreditatem. *l. intestato. 3. §. post mortem, de suis & legitim. hæred.* Et auctor est Gellius, Decemviros in decimo mense gigni hominem, non in undecimo scripsisse. Esse enim hominem gignendi summum finem, decem menses non inceptos, sed exactos. *libro 3. Noct. Atticar. cap. 16.* Idque & Plautum dicere vidimus *in Cistellaria*:

- -tum illa quam impresserat,
Decimo post mense exacto hic peperit filium.

Undecimestris partus.

Quapropter cum mulier quædam post viri mortem undecimo mense peperisset, & defuncti viri hæreditatem filio tanquā legitimo dari peteret; Iustinianus adversus partum pronunciavit. quoniam indubitatum existimaret & impossibile, undecim menses uterum Mulierem gerere. quamobrem lata lege sanxit, ut quæ hoc tempore pareret, eas subiret pœnas, quibus jure veteri afficiebatur, si qua intra annum luctus nupsisset. *Auth. de Rest. & ea quæ parit. §. ult.* quod & injustè & summo rigore statutum Alciatus existimat *lib. 3. paradox. cap. 7.* cùm ex Græcis Aristoteles & Diocles, ex Latinis M. Varro, hoc temporis gestari filios posse putaverint. Sed si verum amamus, nulla ibi circa partum movetur controversia, sed tantùm

Pancyroll. lib. 2.

circa antenuptialem donationem restituendam. Quia enim proponebatur, Mulierem perfecto undecimo mense, nondum tamẽ anno completo peperisse: nulla quidem erat quæstio, Utrum post decem menses legitimus nec ne esset partus ille undecimo vel duodecimo mense editus: sed liberi duntaxat antenuptialem repetebant donationem, qua privandam dicebant eam, quæ intra annum luctus, à morte defuncti mariti, patris ipsorum, ad secundas nuptias cõvolaverat. Mulier ad elidendam hanc agentium intentionem, fatebatur quidem jus esse ex constitutionibus, ut Mulier intra lugubre tempus nubens donatione illa cadat: cæterũ secundas se contraxisse nuptias; id verò pernegebat: Puerum quem peperisset, non ex secundo marito, quẽ nullum haberet, sed ex opere naturalis concupiscentiæ se pepetisse, hoc est, ex illegitimo cõcubitu seu stupro. Ideoq; prædictas illas constitutiones ad se, quæ secundo non nupsisset, non pertinere. Non igitur allegebat Mulier, partum prioris esse matrimonii, aut verò justum partum undecimo vel duodecimo mẽse aliquando procreari posse: sed à defuncti morte constupratam se esse confitebatur, ut pœnas intra luctus annum nubentium evitaret. Cæterum Iustinianus iniquum esse ratus, aliquid, amplius habere castitate luxuriam, sancivit, Eam pœnis illis omnibus subdendam, non secus ac si contigisset, eam ante luctus tempus legitimè celebrasse nuptias: nulla prorsus ratione habita illius, quanto scil. tempore uterum gerere posset mulier. Qua tamen decisione Iustinianus nihil se prædicare velle testatur liberis prioris matrimonii: quibus ut & posteriori huic partui, si contendere velit, partum se esse mariti defuncti; nullum ex hac sententia, uti nec etiam ex matris confessione præjudicium irrogari debeat. Et hanc quidem constitutionis illius veram interpretationem esse puto, quam adversus Alciatum pluribus prosequitur Ioh. Basius *lib. 4. paradoxar. disputat. cap. 6.* Sanè cùm Mulier quædam, quæ in undecimo mense post mariti mortem pepererat, accusaretur, ac si illegitimum peperisset: cæteroquin autem bonis ac probatis moribus, nec dubiæ pudicitiæ esse diceretur: Divus Hadrianus, causa cognita, requisitisque veterum Poëtarum, Philosophorum, Medicorumque opinionibus (inter quos summi fuerunt Homerus, Aristoteles, M. Varro) decrevit, In undecimo mense partum edi posse. atque in ipso suo decreto apposuit, qua perquisitione, qua diligentia, quibus relationibus ita judicasset: ne quid temerè adversus Leges XXII. Tab. quibus *in Decem Mensibus* gigni hominem, non *in Undecimo*, diceretur) atque adversus publicam utilitatem introduxisse, videretur, se rem ad Medicos rejecisse; atque ex eorum sententia jus dixisse, liquidò testatus, & quidem non absque summorum virorum exemplo. Nam & Plato, cum de arca dimetienda quæreretur, ad Euclidem, & Q. Scævola Augur, cum de jure prædicatorio consuleretur homo juris peritissimus, Consultores suos nonnunquam ad Furium & Cassellium prædicatores rejiciebat: & Cicero de Aqua sua Tusculana N. Tugionem potius, quàm C. Aquilium consulebat: quòd assiduus usus uni rei deditus, & ingenium & artem sæpè solebat vincere. Quo facto (inquit Valer. Maximus) Veteres moderationem suam magis commendabant, quàm auctoritatem minuebant. Quinimò etiam usque ad duodecimum mense fœturam mulierum protolli posse Gellius docet ex illis Homeri versibus, quibus Neptunus puellam à se recens compressam ita cõpellat:

Peritis in arte credendum.

Duodecimestris partus.

Nunc gaude dilecta, at quum se evolverit annus,

Illu-

Illustres neque enim sunt vana cubilia Divûm.)

Natos nixa dabis.

Quo tamen in loco, verba illa περιπλομένου ἐνιαυτοῦ *volvente anno*, Favorinus non de confecto, sed affecto anno accipienda monet, Dici autem affecta, quæ non ad finem ipsum sed proximè finem progressa sint & deducta. Hoc amplius apud Plinium legimus, *lib.7.cap.5.* Lucium Papyrium prætorem, secundo hærade lege agente, bonorum possessionem contra eum dedisse, cum Mater partum se XIII. mensibus diceret tulisse, quoniam nullum tẽpus patiendi statuum ei videretur. Idque & Gellius refert *loco præcitato.* Sui quippe juris Natura est, neque ad leges humanas componitur, aut semper ex formula respondet: modò properat, modò vota præcurrit, modò lenta est remoratur, vt ex Papyrio Fabiana ait Seneca. Nam ut arborum fructus ex diturniore frigore, sic fœtum, ex acerbissimo dolore mariti defuncti, sisti ac sustineri posse. Hinc est, quod apud Parisienses arbitrio doctissimorum Advocatorum ad bonorum possessionem admissa dicatur Vidua, quæ XIV. mense peperisset: eò quod apud hæredes defuncti vixisset perpetuò, diligenter asservata, & nunquam à latere discedens eorum Vxorum: ipsique preterea hæredibus nihil eius honori ac pudicitiæ objicientibus, quinimò de solenni ac perpetuo eius luctu, ob mariti mortem, testantibus. Quòd cùm ita foret, nequaquam tanti faciendam putarunt communis partuo opinionem, ut matrona honestissima, cui nihil objiceretur, præter vulgarem consuetudinem, pariens audienda non esset. Dion. Gothofr. *ad Novell.39.in fin.* Quid, quod & Venetiis Mulierem *Sexagenariam & septuagenario* sene concepisse, & decimo quinto mense puellam peperisse, oculis tamen & manibus privatam, & quinque tantum mensibus vitalem, testis est αὐτόπτης *Nicolaus Massa* Ital. Medicus Clariss. *Ep.29.tom 2.* Quinetiam *ingens* Curiæ Rhodomagensis præses in acta publica conscribi mandavit, mulierem cũ eniti conaretur, nono mense nec potuisset; *decimo & octava mense* peperisse fœtum vitalem, obstetricum & medicorum fide conquisita, ut testatur Ioh. Bodinus *libr. 3. Theatri naturæ fol. mihi 391.* Verùm hæc non facilè ad exemplum tradi debent, & certa aut suspecta mulieris pudicitia, juncta communi fama, & adhibito jurejurando, multum adfert in his naturalibus rebus adjumenti, ut graviter censuit Pet. Ærodius *libr. 2. Rer. judicat. Tit. 4. cap. 5.* Plura de variis diversisque partus humani temporibus qui cognoscere avet, legat præ cæteris Hippocrat. *lib. de aliment. & libr. 6. de natura puer.* Franciscum Vallesium *controvers. Medic. & Philosophicar. lib.2.c.6.8.9.10.* Andream Laurent. *histor. Anatom. cap.16.q.37. & 38.* Forestum *de mulierum morbis libr. 28. observat. 59. & lib. 28. observat. 70.* Iohan. Langium *Epist. Medicinal. libr. 2. Ep. 39.* Ioh. Schenckium, *tom. 2. observat. Medicinal. lib. 4. observat. 122.125. cum multis seqq.* Ioh. Matthæum *in enodatione difficil. quæstion. Medicar. q.18.* Thomam Freigium *quæst. Physic. libr. 36. pag.1260.* Et denique Lemnium *de occul. natura miracul. lib.4.c.22.23.* Quos locos mihi consignavit Clariss. *Wagnerus* Ambergens. non ita pridem Medicus: jam verò Solisbachii artem illam cum laude exercens. Quem ego virum ob singularem eruditionem cum humanitate conjunctã & egregium denique animi candorem inter præcipuos habere soleo & veneror.

Tredecemestris partus.

Quatuordecimestris partus.

Quindecimestris partus.

D. Paulus Wagner.

Partitionis tempori succidanea est fœtus multiplicitas, quam Empedocles ad quantitatem; Asclepiades ad excellentiam seminis; Erasistratus ad superfœtationem referebat, ut videre est apud Plutarchum

Fœtus multiplicitas.

ge pla-

ge placitis Philosophorum Seneca *in Naturalibus quæstionibus* videtur inter ea id ponere, quorum ratio reddi non potest: ut cur aqua Nilotica fœcundiores faciat fœminas, adeò ut quarundam viscera longiore præclusa sterilitate ad conceptum relaxaverit. Nilum certè mulierum partionem insigniter adjuvare, Galenus putavit, quippe cuius inundatione recedente, reperiuntur musculi inchoato opere genitalis aquæ terræque jam parte corporis viventes, novissima effigie etiam terrena. Plinius *lib.9.cap.58.* Quo argumento primos homines apud se suapte sponte coaluisse, jactabant Ægyptii: teste Diodoro Siculo *lib.1* & Ioan. Gryphiandr. *de Insulis cap.18.n.60.& 61.* Et quidem incomparabilem bonitatis vim fluvio illi attributam, quatuor ex causis Avicenna scribit, quarum pimam statuit à cursus longitudine: secundam Regionis adscribit nitori ac præstantiæ, per quam fit aquarum delapsus: tertiam, quod eæ à meridie in Septentrionem deferantur: postremò & immensam suffragari fluminis molem. Aristoteles, posteaquam fœcundissimum dixit Nilum, & alendi facultate insignem, moderatæ Solis decoctioni id acceptum tulit. Nilum itaque, quoniam mira feracitate universam Ægyptum beat alluvione fœcunda, (vel, ut cum Virgilio dicam 4.*Georgic.v.*287.

--- viridem Ægyptum nigra fœcundat arena,

de cuius versus sanè perobscuri interpretatione videatur Ioh. Ludov de la Corde *in commentar. super Georgic.*) Poetæ modò *fertilem*, modò *pinguem*, modò *potu fatiferum* dixerunt, quinimò Iovis vice Ægyptiis eum cultum fuisse Athenæus scribunt; quòd imbrium modo ripis circumfusis stato anni tempore; quo

Fertilis æstiva Nilus abundat aqua,

miram, ut dixi, fertilitatem campis inferat. De quo ita Tibullus:

Te propter, nullos tellus tua postulat imbres,

Arida nec pluvio supplicat herba Iovi.

Hinc Martialis scitè & perquam eleganter Nilum vocat Imbriferum *libr.1.Ep.62.* non quod imbres ille cieat, cum concors sit omnium sententia, imbres in Ægypto non cadere, aut rarò, & per hyemem tantum: sed quia Nilus Ægyptiis sit instar imbrium cœlestium, & pluviarum, quando totam Ægyptum quotannis inundatione sua fœcundat. Cujus aquam & Babylonii Reges inter gazas condere consueverant, velut hoc argumentum suæ magnitudinis ostenderent, cùm per tot spatia terrarum, totque invias regiones advecta fuisset. Ipsi verò Ægyptii inter Regia munera adeò hanc in delitijs habuêre, ut Philadelphus Rex eam ex Ægypto Berenici filiæ, quæ Antiocho nupserat, in Syriam dono miserit. Ioh. Langius *Epist. Medicinal. libr.1. epist.31.* & tanti præterea fecere, ut cum hydria ad templum deferebatur, omnes procumberent, & sublatis manibus Diis gratias agerent. Alexan. ab Alexad. *lib.4. Genial. dier. c.17.* & suum illum Apim tanta cura cultuque nutritum, ex Nilo bibere quàm religiosissimè vetuerint: siquidem & macilentiam & gracilitatem omni pondere vacuam, divinitati propriorem arbitrabantur: cùm contra compertum esset, animalia quæ ex Nilo biberent, & pinguiora & obesiora fieri: ut ex Plutarcho Ioh. Pierius annotavit *libr.46. Hieroglyph. Tit. de trib. urnis.* Quid? quod præter fœcunditatem illam, tanta etiam suavitate Nilus abundare dicitur, (nulli enim flumini dulcior gustus, ait Seneca *lib.4. Natural. quæst. c.2. in fin.*) ut incolæ vix Vinum quærant? Itaque Pescennius à Syriaco exercitu Cæsar acclamatus, Militibus, qui Ægypti limites custodirent, vinum efflagitantibus dixisse fer-

Nili fœcunditas.

Nilus imbrifer.

Nili aqua quanti æstimata.

Nili suavitas.

fertur: *Nilum habetis, & vinum quaeritis?* ut ex Spartiano refert Scalig. *advers. Cardanum Exercitat.* 48. De multiplici autem fœtus numero multa tam varia, & incredibilia tradi Paulus ait, ut fabulis annumerentur. Nam & quatuor pariter puellas à matrefamiliâs natas esse. *l. antiqui.* 3. *ff. si pars haeredit. petat.* & Divo Augusto imperante, ancillam Caesaris in agro Laurente uno partu quinque enixam pueros Gellius scribit *lib.* 10. *cap.* 2. & Romae fuisse Alexandrinam mulierem, quae itidem quinque simul peperisset, & tum habuisset incolumes; Vlpianus testatur *in l. si pater.* 36. §. *nam & Aristoteles. ff. de solut.* & Cajus *in l. utrum.* 7. *de reb. dubiis.* Cui insigniter adstipulantur Simon Majolus *dier. canic. part.* 1. *colloq.* 3. *pag.* 45. 96. *& seq.* Ioh. Schenckius *tomo* 2. *observ. Medicin. lib.* 4. *observat.* 162. qui quamplurima mirae faecunditatis, numerosaeque prolis uno partu susceptae exempla sincera fide recensent. Quo benevolum lectorem remissum volumus. Ac etsi Aristoteles eum esse finem dixit multijugae hominum partionis, neque plures vnquam simul genitos compertum; atque hunc esse numerum ait rarissimum, ut à Gellio relatum est *d. libro. c.* 2. scribit tamen Paulus non leves tradidisse auctores, quãdam quinquies quaternos enixam Peloponnesi: multas Ægypti uno utero septenos. *d. l. antiqui.* 3. *ff. si pars haeredit. petat.* quod Trogus ob fœcundum Nili potum contingere putavit. Sed & Laelius scribit, se vidisse in Palatio mulierẽ liberam, quae ab Alexandria perducta esset, ut Hadriano ostenderetur, cum quinque liberis: ex quibus quatuor eodem tempore enixa dicebatur; quintum, post diem quadragesimum. *d. l. antiqui.* quo in loco Paulus praeter multijugam illam portionem, etiam *Superfœtationem* (sic enim vocatur secundarius conceptus praegnantis: quam *Superimpraegnationem* vulgus appellat) haud obscurè admittit: quam & Plinius *lib.* 7. *cap.* 11. disertè statuit, dum mulierem quandam septem mensium edito puerperio, insecutis mensibus geminos enixam scribit. Cujus superfœtationis causam alii aliam tradidêre, siquidem Andreas Laurentius in praeclarissimo *opere suo anatomico cap.* 12. *quaest.* 32. ubi de superfœtationis natura & modo eruditè admodum edisserat, geminam causam apponit. Quarum priorem ad uteri situm & conformationem refert. Brutorum namque gestantium uterus valdè extuberat, totus ferè propendet, & ori externo maximè propinquus est. Itaque matris pudendum oblongum, sine succussione & percussione non fert: ex percussione quippe dolor, à dolore fuga coitus: Muliebris uterus profundior est, nec pendulus est. Maris ergo amplexum facilius fert. Posteriorem verò rationem, quare Mulier saepius superfœtare soleat, quam reliqua bruta animalia, ita dirigit: quia, cum homini voluptatis illecebras, & coeundi desiderium injecit natura, non solum ad sobolis propagationem, sed etiam ad humanae vitae miserias demulcendas: itaque saepius superfœtare solet mulier, quam reliqua animalia, cum gravida mulier maris compressum saepius appetat. Iohan. verò Bodinus in Methodo historica *cap.* 5. *& libro* 5. *de Rep. cap.* 1. atrae bilis, ac potissimum abradentis copię eam adscribit: quę, quod spumosa sit, libidinem proritare soleat, hinc enim Venerem fingi spuma maris natam, quo spectat illud Ausonii.

Orta salo, suscepta salo, patre edita cœlo
Æneadum genetrix hic habito alma Venus.

Hinc etiam Lascivos Graeci ὑγροὺς vocant, id est, humidos. quoniam, *inquiunt*, ex humecta natura consurgat coeundi cupiditas Lud. Coel. Rhodig. *lib.* 14. *lect. antiq. c.* 4.

Quot pariter nasci possint

Superfœtatio.

eius causa.

Atque

Atque id ipsum & Aristotelem sensisse putat *in problematis*, ubi causas inquirit, cur qui atra bile laborant, cæteris sint salaciores? quod videre est in Lepore, qui ex omnium animantium genere Melancholica succo maximè abundat. Est enim libidinosissimum animal, & rei Venereæ deditissimum. Nam fœmina, dum interim quæ peperit lactat, identidem superfœtat, neque ullum unquam parturiendi facit intervallum. Mas verò præter id, quod more marium progenerat, fœtum ipse quoque concipit & excludit, parique cum fœmina modo educat. De quo scribit Archelaus, benignam fuisse Naturam, quæ innocua & esculentis tantùm nata animalia fœcunda fecerit: quibus etiam utramque vim tradiderit, Masculo-fœminas esse omnes, ac sine Mare æquè gignere. Aristoteles tamen hoc omninò pernegat, Maremque in iis & fœminam separatim agnoscit: quia verò fœmina sæpenumerò Marem superveniat, factum ait ut rerum ignari mutuò eos impleri coitu crediderint. At per naturam fieri nullo modo potest, ut mas sine matrice aut fœmina sine maris semine concipiat. Ex quo intelligitur, hermaphroditos esse quosdã, nec tamẽ oẽs. Idq; à venatore peritissimo (inquit *Tharus ap. Bodin.*) didicimus, cum ea de re dubitaremus. Is n. affirmabat, hermaphroditos esse quosdã, nec tamen ea fœcunditate, qua fœminas, Marem autem nunquam uterum gestare, multo minus superfœtare: quem locũ adducit Philip. Camerarius *cent. 2. oper. succisiv. 6. 99.* Cæterùm Archelao Philostratus, Plutarchus, & plerique alii subscripsere: qui cum longo post Aristotelem tempore fuerint, neq; quid ille tradidisset, ignoraverint, haudquaquã credibile est, Eos ré, de qua tam perspecta esset apud omnes observatio, temerè ausos asseverare. quæ valde probabilis argumentatio est Iohan. Pierii *lib. 13. Hieroglyph. Titulo de Lepore.* Quinimò cum Lepore aliis quoque animantibus quibusdam commune hoc esse reperio. Nam, & Hyænæ utramque naturam inesse, & alternis eam annis esse marem, alternis fœminam fieri, Ægyptii præcipuè, & hos sequuti plerique alii prodidêre. Etsi autem Aristoteles hoc quoque commentitium esse profitetur, vulgoque persuasum, Hyænas annua vice sexum permutare, quia captæ aliquot (perquam rarò autem eas capi, præsertim fœminas) tenellæ adhuc sine genitalibus fuerint: Mares enim impendiò timere libidinis æmulos, & ideò gravidas custodire, morsuq; prolem masculam, ubi detur occasio, castrare: Ab hac tamen Aristotelis sententia cùm veteres, tum recentiores auctores discessisse video; & ex his quidem Ælianum historiæ hujusmodi scriptorem diligentissimum: qui Hyænam, inquit, si quando quis marem inspexerit, eandem mox fœminam videbit; sin modò fœminam, postea marem adspiciet. Promiscuè verò coitu alterutræ conjunguntur, ineuntque & ineuntur, per annum unum sexus vicissitudinem alternantes. Qui quidem auctor cum Aristotele longè posterior fuerit, id scriptis credere minimè ausus esset, nisi aut compertum ipse, aut fide dignorum testimonium habuisset. Cui accedit & Septimi Florentis Tertulliani, viri antiquitatis omnis scientissimi, sed labante simul tum Imperio & Romani sermonis elegantia, in stylo durioris (ita enim Hadrianus Iunius eum appellat *libr. 5. Animadversor. capit. 10.*) sanè non contemnenda auctoritas. Apud eum enim in hæc verba scriptum invenias: Hyænam si observes, sexus annalis est: marem & fœminam alternat. Aristotele tamen gravius etiam errare videntur, qui animal istud, utpote orbi nostro incognitum, imaginarium esse suppli-

Lepus superfœtat.

spicantur: cùm tamen gravissimi tot auctores permulta de eo quàm diligentissimà disseruerint: quæ nisi ex visu iis cognita fuissent, haudquaquam puto eos in re vana atque mendaci usque adeò laboraturos. Ac ne longius eamus, scribit Iohan.

Cervus naturam alternat.

Langius, etiam in vtero Cervi cornigeri (animalis certè omnibus notissimi) quem Illustrissimus Princeps Otto Henricus, Comes Palatinus, propè Oelvvangh ceperat, repertum fuisse, dum evisceraretur, hinnulum membranulis circumseptum. Et quidem Cervos quosdam sexus naturam variare inde colligit, quod obsservatum sit, Cervas quandoque cornua, quæ virilia Cervorum arma sunt, gestare, quali Marchio quidam Badensis capta, ejus Cornua Regi Gallorum dono miserat, quæ Ambasi in regio horto prope januam interiorem parieti affixa, subscriptis in tabella testibus, qui venationi interfuerant, etiamnum cernantur. Iohan. Langius *Epist. Medicinal. lib. 1. ep. 70.* Sed ex illa tamen Cornuum gestatione nemo sexus mutationem satis, opinor, probaverit. Etsi enim non incongruum est, Cervas aliquas cornua habere, quales aliquādo inventas fuisse, etiam Pindari interpres notavit, & cuiusmodi ea quoq; fuit, quæ Telephum Herculis filium, avi jussu in silvis expositum lactavit: sicuti *Peliam* ab equa, *Paridem* ab ursa, *Ægysthum* à capra, *Romulum & Remum* à lupa, *Alexandrum Magnum & Augustum* à Dracone vel serpente juxta illos Sidonii Apollinaris versus *carm. 2.*

Miræ quorundam educatio.

> *Magnus Alexander nec non Augustus habentur*
>
> *Concepti serpente Deo.*

enutritos fabulati sunt: ut qui ex tam gravibus periculis posteà erepti forent, majestate & cura Numinum, non casu aut fortuna servari viderentur. Alex. ab Alex. *lib. 2. Genial. dier. c. 31.* & Cœl. Rhodig. *lib. cap. 37.* Attamen ut cornigeræ illæ cervæ undà cum Cornuum illa usurpatione ét sexum simul alternent, & modò in mares, modò in fœminas rursum degenerent, non magis crediderim, quàm Elephātes fœminas in Æthiopia & Lybia propterà marium naturam assumere, & in sexu variare, q. non minùs, ac mares, dentes habeant: cùm in India huius generis fœminæ sine dentibus conspiciantur, ut Amytian. observavit, referente Ioh. Pierio *lib. 7. Hierogly. tit. de Cervo.* Quid, q. catuli duo ex eo genere quos ἰχνευτὰς Græci vocāt, frequenti suctu ex grandioris canis papillis lac evocarunt, ita ut postea ille non sine magna admiratione matris vice, educationis mune-

Canis masculus lactans.

re fuerit perfunctus? id q. minus tibi insolens ac mirū videbitur, si intellexeris, hircum aliquando ita mulctralia implexisse, ut colostra inde conficerentur. Quod fidem & opinionem veterum ita excessit, ut in audientes tētantesq; irrita & nunquam successura proverbium torqueretur *quasi hircū emulgeret*. quod Græci τράγον ἀμέλγειν dicunt. Et *Demonardes* Philosophus, cū Sophistas duos vidisset ita contendētes simul, ut absurda & ridicula alter proponeret, alter v. importuna quædam ἀπροσδιόνυσα responderet: nonne, *inquit ille*, vobis videtur, hic hircum mulgere, at ille cribrum subiicere; quod tamen factū & memoria constat, & *Aristoteles* posteritati tradidit his verbis, ita latine redditis: Maribus magna ex parte, nec bestiis, nec hominib. gignitur lac: Fieri tamen potest, ut aliquib. interdū gignatur. Nam & in Lemno insula caper ex mammis, quas geminas juxta genitale habuit, tantum lactis emulgebatur, ut colostra inde conficerent: q. idem ét proli masculç capri illius evenisse accepimus. Sed hæc ostentis annumerando potius ducunt. Nā & Lemnio illi pecoris Domino, consulenti Deus ampliùs incrementū peculii futurū respondit. Quod

ita

ita relatum est à Cœlio Calcagnino *lib.*1. *Epist.*24.

Rursus de fœtus pluralitate.

Sed ut ad fœtus pluralitatem redeam: testis est Plinius *lib.7.cap.*11. exstare in monumentis etiam Medicorum, & quibus, talia consectari curæ fuit, uno abortu XII. puerperia egesta. Et memoria traditum est ab Alberto, Mulierem quandam in Germania, consignatis conservatisq; jam in utero duorum & viginti infantium corpusculis, abortum fuisse: aliam verò, etiam septuaginta. Imò, ut amplius increscāt admiratio, aliam etiamnum in pelvim ejecisse embryunculorum auricularis digiti magnitudine corpuscula centum & quinquaginta. Cuius rei facta fides est, tuniculis, quibus obvolvebantur, conscissis. Addit quoque, pluribus eorum adfuisse dilatationis & constrictionis motum, & signa alia vitæ complura; oculis tamen imperfectioribus: Manuum verò & pedum digitos fuisse velut capillares. Sicuti ex Alberto Magno retulit Cœl. Rhodiginus *lib.*4. *Antiq.lectio cap.*23. & Philippus Camerarius *Cent.* 2. *Medita. histor.cap.*66. Sed levia hæc videri possint, si eis opponamus prodigiosum partum Margaritæ Comitis Hennebergiæ Vxoris, quæ sub Henrico Imperatore, uno nixu trecentos sexaginta quinque liberos, vivos edidit.

365. uno partu editi.

Qua de re in Hollandia non procul Lugduno Batavorum, in pago *Lausdun*, marmorea exstat tabula, historiam illam perspicuè descriptam continens: quam facti huius tam stupendi memoriæ diuturnioris ergò (si qua huic lucubrationi meæ ætas sperari potest) hîc loci adscribendam putavi.

EN TIBI MONSTROSUM NIMIS ET MEMORABILE FACTUM,

QUALE NEC À MUNDI CONDITIONE DATUM.

Margareta Hermanni Comitis Hennebergiæ Vxor, Quarti Florentini Comitis Hollandiæ & Selandiæ filia, Guilielmi Regis Romanorum, ac postea Cæsaris seu Gubernatoris Imperii, atq; Alitheiæ Comitis Hannoviæ soror, cuius patruus Episcopus Trajectensis, avunculi autem filius Dux Brabantiæ, & Comes Thuringiæ &c. Hæc autem Illustrissima Comitissa anno XL. circiter nata, ipso die Parasceves, nonam circiter horam, Anno Millesimo Ducentesimo LXXVI. trecentos & LXV. enixa est liberos, qui prius à Guidone suffraganeo Trajectensi, omnes in duabus ex ære pelvibus baptizati sunt. quorum masculi quotquot erant IOANNES; puellę autem omnes ELISABETHÆ vocatæ sunt. qui simul omnes cum matre, uno eodemque die fatis concesserunt; atq; in hoc LAUDUNENSI templo sepulti jacent. Quod quidem accidit ob pauperculam quandam fœminam, quæ ex uno partu gemellos in ulnis gestabat pueros. quam rem ipsa admirata Comitassa dicebat, id per unum virum fieri non posse, ipsamque contumeliosè rejecit. Vnde hæc paupercula animo perturbata ac perculsa, mox tantum prolium numerum ac multitudinem ex uno partu imprecabatur, quot vel totius anni dies numerentur. Quod quidem præter naturæ cursum obstupenda quadam ratione ita est factum, sicut in hac tabula, in perpetuam huius rei memoriam, ex vetustis, tam manuscriptis, quam typis excusis Chronicis, breviter positum & enarratum est. DEUS ille ter Maximus hac de re suspiciendus, honorandus, ac laudibus extollendus in sempiterna secula, Amen.

Tēporis charitas.

Sed liberiore luxurians volatu, revocandus est calamus; vel ipso monente Tēpore, quod ita anxiè observatum fuit, ut Pittacus ille ex septem Græciæ sapientib. crebro sermone hoc omnibus unicè ingessisse dicatur: *Nosce tempus.* prout hoc pulchrè exornat Erasmus Rotherodamus

Chil.

Chil.1.cent.7.adag.70. (Quod & omnium sapientissimum; imò omnium atq; ita etiam veritatis parentem veteres indigitarunt: Quod licet aliquando lateat, temporis tamen progressu in lucem tandem emergat. ut idem Erasmus doctè narrat *Chil. 2.cent.7.adag.17.* cuius opportunitatem & Iustinianus considerans, sacrosanctæ Iurisprudentiæ studio quinquennium præstituit: ut primi quidem anni auditores sive discipuli Iustinianei novi dicerentur; secundi, Pandectarii seu Prætorii, seu Edictales; tertii, Papinianistę; quarti, Lytę; quinti, Prolytæ. §. *Nos vero in proœm.ff.* quo loco per *Lytas* intelliguntur Solutores: sive quod Legum nodos quoddamodò jam possint solvere, sive quod à scholis jam solubiles ferè sint, & liberè silentium ausint rumpere, quod discipulos dum discerent, servare oportebat, potestate quippe ex inferiore loco disputandi ipsis concessa: Per *Prolytas* verò; qui Lytis præstent, & Legum ænigmata solvant perfectius, & digni magis sint, qui à scholasticorum munere mittantur. Petr.Greg. *de juris arte, cap.34.nn.15.* Illos; hodie *Baccalaureos* vocamus; Hos, *Licentiatos*. quémadmodum & antecessores Iustiniano fuerunt, qui nobis *Doctores* sunt. Constat autem, eos qui perfectiorem doctrinam apud antiquos profitebantur, silentium quandoque fovisse: quod, teste Luciano in Gallo ἐχεμυθίαν licebant, quam Gellius explicat *lib.1. Noct. Attic. cap. 9.* ubi apud Pythagoræos, quos quinq; annorũ silentium exercuisse Suidas meminit, tres studii gradus fuisse tradit; Auditorum silentium, Mathematicorum, & Physicorum. Quò pertinet tota illa Philosophia Harpocratis, qui silere tantùm docebat. Vnde & Silentii Deus habitus, & simulachrum eius in sacris Isidis & Serapidis fuit positum, digito comprimens labia, ut silentii omnes admoneret, quemadmodum D. Augustinus explicat *lib.18.de Civitate Dei, cap.5.* quale & Divæ Angeronæ fuisse Plinius perhibet, ore scilicet obligato obsignatoque *lib. 3. cap.5.* & cujusmodi ex utero materno prodiisse Heraiscum Ægyptium Suidas scribit, Indice silentii digito ori admoto. Certè Harpocratis sigillum in annulis gestari solitum, à Veteribus ea de causa tradit idem Plinius, ut silentium de agendis rebus indicarent. Vnde Ausonius eum *Sigalionem* vocat:

At tua Sigalion Ægyptius oscula signet.

ut post Adrianum Turnebum *lib.20. Adversar cap.36.* rectè annotavit Scaliger ad Varronem *lib.4.de lingua Lat.* & Ausonius anar.lect. *lib.2.c.29.* Ad quod lepida confert historia, à Cœl.Rhodig. relata *lib.21. Antiq.lect.c.46.* Ex Hellespõto in Atticam venerat amator quidam *Gnathena* scortilli fama illici pellectus: cumque admissus commodum accubuisset, erat inter pocula loquacior impendiò, ac planè, ut Græci dicunt φορτικός Id mirabunda mulier, cupiensq; eum, sic illum adorta fertur: An ab Hellesponto te profectum dicis? cùm annuisseris; Et quo, inquit, pacto Civitatum illic primam ignorare videris? Sciscitante autem eo, quænam foret hæc? Sigeum, respondit Gnathena. quo aptè admodum & concinnè ex nominis ratione silentium, quod Græci σιγὴ est, illi suadere visa. Sic enim Trojæ promontorium, Sigeum dictum accepimus, ob Herculis taciturnitatem: qui hospitio ibi prohibitus discessum simulasse dicitur, mox per silentium adversus Trojam venisse, atque eam expugnasse. Planè quemadmodum laudi quam maximæ est vera illa facundia: ita inanis verborum sonitus, nullâ subjectâ sententia, vitio non caret quàm maximo. Cui accidit, quòd quibus multa effutire moris est, ii aut falsa loquantur, aut superflua; vel,

Iuris studiosis stata tempora. *Lytæ.* *Prolytæ.* *Silentiũ imperatũ.* *Harpocrates.* *Angerona.* *Heraiscas.* *Loquacitas notata.* *Sigeum.*

quod verius, utraque, quæ ab viri dignitate aliena & sunt, & censentur. Hinc tam præclara illa Silentii commendatio! in cujus gratiam quippe à Sapientibus proditum memini: *Dicendi quidem, homines esse nobis magistros; Tacendi autem, Deum nos habere præceptorem.* Indè est, quòd petulantiæ verborum coërcendæ vallum esse oppositum dentium, luculentè dixerit Homerus: ut loquendi temeritas non cordis tantùm custodià atq; vigilià cohibeatur; sed & quibusdam quasi excubiis in ore positis sepiatur, ut Gellius interpretatur *lib.1. c.15.* illud ibidem Hesiodi Poëtarum prudentissimi præceptum adjiciens; Linguam scil. non vulgandam, sed recondendam esse, ut thesaurum: eiusq; esse in promendo gratiam plurimam, si modesta & parca, & modulata sit. Quò pertinet etiam Zenonis dictum in convivio illo, quo Regios legatos Athenis quidam exceperat, adhibitis etiam Philosophorum plerisq;. Cùm autem, ut assolet, multa hinc inde dicerētur, Zeno interim tacitus singula observabat: tum legati festiviter subblandientes, atq; propinantes etiamnum: De te verò, inquiunt, Regi quid renuntiari jubes? At is: Rectè, inquit, senem à vobis perspectum Athenis, qui inter pocula servare silentiū possit. Non injuria igitur & Ino illa apud Euripidem gloriabatur, *Tenere se tacendi tempora atq; item loquendi.* Et qui generosè insigniterq; ac omninò regiè olim imbuebantur, tacere discebant priùs; mox vero loqui. Nec enim omnes ea præditi sunt virtute, qua *Cato:* quem Cicero dicit nullum unquam emisisse verbum, quod emissum doleret. Cùm contrà, ex Simonidis sententia, Loquutum esse pœniteat sæpè; tacuisse, nunquam. Quod & *Xenocrati* nonnulli attribuunt. Nam cùm hic maledico sermoni quorundam summo silentio intercesser; uno ex his quærente, cur solus ita linguā suam cohiberet? Quia dixisse me, inquit, aliquando pœnituit; tacuisse nunquam: ut est apud Valer. Maximum *lib.7.* Hinc illud Theodo. in statuam, Niobis, quod ita Latinè reddidit Iof. Scaliger.

Vis morbi in lingua est mortalibus insita. Sæpè

Natum ex infreni est garrulitate malum.

Quia enim, ut Poeta nobis dicebat, verba alata sunt & volantia; nulla utique arte revocari ea poterunt: & quidem difficiliùs ipsà Navi, quam quidem ventis abreptam anchoris infrenamus, ad rapiditatis hebetandam vim: at sermo ex ore veluti portu excurrens, stationem nanciscitur nullam, nulloq; retinetur ancoræ jactu. *Anacharsis* igitur in convivio apud Solonem consopitus ita decubuerat, ut sinistrà comprimi pudenda viderentur; os autem dextrà: quod freno valentiore indigere linguam opinaretur. Rectè utique: quando nō facile tot recensueris homines, qui Veneris intemperantià calamitates sibi contraxerint, quot Civitates principatusque arcanorum desolarit enunciatio. Vnde est illud: *Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui incōsideratè loquitur, sentiet mala.* Dignaq; protectò sunt, ut animis nostris perpetuò inscribantur illa Philosophorum præcepta: quibus monemur, ut " veloces quidem ad audiendum simus & " accurati, sic ad videndum quoque: ad cre- " dendum verò tardi; ad judicandum tar- " diores etiam; ad loquendum omninò tar- " dissimi. Hinc *Pythagoræ* discipulis advenientibus priùs legitur tacendi patientiam, quàm loquendi monstrasse doctrinam, teste Sidonio *lib.7. Epist. in concione nimirum Epistola Nona adjecta.* Vnde & Ecclesiastes: Tempus, inquit, est tacendi, tempus item loquendi. *Eccl 3. vers.7.* Sed prius dixit *Tacendi*, quia veritas priùs tacendo discitur, & postea loquendo prædicatur. *can. qui Ecclesia.36. dist.* Plus enim quàm

Silentiū commendatum.

Verba alata.

ridiculum est, id docere velle, quod nondum didiceris. A quo vitio diligenter dehortans Salomon: Si est tibi intellectus, inquit, responde proximo: sin minùs aût, sit manus super os tuũ, ne capiatis in verbo indisciplinato, & confundaris. *Eccles.5. v.14.* Laudabile igitur cumprimis est illud Iustiniani institutum, quo Iurisprudentiæ studiosis sua dicendi & silendi tẽpora, Pythagoræo more constituit. Sapienter sanè existimans, oportere prius animas posteà linguas fieri eruditas. *In oratione ad Antecessores.* Proinde multum lege, scribe, meditare (dicebat *Plinius*) ut possis, cùm velis, dicere; dices autem, cùm velle debebis *lib.6.Ep.29.* Primum sc. sapientiæ rudimentum Pythagoras existimabat, meditari condiscere, loquitari dediscere: Primaq; apud eum (ut *Apuleii* verbis utar) erat meditatio, sapienti futuro, linguam omnem coercere; verbaq;ue, quæ volantia poetæ appellant, ea verba detractis pinnis intra murum cadentium dentium premere *lib.2.Florid.* Et mox: Loquaciores enimverò fermè in quinquennium, veluti exitio vocis puniebantur. Ipsius etiam Iustiniani industriæ & solicitudini debemus, quod præclara illa veterum Iurisprudentum & Legislatorum monumenta summo totius orbis bono habeamus concinnata. Alioquin nempe futurum erat, ut desudati illi Veterum labores egregii, jam essent irriti, scriptis tineas & blattas pascentibus. quorum nimiam prolixitatem & inutilem dissonantiam, ut cum Paulo Diacono dicam, Iustinianus mirabili brevitate correxit: cùm anteà tam vasta illorum moles esset, ut in arte tam longa dicenda, & vita tam brevi, quam Demetrius Phalereus στιγμὴν χρόνου id est *punctum temporis* appellabat, vetria Nestoris secula, vel naturam Phœnicis redivivam divinitus concedi oporteret, aut certè metuendum foret, ne redundans illa scriptorum copia in desperationem studiosos pertraheret aut verò et in odium apud eos vocari posset: non secus atq; Ægyptii rex Alexander Ptolom. Evergetis filius, odio fuit habitus à populo, quod adeò obesus evasisset, ut ne ambulare quidem posset nisi duob. famulis fulcitus incederet, & sibi ipsi esset oneri. Athenæus *lib.12.c.27.* in quem non adeò inficetè detorqueri potuisset Philip. Fran. Regis cavillum, quo Guiliel. Northmanum Angelorũ Regem, jam gravi ætate & ventre prominẽte insignem, exceptum legimus: quærente sc. Philippo, numquidnam tandem pareret Guilielmus, qui tam diu gestisset uterum? sed pariturum se instar Semeles respondit, cum flammis & fulmine. Iustiniano itaq; juris nostri conditori summam ob id ipsum laudem & gratiam deberi, nemo absq; insigni animi ingrati nota inficiabitur, quod bis mille annorum sapientiam; paulatim & hominum industria & Dei munere repertam, totq; annis vix collectam nobis conservarit, in unum non ita magnum corpus conclusam. Ea certè huius Imperium excepetunt tempora, ut nisi uno illa volumine, eoq; non magno, esset conclusa, cum ipsis veterum Iureconsultorum scriptis tota ferè interiisset. Legum enim & rerum civilium tanta tunc erat confusio, & infinitas, ut jus Romanum nullius humanæ naturæ capacitate (*sic enim ipse Imperator loquitur*) concluderetur. Quibus temporibus in toto penè occidente non *ex jure manu consertum* ut Ennius ait, *sed mage ferro* res repetere cœperunt: & Longobardi tandem *suam Lombardam*; Franci *sua capitularia*; Gothi in Hispania *suas leges*; & in Africa suum *Alcoranum* promulgârunt. Hubert. Giphan. *in comm. de Imp. Iustinian. fol.16.* Iam si prolixos posteriorum quoque interpretum cõmentarios fueris contemplatus, plus detrimenti, quàm auxilii juri nostro eius attulisse, rectè forsitan dixeris

Silentiũ Pythagoricum.

Iustiniani solicitudo in juris cõpilatione & correctione.

Alexand. Ægyptii obesitans.

item Guilielmi Anglorũ Regis.

cum nulla ferè lis sit tam scabiosa, quæ non in utramq; partē disputari possit: adeo sunt evulgata juris civilis mysteria, tanta librorum mole, ut hoc studium videatur propè abjectum atque contemptum, argumento eorum, quæ Cicero dixit *in orat. pro Murena.* Cui malo remedium fortè nullum adhiberi queas præsentius, quam quod *Metrocles* Maronita, Crateris Thebani auditor suggerit, dum libros suos combussit, & esse eos somniorum imaginacula dixit, hoc est, nugas & deliramenta. Id enim de metris seculi nostri libris itidem libere dici, aut de Dd. usurpari hodiè possit, quod veteri proverbialiq; carmine de Medicis traditur: *Me multitudo perdidit medentium.* Ad quod carmen allusisse videtur Plinius *lib.29. cap.1.* Hinc illa infelicis monumenti inscriptio, Turbâ se Medicorum periisse, Dio Cassius auctor est, morientem Hadrianum dixisse illud in populo vulgatum: Turba Medicorum principem neci dedit, quod ad parœmiographos addendum censet Alciatus *lib.2. parerg.cap.21.* Cæterùm ut in macie plus sanguinis esse, Physicis placet: ita in recisis antiquorum Legibus, aptè tamen coagmentatis, plus frugis, minus laboris invenitur, ut meritò ridendi sint, qui antiquata veterum Iureconsultorum responsa tam anxiè requirunt, & non minus lugent, quàm Ægyptii quondam perditum Osirim nunquam satis quæsitum lamentabantur. Hinc Bibliothecas omnes rimantur & investigant, sicubi nancisci fragmenta IConsultorum amissa possint: non dissimiles quidem pueris, qui non admodum curant poma in cœnis comedere, sed aliis comedentibus analecta & cortices colligunt avidissimè, ac muscis præripiūt: aut, ut quidam Veterum invento frumento glandibus vesci malunt, in memoriam videlicet exoletæ vetustatis: & hanc saginam dulcibus, sed paucis epulis præferūt, nescii, non plurimo cibo, sed saluberrimo homines juvari. Et verendum omninò est, ne Antiquitatis insani affectatores *illi, lunatos calceos*, & *Atticas cicadas* è capillis prominentes brevi revocaturi sint. quibus cum Erasmo imprecor, ut nunquam mutent veteres calceos, aut putre subligar; sed semper vescantur putribus ovis, nec aliud bibant, quàm vappam. Iam si quid obscuri in toto jure civili repererint, aut duriusculum, vel quod humanū quippiam sapias; illicò vociferantur, & universum illud opus, divinum cæteroquin, rejiciunt ac damnant audaculi pariter & ridiculi; non minus forsan, quam Anaxagoras cœlum omne ex lapidibus compositum asserens, quod Dimylo principe unicus lapis de cœlo cecidisset: sicuti ex Laertio eleganter prodidit Steph. Forcatulus *lib.3. de Imperio & Philosoph. Gallor.* Idque majori forsan, confidentia dicam an audacia? defensurus fuisset, si Herculem contra Albionem & Bergionā Neptuni filios dimicantem, cùm tela defecissent, ab invocato Iove lapidum imbre adjutum meminisset: quod antiqui fabulantur. Certè Prometheum id Herculi prædixisse, Æschylus prodidit. At quāto fuerat æquius, uni atque alteri ejuscemodi errori, utilitatis contra immensitatem opponere! quæ tanta profectò est, ut explosis Veterum sanctionibus & præceptionibus, & rursum optimis quibusque vulgatis, talem se permutationem fecisse Iustinianus meritò glorietur, qualem apud Homerum omnis virtutis parentem, Glaucus & Diomedes inter se fecisse dicuntur, dissimilia permutantes. §. *ult. in proœm. ff.* ubi illud *Iliad.6* adducitur

χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

id est, Aurea æreis, centenaria novenaris. vel ut Alciatus reddidit *lib.2.* Prætermissor.

In Antiquarios.

Cœlum lapideum.

Permutatio Glauci & Diomedis.

Proque novem centum, pro ferro tradidit aurum.

Diomedes enim & Glaucus, cùm in medio pugnæ fervore inter se obviam facti essent, uterque magna sui fiducia fretus; in eoque jam essent, ut manu conserturi viderentur; invicem (ut fit) sciscitantes alter alterius genus & patriam, amicitiam tandem hospitiumq; avitum agnoverűt, quò facto, cùm pugnare nollent, atque ideò diversi abire cœpissent; Quin tu, inquit Diomedes, mecum potiùs beneficus quàm armis certas, & ex hoste fis hospes? Arma potiùs commutemus, ut omnibus hinc innotescat, paternum avitumq; hospitium nobiscum intercedere. Quo dicto, confestim ex equis desilientibus illis, & mutuis cõplexibus accepta dataque fide, in tantam amentiam Glaucus, Iove mentem eripiente, prolapsus est, ut arma aurea ac centum bobus æstimata, æreis armis, novemque bobus æstimatis continuo commutaret. Ex quo loco, ut & illo *Iliad.7.* citato à Paulo IC. *in l.1. ff de contr. emt.* ubi Achivi Lemnium vinum ab Euneo Iasonis & Hypsipiles filio coëmisse dicuntur, alii quidem pellibus bubulis; alii bobus ipsis manifesto liquet, illam sive emptionem, sive permutationem bobus ipsis, atque ita pellitis animalibus; non vero pecuniâ bovis notam preferente fuisse factam, quemadmodum Budæus Plutarcho credulè assentiens suspicatur ad *d.l.1.* Hi ce. in Theseum mavult numum percussisse Bove inciso, vel Marathonium taurum, vel ob Minois Ducẽ, vel quòd agriculturam Cives provocare vellet. Iam si Theseus author monetæ Græcis suis extitisset, idque Athenis, vbi regnavit: Trojano utiq; bello, quod multo pòst sequutum est, numi usus jam tum quoq; fuisset cognitus, atque ita publica & perpetua ipsius æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis (ut Paulus loquitur) subvenisset: nec æs, aurum, aut argentum tàm serò signari cœpisset puppis notâ, & Iani gemini, vel ob eius in Italiam navigationem, vel quòd Saturnus Iovis arma fugiens, per Tyberim in Latium ad Ianum venisset navigio: Ideoque grata posteritas.

Numus Bovis nota percussus.

--- puppim formavit in ære,

Hospitis adventum testificata Dei,

ut canit Ovidius 1. *Fastor.* Vel quòd boni auspicii plena esset navigii nota: quandoquidem divitiæ affatim navigatione comparantur, & gentes regionesque, ad quas Natura accessum negavit, arte permeantur: Sed & *Pecuniæ* nomen à pecore tractum Varro monet, quod ex pecore constaret. Opes siquidem antiquorum in pecoribus præcipuè consistebant, quod & Columella testatur, & Ovid. 5. *Fastor.*

Cætera luxuriæ nondum instrumenta vigebant:

Aut pecus, aut latam dives habebat humum.

Hinc etiam locuples, hinc ipsa Pecunia dicta est,

Sed jam de vetito quisq; parabat opes.

Nec mutat, quòd Bos in lingua, proverbiali sententia de Oratoribus, qui pecuniâ corrupti liberè loqui non ausint, vulgò dicatur. Nihil enim vetat, quò minùs & ad pondus animalis, linguam celerrimam compescentis pede gravi, referri queat, quo sensu etiamnum Galli *passu bubulo* tractari deberi seria, vulgò dicunt. Et Theognis de animali apertè sentit, cum ait: *Bos mihi in lingua forti pede insilies, vetat nugari*, quanquam nihil causæ esse video, cur non & de forensibus rabulis, quibus & silentium & vox æquè venalis est, parœmia ista rectè usurpari possit, dum hoc vnicè agunt, ut linguæ lenocinio litem ex lite nectentes, & jurgia protelantes locupletentur, atque ita ex malis alienis rem faciant. Vndè Apulejus eos eleganter vulgata

Bos in lingua.

Rabulæ forenses.

tures togatos appellat. quo sensu & Cicero *in orat. pro Sextio*, Gabinium & Pisonem, qui precio omnia nundinarentur, ac ad se raperent, *Vulturios paludatos* nominavit. quam in rem exstat elegans Emblema Ioachimi Camerarii, *Centur. tertia Emblem.* 36.

Vultur prædæ inhians est captatoris imago:
Heu quam plena etiam sunt fora vulturibus!

Eos ego dignos puto ex judicio, quo Athenis damnatum à Demade pollinctorem legimus, qui necessaria funerib. venditabat: cum probaretur, magnum optasse lucrum ac fecisse, quod contigere illi sine morte multorum non poterat: ut Seneca retulit *lib. 6. de Beneficiis, cap.* 38. cum potius in id danda esset opera, ne lites fierent penè immortales, & vitæ modum excederent. quod Iustinianus particulari lege per orbem terrarum, nullis locorū vel temporum angustiis, coarctanda prohibuit: *l. properandum.* 13. *C. de judiciis.* a quo etiam certum Legalis scientiæ studio tempus præfinitum supra monuimus. peculiari immunitate Iuris civilis studiosis concessâ: quam tamen ultra vigesimum quintum ætatis annum Diocletianus & Maximianus Augusti protendere noluisse videntur, in *l. 1. C. qui ætat. vel profess. se excus. lib.* 1[illegible]. eò quod tempore illo elapso nemo ad discendum magis videatur idoneus; ut Lucas de Penna & Bart. ibi putarunt, & Alciat. *in præfat. lib. 6. paradox.* cùm vel ex Aristotelis sententia *in problematis*, Iuvenili ætas capessendæ doctrinæ sit aptior, & memoriæ magis fidâ. Quò haud dubiè respiciens Accursius, Quanto juniores, inquit, tanto perspicaciores. *in l. Gallus. in pr. ff. de lib. & posth.* quod Imola, Alex. & alii ideò fieri interpretantur, quia, cùm aliorum opera videant, facilimè invene[illegible]dant: & quòd faciliùs studiorum laborem totque voluminum curam Iuvenes sustineant, accendente eos ad hoc gloriâ, quam ætas ille maximè affectat. *arg. l. præcipiunt.* 37. *de ædil. edict.* ubi Mancipia, quę novia & rudia sunt, dociliora dicuntur, & ad omne ministerium habilia. Hinc tot tamq; egregia Adolescentum decora! quorum in numero meritò habebitur *Celsus IC.* qui ubiq; ferè adolescens appellatur, quòd ea ætate jus civile fuisset interpretatus. quemadmodum & *Nerva* filius Vlpiano auctore traditur decimo & septimo anno publicè de jure respondisse, *l. 1. ff. de postul.* Quid verò de Papinia. commemorem? quem Æmilius Spartian. Iuris asylum, & doctrinæ legalis thesaurum; Iustinianus modò summi ingenii, *l. cum Papinianus.* 14. *C. de sent. & interloc. omn. judic.* modò acutissimi ingenii virum. & meritò ante alios excellentem, *l. cum acutissimi.* 30. *C. de fideicomm.* Carus, Carinus & Numerianus prudentissimum virum. *l. cum virum.* 16. *C. de test.* Spartianus rursum Imperatori Alexandro amicissimum appellat: quo imperante & Præfectus prætorio fuit, *l. lecta.* 40. *ff. si cert. pet.* & libellorum magister. *l. rescriptum.* 12. *ff. de distract. pig.* Id enim ibi est *libellos agere.* ut sciatur nimirum, rescriptum illud *in d. l. 12. de* Papiniani sententia fuisse: quandoquidem libellorum magistri & hoc munus fuit, ut libellos supplices, qui principi aut darentur, aut mitterētur, recitaret. Ex interpretatione Francisci Connani. *lib. 4. commen. jur. civil. c. 3. nu. 4.* Cujus auditores inter alios fuêre Iulius Paulus, Alphenus, Callistratus, legum peritissimi: quos familiares & Consiliarios habuit Alexander Severus; & cum his præcipuè quoque Vlpianum, Papiniani cum Paulo assessorem; ut ideò de Imperatoris istius æquabilitate. & sanctimonia dubitandum minùs sit: quandoquidem Sapientum congressu & consortio vel Tyranni quoque Sapientes evadant, ut monemur illo Euri-

Quo juniores, tanto perspicaciores.

Celsus IC.

Nerva.

Papinianus.

Euripidis sive Sophoclis versiculo, quem Gellius laudat *libro 13. Noctium Atticar. capit. 7.*

Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ.

Sed cum h... Antonini Caracellæ parricidium in fratre commissum, in Senatu per se, & apud populum nollet diluere; Non tam facilè, inquiens, parricidium excusari posse, quàm fieri, à militibus Prætorianis, non permittente tantùm, sed etiam suadente Antonino, occisus est, ætatis in ipso vigore adhuc florido, cum tricesimum sextum annum vix exegisset: ut ex Epitaphio eius *in lib. Antiq. Epigramm.* videre est:

D. M.
ÆMILIO. PAULO. PAPINIANO.
PRÆF. PRÆTORIO. IC.
QUI. VIXIT. AN. XXXVI. D. X. M. IIII.
PAPINIANUS. HOSTILIUS.
EUGENIA. GRACILIS.
TURBATO. ORDINE. IN. SENIOR.
HEU. PARENTES. FF.
FILIO. OPT.

Tam miserè igitur interiit, vir omni æternitate, necdum terno illo Nestoris seculo dignissimus: cuius sublimissimi memoriam in æternum manere jubet Iustinianus *in proœm. ff.* & manet etiam, æternumque manebit,

Iustitiæ & cultus dum pietatis erit.

Sed nec in cogita tantùm, verùm etiam armata militia id ætatis homines admodum celebres exstitisse quid dubites? Nominentur ex multis *Cn. Pompejus, & C. Octavius*: quorum ille decimo octavo; hic decimo nono anno civilia bella sustinuerunt. Et *Gordiani* adolescentis auspicio non solùm feliciter foris disciplinam Populi Romani, sed & domi Leges servatas fuisse constat. Eos summis honoribus dignos, quis negaverit? Siquidem non pro ratione temporis, sed pro qualitate virtutis numerandas esse ætates Ambrosius putârit *super Lucam capit. 1.* & perquàm iniquum sit, nondum tempestivum videri, qui jam virtuti maturus fuisset, ut de Æmilio Lepido pronunciat Valerius Maximus *lib. 3. cap. 1.* Quocirca commendatione digna est Ausonii æquanimitas, & integritas judicii, dum Paulinum etsi juniorem multò, sibi tamen præposuit. Etsi enim Cornix vivacissima quidam est: nemo tamen eam Cygno antepofuerit.

Nec qui ♂ mille annos vivit Gangeticus ales,
Vincit centum oculos, regie Pavo, tuos.
Credimus ingenio, quantum præcedimus ævo:

ut est in Ausonii ad Paulinum epistola. Quæ quamvis ita se habeant: nemo tamen ibit inficias, verissimum esse, quod vulgi circumfertur sententia, *Ad discendum nullam ætatem seram* videri posse. Imò, *Non omnis ætas ad perdiscendum sat est*, dicebat ille apud Plautum *in Truculento.* Etsi igitur senes magis decet docere, quàm discere, magis tamen decet discere, quàm ignorare; ut Augustinus *ad Hieronymum* scripsit. Quid enim (ait Seneca *Epistol. 77.*) stultiùs est, quam quia diu non didiceris, non discere? Benè mecum agitur, si hoc unum senectutem meam dedecet. *Omnis ætatis* homines Schola admittit. Tamdiu discendum est; quàm diu nescias, &, si proverbio credimus, quàm diu vivas. Quocirca & Canon præcipit, ut nullus Episcopus propter opprobrium senectutis, vel nobilitatem generis à parvulis vel minimis eruditis, si quid fortè est utilitatis aut salutis, inquirere negligat. *can. ult. 38. dist.* cùm pro stulto meritò habeatur, qui bona quæ viderit, discere contemnit. *can. de Constantinopel. 22. dist.* Nec desunt eius rei exempla. Nam & Augustinus ad Auxilium episcopum scribés, se & senem, ait, à juvene, & episcopum tot annorum à col-

Nulla ætas sera ad discendum.

collega needum anniculo paratum esse doceri *can. si habes, 24. q. 3.* & ille ap. Pomponium testatus est, se discendi cupiditate, quam vivendi rationem optimam duceret, memorem esse eius sententiæ, qui dixisse fertur: Etsi alterum pedem in tumulo haberem, tamen non pigeret aliquid addiscere. *l. apud Iulianum. 20. ff. de fideicommiss. libert.* Et quidem, ne quis ratione ætatis grandævioris patrocinium suæ quærat inertiæ: constat utique, *Euridicen* Illyricam fœminam, quamvis barbaram & adultorum jam liberorum parentem, ad literas tamen animum applicuisse. Cujus ardens discendi desiderium, Epigrammate Musis posito Plutarchus commemorat in hunc sensum: Eurydice grandæva, pubentium jam prolium mater, sategit discere literas, eruditionis manumenta. Sed & *M. Cato Censorius*, rudi seculo, ætate jam declinata, ut Fabius inquit, literas Græcas, Ennio præcentore usus didicit; ut esset hominib. documento, ea quoq; percipi posse, quæ Senes concupissent. Notumque est illud Iuvenalis, quo in mulieres Romanas Græcæ linguæ affectatrices, & vetulas, quidem invehitur; quas etsi sextus & octogesimus annus pulsaret, adhuc tamen Græcè loqui non puderet addiscere, ut eo sermone exprimendo venustiores viderentur: quandoquidem, ut *Satyra 6.* inquit:

Eyridice.

> *---- se non putat ulla*
> *Formosam, nisi quæ de Thusca Græcula facta est;*
> *De Sulmonensi mera Cecropis.*

Admirabilior tamen his etiam multò est *Superianus* Sophista, genere Ilaurus: qui cum naturâ ingenio tardiore esset, tatum profecit industriâ & labore, ut tricenario jam tum major primùm lectitare libros inceperit, & liberalib. disciplinis animum appellere, identidem a se reposcendo, quæ didicerat, & neque verberibus, neque increpationib. parcendo in ea ætate, quod in pueris solet. Etenim in balneis viscebatur sæpè à se difflagellatus, vibicibus injuriam in se ipsum exercitam etiamnum testantibus. Neque spe sua falsus fuit. nam ad summum eruditionis culmen pertendit, uti refert Eunapius, qui Sophistarum vitas scripsit. At ne longius abeam, Franciscus utique *Aretinus* jam quadragenarius tyrocinium Iurisprudentiæ cepisse fertur. Qui etsi aspersus à quodam fuit tali scommate, quod videretur sibi ille futurus Advocatus in altero seculo: nihilo tamen minùs in ea scientia valdè claruit, ut subtilissimus Doctor, & subtilitatū princeps apud Nostros etiamnum audiat. *Accursius* quoque, ut ferunt, interrogatus simili re jam gravis ætate, respondit, se tardè quidem incipere, sed eò maturius se absoluturum; quod Hadr. Iunius retulit *lib. 4. Animadvers. cap. 24.* Etsi enim ea Senum quorundam est imbecillitas, ut in ipsis umbra nomenq; hominis saltem relictum sit; vires corporis effœtæ; sensus oculorum itaque aurium hebetes, memoria labans, vigor animi obtusus: atque adeò parùm etiam animo videat, qui senio confectus est ut dicebat Sallustius: & plusquam manifesto patet ex eleganti illo carmine, quo senectutis incommoda abunde commemorat *Starchaterus* apud Saxo. Grammat. *lib. 8. histor. Dan. fol. 135.* quod prolixum licet, tamen, quia non omnibus passim est obvium, hic apponere libuit:

Superianus.

Franc. Aretinus

Accursius.

> *Ut sine regressu pronas agit alveus undas.*
> *Sic ætas hominum cursum labentibus annis*
> *Irreditura fluit: præceps ruit orbita fati,*
> *Quem generat finem rerum factura senectus*
> *Illa oculos hominum pariter gressusq; retundit:*
> *Eripit os animosq; viris famaeque nitorem*
> *Paulatim premit, & claros obterat artus.*

Senectutis incōmoda.

didicerat

Occu-

Occupat occiduos artus, frustratur anhela
Vocis opus, vegetumq́, premit torpedine mentem
Dum paritur tussis, dum pellis scabida prurit.
Dens stupet exesus, stomachus fastidia gignit.
Evacuat juvenile decus, mœrore calorem
Oblinit, & picta crebras serit in cute rugas.
Obterit egregias artes, monimenta piorum
Obruit, & titulos antiqua laudis adurit.
Demolitur opes, pretium virtutis & usum
Carpit edax, transvertit res, & ab ordine turbat.
Ipse ego, quàm noceat, didici damnosa vetustas,
Visu ager, vocis modulis & pectore rauca.
Cunctaq́, in adversam fluxerunt commoda sortem
Iamq́, minus vegetum corpus fulcimine tutor,
Flaccida subjectis innixus membra bacillis
Lucis inops moderor vestigia fuste gemello
Et virga monstrante sequor compendia collis
Stipitis auspicio potius quam lumine fisus.

Reperire tamen contrà non paucos est, quibus etsi corporis vires decreverint, ipsa tamen sapientia accrescat. Quinimò multos in extrema jam ætate, integris cùm animi tum corporis viribus præstitisse, verò non est absimile. Nam ut eos taceam, quorum senectutem memorabilem Val. Maximus deprædicat *lib.* 8.*c.*13. Zosimus utique vicesimum & centesimum ætatis annum agens, polluisse & animi virtutibus, & corporis operationibus Iustiniano dicitur *Novell.*5.*c.*2. Et Sophocles cùm egisset jam annos quinque & nonaginta, Oedipum Coloneum recitavit. quo ipso Iudicibus admirationi fuit, filio Iophonte, qui eum tanquam delirum senem

Zosimus.

Sophocles

desipiscentiæ insimulârat, dementiæ contra damnato: Tantum scilicet sapientiæ in ætate jam fracta specimen dedit, ut severitatem tribunalium in theatri favorem cōverterit. Nihil enim aliud (inquit Apulejus) pro defensione sua addidit, nisi, ut audacter dementiæ damnarent, si Senis carmina displicerent. Sed & *Nicodorus*, pugil ille excellentissimus & celebertimus apud Mantinenses, extremo ætatis suæ tempore, & exacta pugillatione, Legislator eis exstitit, longè utiliorem se patriæ in ea re præstans, quàm cum publicè victor in stadiis proclamaretur. Ælian.*lib.*2.*variar.histor.c.*23. Rectè igitur *Starchaterus* ille à Saxone Grammat.*libr.*6.*histor.Dan. fol.*104. tantopere commendatus, ita de senectute cecinit:

Nicodorus.

Cedat imbellis vetulo juventus
Et senis crebros veneretur annos
In viro forti numerosa nemo
Tempora culpet.
Albicet quanquam senior capillis:
Permanet virtus eadem vetustis
Nec fluens ætas poterit virile
Carpere pectus.

Rursum de senectute.

Taceo *Isocratem* Panathenaicam orationem, omnium, quas scripsisset, luculentissimam, post octogesimum vitæ annum elucubrasse. quemadmodum ipsum etiam *Platonem* ajunt, annum circiter octogesimum agentem scribendo vita functū. Iohan. Pierius *in Oloris Hieroglyphico*. Et quale censes fuisse robur Mosis? cujus oculi ne nunc quidem caligabant, nec fugerat viriditas eius (ut loquatur Scriptura *Deut.*33.) cùm annum 120. ætatis complevisset. Tale & Calebi, viri cordatissimi, & Deo obedientissimi: qui anno ætatis 85. prædicabat, se viribus æquè integris esse imò etiam ad belligerandum sufficientibus, atque fuerat in flore ætatis, quando anno 40. ætatis ad terram explorandam ablegatus fuerat. *Iosua* 14. Taceo Paulum

Isocrates.

Plato.

Moses.

Caleb.

Concordiensem, ad quem Hieronymi exstat epistola. Taceo & alios, quorum D. Tossanus meminit *lib. de Senectute c. 1.* quibus non injuria annumeravero IOHANNEM PFEFFINGERUM Theologum avum meum maternum: qui postea quam primus Ecclesiæ in splendidissima Vrbe Lipsia, unde mihi origo est, à fermento Pontificio repurgatæ, & reductæ ad puritatem verbi cœlestis, *Pastor & Superintendens* (ut vocant) exstitisset, demandatam hanc sibi functionem, firmis adhuc lateribus & animo satis vegeto, etiam octogesimo ætatis anno, quem vitæ communis finem Moses ferè statuisse videtur *Psalm* 90. feliciter & summa cum prudentia ac fide administravit. cui ELISABETHA filia, mater mihi dilectissima, uti pietate & vitæ sanctimonia planè par, ita & ætate non longè fuit absimilis. Septuagenaria enim jam corporis liberata ergastulo, ad beatiorem vitam non ita pridem commigravit, fœmina inter Matronarum decora in tantum laudanda, in quantum intelligi virtus potest; & felici gratulatione excipienda à Marito incomparabili, quem ad extremum usque vitæ halitum matronali amore, non minus constanter, quàm *Artemesia Mausolum* suum, fuerat prosequuta; paria omninò faciente HENRICO SALMUTH Theologo, patre meo optimo, mihi ut cognomini, ita & rerum omnium, quæ post Deum immortalem mortalibus charæ esse possunt longè charissimo, *Pfeffingeri* soceri Collegâ primùm, post deinde in commemoratorum munerum & functionum dignitate & titulis successore; sed heu! 20. *May*, *Anno* 1576. in ipsius fidissimæ conjugis manibus placidè exspirante: non quidem absque acerbissimo cùm nostrûm, tum aliorum quoque Bonorum omnium dolore & luctu, sed irrito tamen & inani: quando quidem ex Iulii Firmici Materni sententia, Fatum nobis vitæ januas pandit, finemque vivendi statuit. quæ divinæ providentiæ fatalis dispositio nec consilio prudenti, nec remedio sagaci subverti vel reformari potest, si Apulejo credimus *lib. 1. Milesiacar.* quinimò quæ semel facta sunt, ea neque Clotho revolvet denuò, neq; Atropos in diversũ mutabit, ut Lucianus dicebat *in libello Describ. histor.* Quorum omnium virtutes & singularem animorum moderationem sciens ac prudens jam quidem reticebo, ne de Parentibus optimis quippiam indulgenter confinxisse censear, atque ita æmulorum dentibus præparasse obsonium: quod in inimicorum capita vertat malorum averruncator Hercules. Dicam tamen, vel ipsa etiam Malevolorum crepante Invidia, quòd sive pietatem sive fidem, quæ dictorum factorumque constantia est, sive morum gravitatem cum humanitate & eruditione conjunctam spectes, parentibus meis optimis, in eo præsertim vitæ genere,

Lipsia non habuit, non habitura pares.

quorum utinam ad tumulum mel fingat apis, perenni vere resonans inter densa lilia!

D. Iohan. Pfeffinger

Elisabetha Salmuthia.

D. Henr. Salmuth.

Iam ut concessero, Senes debilitate plerumq; affici: non diffiteberis tamen, Iuvenes stultitiâ cõtrà divexari, ut Posidippus conquerebatur: dum scilicet ob juveniles calores quos coarctandos Iustinianus putat *in l. ult. §. filius autem familias. C. de bon. qua liber.* in malum procliviores sunt. *c. omnis ætas. 12. q. 1.* ut non immeritò Homerus Iuvenum consilia dixerit esse levia; ac seniorum gravia. Vnde Poeta Græcus de Iuvene quodam insano:

Vera refert in te divini carmen Homeri,
Dum Iuvenes dixit consilij esse levis.

Cui non absimile est, quod 1. *Iliad.* legimus, ab ore Nestoris, qui jam duas ætates trãsgressus erat, melle dulciorem orationem

Iuvenum stultitia.

Senum prudentia.

nem fluxisse. Nam ut verè scripsit *de Senectute* Cicero: Non viribus, nec velocitatibus res magnæ geruntur; sed senem consilio & scientiâ: quibus non orbari, sed augeri solet senectus. Corpore siquidem senescente aut vergente deorsum conditione corporea, fervor spiritus in subliniora conscendat. ut est *in cap.1. Extr. de renuntiat.* Hinc illa Salomonis exclamatio: Quàm speciosa veteranis sapientia, & gloriosus intellectus & consilium! *Ecclesiastici cap.25. vers.7.* Et *cap.8. vers.11.* Non te prætereat, inquit, narratio Seniorum, ipsi enim didicerunt ab patribus suis. Ab ipsis disces intellectum, & tempore necessitatis dare responsum. Inde pro senibus celebre & notum est elegans illud Adagium, quod D. Hieronymus adversus D. Augustinum adduxit, dehortaturus eum, ne se jam senem scribendo provocaret. *Bos enim* (inquit) *lassus fortius figit pedem.* Vt enim boves vetuli ad triturandum, dum fortius calcant, aptiores sunt: Ita & in literaria palæstra, homines senes, qui rerum experientia, & ante actæ vitæ studio sunt doctiores. Alciat. *in l. Gallus. in princ. ff. de lib. & post. nu. quinquagesimo octavo.* Quo fit, ut moribus Hebræorum, à quibus ad alios populos Iustitia, Pietas, & Reipublicæ benè constituendæ ratio promanavit; Senes plerunque prælati fuerint, & ex his Senatus constitutus. Quod & Lycurgus Lacedæmoniorum Legislator imitatus instituit, ut viginti octo seniores semper Principibus Laconum adsisterent, *teste Plutarcho.* Ex cujus etiam instituto Lacedæmonii senioribus adsurgebant, quod jam antea & Moses præceperat *Levit.19.* Coram cano capite assurge, & honora personam senis. Quò accommodari potest id, quod habetur apud Ovidium:

Senectutis veneratio.

> *Magna fuit quondam capitis reverentia cani,*
> *Inq; pari precio ruga senilis erat.*

Et apud Satyricum:

> *Credebant hoc grande nefas, & morte piandum.*
> *Si juvenis vetulo non adsurrexerat.*

Quem morem cum & Solon Athenis vellet introducere, persuadere autem non posset; Senex quidam dixisse fertur. *Solos Lacones sapere*, & apud eos optimum esse senescere. Nec verò præeminentiæ istius, quo senes gaudere diximus, deest ratio: cùm certum sit, Eos multa suo etiam malo didicisse, & non primis tantum labris res humanas gustasse; sed eas sursum ac deorsum volutatas penitus, & quasi in speculo fuisse contemplatos: atque ita publicis & privatis ærumnis edoctos, de eventu consiliorum dexterius judicare; crescentibus quippe cum ætate calamitatibus, etiam potentibus & felicibus hominibus: ut non temerè dixit Antiquitas: *Time senectam, quoniam non venit sola.* Et alibi legitur: Caniciem hominum prudentiam esse & sapientiam *can. porrò. 84. distin.* & coronam senum esse multam peritiam. *Ecclesiast. 24. vers.8.* Quibus accedit, quod experientia, qua senes præ juvenibus pollent, rerum magistra dicatur. *c. quam sit. de Electio. in 6.* & quod impossibile, vel certè difficile putet Aristoteles 8. *Politicor.* ut, qui opera ipsa non tractat, peritè judicare possit. Siquidem omne artificium incrementum recipiat, ut Marcianus respondit *in l. legatis 65. §. ornatricibus. ff. de legat.3.* Rectè igitur Marius apud Sallustium: *Quæ illi audire & legere solent, eorum partem vidi egomet, alia gessi: quæ illi literis, ego militando didici. nunc vos existimate, facta an dicta pluris sint.* Adde, quòd Senes non ita rapiuntur suis affectibus, sed maturo consilio res administrant: & quoniam morti vicini sunt, solet eos, aut debet certè ex humana sorte admonere

mortis cogitatio *l. Senatus. 35. §. Mortis causa. ff. de mort. cau. donat.* nihil contra officium, nihil contra Iustitiam tentandum, multò minùs peragendum esse. Cogitatio quippe mortis, qua humana fragilitas præcipuè perturbatur, *l. hac consultissima. 8. §. at cum humana. C. qui testam. fac. poss.* sive instantis, sive vicinioris, flectit eos ad affectus tranquilliores, ut opes, honores, voluptates, obtrectationes, vindictæ cupiditatem, & reliquas seculi huius fatuitates facilius possint contemnere. Quod autem Senex magis præsumatur memor salutis æternæ, quàm Iuvenis, multis ostendit Tibi Decianus *cons. 8. stantibus iis. nu. 14. vol. 2.* ut vel hinc quoq; verum appareat, quod dici solet. Mortis cogitationem multa bona operari, ut mundi contemptum, peccati evitationem, & cætera: de quibus videatur Bursatus *cons. 226. nu. 32. vol. 1.* & D. Tossanus *lib. 3. de senectute cap. 2.* Sed an Doctores seniores præferendi sint Iunioribus, licet perspicacioribus; id diligenter pertractum est ab interpretibus, præsertim verò *Dn. Abelo Strasburgo*, Iurisconsulto eximio, & nunc quidem inclytæ Reipublic. Norimbergensium consiliario solertissimo, præceptore quondam meo multis nominibus mihi observando, *in l. cum quid. 3. ff. si cert. pet.*

D. Abel Strasburgus.

Illud pro Tempore, & quidem Coronidis loco hic adjecero; Platonem Naturæ egisse gratias, quod natus esset homo, non belua; masculus, non fœmina; Græcus, non Barbarus; imprimis verò etiam *Socratis temporibus*, qui primus Ethicen de cœlo deduxit, ut mores hominum depravatos componeret. Adeò illi magni referre putabat, in quo tempora & loca Ingenium uniuscuiusque incidisset! Quod ipsum & Thrasea ap. Tacitum *lib. 16. Annal.* confirmavit, accepto Senatusconf. & sectis utrusq; brachii venis, missum ad se Quæstorem, qui mortem denunciaret, ore plusquam humano ita compellans: *Specta Iuvenis, & omnem quidem Dii prohibeant; cæterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expediat constantibus exemplis.*

Plato cur naturæ egerit gratias.

Thrasea magnanimitas.

Quo dicto locum hunc de tempore concludo, ne aut intempestivior, aut prolixior, quàm par sit, videar, aut tanquam pictor ille Callimachus, diligentiæ industriæque suæ nunquam finem habens, reprehendar; & nimia curositate omnem operis mei gratiam ipsemet quodammodo auferam.

1. Hodie ita subtiliter elaborabantur Horologia.)

Recenset hoc loco Pancirollus aliquot Horologiorum formas: quibus infinitum esset singulas subinde excogitatas velle addere. Interim, dum in quibusdam Sphærarum cœlestium motus expressos ait: meminerimus inventionem illam *Archimedi* non immeritò forsan accepto ferēdam esse. Huius quippe ingenium supra quàm ullo possit eloquio explicari, docile, perspicax, & divinum, in mundi opificio Deum ferè ipsum lacessere visum est, quando concinnè cœlum conflasse æneum memoratur; ut inibi septem viserentur planetæ, & ratione incomparabili etiam motus verissimè deprehenderentur, quando nec cœlestis deerat vertiginis simulachrū. De hac Archimedis Sphæra exstat *Epigr. Claudiani.* Et de aliis ipsius instrumentis videri potuerunt Plutarchus *in vita Marcelli*, & Cicero 5. *Tusculan. quæstion.* Tale procul dubio fuit cœlum illud argenteum quod Paulus Iovius & Sabellicus *lib. 24. in Supplem. histor.* scribunt, & Imperatore Ferdinando Constantinopolim Turco-Solimanno dono missum, & eam quidem machinam argēteam ab hominibus duodecim eò delatam, singulasq; eius partes

Horologi forma.

Archimedes.

Cœlum argenteū.

partes tum in præsentia Solymanni ab artifice fuisse compositas, & rursum destructas; exhibitio pariter libello, quo modus admirabilis istius Sphæræ in perpetuo motu asservandæ docebatur. Meminit etiam Gulielmus Sallustius Bertasius *in Septimana divina, die sexto*, cœli ejusmodi vitrei, quo *Saporem* Persarum Regem, qui tempore Constantini principis severissimi regnavit, superbiisse legimus insidentem thoro alto, & pedibus subjectam vitream illam cœli machinam, instar novitii cujusdam Dei, contemplantem. quo etiam nomine *Solis & Lunæ fratrem* se sanè quàm insolenter nominabat. Sic enim epistolam illam, quam ad Constantium Imper. dedit, fuit exorsus: *Rex Regum Sapor, particeps siderum frater Solis & Lunæ*, Constantio fratri meo salutem plurimam dico. Mox submovet, provinciis, quibusdam cedat: quoniam medelarum quoque artifices urere, nonnunquam & secare sibi permittunt, quo residuis liceat integris post hæc uti. Idipsum & bestias factitare quoque, quę cur expetantur gnatæ, id abscissum sponte amittant, ut in reliquum supersint impavidæ, qua de re videri poterunt Cœl. Rhodiginus *libr. 8. cap. 3.* & Hieron. Cardan. *de varietate Rerum.* Et quis non videt, hominem in rebus quàm plurimis Dei videri velle æmulum? Nam cùm Græci, tum Latini scriptores, & ex his Plinus *lib. 35. cap. 10.* tradidit, Zeuxin illum pictura nobilem, tam artificii ingenio uvas pingendo repræsentasse, ut deceptæ aves ad eas, tanquam planè veras advolarent. (adeò eas ars æmula naturæ, veritati similes explicuit, ut cum Apulejo dicam *lib. 2. Miles.* Nam & depicti in tabulis eius imaginem vultus, veluti spirantes vivere & anhelare videbantur) Fecit & Penelopen, in qua expressisse mores videtur *d. lib. 35. cap. 9.* Idem, cum Vetulæ cujusdam deformitatem suo artificio perfectè delineasset, eamque intentè intueretur, usq; adeò ob expressam graphicè anus deformitatem ac turpitudinē, in effusum prorupisse risum legitur, ut animam inter ipsum ridendum, efflarit. Ioseph Quercetanus *in diatet. poly-histor. cap. 7. fol. 67.* Apelles quoque excellentis fuit peritiæ, ut equam sic ad vivum expresserit, & canem, ut prætereuntes equi adhinnirent, adlatrarent canes. Notaque est Myronis Bucula, quæ ex ære ita erat ad vivum expressa, ut non gregem tantùm, sed & pastorem ipsum posset fallere. de qua Ausonius *Epigram. 57.*

Coelum vitreum.

Saporis fastus.

Zeuxis præstantia.

Apellis.

Myronis.

> *Bucula sum, cœlo genitoris facta Myronis*
> *Ærea: nec factam me puto, sed genitam.*
> *Sic me Taurus init: sic proxima Bucula mugit,*
> *Sic vitulus sitiens ubera nostra petit.*
> *Miraris, quod fallo gregem? gregis ipse Magister*
> *Inter pascentes me numerare solet.*

Et Myroneum quidem illum nobilitavit maximè Bucula versibus celebratis laudata: quando alieno plerique ingenio magis, quam suo commendantur, ut ait Plinius *lib. 34. cap. 8.* Cæterùm illum ipsum *Myronem*, qui penè hominum ferárumque animas ære comprehenderat, præ inopia hæredem non invenisse scribit Petronius Arbiter: quod Fransc. Iuretus *in Notis ad Symmach. Ep. 23. lib. 1.* retulit. Sed & memoriæ proditum est, marmoream Venerem arte tam mira ab Praxitele elaboratam, ut spectantes subinde libidinis titillarentur incentivis. Ferunt (ait Plinius *lib. 36. cap. 5.*) amore captum quendam, cùm delituisset noctu, simulachro cohæsisse: eiusque cupiditatis esse indicem maculam. Vnde Gnidiam illam Venerem vesano amore cuiusdam juvenis insignem alibi appellat, *lib. 7. cap. 38.* Eiusmodi quid & Atheniensi cuidam adolescenti summo loco,

Praxitelis.

Venus.

Bonæ fortunæ statua.

loco nato obtigisse, legimus apud Ælian. *lib.9. variar histor.* Is enim statuam *Bonæ Fortunæ* (ait Ælianus) ad Prytanæum stante m deperibat: & sæpè in complexus eius se insinuans, oscula dabat: atque inde raptus in furorem, œstroque percitus, propter cupiditatem, in Senatum veniebat, & enixè rogabat, ut sibi eam liceret emere. At cùm nihil proficeret, multis regiis sertis & coronis imagine coronata, oblato sacrificio, ipsaq; precioso vestitu ornata, profusis innumerabilib. lacrymis, ipse sibi mortem conscivit. Huic rectè respondere poterat Hercules Stroza, Poeta verè nobilis, marmoream imaginem ita loquentem introducens:

Hic licet assideas, & marmora surda fatiges:
Nil tibi, quod prosit, saxea forma dabit.
Qui faciem finxit, voluit simul addere mores,
Et duram duro marmore composuit.

Simulachra loquentia & euntia

Cæterùm non consistit intra hos terminos humanum ingenium, sed ulterius id longè progressum videmus. quandoquidem Ægyptios scribit Mercurius virtute quadam inenarrabili Deorum confinxisse simulachra, ut articulatam promerent vocem, nec non (ut nil admirationi desit) progrederentur. Lud. Cœl. Rhodiginus *lib.2. Antiquar. lection. cap.17.* Certè ab Alberto legimus fictile caput fabricatum; quod suo tempore loqueretur. Id qua ratione, per tubum plumbeum præsertim etiamnum fieri possit, Ioh. Bapt. Porta docet *lib.16. Magiæ Naturalis, c.12. & lib.29. cap.1.* Quo fit, ut minùs mirer Architam illum Tarentinum, à quo pleriq; nobilium Græcorum, & Favorinus Philosophus memoriarum veterum exsequentissimus, affirmatissimè scripserunt, simulachrum columbæ è ligno, ratione quadam disciplinaq; mechanica factum volasse. ita erat sc. libramentis suspensum, & aurâ spiritus

Architæ columba volatilis.

inclusâ atq; occulta concitum. Gell. lib. 10. *cap.12.* quanquam volantis columbæ machinulam, facilimè profiteri audet Iulius Cæs. Scal. *Exercit. 326. ad Card.* ubi Naviculam sponte mobilem, ac sui remigii authorem se facturum ait nullo negotio. Eadem enim ratio, ait, cum volante avicula. Materia ex iunci medulla parabilis, vesiculis amicta, aut pelliculis, quib. auri bractea tores, atq; foliatores utuntur, nervulis obvoluta. ubi semicirculus rotam unam impulerit, motum præstabit aliarum, quibus alæ agitabuntur. Fuit autem Architas Mathematicus summus, ut ex illo Horatii *lib.1. Carminum, Oda 28.* satis constat, dum eum

--maris & terræ, numeroq́, carentis arenæ

mensorem vocat: respiciens fortasse ad illud Apollinis apud Herodotum *lib.1.* ubi Apollo magnificè gloriatur, sibi arenæ numerum notum esse, dum ait: Scio ego arenæ numerum, & mensuram maris. quo adducti posteà sunt Geometræ, ut aliquid audacius susciperent, pronunciarentque, quantus arenæ numerus futurus esset, si eâ refertus esset mundus quod Archimedes in libello, *qui ψαμμίτης inscribitur*, ratiocinatur contra quam proverbium habet: *Metiris arenam*, id est, conaris quod non potest fieri & explicari. Horat. igitur è globo maris & terræ Geometram significat, ex arenæ numero Arithmeticū. quas duas artes nomine Geometriæ plerunq; veteres complectebantur, ut Adrian. Turneb. docuit *lib.26. Adversar. cap.1.* Estque iste Horatii locus argumento satis evidenti, plus in Poetis latere eruditionis, quàm plerique supercilioſi viri, eorum contemptores censeant: qui præter puerilem oblectationem vel ut Eratosthenes, sonantiore risu ob hoc excipiendus, dicebat, anile quoddam fabulamentum, nihil iis inesse credunt. quæ sententia solidissimè confutata est à Ludovi-

Arenæ numerū. & maris mensurā scire.

dovico Cœl. Rhodigino *lib. 7. Antiquar. lection. cap. 1. & 2.* Et quidem Osores illi poetarum meminisse debuerant illius, quod apud Platonem *in Minoe* admonet Socrates, cavendum esse inprimis iis, quibus fama curæ est, ne poeticum aliquem hominem infensum habeant: quippe qui in utramque partem tum ad laudandum, tum ad vituperandum, maximam vim obtineat. Quod Anytus & Melitus, ut à Socrate fortasse didicerant, ita in præceptorem retorserunt, emptâ Comœdiâ plusquam tragicâ ab Aristophane, doctissimo nebulone: qua optimum virum & hominem divinum stolido vulgo deridendum & tandem iniquissimis suffragiis condemnandum propinarent, ut tradit Goropius *in Amazonib. fo'. 812.*

In poetastrum osores.

Porrò Columbæ isti volatili nihil opinor opificio concesserit Aquila illa lignea, quæ ante Imperatorem Norimbergam ingressurum in aere subvolavit, atq; eum præcessit usque ad portam. Cuius, ut & Muscæ ferreæ itidem volatilis, Guilielmus Sallustius Bartasius meminit loco ante allegato. Vtriusque sanè inventionem Petrus Ramus Iohanni Regiomontano tribuit, in præfatione *lib. 2. suar. observat. Mathem.*

Aquila lignea.

Musca ferrea.

Ac quoniam Pancirollus Horologia, vel amygdali instar efformata in collo suspendi ait: non abs re forsan fuerit, de Operum minutorum, & præ nimia exilitate ipsum ferè visum effugientium artificibus, quædam hîc subjicere. *Callicrates* igitur, si Plinio credimus *libro 7. cap. 21. & libr. 36. cap. 5.* ex ebore formicas, & alia tam parva fecit animalia, ut partes earum à cæteris cerni sive discerni non possent. Et *Myrmecides* Milesius inter cætera laudatæ industriæ monumenta in eodem genere inclaruit: quippe qui ex eadem materia quadrigam fabricasse legitur, quâ cum agitatore suo Musca integeret aliis & cooperiret: item & Navem, quam Apicula pennis absconderet. Hujus & M. Varro meminit *lib. de ling. Latina, sexto:* docens, qua ratione subtilia illa operæ oculis collustrare possis. Etenim, inquit, facilius obscuram operam Myrmecidis ex ebore oculi videant, si extrinsecus admoveant nigras setas. Testis quoq; est Hadrian. Iunius *lib. 1. Animadvers. c. 6.* spectasse se non sine magna animi voluptate Mechliniæ, nobili Brabantiæ oppido, cerasi calculum, in modum quasilli exsculptum, quo continebantur quindecim alearum paria, suis punctis affabrè distincta, ita ut acie oculorum dignosci potuerit clarè, cui tamen non dubia aut tenebrosa erat illa oculorum lux, fuerat autem emptus is calculus ab Hagano quopiam apud Confluentes Rheni & Mosellæ. Tradidit & Cicero, referente eodem Plinio *lib. 7. cap. 21.* vidisse se in nuce inclusam Iliada Homeri, carmen in membrana scriptum. Sed Homerum longè preciosiore custodiâ dignum putavit Alexander Magnus, illud crebro in ore habens, se Iliada & Odyssean Homeri usquequaque sequutum instar optimi viatici, nempe pro laborum solatio, & imitamento, ut est apud Plutarchum. Itaque inter spolia Darii Regis Persarum, unguentorum scrinio capto, quod erat auro gemmisq; ac margaritis preciosum, varios eius usus amicis demonstrantibus, (quando tædebat unguenti bellatorem & militia sordidum) Imò herclè, inquit librorum Homeri custodiæ detur; ut preciosissimum humani animi opus, quàm maximè diviti opere servaretur. Cuius ego laudes singulas si deprædicare velim, verear, ne laborem suscepturus sim inanem, ac prorsus inutilem: cum nihil hoc aliud videri possit, quam eum laudare, quê nemo vituperat, sed omnes venerantur & suspiciunt. aut verò etiam cum Aristophane quærendum mihi sit, Vndenam

Opera minuta.

Fomicæ ex ebore.

Quadriga.

Navicula.

Alea ex cerasi nucleo.

Ilias nuci inclusa.

Alex. M. quanti Homerũ fecerit.

Homeri laus.

puer-

μυριάμφορον, quod, Suida interprete, *decies mille amphorarum* verbum est, accipiam, quo satis dignè cõpellare eum possim. Eo quippè provectus est authoritatis, ut non tantum *prisca poetica divinus* auctor apud Græcos, ab Apulejo *lib.9.* sed & contentione summa *literarum parens*, *& doctrinarum fons* à celeberrimis pronuntietur auctoribus. Estque memorabile inprimis, quod Palaton ζωγράφος sive pictor cum Humerum describeret, illum quidem velut vomentem exprimebat; poetas verò reliquos per ambitum adstitutos ἐμημεσμένα ἀρυομένους id est, quæ rejecisset is, absorbentes. Cui non ineptè accommodari poterit illud Ovidii:

Homerus veluti vomens.

Aspice Meonidem, à quo ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

Adde, quod ut Orphei *Cygnus*: ita Homeri simulachrum apud Veteres habita fuit *Luscinia*: sive ob multiplicem vocis varietatem sive delectabilem suavitatem, sive pertinacem in ea continuationem. quandoquidem in una Luscinia, perfecta Musicæ scientia modulatus editur sonus: & nunc cõtinuò spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto: promittitur revocato, infuscatur ex inopinato: interdum & secum murmurat: plenus, gravis, acutus, creber, extentus, ubi visum est, vibrans, summus, medius, imus. Omniaque tam parvulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit: ut non sit dubium, hanc suavitatem præmonstratam efficaci auspicio cum in ore Stesichori cecinit infantis. quibus Musicæ leporibus enarrandis cum Luscinia Plinius ipse contendere videtur *lib.10. Nat. hist. c.29.* quib, omninò addendum est, quod de Homeri laudibus, patria, luminum orbitate, & quo tempore vixerit (qua de re multum Auctores ambigunt) ex probatissimis scriptoribus retulit Melchior Guilandinus *in tr. de Papyro. memb.4. fol.68. & seq.*

Luscinia adumbratus.

Sed ut ad minuta redeam opera: scribit Ælianus *lib.1. de var. hist.* Myrmecidem & Callicratem in sesamo distichon elegiũ literis aureis inscripsisse. Quod tamen homo prudens & virtutum studiosus, ait laudibus nequaquam deprędicabit. Quid enim hæc aliud sunt, quam temporis vana perditio? Prudenter igitur Alexander Magnus: qui ostentatorem quendam Ciceris grana per longius missa intervallum, citra frustrationem in acum inserentem nullo alio munere, quàm leguminis eiusdem modio censuit donandum. Quo ipsi & hominis vanitatem, & ματαιοτεχνίαν quorundam non inficetè derisit: quam tu inanem artis imitationem rectè dixeris, sicubi laboris insumitur plurimum, operæ precio ullo. Cœl. Rhodig. *lib.17. antiquar. lection. cap.31.* Ex quo genere meritò esse dixeris Pulicem in collo Aureola catella, eaque perlongâ vinctum, atque in deliciis habitum: cùm ille saliret aliquando: nonnunquam heræ sugeret delicatulum sanguinem: deinde in lectulo satur sese collocaret: ut ad Cardanum ludens scripsit Scaliger *Exercit.336.*

In sesamo distichon.

ματαιοτεχνία

Pulex catena allegatus.

DE PYXIDECULA NAUTICA TIT. II.

Magnetis seu pyxidis nautica inventio & utilitas.

N*Ec minùs utilis est Nautis Magnetis usus, semper ad Septentrionem tendentis. Qua ratione fit, ut & die & nocte obscura, atque etiam tempestate coorta scire possis, quo loco sis constitutus, pyxidecula præsertim nautica adhibita, quæ mirabilis ars est, & facilis ei, qui cognitionem eius habet. Reperta hæc*

hac fuit in Melphi, Campaniæ civitate: quæ hodiè Terra di lavoro *nuncupatur, ut voluit* Blondus *in Italia illustrata, ubi de Campania tractat, in fine. Eius tamen auctor ignoratur. Veteres navigabant, stellam polarem considerantes, quam Cynosuram dicebant: itemq; stellas alias, ut* Virgilius *ostendit.* lib. *5.*

---clavumque affixus & hærens
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.

Si obscurum esset cœlum, ignorabant ubi servarentur, erantque quasi deperditi, quemadmodum idem Virgilius lib. 3. *demonstrat:*

Erramus pelago, totidem sine sidere noctes.

Hodie verò experientiâ ducti Nautæ, quam ex Aquilonis & pyxidecula istius observatione sunt consequuti, semper sciunt, quo in loco agant.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Navigat. author Neptun⁹. CRetensium placitis contineri constat, Neptunum illum maris Deum enavigandi scientiam Mortalibus communicasse, atque etiam classem conflasse primùm, cui sit à Saturno præfectus. Eundem etiam equos omnium primò domuisse. *lib. 1 tit. de Moribus in bello usurpat.* ostendimus. Inde certè cognominis nata occasio, ut & Neptunus & Hippius diceretur: quod ex Phurnuti sententia, mari celerrimè iter peragatur, velut equorum functionem subeuntibus navibus, ut est apud Rhodingin. *libr. 19. Lection. Antiquar. cap. ult. in fin.* Thucidides & Libavius *declam. quadam*, Corinthiis primam attribuunt concinnationem navium, quæ quidem formam præ se ferrent, quæ nunc etiam est frequentior: *Corinthiis.* Alii aliis, de quibus consuli poterit Plinius *lib. 7. cap. 56.* Ego Phœnicum laudem inter alia præcipuam fuisse positam didici in Navigandi præstantia: quorum, ut cum Lucano dicam *libro 3.*

---rates, non flexo limite ponti
Certior haud ullis duxit Cynosura carinis.

quippe qui respectâ Cæli & maris societate, primi duos discreverunt polos, id est, extremos vertices, circa quos sphæra cœlestis vertitur. Quinque enim hæc eximia generi humano præstitisse Syrophœnices videntur, quantum quidem ex Plinii *lib. 5. c. 12 & 19.* possumus consequi: nempe literas, siderum cognitionem, navigandi industriam, nec non militiæ disciplinam, & frequentem Vrbium exstructionem, quod pluribus exsequutus est Steph. Forcatulus *libr. 1. de Imper. & Philos. Gallor.* Sed hoc amplius ipsum nos præpotentem Deum, ut Vniversitatis, ita & navigii architectum pie agnoscimus: *Imo Deus ipse.* qui fabricationem illius Noam docuit, ante omnium istorum, quos dixi, memoriam. Id quod non tantùm *Genes. 6. vers. 14.* sed & *Sapientiæ 14. v. 6.* signatè exponitur his verbis: *Sed & ab initio cùm perirent superbi Gigantes, spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit seculo semen nativitatis, quæ manu tua erat gubernata,* quo in loco etiam occasio & finis navium subsequutarum indicatur. *Navigationis occasio & finis.* Acquirendi scilicet cupiditas, & ne essent vacua sapientiæ Dei opera: qui fragile illud lignum providentia sua gubernet, dum & in mari viam, & inter fluctus semitam dedit firmissimam. Quæ cum ita se habeant: non potest sanè non antiquissima esse navigandi scientia: *Navigandi ars firmissima.* ut

ut hinc dubitare non parum possis, Num etiam Veteribus cognitum fuerit hoc pyxideculæ Nauticæ instrumentum, quo in navigationibus nostris nihil hodie frequentius. Auget dubitationem, quòd sub *Versoria* appellatione Plautus eius meminisse videatur *in Mercatore Sc. Divûm atque.*

Pyxis nautica an veteribus cognita.

Hic ventus nunc secundus est, cape modo Versoriam.

Versoria.

Et *in Trinummo, Sc. Stasime fac te,*

Cape versoriam, recipe te ad herum.

Vtroque enim loco Naviculatoriam pyxidem intelligi, sunt qui putent. quorum tamen sententiam rectè improbat Hadrianus Turnebus *lib.* 20. *Adversar. cap.* 4. docens, Versoriam ibi funem denotare, quo velum vertitur. quod illo eiusdem Plauti probat *in Epidico*, Sc. Heus Adolescens:

Vt cunq; in alto ventus est Epidice, ex imo velum vertitur.

Rectè, *ex imo*. Sic enim ima pars veli, hoc est, imus angelus intelligitur, vel funis, quo velum tenditur. quem funem etiam *Navis pedem* dici video, & quidem tam dextrum, quàm sinistrum. Duos aertè Navis pedes Catullus innuit:

---Sive utrumq; Iuppiter
Simul secundus incidisset in pedem.

quanquam non ignoro, apud Plautum *in Menæchmis*, Sc. Bene obsonari: per *Navales pedes* interdum etiam vel Remiges, vel Remos significari, quibus Naves veluti ambulant. Quo pertinet illud Ausonii:

Remipedes certant medio cum flumine lembi.

Cùm hæc scriberem, venit mihi in mentem eius, quod Vlpian ex Pomponii sententia scripsit; Non debere exercitorem navis per Remigem aut Mesonautam obligari. *l.* 1. *§. qui sunt igitur ff. Naut. caup. stabul.* quo loco per Mesonautam Hermolaus Barbarus significari putat Mancipium, in medio Navis unicuique deserviens: quales sunt Mediastini in domibus. Est enim *Mediastinus* (cuius & apud Vlpianum mentio *in l. ult ff. de oper. serv.* & Columellam *lib.* 1. *cap.* 9. *& libr.* 2 *cap.* 12.) mancipium abjectius, quod vilissima & sordidissima ministeria obire domi cogitur, domum vertere, purgamenta efferre, ligna congerere, & huiusmodi alia facere: Ipsum ob hoc ita dictum, quòd in media domo ad imperia omniû nutusque excubare soleat. Sic ergò dictos putat *Mesonautas*, qui in media navi simili servitutis conditionem omnibus prestò sunt Gothofredus Mesonautam intelligit eum, qui medium inter summos & imos locum teneat: Summos; ut proretas & gubernatores: Imos, ut Remiges: & qui aliis remigandi signum præbeat. Cui officio qui præsunt, hoc est, qui operam dant, ut Remiges pariter remis aquam pellant, Hyginio, dicuntur *ad pitylum sedere*. Est enim *pitylus*, fictitio nomine, sonus ille, quem remus illisus aquæ efficit, & Nautici pitylum vocant, cum ad *Celeuma* remigatur: sicuti Turnebus explicat *lib.* 28. *Adversar. cap.* 43. A Celeumate autem illo, Navigationis Moderator, quem Plautus *hortatorem* vocat, quod ea hortamenta faciat, quæ Græcis dicuntur Celeusmata, *Celeustes* fuit nuncupatus. de quo videri poterit Guilhelmus Budæus *ad d. l.* 1. *§. qui sunt igitur. ff. Naut Caup. Stabul.* ubi non minus, atque apud Turnebum *loco citato*, varia officia nautica doctè & eleganter exposita invenire est. *Celeustes* autem, sive Hortator ille modum dabat classi, & imperabat Remigibus: ut, cum necesse erat, vel remigarent, vel desisterent: qui idcircò *Pausarius* dictus est Senecæ *Ep.* 56. atq; [illegible] qui Ovidio *Hortator est*, & Ælio Sul[illegible] *Portisculus*. Modum autem dabat hortator [illegible] *voce*: Ovid. 3. *Metam.*

Mesonautam.

Mediastinus.

Ad pitylum sedere.

Celeustes Navis moderator.

Celeustæ officium.

Celeustes: Pausarius Portisculus.

---re-

— requiemq́; modumq́;
Voce dabat Nautis, animorum hortator Epepeus.

vel cantu, aut per Symphoniam: Ascanius *in divinat*: Cani remigibus celeusma per symphoniam solebat, & per assam vocem, hoc est, ore prolatam: &, ut in Agro navi *per cytharam*, Quintilium *libr.* 1. *cap.* 14. siquidem remiges cantus hortatur, Censorinus *de die Natali cap.* 12. denique, quo facilius sufferant laborem vel in navis metu à vectore symphonia adhibetur: vel denique *Malleo, qui portisculus*. Ælius Stilo: portisculus, qui in portu modum dat classi: & hortatio illa quoquomodo fieret, celeusma dicebatur: ut perquam doctè id explicat Savaro in *Notis ad Sidon. Apollinar. ep.* 10. *lib.* 2. Mesonautas porrò quod attinet, Mihi proprior vero videtur Alciati sententia, qua Mesonautas eos interpretatur, quos idem Vlpianus Græci ναυτεπιβάτας dici ait *in l. ult. ff. de tit.* siquidem Noricam sequamur lectionem, quę sic habet: *Et quid. si quis sit ex his. quos vulgò μεσονάυτας Græci ναυτεπιβάτας dicunt.* ut sunt Mesonautæ, qui navem inscendunt, & ne aliquid nauti nomine domino navis solvant pro vecturæ precio, ducendis remis operantur; ab ἐπιβαίνειν quod est inscendere. Vnde E[illegible], navis ascensorem significat: & ἐπιβάδες [illegible] ἐπιβαται, n. ves eidem Vlpiano contecensoriæ sive scansiles dicuntur, quæ trajicendis vectoribus aptę, vel transportandorum hominum causa factæ sunt, *l.* 1. *§. igitur.* 12. & ibi Budæus *ff. de Exercitor. act.* Aciat. *lib.* 1 *parerg. c.* 43. & *lib.* 3. *Dispunct. c.* 21. Ant. Augustinus *libr.* 4. *emend. c.* 17.

Meso-nauta.

Pyxis Veteribus incognita

Sed redeo ad Pyxidem: quæ modò *Acus vel acicula marina*, modò *pyxis vel pyxidecula nautica*: sæpè etiam *Magnes* dicitur. Hanc Veteribus fuisse incognitam, omnes uno fatentur ore: quippe qua destituit vasto illi Oceano nunquam se ausi fuerint committere: uti nec absque remis & actuariis navibus navigârint: ideoque semper oras ferè terrarum legerint: ut *ad Tit.* 1. *fol.* 17. indicavimus. Quo fit, ut cum illi sese alveo mediterrano continuerint (nam sine acus marinæ usu, ut jam dicebamus, navigationem in alto Oceano institui non potuisse, disertè scribunt Petrus Ciezius *lib.* 2. *Histor. Indicat. cap.* 9. & Gomara *lib.* 1. *Hist. General. lib. Ind.*) Nostri beneficia pyxidos quotannis orbem terrarum crebris navigationibus obeant, & in alium orbem, ut ita dicam, colonias deducant: jam ut intimos recessus apertos habeamus, & exinde non modo mercatura abundans & quæstuosa evaserit; verum etiam omnes homines socum ipsi, & cum Republ. mundana, velut in una eademque Civitate mirabiliter conspirent, Iohannes Bodinus *in Methodo historiarum, c.* 7.

Iam cùm vasti illius Oceani immensa sit & inscrutabilis profunditas, ut nullâ quantumvis maximâ funium copiâ fundus indagari queat, quemadmodum ab iis relatum est, qui mare id permearunt: ideoque dies noctesque, quamdiu ventus est secundus, cursus tenendus; obtineate autem malacia, consistere necessum sit, quandoquidem navigia mari illi accommoda, perinde ac naves actuariæ, remis non agantur: Consequens nimirum est, *Bolidis*, de qua tam multa ab anilium fabularum nugamentis non aliena commemorantur, usum ibi esse posse nullum: ut scilicet humus eâ eruatur, qua Navitæ, in quibus terris versentur, dignoscant. Est enim *Bolis*, instrumentum, trunculum pyramidalem formâ referens, & acuta parte perforatum: quod funibus attexitur. sebum verò ex altera parte applicantes in profundum demergunt Nautæ, quoties locum stationi idoneum nactos se esse putant. Cui si arena adhæserit, op-

Bolidis descrip. io

esset: Diametri autem orbis huius longitudo figuræ longitudinem non excedat. Habet autem orbis hic in medio æneum umbilicum affixum, ad eam formam factum, qua diximus regulæ medium fabricatum fuisse. Per umbilicum illud igitur styli cuspis immissa orbem hunc suspensum continet, qui non modo regulæ illius, de qua diximus, vice fungitur, sed omnes ventorum regiones, quorum flatibus navis impellitur, in conspectu proponit. In charta namque superiore Septentrio, & Auster, & Oriens, & Occidens, & interjectæ inter hos terminos regiones exactissimè describuntur. Normâ ad hūc modum constitutâ, hoc restabat incommodi, quod opus erat, quoties navis fluctibus agitata, ut fieri necesse est, ut puppim aut proram, aut in alterutrum latus inclinaret, ut illa in profundo subsidens adhæresceret; neque motu libero in Septentriones dirigi posset. Ne autem hoc eveniret, fuit solertissimè excogitatum. Nam vas ipsum paulò infra labrum circulo æneo arctè constringitur. Vtrinque autem ab eo circulo virgula chalybea ducta, in foramen alterius circuli majoris & exterioris, modico intervallo ab interiore distantis, immittitur. Virgulæ verò binæ ita sunt æquales & oppositæ, ut si ex utraque una & perpetua fieret, circularis illius spacii diametrum contineret. Exterior autem circulus circa duas illas virgulas quasi circum axem versatur. Rursus ab exteriore circulo aliæ binæ virgulæ pari intervallo ad ambitum alveoli cuiusdam orbiculati, intra quem hæc machinatio continetur, simili ratione perducuntur. Ita sunt autem hæ virgulæ exteriores interioribus ex adverso constitutæ, ut si duæ tantum ex illis quatuor directæ fierent, sese ad angulos rectos intersecarent. Cùm verò machinatio ex inferiore parte ænea & ponderosa sit, neque fundum attingat illum, ita undique pellitur, ut medium locum teneat. Et cùm pensilis exsistat, pondere suo nixa eâ ratione consistit, ut quamvis maximi fluctus navem jactet, ipsa semper ad libellam directa permaneat. Sic autem fit, ut nihil interveniat, quod normam ab eo motu, quo in Septentriones fertur, impedire queat. Hactenus Osorius. Cui consentanea scripsit P. Bellonus *l. b 2. Singular cap.16.* & Pet. de Medina Hisp. *de arte navigandi lib. 6. in pr. & lib. 3. c. 7.* ubi eorum argumentis, qui chartæ marinæ usum in forma plana propterea rejiciunt, quod Mundus sit rotundus, respondet.

Alii pyxidis usus.

Nec verò solùm ad polos demonstrandos, nautico usui suam præstat opem ferreus obelus in pyxide: Sed ferè ad infinita. Maximè cognitus est usus Magnetis in ferreis obelis in sciathericis horologiis. nam eis quiescentibus, stratam lineam ostendit illicò à Septentrione ad Austrum: undè à Gnomone cadentes umbræ diurnas horas demonstrabunt. Vtuntur & magnetino indice Metallici in venarum extensionibus. Nam subterraneis in specubus, in quo situ index; qui magnetem tetigerit, steterit, ab ea cœli parte extendi metallorum venas cognoscunt. Præterea iis, qui ædificiorum ichnographias, imò Vrbium, imò Regionum describunt, mirificum ministrant usum, dum situs anguli capiuntur, & in papyrum transferuntur. Vtimur præterea in aquis ducendis, in aquæductibus, qui sub terra excavantur; in antris perforandis: in excavandis cuniculis, inque his immissis tormentarii pulveris cumulis; & obstructis spiramentis, ad excidendas ab imo arces, rupes & mœnia, iter ostendente pyxide. Sed & duarum pyxidum nauticarum operâ, quæ quidem Alphabeto circumscriptæ sint, amico longè absenti, etiam carceribus occluso, poteris incumbentia nuntiare, &, ut amplius dicam,

dicam, pendent ex Magnete principia motus & alia mirabiliora: de quib. videatur Ioh. Baptista Porta *lib. 7. Magiæ Naturalis.* Tanta ingitur cum sit Magnetis præstantia: nequaquam errasse putandus erit Bodinus, qui in tota rerum natura nihil eo esse admirabilius, & usum eius planè divinum dixit. *in Methodo histor. cap. 7.* cujus rei exactam rationem Magnus ille Scaliger aliam non reddit, quam se nescire. Nos enim in luce rerum tenui caligare, in mediocri cœcutire, in majori cæcos esse, in maxima insanire, *Exercit. 131. ad Cardanum.* Nicander, & ex eo Plinius, appellatum autumant Magnetem ab inventore Magnete, armentario in Ida. Invenisse autem fertur clavis crepidarum & baculi cuspide hærentibus, cum armenta pasceret. Plinius *lib. 36. cap. 16.* Hinc navigia Indis ac Æthiopibus nec pice lita dicuntur, nec compacta ferro, sed laqueis arctata. Caussam facti augurantur nonnulli; quia insint in eo mari ferrum ad se pertrahentes petræ. Id haud videtur verum: quoniam Romanorum classibus illic res gerentibus, nil obvenit eiusmodi. Potior ratio, quæ de metalli promitur inopia. Sed nec aliunde invehi licet, quando ne fiat morte caveri traditur à Cœlio Rhodigino *lib. 18. Antiquar. lection. cap. 31. in fin.* respiciente fortassis ad Marciani Imperatoris Constitutionem, qua capitalem pœnam, bonis etiam Fisco addictis, subire decernitur, qui nedum cuiusque generis arma, sed & ferri vel facti jam, vel adhuc infecti quippiam hostibus ausus fuerit venundare. Perniciosum namque Romano Imperio, & proditioni proximum est, (inquit) Barbaros, quos indigere convenit, telis, ut validiores fiant, instruere. *l. 2. C. quæ res export. non deb.* Ideoque nec animalia ad hostes licet traducere, quamvis *Alabarchiæ* vectigal, quod pro transductione pecorum alioquin inferri solet, fuerit remissum. *l. usurpationem. 9. C. de vectigal.* Iacobus Cujacius *lib. 8. Observationum, cap. 37.* & nec vinum, oleum, aut liquamen, ne gustus quidem causâ eò transferre. *per tex. in l. 1. C. quæ res exper. non deb.* ne eiusmodi liquoris gustu admoniti Barbari arma in eos vertant; ideoque eas regiones armis invadere studeant, unde sibi id liquaminis comparare possint. Sic enim Longobardos legimus à Narsete in Italiam pellectos, & Gallos ab Hetruscis, ut ex Livio *lib. 5.* Andr. Alciatus probè observavit *lib. .. Dispunct. c. 11.*

Magnetis usus divinus.

ejus inventio.

Arma, merces & annona ad hostes non exportanda

Alabarchia.

Memini me de Navigationis periculo aliquid dixisse *libr. 1. Tit. de Nav. Trite. & Quadrirem.* quibus addendum omninò est, quod *Sapientia 14. vers. 5.* dicitur. Navigantes exiguo ligno animas suas credere. Quod ipsum in memoriam mihi revocat illud Anacharsis: qui, dum interrogasset quendam, quanta esset spissitudo tabularum nauticarum: atque is, quatuor digitorum, respondisset: Tantillum, inquit, absunt à morte, qui navigant. Id pulcherrimis versibus expressit Iuvenalis *Satyr. 12.*

I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confisus ligno digitis à morte remotus.
Quattuor, aut septem si sit latissima.

Navigantium pericul.

Anacharsis.

Idem itaque Anacharsis roganti, Utrùm plures arbitraretur esse Mortuos, an vivos? Navigantes, & ipse quærendo respondit, utro in numero ponis? dubitans nimirum, an inter vivos essent habendi, qui vitam undarum ac ventorum arbitrio commisissent: ut est apud Plutarchum *in Apophthegm.* Neque enim omnes & navigandi pollent arte, qua *Ericus* Gothorum Rex: qui quocunq. verterat pileũ inde vẽtum prosperũ eliciebat, & in quã volebat subito asportabatur regionẽ. Ioh. Magir. *li. 47. Goth. hist.* Mart. del-Rio *l. 2. dis. Mag. q. 9. f. 11 & q. 16. f. 153.* Hinc Cato Censorius dicere consuevit, Trium, quæ in vita egis-

Ericus.

Cato

egisset, se imprimis pœnitere: quod arcana fœminæ credidisset: si quis sibi dies absq; fructu effluxisset: si quopiam navigio vectus esset, quo pedestri itinere pervenire licuisset; sentiens periculosam admodum esse Navigationem. Cui qui se commisit, & mare turgidum tentavit, nullum mortis quantumvis immanem impetum videtur reformidare.

Et propè tàm lethum, quam propè cernit aquam,

ut canebat Ovidius. Id Navigantium periculum significantiùs etiam expressurus Regius propheta David: Ascendunt, inquit, usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescit. Turbati sunt, & moti sunt, sicut Ebrius: & omnis sapientia eorum devorata est, *Psalm.* 107.*vers.* 26.27. ut meritò, qui per mare iturus est, in mortis periculo dicatur constitutus, quod tamen, quoad juris effectum, ex iis interpretationem capit, quæ tradidit Iacobus Menochius *de Arbitrar. Iudic. libr.* 2 *casu* 61. Plurimum namque refert, quo tempore suscepta sit navigatio, Vtrùm cùm aperta, an verò clausa adhuc essent maria. Quod ipsum ex Vegetio, de Mensibus loquente, quibus tutius navigatur, liquido cognoscitur. *lib.* 4. Et die (inquit) terria Iduum Novembr. usque ad diem sextum Iduum Martii, maria clauduntur. Nam lux minima, noxque prolixa, nubium densitas, aeris obscuritas; ventorum, imbrium vel nivium geminata sævitia, non solum classes à pelago, sed etiam commeantes terrestri itinere deturbat: Post natalem verò, ut ita dicam, navigationis, qui solenni certamine publicoque spectaculo multarum gentium celebratur, plurimorum siderum: ipsiusque temporis ratione usque in Idus Majas periculosè maria tentantur. Ex quibus verbis collectu facile est, quamdiu maria dicantur clausa.

Davides.

Navigat. tempore.

Mare. clausum.

Rursus aperta ea voluit Gratianus cum Valent. & Theodosio à KL. Aprilis, usque ad diem KL. Octobris: tutam enim habitam iri, quæ intra id tempus suscepta fuerit Navigatio, satis innuit text. *in l. quoties.* 3. *de Naufrag. lib.* 11. Qua in re observandum est. *Navigationis natalem* Vegetio intelligi tempus Vernum, quo Mare, quod ob hyemis sævitiam clausum fuerit, navigantibus primum aperiebatur, quo tempore quæ instituebatur, prima dicebatur Navigatio. Docet id Cicero *lib.* 2. *ep.* 6. *ad Q. Fratrem* his verbis: Idem ajebant, nunciare te *prima Navigatione* transmissurum. Nam paulò ante dixerat: atque adhuc *clausum* mare scio fuisse. Item *ep.* 4. Tu mi frater, simul ac ille venerit, *primam navigationem*, dummodo idonea tempestas sit, ne omiseris. Licet id verbi aliter etiam possit accipi, ut Turneb. tradidit, *lib.* 24. *Adversf. c.* 34.

Apertum

Natalis navigationis.

Navigatio prima quæ dicatur.

Vtilis verò cumprimis erit illa Temporis distinctio, in condemnando vel absolvendo Nauta pro mercibus submersis & naufragis. Nam si pelago merces is commiserit, congruo navigationis tempore; culpam commisisse non intelligitur, licet merces cum navi perierint. *l. utique.* 16. *ff. de rei vindic.* secus si tempore adverso (hoc est, non debito) navigatum iverit, & res naufragio perempta sit: tenebitur mercatoribus ex amissione, non secus ac si imperitum magistrum Navis exercitio præposuisset. *d. l.* 3. & *d. l. utiq.* 16. *in fin. l. qui petitorio.* 36. *in fin ff. de rei vindic. l. item quæritur.* 13. ibi, vel quo non debuit tempore. & *seq. ff. Locati.*

Nauta quando mercibus submersis conveniatur.

Quòd si quis tamen vel Naufragum, vel Naufragium dolo malo suppresserit, pœnam Leg. Corneliæ incurret. *l. eiusdem* 3. § *item is. ff. ad L. Corn. de sicar.* Est autem *Naufragum* supprimere (ita enim, & non *Naufragium* legit Budæus) hominem è naufragio errabundum arripere, & in vin-

Pœna supprimentis naufragium.

vinculis habere, aut in ergastulo concludere ad opus faciendum. Id genus hodiè sceleris & plagii ab Archipiratis perpetratur: qui homines incautos, in maritimis locis comprehensos, in triremes rapiunt, & ad scalmum alligant, ut sub flagellis remigent. Per *Naufragij* autem (quod verbi in omnibus ferè ita legitur exemplaribus) suppressores intelliguntur, qui naufragio ejectas res occultant. Quibus etsi mortis pœna olim inferebatur: cùm non mediocre flagitium audeat, imò pessimus sit & sacrilegus, qui se eiusmodi lucro mãcipat atq; illos rebus suis defraudat, quibus aliquis misericordia motus, vel de suo sumptus suppeditet, quemque in corde circumferunt dolorem, leniat; quum præsertim graves cruciatus in bonorum amissione sustineri, consentaneum sit. Quia tamen æquum non est, pro re materiali & fluxa, materiæ expertem & immortalem, animam nempè capere; Leo Imp. capitali pœna sublata, occultatorem pro re detenta quadruplum dependere sancivit. *Novell. const.* 64. Pertinet ad hanc rem, quod de Piscatoribus, qui cum ad capessendam prædam Navigantes ostentis nocturnis ignibus à recto cursu in periculum deducunt, Vlpianus respondit *in l.* 10. *ff. de incend. ruin. naufrag.* Ne Piscatores, *inquit*, nocte, lumine ostenso, fallant navigantes, quasi in partem aliquam delaturi, neque modo in periculum naves, & qui in eis sunt, deducánt, sibique execrandam pœnam parent, prçsidiis provinciæ religiosæ constantia efficiat: scitum namq; est, solere navigantibus è turribus, quas *Pharos* appellatas fuisse Gothofredus censet, ad dirigendum cursum nocturnos ostendi ignes, de quibus illos Statii versus exordio

Naufragij suppressio.

è Pharo ignes naviganti- bus ostensi

---trepidis ubi dulcia Nautis
Lumina noctivaga tollit Pharus æmula luna

Dicta enim est Pharus, ex rei ipsius usu, ut ait Hegesippus *lib. 4. cap. 27.* ἀπὸ τοῦ φαῦ quasi φανηνὸν, hoc est, lucidum, quod nocturnis ignibus navigantium cursum dirigat. Quam in rem doctè commentatus est Ioh. Gryphiander *in tract. de Insulis c.* 31. *nu.* 155. *cum seqq.* & nota est illa *de Nauplio Palamedis patre* historia: qui dolens filium suum factione interemptum, cùm videret Græcos tempestate laborare, mõtem Capharum ascendit, & elevata facula signum dedit vicini portus: Ea re decepti Graci inter asperrimos scopulos naufragium pertulerunt. Ioh. Camertes *in Notis ad Solinum Poly-histor. cap.* 19. *in fin.* Quod utinam attenderent Insulani illi, qui se prædæ, ut navigia accersant, locorum signa sępe amovent aut corrumpunt! idem Gryphiand. *de Insulis cap.* 31. *num.* 181. Etsi autem de naufragiorum bonis consuetudo apud maritimos invaluit, quia illa in prædam cedunt iis, ad quorum fines vel litora naufragia fiunt: & tamen postea, veluti barbara & iniqua penitus ab aula recessit Ioh. de Platea & Lucas de Penna *in l.* 1. *C. de Naufrag. lib.* 11. Andreas Geil. *lib.* 1. *observat.* 8. Cùm enim naufragi non spontè, sed per vim majorem alienis litoribus illi dantur, *l. Cæsar.* 15. *ff. de publican.* nec debeat ipsi hominum injuria adimi, q͂ fati misericordia reliquit. *c.* 1. *de Treuga & de pace.* multò minus afflictio afflictis addi. *l. Divus.* 13. *& ibi Dd. de off. præs.* neque ex alieno fletu risus captari, *c. potestis* 20. *extr. de privileg.* Vnde si propter necessitatem adversæ tempestatis expositum onus fuerit, non deberi hoc commisso vindicari divi fratres inscripserunt. *l. interdum* 16. §. *si propter.* 8. *ff. de publican.* Eiusmodi igitur compendium, sicuti Fiscum ex aliena calamitate sperare inhumanum & corvinum est *d. l.* 1. *C. de Naufrag. lib.* 11. Ita nec Fridericus Imperat. Regalibus vel caducis rebus adscribere voluit *in c. unic.* *Quæ sine*

Nauplii fraus.

Naufrago bona an cõmittantur.

rega-

regalia. Hoc amplius Imperator *l.50.* pessimum & sacrilegium vocat, qui se istiusmodi lucro mancipiat: quia quasi mortuos spoliat *Novell.64.* quo ipso tamen inventæ, vel adversatæ rei retentio propter impensas, vel propter εὕρετρα, sive inventionis præmia (quæ etiam *Indicinæ præmia* cum Apulejo *libro 7.* vocare possis *l. falsus creditor. 43. §. quid ergo. 9. ff. de furtis*) minimè comprehenditur. Hoc enim *solatium*, ut Vlpianus vocat *in l. venditur. 13. §. 1. ff. commun. prædior.* Inventoribus præstari utile fuerit, ut Insulani ea spe adferendas suppetias incitentur, *arg. l. 1. §. 1. & l. 3. in fin. de Ruin. Incend. & Naufr.* cum rebus suis quas infortunium reliquit, congrua securitate lætentur *c. 2. extr. de Treuga & pace. l. 3. C. de Navicul.* Ioh. Griphian. *d. c. 31. n. 136.*

Indicinæ præmium

Naufragii cur subito canescant.

Facit enim Naufragii, quam ob oculos versantem Mortis imaginem rectè dixeris, periculum, ut compertum sit aliquoties, eos qui ex illo præter spem salvi enatarunt, repentè canos evasisse. Hinc Artemidorus in somniorum interpretatione, Rasuræ somnium ait: Navigantibus naufragium. Ægrotis, extremum vitæ discrimen, citra tamen mortem portendere: eò quòd Naufragi, & à diuturno morbo se colligentes, radi consueverint: ut rasurâ periculi magnitudinem aliis testatam faciant. Ioh. Pierius *lib. 32. Hieroglyph.* Indubitatum verò est, nulla re citius promoveri canitiē, quàm curis, mœrore, & metu. Commemorantur enim nonnulli, qui in præruptas rupes aucupii gratiâ, funis ope pervaserant, soluto eo aut delapso, desperabundos præpròperam canitiem accersivisse. Nec indigna memoratu est historia, quam sibi olim à Francisco Dilpho, Cæsareæ Majestatis ad Serenissimùm Angliæ Regem tum temporis Oratore narratam scribit Hadrian. Iunius *in tractat. de Coma, cap. 10.* Ea sic habet: Hispanus nomine Didacus sive Diegus Osorius, nobilissima familia ortus, aulicæ puellæ amore captus, communicato prius cum ea consilio, in patula labore & frondosa abscon-derat se (ea crescat in Hispaniis intra regii hortis septa.) Interim fortuito catelli melitęi latratu prodita colloquii fides, Satellitum manui illum objecit. Comprehensus, carcerique inclusus, quod capitale fuerat illic deprehendi, dictatâ ultimâ sententiâ ita inhorruit totus, ut Nox unica Iuvenem eundem & Senem incanum viderit. Quo spectaculo motus Carcerarius, delato ad Ferrandum regem Catholicum prodigiosæ rei indicio, effecit, ut, capitalis legis rigore in benignitatem converso, Rex illum absolverit, dictitans pœnarum satis dedisse, qui præmaturam senectutem cum Iuventæ flore commutasset. Similem historiam, quantum quidem ad insperatam Canitiem, audivi à quodā fide dignissimo: qui mihi pro certo adfirmabat, quendam fabrum in Hassia, cùm nocturno itinere à Cacodæmone sævissimè habitus esse ad auroram usque, unâ nocte caniciem spectabilem contraxisse metu.

Pancirol. lib. 2.

Verùm ad Navigantes redeo: quibus cùm ille ipse quem dixi Timor, cum etiam Odoratus inprimis nauseam quoque cōcitare solet. Odorem enim insuetum graviter sentimus: de que futuro ampliùs solliciti sumus, præsenti haud satis fidentes tranquillitati, proinde æstuans animus ac fluctuans; corpus simul concitare replet perturbatione. Propterea *primo Canonis* Avicenna Mari (inquit) commeantibus plerumq; accidit vertigo & corporis devolutio insimul sed & vomitus, fastidiente stomacho: mox tamen residēt omnia. Cæterū eiusmodi haudquaquā vomitum retundendū substringendumve, Medicæ scientiæ decretum est. quoniam adversus ægritudinis multas præmunitio sit. quod

Navigātes cur nauseant.

ex Medicorum disciplina tradidit Cœlius Rhodiginus *lib.26.cap.13.* Ex cujus insuper *lib. 27.cap.17.* dicimus, Naufragos, vel in aqua pereuntes, primò quidem ima petere; mox ubi computrescere cœperint, emergere ac fluitare. Tabescens quidem cadaver spirituosum fit; aër verò præfarctis poris ac meatibus nec non pulmonis cavitatibus, qua βρόγχια dicuntur, levissimum illud efficit, adeo ut supernatare valeat. Proinde mandatum literis est, quendam in mari grassantem, cùm id sciret, consuevisse eorum, quos enecasset pulmonem concidere, atque ita demum in aquam projicere, quod ita affectos comperisset non emergere. Quibus & hoc addo, si quando naufraga defunctorum cadavera fluctibus evehuntur; fœminarum prona fluitare; virorum supina: velut ipsâ Naturâ pudoris disciplinam inter defunctorum corpora discernente. quod ex Plinio *lib.7.cap.17.* & Solino *cap. 5.* Annæus Robertus Aurelius scriptum reliquit, Magnam quidem esse docens apud omnes castitatis commendationem: pudorem tamen & continentiam in mulieribus & puellis multò potiùs, quàm in viris requiri *lib.3. Rerum Iudicatarum, cap 6.* Nec abs re fuerit, si veluti coronidis loco & de *Natatoria* sive natandi arte pauca adjecero: quæ vel Aristotelis arbitrio *libr. 7.politicor.cap.17.* Veteribus adeò utilis fuit habita, ut eâ Iuvenes suos robustiores fore crediderint, ad graviores quosq; labores perferendos. Quinimò probri loco eius ponebatur inscitia. Sic enim in liberos deploratos habebat proverbium: *Neque natare, neq; literas didicit.* Et quidem si Iulius Cæsar natandi fuisset imperitus; neque vitam, neque commentarios suos salvos unquam conservasset: dum in mare præcipitem se dare coactus, & nando ultra ducentos passus conficere: ut in navim propinquam se reciperet, & à nimis, subitaneo ac improviso hostium incursu se in Alexandria defenderet. Taceo Q. Sertorium & M. Scævolam: quorum uterque sola benè natandi arte, quidem armis induti, hostium impressionem evaserunt. Apud Agrigentinos certè, qui suo tempore omnes alios deliciarum cultu & sumptuum profusione ita superabant, ut non dubitaverit Plato de illis scribere: *Perinde Agrigentinos ædificare, ac si victuri perpetuò forent; itemq; convivari, ac si semper morituri:* iidem, inquam, Agrigentini in honorem *Gelonis* ędificari curabant magnis impensis & sumptibus *Natatoriam*, cuius ambitus septem stadia continebat: profunditas verò erat viginti cubitorum. In quam derivatæ multæ aquæ fluviatiles, & rivuli fontanei, ad aquam vividiorem reddendam, decurrebãt. Cygnorum præterea copia, & varia piscium genera adspectu pulchriorem & amœniorem reddebant locum: ita ut *Natatoria* illa inter miracula mundi eo tempore relata fuerit. à qua non procul recesserit pulcherrima illa *Natatoria* à Sidonio Apollinari graphicè descripta *Ep.2. lib.2.* Per cuius exteriora latera (præter cæterũ cultũ & ornatum eximiũ) sex fistulæ fluvium de supercilio montis eliciunt, canalibusq; circumactis Leonum simulatis capitib. effundebant: quæ temerè ingressis veras dentium crates, meros oculorum furores, certas cervicum jubas imaginabantur. Ex quo, inter alia, & hoc notandum, consuevisse plerunq; matrices & capita fistularum *leonini capitis* effigiem prætulisse, fluctus aquarum ex ore vomentis. Ideò fortasse, q aquæ abundantissimè fluunt, leon: solem transeunte. Plutarch. *lib. 4. sympos. problem. 5.* Plin. *lib.5.c.9.* Tale est Epigram. non inelegans Ennodii de leone marmoreo, aquam in domo emittente:

Adspice deposita blandum feritate leonem,
Ore vomit lymphas, pectoris obsequio.

Inde

In aqua pereuntes primo ima petere, postea emergunt

Fœminæ cadaver pronum fluitat, viri supinum.

Natatoria.

Iul. Cæsar

Q. Sertor. M. Scævola.

Agrigentini.

Natator Appollin.

Fistularũ capita cur Leonini capitis effigiem referant.

Vnde fluit rostro, dens mortis pocula mandit
Naturam perdens bellua, nos satiat.
Effera dum vitreos effundunt guttura fontes
Dira salutiferis corda lavantur aquis.

Quod ad illum Apollinaris locum adducit Savaro. Sed, ut nihil in hoc vniverso perpetuum, tantum & illa quoque diu neglecta computruit & collapsa est. ut ex Athenæo *lib. 12. cap. 2.* & Diodoro *lib. 11. c. 1.* Ioh. Quercetan. retulit in suo Diætetico Polyhistorico, *Section. 2. cap. 11.* Natatoribus quam proximè accedunt Vrinatores, quorum & Vlpian. meminit *in L. novis. 4. §. 1. ff. ad L. Rhodiam. de jactu.*

Vrinatores.

Qui maris exportant prædas, & rapto profundo
Naufragio atq; imas avidi scrutantur arenas.

ut describit Manil. *lib. 5.* vel ut Lucan. *lib. 3.*

---Qui norunt animam servare sub undis
Scrutariq; fretum, si quid marcessit arenis
Adductum quoties non auferat anchora funem.

Cuiusmodi aliquot recenset Alex. ab Alexand. *lib. 2. dier. Genial. c. 21.* quos tamen gratis in præsentiarum vitæ discrimen nemo induxerit, ex Iohan. Gryphiandri sententia *de Insulis c. 31. n. 138.* Sane ubicunque navigia maxima excipi ad navigandum possunt, humanis oculis penetrari maris imum nulla ratione potest. Id enim Ælianus scribit, quod ob crassitiem aquæ maritimæ ipsæ sibi plurimam obscuritatem pariant, adeò ut humanus visus nequeat interiora eius pertingere ultra passus triginta: ulterius verò, sive quiescant sive innatent pisces, feræve aliæ marinæ aut jaceant demersæ naves, nulla vis spectandi superest, *lib. 3. c. 35.* At è contrà urinatores, & qui natandi peritiam callent, ex imo, quàtumvis profundo mari solem, lunamve, aut navigia luminave spectare possunt. Qua ex re illud efficitur admirabile, ut aquæ, tum maritimæ, tum fluviatiles, aut quæ lacubus continentur, cum tamen solidiore iactu sint, quàm nobis ipsæ aut nebulæ, orbem Solarem lunaremve nunquam iis impediant, qui in imo sunt, tametsi à superficie absunt multis passuum millibus: cum tamen parva nobis aut nebula, quæ nec unius quidem stadii altitudinem habet, obsecta soli lunæve, aut cuivis lumini ne spectari ab homine possit, impediat. Res equidem mira! Quod minora impedimenta & longè rariora, lucem videri non permittant: solidiora verò permittant. Sed rationem eius ex Plinio perquàm doctè exponit Simon Majolus *part. 1. dier. canic. colloq. 10. fol. 372. & seqq.* Ex quo de moribus eorum, qui rebus nauticis dediti sunt, lubet conjicere. Nautas certè improbum genus hominum vocari ab Vlpiano constat *in l. 3. §. 1. ff. Nautæ, Caupones, Stabularii*, fures marinos ab Imperatore *in Novell. 134. cap. 13. circa finem, & fures maritimos* ab Erasmo *in colloquio*: de quibus Theodoricus Rex apud Cassiodor. *cap. 183. in Vicario portus.* Arte placandi sunt, qui mores afferunt venti simillimos. Inde jocus, de tribus nequam juris Civilis *in d. Rub. naut. Caupon. stabul.* quibus si & *piscatores* adnumeraveris, non mulum forte erraveris. Quippe quos & ipsos fures marinos Plautus vocat *in Rudente act. 2. scen. 2.* Qui omnes, quia codice circa mare versantur, ideò duri & laborum periculorumq; patientissimi redduntur. Vnde homines duros & feroces, sive immanes & alienos ac omni humanitate, Neptuni filios dixerunt, monente id Gellio *libr. 15. Noct. Attic. cap. 21.* Plautus quoque mores aggrestes appellat *maritimos*, imo potius *inconstantes*, quod mare vicibus æstuariis accedat recedatq, verba Plauti habent.

Pecunia conducti.

Visus humanus quatenus mare penetrat.

Nautarum mores improbi.

Et piscatorum.

Ita me amor lassum animi ludificat, fugat, agit, appetit.

Rapit, retinet, lactat, largitur, quod dat, non dat, deludit,
Modo quod suasit, dissuadet, quod dissuasit, id ostentat,
Maritimis moribus mecum experitur, ita meum frangit amantem
Animum.

Et quæ præterea *Alcesimarchi* adolescentis de amore instituta est lamentatio *in Cistellaria act. 2. scen. 1.*

Aëris certè qualitate, quo in plerisque locis frigidiore & tristiore utuntur quidam, morum austeritatem sivè diversitatem conciliari, indubitanter asserit Polybius *lib. 4. cap. 11.* Cum ita sit natura comparatum, ut cœlo habitationis consimiles necessario omnes evadamus. Hæc namque, non alia causa ulla est, cur pro varietate nationum, & ut quæque longissimis distant intervallis, ita plurimum invicem moribus, formis, coloribus, maxima denique parte institutorum mortales differamus. Divinus quoq; *Plato*, adstipulante discipulo *Aristotele* tradit, à vita moribusque singulorum proficisci ut totæ nationes existimentur huius aut illius ingenii esse. Appellat enim Thraces & Scythas, deniq; omnes nationes, quæ ad superiorem locum vergunt, iracundas animique plenas: Asiatici, qui ad solis ortum expositi sunt, ingenio excellunt, artes eximie tractant, facti ad hoc à natura. Hinc Flavius Vegetius *lib. 1 de re militari cap. 2.* Plaga cœli, *inquit*, ad robur non tantum corporis, sed etiam animorum plurimum valet. *Et mox* omnes nationes, quę vicinę sūt soli, nimio calore siccitas, amplius quidem sapere, sed minus habere sanguinis dicunt: ac propterea constantiam ac fiduciam cominus non habere pugnandi: quia metuunt vulnera, qui se exiguum sanguinem habere noverunt. Vnde & in sacra pagina testimonium perhibetur Salomonis, qui sapientia sua sapientum omnium *Orientalium* & Ægyptiorum superarit. *3. Reg. 4. v. 30.* Vbi nulla Septentrionalium; Occidentalium nulla mentio. Ratio porrò Physica est, ut quis est purius cœlum acutiore sint ingenio: quia actus mentis ex calore nascitur. Vnde & æstate ait doctissimus *Melchior Guilandinus* professor Botan. Patavinus) veriora, quam hyeme contemplamur, quia brumâ ex aeris intemperie hebetiores sumus, & frigore pinguiores evadimus. Neque tamen negandum, quod Satyricus cecinit:

Magnos posse viros, & magna exempla daturos
Vervecum in patria crassoq; sub aere nasci.

Inde *Apuleius* vetustissimus scriptor, Quando non in omnibus, inquit gentibus, varia ingenia prò venere? quanquam videntur quædam stoliditate vel solertia superiores, apud socordissimos Scythas *Anacharsis* sapiens natus est: apud Athenienses *moles idem fallies est in apolog.* Idque latius examinat Dr. Remus *in Notis ad Themistium pag. 217. & seqq.*

Morum diversitas ex aeris intemperie

DE TYPOGRAPHIA TIT. XII.

Typographiæ inventio.

N*Otatu quoq; digna est Typographiæ inventio: quæ in Germania reperta fuit anno* 1440. *Et invaluit opinio, quendam per Mare Germanicum & Balthicum navigantem, in Regionem Chinensium, qui olim Seres dicebantur, fuisse delatum; eundémq;, cui Lusitani cum celocibus suis se ad unxerant, animadvertisse, imprimendi artem sibi exerceri. Visis itaq; & probè consideratis typis ac formis illis, in Germaniam reversum, similem Calcographiæ*

... eius ... libros.

graphiam concinnasse. qua maximo nobis hodie & adiumento est & lucro:: quandoquidem olim omnia necessum esset calamo adscriberentur. quem in usum multæ constitutæ erant tabernæ, in quibus nihil agebatur aliud, quam ut scriberetur. Id quod multi laboris erat & sumptuum, et præsertim, qui libros sibi comparabat. Ego paginas aliquot vidi Chinæ impressas: etsi memoriæ proditum non est, unquam ibi Typographiam exstitisse.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Typographiæ commẽtatio.

QVod de Papyro & Charta scripsit Plinius, ejus usu maximè humanitatem vitæ constare & memoriam, *libr.* 13. *cap.* 11. id non minus verè de Typographia quoque usurpaveris. quam miram typis excudendorum librorum artem, nulli nec utilitate, nec dignitate, nec subtilitate secundum Cardanus dixit *libr.* 17. *de artibus & artificiosisque rebus*, & quam unam cum omnibus omnium Veterum inventis certare facilè posse, Iohan. Bodin. censuit *in Methodo histor. cap.* 7. quinimò si Stephano Forcatulo credimus, non dubium est, superatam Rerum naturæ ferè munificentiam, excogitata librorum excudendorum ratione: cuius inventum, si verum fatemur, nullo vitæ miraculo postponendum, nec novem quidem Musæ æquabunt, licet cuilibet suæ artis disciplinæve institutionem Veteres assignaverint. Forcatul. *lib.* 4. *de Imper. & Philos. Gallor.* Ipsemet quoque Philippus Melanchthon hoc artificium ait esse donum divinitus generi humano communicatum, hoc senescentis mundi, vel potiùs ætate jam effœti ac fatiscentis sæculo, ut renascentis in Ecclesia sincerioris doctrinæ & aliarum necessariarum artium studia, prolatis in lucem è tenebris omnis generis codicibus vetustis, instruerentur copiosa supellectile optimorum Scriptorum, quorum fuit auctoritas ἀξιόπιςος, & sublevatur imbecillitas & ignavia hominum fatali languore torpescentium. *lib.* 5. *Chronic. sub. Frederico III. circa fi.* Effectum etiam hac industria est, ut, qui semel in lucem prodierunt libri, non possint deinceps oblivione posteritatis prorsus exstingui. Vt non desint, qui artem hanc omnium artium conservatricem dicant Sibyllino carmine jam olim prædictam, in quo vates illa Antichristum lino periturum cecinit: dignam mehercule, cui non minùs, imò verò magis etiam parcatur, quàm Protogenis tabulæ: quam ne cremaret Demetrius Rex, *Expugnator* cognominatus, ab ea muri parte locatam, qua excellens pictura nimis parebat obsidionis violentiæ, Rhodum incedere noluit Plinius *lib.* 7. *cap.* 38. *Sibyllarum* autem (quod probè notandum censeo) carmina, ut & libri *Mercurii Trismegisti*, à multis æstimantur plurimi, & vel eo inprimis nomine, quod de *mysterio sanctæ Triados ἐν ἀρχιάστως τῦ λόγυ*, *de officio Christi*, *de redemptione hominum*, *de regeneratione*, & *de aliis Christianæ fidei oraculis* multa disserte tradunt, ut judicare licet ex singularum vaticiniis à Iosepho passim expressis in tractatu *de statu marital. fol.* 46. *cum seqq.* Sed nunc ea propter vaticinia & libri isti suspecti sunt. Quæso an Sibyllis aliisq; in gentilitate tam profunda mysteria Deus clarius exposuerit, quam Iudæis peculio suo? Nemo dixerit. At verò hi per umbratiles rerum futurarum typos ad Christum ducebantur: nec tam perspicuis verbis audiebantur de mysterio Triados, redemptionis nostræ, & similibus: qualia de iisdem fundunt Sibyllæ & Mercurius

Sybillarũ vaticinia falso illis adscripta

curius. Quod si hisce Ethnicis divina mysteria clarius affulserunt: quod igitur fit Paulo qui tempora ante Christum vocat χρόνους ἀγνοίας *Act.*17.*v.*30. quibus Deus sivit omnes gentes suis ipsarum viis incedere. *Act.*4.*v.*16.*Rom.*18.*v.*25. Secundum Evangelium inquit, meum & præconium Iesu Christi, ex revelatione mysterii, quod à temporibus secularibus tacitum fuit: núc verò factum est manifestum *Col.*1.*v.*5. Secundò: Mysterium illud, quod absconditum fuit à seculis & ætatibus, nunc autem factum est manifestum Sanctis eius, quibus voluit Deus notum facere, quæ sunt illæ divitiæ gloriæ huius mysterii inter gentes *Eph.*3.*v.*9. Mysterium quod erat absconditum in Deo à seculis. Contra oracula, quæ passim Sibyllis & Mercurio tribuuntur, mysterium Evangelii de Christo longè ante Christum (nam & *Mercurium ante Mosen* vixisse scriptitant) gentib. fuisse revelatum ostendunt; Et ita Paulo aliisq; scriptoribus N. Testamenti contradicunt. absurdum certè & impium. Inde ergo concludimus (*ait Beccmannus noster*) quæcunque huius generis Mercurio & Sibyllis assignata leguntur, nec ab illis ipsis, sed à Christianis, sub alieno nomine fuisse edita. Omninò, (nunc ad Typographiam redeo) si præclarum est & laudabile egregia aliorum invēta ingeniis, labore, sudore, & vigiliis parta ad posteros trāsmittere, ne tempus edax omnibusq; exosa senectus & oblivio semper invida, memoriæ noverca, scientiæque fraudatrix, ea nobis ex animo eripiat: non vulgarem profectò laudem merebitur ars Typographica, per quam res laudabiliter gestæ, artesq; plurimæ, præclaræ item animi nostri cogitationes literis consignatæ, & cum his memoria conservatur eorum, qui retroactis floruerunt seculis: quæ tamen absq; artis huius adminiculo jam diu fuisset deperdita. & multi haud ita graves

Mercur. Trismeg. ante Mosen.

cùm in literis, tùm in almis exantlaturi essent labores, nisi sperarent, eos Calcographiæ beneficio immortalitati consecratos, ipsa etiam vitâ longè fore diuturniores. Quod si clariss. inventorum solertia divinitatem olim quibusdam Mortalibus, communi gentium cōsensione conciliavit; quia persuasæ, ducem vitæ animū cœlitus defluxisse, & ab eo aliquid eximium ad communem hominum societatem inductum contemplatæ præstantis alicujus inveniendo industriam & curam stupentes venerabantur, ipsumque autorem vel deum, vel Dei (cuius id principium est, juvare mortales) internuncium fatebantur ac prædicabant: cuius multa extant exempla apud Ioh. Langium *lib.*2.*Epist.*3. quo honoris titulo dignos censebis, Lector, Germanos nostros? quorum sagacitate & solertia inventum est ann. 40. supra mille & quadringentos, artificium hoc Typographicum imprimendi libros characteribus ex matello nigri cinereique plumbi, æris & stabii conflatis, Moguntiæ primos excudente, operâ *Iohan. Gutembergii*, ut quidem Iacob. VVimpheling. *in Epitom. Rer. Germ. c.* 65. Polydor. Virgil. *libr.*2.*de Rer. invent. c.*7. Palmerius *in Chronicis*. Melchior Guilandinus *in tract. de Papyro, memb.*26. & Chassanæus in Catalogo gloriæ Mundi. *part.*11.*consider.*39. eum nominat; licet ab Petro Ramo *libr.*2.*Scholar. Mathemat.* Ioh. Fast. appelletur. Cui adstipuletur exemplar Officiorum Ciceronis in membrana Moguntiæ primò, ut putatur, impressorum. Id in Bibliotheca Augustana adservatum hanc in fine continet inscriptionem: *Præsens M. Tully clarissimum opus Ioh. Fust. Moguntinus civis, non atramento plumali canna, neq; ærea, sed arte quadam perpulchra, manu Petri Gernsheim pueri mei feliciter effeci. Finitum anno* 1466. *die* 4. *Mens. Feb.* Quòd si primum hoc impressoriæ artis opus fuit: necessum est.

Typographiæ inventio.

est, ante id temporis artem hanc potiùs tentatam, quàm in effectum deductam fuisse: sive idem cum Fustio Gutembergius, sive diversus ab eo fuerit. Certè in Purbachii tabulis Ars ea saltem tentata appellatur. Vtut sit: Germanis inventionem hanc unanimi omnium consensu semper attributam esse constat, paucos quosdam excipio, qui sola stimulati invidia, ut Genti nostræ laudem hanc irent ereptum, nihil fecerunt reliqui; nõ dissimiles Gryphis Indicis, qui ut Ctesias scribit, aurum jugiter effodiunt, illo nunquam usuri, & tamẽ Bactros aliosq; homines Indis finitimos studiose ab auro arcent, ut est apud Ælianum *lib.4.de histor.animal.cap.27.* Sic cùm isti laudem hanc vindicare sibi non audeant, nobis invidendo detrahunt; instar meretriculæ illius, quæ nec sibi, nec collitiganti mulieri salvum volebat esse filium, *3.Reg.3.* Sed quid dicant videamus. Ait ergò Ioh. Petrus Maffejus *histor.Indicar.lib. 6.fol.256.* Chinenses literas imaginesque subjectis prælo typis excudere, (quibus commentis Europa recentibus adeò gloriatur) vetustissimo in usu apud Chinas esse compertum est. *Gratias ab Horto* autem typographiam ait tam vetustam, & semper apud Chinenses usurpatam esse, ut omnem hominum memoriam superet. *libr. 2. Aromat. apud Indos nascent. cap.38.* Ioh. Consalvus Mendoza, artem istam unà cum ipso regno Chinæ habuisse principium, & inventam à quodam, quem incolæ instar Numinis venerentur. Idem tamen *Mendoza* mendacii huius sui parum memor, paucis interjectis lineis, quingentis plùs minùs annis Impressoriam artem Chinensib. scribit in usu fuisse, antequam à Germanis usurpari cœperit. Quod si ita est, Regnum utriq; Chinensium, quos *Seres* nominavit antiquitas, ultra sexcentos annos non ita multum duraverit, contra omnium historicorum fidem, quibus Seres inter populos satis vetustos recensentur: refragrante etiam Pancirollo nostro qui regnante Iustiniano, Serici vermiculi ova Constantinopolim allata fuisse scribit, *Tit.24.* At constat, Iustinianum anno post Christum natum quingentesimo sexagesimo quinto in humanis esse desiisse. Longè ergò antiquius sexcẽtis annis Chinensium regnum sit oportet. Sed succenturiatus his adstipulatur Iovius, dum *libr. 14.historiar.* Quod maximè (ait) mirandum videtur, in India sunt Typographiæ artifices, qui libros (in quibus historiæ & sacrorum ceremoniæ continentur) more nostro imprimant, quorum longissima folia introrsus quadrata scite replicantur. Cuius generis volumen à Rege Lusitaniæ cum Elephanto dono missum, Leo Pontifex humaniter nobis ostendit. Id genus pagellas clarius etiam describit *Maffeius*, his verbis: Ad scribendum arctas & oblongas adhibent è levi admodum ac tenui papyro pagellas: neque versus ab læva ad dextram ut Græci: neque ab dextra ad lævam, ut Hebræi; sed ad imum ab summo producunt; cuius generis impressum volumen, atque inde transmissum Romæ in Vaticano, itemque in Laurentiana Philippi Regis bibliotheca videre me memini. Hæc ille. Quib. tamen quid aliud efficiunt, quàm etiam alibi, extra Europam, Typographiam fuisse in usu? Num ergò Germanos hanc in Europa invenisse negabunt? quod certè inde non consequitur; neque etiam hoc illis largior, qui sciam nihil incommodi esse, rem unam eademque, & Novam & Veterem censeri, relatione ad diversos populos. Sic namque lues Venerea in Europa, Asia, Africa, vix centenaria esse cognoscitur, quæ Americam jam à mille amplius annis exercet. Idem potuisse Typographiæ accidere, quid vetat? *Vetus* ergò hæc sit,

Gryphi Indici.

Chinenses Typographiam excudeerunt.

Typogr. & Vetus & Novus

ut hinc dubitare non parum possis, Num etiam Veteribus cognitum fuerit hoc pyxideculæ Nauticæ instrumentum, quo in navigationibus nostris nihil hodie frequentius. Auget dubitationem, quòd sub *Versoria* appellatione Plautus eius meminisse videatur *in Mercatore Sc. Divûm atque.*

Pyxis nautica an veteribus cognita.

Hic ventus nunc secundus est, cape modo Versoriam.

Versoria.

Et *in Trinummo, Sc. Stasime fac te.*

Cape versoriam, recipe te ad herum.

Vtroque enim loco Naviculatoriam pyxidem intelligi, sunt qui putent. quorum tamen sententiam rectè improbat Hadrianus Turnebus *lib. 20. Adversar. cap. 4.* docens, Versoriam ibi funem denotare, quo velum vertitur. quod illo eiusdem Plauti probat *in Epidico,* Sc. Heus Adolescens:

Vt cunq; in alto ventus est Epidice, ex imo velum vertitur.

Rectè, *ex imo.* Sic enim ima pars veli, hoc est, imus angelus intelligitur, vel funis, quo velum tenditur. quem funem etiam *Navis pedem* dici video, & quidem tam dextrum, quàm sinistrum. Duos aertè Navis pedes Catullus innuit:

---Sive utrumq; Iuppiter
Simul secundus incidisset in pedem---

quanquam non ignoro, apud Plautum *in Menæchmis,* Sc. Bene obsonari: per *Navales pedes* interdum etiam vel Remiges, vel Remos significari, quibus Naves veluti ambulant. Quo pertinet illud Ausonii:

Remipedes certant medio cum flumine lembi.

Cùm hæc scriberem, venit mihi in mentem eius, quod Vlpian ex Pomponii sententia scripsit; Non debere exercitorem navis per Remigem aut Mesonautam obligari *l. 1. §. qui sunt igitur ff. Naut. caup. stabul.* quo loco per Mesonautam Hermolaus Barbarus significari putat Mancipium, in medio Navis unicuique deserviens: quales sunt Mediastini in domibus. Est enim *Mediastinus* (cuius & apud Vlpianum mentio *in l. ult. ff. de oper. serv.* & Columellam *lib. 1. cap. 9. & libr. 2 cap. 12.*) mancipium abjectius, quod vilissima & sordidissima ministeria obire domi cogitur, domum vertere, purgamenta efferre, ligna congerere, & huiusmodi alia facere: Ipsum ob hoc ita dictum, quòd in media domo ad imperia omniũ nutusque excubare soleat. Sic ergò dictos putat *Mesonautas,* qui in media navi simili servitutis conditionem omnibus prçstò sunt Gothofredus Mesonautam intelligit eum, qui medium inter summos & imos locum teneat: Summos; ut proretas & gubernatores: Imos, ut Remiges: & qui aliis remigandi signum præbeat. Cui officio qui præsunt, hoc est, qui operam dant, ut Remiges pariter remis aquam pellant, Hyginio, dicuntur *ad pitylum sedere.* Est enim *pitylus,* fictitio nomine, sonus ille, quem remus illisus aquæ efficit, & Nautici pitylum vocant, cum ad *Celeuma* remigatur: sicuti Turnebus explicat *lib. 28. Adversar. cap. 43.* A Celeumate autem illo, Navigationis Moderator, quem Plautus *hortatorem* vocat, quod ea hortamenta faciat, quæ Græcis dicuntur Celeusmata, *Celeustes* fuit nuncupatus. de quo videri poterit Guilhelmus Budæus *ad d. l. 1. §. qui sunt igitur. ff. Naut. Caup. Stabul.* ubi non minus, atque apud Turnebum *loco citato,* varia officia nautica doctè & eleganter exposita invenire est. *Celeustes* autem, sive Hortator ille modum dabat classi, & imperabat Remigibus: ut, cum necesse erat, vel remigarent, vel desisterent: qui idcircò *Pausarius* dictus est Senecæ *Ep. 56.* atq; [illegible] qui Ovidio *Hortator est,* & Ælio S[illegible] *Portisculus.* Modum autem is dabat hortator [illegible] *voce:* Ovid. 3. *Metam.*

Mesonautam.

Mediastinus.

Ad pitylum sedere.

Celeustes Navis moderator.

Celeustæ officium.

Celeustes: Pausarius Portisculus.

Portiscu-[illegible] lus.

—requiemq́, modumq́,
Voce dabat Nautis, animorum hortator
Epepeus.

vel cantu, aut per Symphoniam: Ascanius *in divinat:* Cani remigibus celeusma per symphoniam solebat, & per assam vocem, hoc est, ore prolatam: &, ut in Agro navi *per cytharam*, Quintilium *libr.* 1.*cap.*14.siquidem remiges cantus hortatur, Censorinus *de die Natali cap.*12. denique, quo facilius sufferant laborem vel in navis metu à vectore symphonia adhibetur: vel denique *Malleo, qui portisculus.* Ælius Stilo: portisculus, qui in portu modum dat classi: & hortatio illa quoquomodo fieret, celeusma dicebatur: ut perquam doctè id explicat Savaro in *Notis ad Sidon. Apollinar. ep.* 10.*lib.* 2. Mesonautas porrò quod attinet, Mihi proprior vero videtur Alciati sententia, qua Mesonautas eos interpretatur, quos idem Vlpianus Græci· ναυτεπιβάτας dici ait *in l.ult.ff.de tit.* siquidem Noricam sequamur lectionem, quę sic habet: *Et quid, si quis sit ex his, quos vulgo μεσοναύτας Græci ναυτεπιβάτας dicunt.* ut sint Mesonautæ, qui navem inscendunt, & ne aliquid nauti nomine domino navis solvant pro vecturæ precio, ducendis remis operantur; ab ἐπιβαίνειν quod est inscendere. Vnde Epib[illegible], navis ascensorem significat: & ἐπιβάθρα [illegible] ἐπιβατικὴ, n. ves eidem Vlpiano contcensoriæ sive scansiles dicuntur, quæ trajicendis vectoribus aptę, vel transportandorum hominum causa factæ sunt, *l.*1. *§.igitur.*12. & ibi Budæus *ff. de Exercitor.act.* Aciat.*lib.*1.*parerg.c.*43. *&* *lib.*3.*Dispunct.c.* 21. Ant.Augustinus *libr.* 4. *emend.c.* 17.

Meso-nauta.

Sed redeo ad Pyxidem: quæ modò *Acus vel acicula marina*, modò *pyxis vel pyxidecula nautica*: sæpè etiam *Magnes* dicitur. Hanc Veteribus fuisse incognitam, omnes uno fatentur ore: quippe qua destituit vasto illi Oceano nunquam se ausi fuerint committere: uti nec absque remis & actuariis navibus navigârint: ideoque semper oras ferè terrarum legerint: ut *ad Tit.*1.*fol.*17.indicavimus. Quo fit, ut cum illi sese alveo mediterrano continuerint (nam sine acus marinæ usu, ut jam dicebamus, navigationem in alto Oceano institui non potuisse, disertè scribunt Petrus Ciezius *lib.* 2. *Histor.Indicat.cap.*9. & Gomara *lib.*1.*Hist. General.lib.Ind.*) Nostri beneficia pyxidos quotannis orbem terrarum crebris navigationibus obeant, & in alium orbem, ut ita dicam, colonias deducant: jam ut intimos recessus apertos habeamus, & exinde non modo mercatura abundans & quæstuosa evaserit; verum etiam omnes homines secum ipsi, & cum Republ.mundana, velut in una eademque Civitate mirabiliter conspirent, Iohannes Bodinus *in Methodo historiarum*, *c.*7.

Pyxis Veteribus incognita

Iam cùm vasti illius Oceani immensa sit & inscrutabilis profunditas, ut nullâ quantumvis maximâ funium copiâ fundus indagari queat, quemadmodum ab iis relatum est, qui mare id permearunt: ideoque dies noctesque, quamdiu ventus est secundus, cursus tenendus; obtinente autem malacia, consistere necessum sit, quandoquidem navigia mari illi accommoda, perinde ac naves actuariæ, remis non agantur: Consequens nimirum est, *Bolidis*, de qua tam multa ab anilium fabularum nugamentis non aliena commemorantur, usum ibi esse posse nullum: ut scilicet humus eâ eruatur, qua Navitæ, in quibus terris versentur, dignoscant. Est enim *Bolis*, instrumentum, trunculum pyramidalem formâ referens, & acuta parte perforatum: quod funibus attexitur. sebum verò ex altera parte applicantes in profundum demergunt Nautæ, quoties locum stationi idoneum nactos se esse putant. Cui si arena adhæserit, op-

Bolidis descriptio

ctet: Diametri autem orbis huius longitudo figuræ longitudinem non excedat. Habet autem orbis hic in medio æneum umbilicum affixum, ad eam formam factum, qua diximus regulæ medium fabricatum fuisse. Per umbilicum illud igitur styli cuspis immissa orbem hunc suspensum continet, qui non modo regulæ illius, de qua diximus, vice fungitur, sed omnes ventorum regiones, quorum flatibus navis impellitur, in conspectu proponit. In charta namque superiore Septentrio, & Auster, & Oriens, & Occidens, & interjectæ inter hos terminos regiones exactissimè describuntur. Normâ ad hũc modum constitutâ, hoc restabat incommodi, quod opus erat, quoties navis fluctibus agitata, ut fieri necesse est, ut puppim aut proram, aut in alterutram latus inclinaret, ut illa in profundo subsidens adhæresceret; neque motu libero in Septentriones dirigi posset. Ne autem hoc eveniret, fuit solertissimè excogitatum. Nàm vas ipsum paulò infra labrum circulo æneo arctè constringitur. Vtrinque autem ab eo circulo virgula chalybea ducta, in foramen alterius circuli majoris & exterioris, modico intervallo ab interiore distantis, immittitur. Virgulæ verò binæ ita sunt æquales & oppositæ, ut si ex utraque una & perpetua fieret, circularis illius spacii diametrum contineret. Exterior autem circulus circa duas illas virgulas quasi circum axem versatur. Rursus ab exteriore circulo aliæ binæ virgulæ pari intervallo ad ambitum alveoli cuiusdam orbiculati, intra quem hæc machinatio continetur, simili ratione perducuntur. Ita sunt autem hæ virgulæ exteriores interioribus ex adverso constitutæ, ut si duæ tantum ex illis quatuor directæ fierent, sese ad angulos rectos intersecarent. Cùm verò machinatio ex inferiore parte ænea & ponderosa sit, neque fundum attingat illum, ita undique pellitur, ut medium locum teneat. Et cùm pensilis exsistat, pondere suo nixa eâ ratione consistit, ut quamvis maximi fluctus navem jactet, ipsa semper ad libellam directa permaneat. Sic autem fit, ut nihil interveniat, quod normam ab eo motu, quo in Septentriones fertur, impedire queat. Hactenus Osorius. Cui consentanea scripsit P. Bellonus *l. b. 2. Singular. cap. 16.* & Pet. de Medina Hisp. *de arte navigandi lib. 6. in pr. & lib. 3. c. 7.* ubi eorum argumentis, qui chartæ marinæ usum in forma plana propterea rejiciunt, quod Mundus sit rotundus, respondet.

Alii pyxidis usus.

Nec verò solùm ad polos demonstrandos, nautico usui suam præstat opem ferreus obelus in pyxide: sed ferè ad infinita. Maximè cognitus est usus Magnetis in ferreis obelis in sciathericis horologiis. nam eis quiescentibus, stratam lineam ostendit illicò à Septentrione ad Austrum: undè à Gnomone cadentes umbræ diurnas horas demonstrabunt. Vtuntur & magnetino indice Metallici in venarum extensionibus. Nam subterraneis in specubus, in quo situ index, qui magnetem tetigerit, steterit, ab ea cœli parte extendi metallorum venas cognoscunt. Præterea iis, qui ædificiorum ichnographias, imò Vrbium, imò Regionum describunt, mirificum ministrant usum, dum situs anguli capiuntur, & in papyrum transferuntur. Vtimur præterea in aquis ducendis, in aquæductibus, qui sub terra excavantur; in antris perforandis: in excavandis cuniculis, inque his immissis tormentarii pulveris cumulis; & obstructis spiramentis, ad excidendas ab imo arces, rupes & mœnia, iter ostendente pyxide. Sed & duarum pyxidum nauticarum operâ; quæ quidem Alphabeto circumscriptæ sint, amico longè absenti, etiam carceribus occluso, poteris incumbentia nuntiare, &, ut amplius dicam,

dicam, pendent ex Magnete principia motus & alia mirabiliora: de quib. videatur Ioh. Baptista Porta *lib.7. Magiæ Naturalis.* Tanta ingitur cum sit Magnetis præstantia: nequaquam errasse putandus erit Bodinus, qui in tota rerum natura nihil eo esse admirabilius, & usum eius planè divinum dixit. *in Methodo histor. ar. cap.7.* cujus rei exactam rationem Magnus ille Scaliger aliam non reddit, quam se nescire. Nos enim in luce rerum tenui caligare, in mediocri cœcutire, in majori cœcos esse, in maxima insanire, *Exercit.131. ad Cardanum.* Nicander, & ex eo Plinius, appellatum autumant Magnetem ab inventore Magnete, armentario in Ida. Invenisse autem fertur clavis crepidarum & baculi cuspide hærentibus, cum armenta pasceret. Plinius *lib.36. cap.16.* Hinc navigia Indis ac Æthiopibus nec pice lita dicuntur, nec compacta ferro, sed laqueis arctata. Caussam facti augurantur nonnulli; quia insint in eo mari ferrum ad se pertrahentes petræ. Id haud videtur verum: quoniam Romanorum classibus illic res gerentibus, nil obvenit eiusmodi. Potior ratio, quæ de metalli promitur inopia. Sed nec aliunde invehi licet, quando ne fiat morte caveri traditur à Cœlio Rhodigino *lib.18. Antiquar. lection. cap.31. in fin.* respiciente fortassis ad Marciani Imperatoris Constitutionem, qua capitalem pœnam, bonis etiam Fisco addictis, subire decernitur, qui nedum cuiusque generis arma, sed & ferri vel facti jam, vel adhuc infecti quippiam hostibus ausus fuerit venundare. Perniciosum namque Romano Imperio, & proditioni proximum est (inquit) Barbaros, quos indigere convenit, telis, ut validiores fiant, instruere. *l.2. C. quæ res export. non deb.* Ideoque nec animalia ad hostes licet traducere, quamvis *Alabarchiæ* vectigal, quod pro transductione pecorum alioquin inferri solet, fuerit remissum. *l. usurpationem.9. C. de vectigal.* Iacobus Cujacius *lib.8. Observationum, cap.37.* & nec vinum, oleum, aut liquamen, ne gustus quidem causâ eò transferre. *per tex. in l.1. C. quæ res export. non deb.* ne eiusmodi liquoris gustu admoniti Barbari arma in eos vertant; ideoque eas regiones armis invadere studeant, unde sibi id liquaminis comparare possint. Sic enim Longobardos legimus à Narsete in Italiam pellectos, & Gallos ab Hetruscis, ut ex Livio *lib.5.* Andr. Alciatus probè observavit *lib... Dispunct. c.11.*

Magnetis usus divinus.

ejus inventio.

Arma, merces & annona ad hostes non exportanda

Alabarchia.

Memini me de Navigationis periculo aliquid dixisse *libr.1. Tit. de Nav. Trire. & Quadrirem.* quibus addendum omninò est, quod *Sapientiæ 14. vers.5.* dicitur. Navigantes exiguo ligno animas suas credere. Quod ipsum in memoriam mihi revocat illud Anacharsis: qui, dum interrogasset quendam, quanta esset spissitudo tabularum nauticarum: atque is, quatuor digitorum, respondisset: Tantillum, inquit, absunt à morte, qui navigant: Id pulcherrimis versibus expressit Iuvenalis *Satyr.12.*

Navigantium pericul.

Anacharsis.

I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confisus ligno digitis à morte remotus
Quattuor, aut septem si sit latissima.

Idem itaque Anacharsis roganti, Utrùm plures arbitraretur esse Mortuos, an vivos? Navigantes, & ipse quærendo respondit, utro in numero ponis? dubitans nimirum, an inter vivos essent habendi, qui vitam undarum ac ventorum arbitrio commisissent: ut est apud Plutarchum *in Apophthegm.* Neque enim omnes & navigandi pollent arte, qua *Ericus* Gothorum Rex: qui quocunq; verterat pileū inde vētum prosperū eliciebat, & in quā volebat subito asportabatur regionē. Ioh. Magn. *li.47. Goth. hist.* Mart. del-Rio *li.2 dis. Mag. q.9. s.11 & q.16. s.1,3.* Hinc Cato Censorius dicere consuevit, Trium, quæ in vita egis-

Ericus.

Cato.

egiſſet, ſe imprimis pœnitere: quod arcana fœminæ credidiſſet: ſi quis ſibi dies absq; fructu effluxiſſet: ſi quopiam navigio vectus eſſet, quo pedeſtri itinere pervenire licuiſſet; ſentiens periculoſam admodum eſſe Navigationem. Cui qui ſe commiſit, & mare turgidum tentavit, nullum mortis quantumvis immanem impetum videtur reformidare.

Et propè tàm lethum, quam propè cernit aquam,

ut canebat Ovidius. Id Navigantium periculum ſignificantiùs etiam expreſſurus Regius propheta David: Aſcendunt, inquit, uſque ad cœlos, & deſcendunt uſque ad abyſſos: anima eorum in malis tabeſcit. Turbati ſunt, & moti ſunt, ſicut Ebrius: & omnis ſapientia eorum devorata eſt, *Pſalm.* 107. *verſ.* 26.27. ut meritò, qui per mare iturus eſt, in mortis periculo dicatur conſtitutus, quod tamen, quoad juris effectum, ex iis interpretationem capit, quæ tradidit Iacobus Menochius *de Arbitrar. Iudic. libr.* 2 *caſu* 61. Plurimam namque refert, quo tempore ſuſcepta ſit navigatio, Vtrùm cùm aperta, an verò clauſa adhuc eſſent maria. Quod ipſum ex Vegetio, de Menſibus loquente, quibus tutius navigatur, liquido cognoſcitur, *lib.* 4. Et die (inquit) tertia Iduum Novembr. uſque ad diem ſextum Iduum Martii, maria clauduntur. Nam lux minima, noxque prolixa, nubium denſitas, aeris obſcuritas; ventorum, imbrium vel nivium geminata ſævitia, non ſolum claſſes à pelago, ſed etiam commeantes terreſtri itinere deturbat: Poſt natalem verò, ut ita dicam, navigationis, qui ſolenni certamine publicoque ſpectaculo multarum gentium celebratur, plurimorum ſiderum: ipſiusque temporis ratione uſque in Idus Majas periculosè maria tentantur. Ex quibus verbis collectu facile eſt, quamdiu maria dicantur clauſa.

Davides.

Navigat. tempore.

Mare clauſum.

Rurſus aperta ea voluit Gratianus cum Valent. & Theodoſio à KL. Aprilis, uſque ad diem KL. Octobris: tutam enim habitam iri, quæ intra id tempus ſuſcepta fuerit Navigatio, ſatis innuit text. *in l. quoties.* 3. *de Naufrag. lib.* 11. Qua in re obſervandum eſt. *Navigationis natalem* Vegetio intelligi tempus Vernum, quo Mare, quod ob hyemis ſævitiam clauſum fuerit, navigantibus primum aperiebatur, quo tempore quæ inſtituebatur, prima dicebatur Navigatio. Docet id Cicero *lib.* 2. *ep.* 6. *ad Q. Fratrem* his verbis: Idem ajebant, nunciare te *prima Navigatione* transmiſſurum. Nam paulò ante dixerat: atque adhuc *clauſum* mare ſcio fuiſſe. Item *ep.* 4. Tu mi frater, ſimul ac ille venerit, *primam navigationem*, dummodo idonea tempeſtas ſit, ne omiſeris. Licet id verbi aliter etiam poſſit accipi, ut Turneb. tradidit, *lib.* 24. *Adverſ. c.* 34.

Apertum

Natalis navigationis.

Navigatio prima quæ dicatur.

Vtilis verò cumprimis erit illa Temporis diſtinctio, in condemnando vel abſolvendo Nauta pro mercibus ſubmerſis & naufragis. Nam ſi pelago merces is commiſerit, congruo navigationis tempore; culpam commiſiſſe non intelligitur, licet merces cum navi perierint. *l. utique.* 16. *ff. de rei vindic.* ſecus ſi tempore adverſo (hoc eſt, non debito) navigatum iverit, & res naufragio perempta ſit: tenebitur mercatoribus ex amiſſione, non ſecus ac ſi imperitum magiſtrum Navis exercitio præpoſuiſſet. *d. l.* 3. *& d. l. utiq.* 16. *in fin. l. qui petitorio.* 36. *in fin ff. de rei vindic. l. item quæritur.* 13. ibi, vel quo non debuit tempore. *& ſeq. ff. Locati.*

Nauta quando mercibus ſubmerſis conveniatur.

Quòd ſi quis tamen vel Naufragum, vel Naufragium dolo malo ſuppreſſerit, pœnam Leg. Corneliæ incurret. *l. eiuſdem* 3. *§ item* 11. *ff. ad L. Corn. de ſicar.* Eſt autem *Naufragum* ſupprimere (ita enim, & non *Naufragium* legit Budæus) hominem è naufragio errabundum arripere, & in vin-

Pœna ſupprimentis naufragium.

regalia. Hoc amplius Imperator *l.50.* pessimum & sacrilegium vocat, qui se istiusmodi lucro mancipiat: quia quasi mortuos spoliat *Novell.64.* quo ipso tamen inventæ, vel adversatæ rei retentio propter impensas, vel propter εὕρετρα, sive inventionis præmia (quæ etiam *Indicinæ præmia* cum Apulejo *libro 7.* vocare possis *l. falsus creditor. 43. §. quid ergo, 9. ff. de furtis*) minimè comprehenditur. Hoc enim *solatium*, ut Vlpianus vocat *in l. venditur. 13. §. 1. ff. commun. prædior.* Inventoribus præstari utile fuerit, ut Insulani ea spe adferendas suppetias incitentur, *arg. l. 1. §. 1. & l. 3. in fin. de Ruin. Incend. & Naufr.* cum rebus suis quas infortunium reliquit, congrua securitate lætentur *c. 1. extr. de Treuga & pace. l. 3. C. de Navicul.* Ioh. Griphian. *d. c. 31. n. 136.*

Indicinæ præmium

Naufragi cur subito canescant.

Facit enim Naufragii, quam ob oculos versantem Mortis imaginem rectè dixeris, periculum, ut compertum sit aliquoties, eos qui ex illo præter spem salvi enatarunt, repentè canos evasisse. Hinc Artemidorus in somniorum interpretatione, Rasuræ somnium ait: Navigantibus naufragium. Ærotis, extremum vitæ discrimen, citra tamen mortem portendere: eò quòd Naufragi, & à diuturno morbo se colligentes, radi consueverint: ut rasurâ periculi magnitudinem aliis testatam faciant. Ioh. Pierius *lib. 32. Hieroglyph.* Indubitatum verò est, nulla re citius promoveri canitiē, quàm curis, mœrore, & metu. Commemorantur enim nonnulli, qui in præruptas rupes aucupii gratiâ, funis ope pervaserant, soluto eo aut delapso, desperabundos præproperam canitiem accersivisse. Nec indigna memoratu est historia, quam sibi olim à Francisco Dilpho, Cæsareæ Majestatis ad Serenissimum Angliæ Regem tum temporis Oratore narratam scribit Hadrian. Iunius *in tractat. de Coma, cap. 10.* Ea sic habet: Hispanus nomine Didacus sive Diegus Osorius, nobilissima familia ortus, aulicæ puellæ amore captus, communicato prius cum ea consilio, in patula labore & frondosa absconderat se (ea crescat in Hispaniis intra regii hortis septa.) Interim fortuito catelli melitæi latratu prodita colloquii fides, Satellitum manui illum objecit. Comprehensus, carcerique inclusus, quod capitale fuerat illic deprehendi, dictatâ ultimâ sententiâ ita inhorruit totus, ut Nox unica Iuvenem eundem & Senem incanum viderit. Quo spectaculo motus Carcerarius, delato ad Ferrandum regem Catholicum prodigiosæ rei indicio, effecit, ut, capitalis legis rigore in benignitatem converso, Rex illum absolverit, dictitans pœnarum satis dedisse, qui præmaturam senectutem cum Iuventæ flore commutasset. Similem historiam, quantum quidem ad insperatam Canitiem, audivi à quodā fide dignissimo: qui mihi pro certo adfirmabat, quendam fabrum in Hassia, cùm nocturno itinere à Cacodæmone sævissimè habitus esse ad auroram usque, unâ nocte caniciem spectabilem contraxisse metu.

Navigātes cur nauseant.

Verùm ad Navigantes redeo: quibus cùm ille ipse quem dixi Timor, cum etiam Odoratus inprimis nauseam quoque cōcitare solet. Odorem enim insuetum graviter sentimus: deque futuro ampliùs solliciti sumus, præsenti haud satis fidentes tranquillitati, proinde æstuans animus ac fluctuans; corpus simul concitare replet perturbatione. Propterea *primo Canonis* Avicenna Mari (inquit) commeantibus plerumq; accidit vertigo & corporis devolutio insimul sed & vomitus, fastidiente stomacho: mox tamen resident omnia. Cæterū ejusmodi haudquaquā vomitum retundendū substringendumve, Medicæ scientiæ decretum est. quoniam adversus ægritudinis multas præmunitio fit. quod

ex Medicorum disciplina tradidit Cœlius Rhodiginus *lib.26.cap.13.* Ex cujus insuper *lib. 27.cap. 17.* dicimos, Naufragos, vel in aqua pereuntes, primò quidem ima petere; mox ubi computrescere cœperint, emergere ac fluitare. Tabescens quidem cadaver spirituosum fit; aër verò præfarctis poris ac meatibus nec non pulmonis cavitatibus, qua βρόγχια dicuntur, levissimum illud efficit, adeo ut supernatare valeat. Proinde mandatum literis est, quendam in mari grassantem, cùm id sciret, consuevisse eorum, quos enecasset pulmonem concidere, atque ita demum in aquam projicere, quod ita affectos comperisset non emergere. Quibus & hoc addo, si quando naufraga defunctorum cadavera fluctibus evehuntur; fœminarum prona fluitare; virorum supina: velut ipsâ Naturâ pudoris disciplinam inter defunctorum corpora discernente. quod ex Plinio *lib. 7. cap. 17.* & Solino *cap. 5.* Annæus Robertus Aurelius scriptum reliquit, Magnam quidem esse docens apud omnes castitatis commendationem: pudorem tamen & continentiam in mulieribus & puellis multò potiùs, quàm in viris requiri *lib. 3. Rerum Iudicatarum, cap 6.*

In aqua pereuntes primo ima petũt. postea emergunt

Fœmina cadaver pronum fluitat, viri supinum.

Nec abs re fuerit, si veluti coronidis loco & de *Natatoria* sive natandi arte pauca adjecero: quæ vel Aristotelis arbitrio *libr. 7. politicor. cap. 17.* Veteribus adeò utilis fuit habita, ut eâ Iuvenes suos robustiores fore crediderint, ad graviores quosq; labores perferendos. Quinimò probri loco eius ponebatur inscitia. Sic enim in liberos deploratos habebat proverbium: *Neque natare, neq; literas didicit.* Et quidem si Iulius Cæsar natandi fuisset imperitus; neque vitam, neque commentarios suos salvos unquam conservasset: dum in mare præcipitem se dare coactus, & nando ultra ducentos passus conficere: ut in navim propinquam se reciperet, & à nimis, subitaneo ac improviso hostium incursu se in Alexandria defenderet. Taceo Q. Sertorium & M. Scævolam: quorum uterque sola benè natandi arte, quidem armis induti, hostium impressionem evaserunt. Apud Agrigentinos certè, qui suo tempore omnes alios deliciarum cultu & sumptuum profusione ita superabant, ut non dubitaverit Plato de illis scribere: *Perinde Agrigentinos ædificare, ac si victuri perpetuò forent, atemq; convivari, ac si semper morituri*: iidem, inquam, Agrigentini in honorem *Gelonis* ædificari curabant magnis impensis & sumptibus *Natatoriam*, cuius ambitus septem stadia continebat: profunditas verò erat viginti cubitorum: In quam derivatæ multæ aquæ fluviatiles, & rivuli fontanei, ad aquam vividiorem reddendam, decurrebãt. Cygnorum præterea copia, & varia piscium genera adspectu pulchriorem & amœniorem reddebant locum: ita ut *Natatoria* illa inter miracula mundi eo tempore relata fuerit. à qua non procul recesserit pulcherrima illa *Natatoria* à Sidonio Apollinari graphicè descripta *Ep. 2. lib. 2.* Per cuius exteriora latera (præter cæterũ cultũ & ornatum eximiũ) sex fistulæ fluvium de supercilio montis eliciunt, canalibusq; circumactis Leonum simulatis capitib. effundebant: quæ temerè ingressis veras dentium crates, meros oculorum furores, certas cervicum jubas imaginabantur. Ex quo, inter alia, & hoc notandum, consuevisse plerunq; matrices & capita fistularum *leonini capitis* effigiem prætulisse, fluctus aquarum ex ore vomentis. Ideò fortasse, quod aquæ abundantissimè fluunt, leone solem transeunte. Plutarch. *lib. 4. sympos. problem. 5.* Plin. *lib. 5. c. 9.* Tale est Epigram. non inelegans Ennodii de leone marmoreo, aquam in domo emittente:

Natatoria.

Iul. Cæsar

Q. Sertor. M. Scævola.

Agrigentini.

Natator Appolin.

Fistularũ capita cur Leonini capitis effigiem referant.

Adspice deposita blandum feritate leonem,
Ore vomit lymphas, pectoris obsequio.

Vnde

Vnde fluit rostro, dens mortis pocula mandit
Naturam perdens bellua, nos satiat.
Effera dum vitreos effundunt guttura fontes
Dira salutiferis corda lavantur aquis.

Quod ad illum Apollinaris locum adducit Savaro. Sed, ut nihil in hoc vniverso perpetuum, tantum & illa quoque diu neglecta computruit & collapsa est. ut ex Athenæo *lib.* 12. *cap.* 2. & Diodoro *lib.* 11. *c.* 1. Ioh. Quercetan. retulit in suo Diætetico Polyhistorico, *Section.* 2. *cap.* 11. Natatoribus quam proximè accedunt Vrinatores, quorum & Vlpian. meminit *in L. novis.* 4. *§.* 1. *ff. ad L. Rhodiam. de jactu.*

Vrinatores.

Qui maris exportant prædas, & rapto profundo
Naufragio atq; imas avidi scrutantur arenas.

ut describit Manil. *lib.* 5. vel ut Lucan. *lib.* 3.

---Qui norunt animam servare sub undis
Scrutariq; fretum, si quid marcessit arenis
Adductum quoties non auferat anchora funem.

Cuiusmodi aliquot recenset Alex. ab Alexand. *lib.* 2. *dier. Genial. c.* 21. quos tamen gratis in præsentiarum vitæ discrimen nemo induxerit, ex Iohan. Gryphiandri sententia *de Insulis c.* 31. *n.* 138. Sane ubicunque navigia maxima excipi ad navigandum possunt, humanis oculis penetrari maris imum nulla ratione potest. Id enim Ælianus scribit, quod ob crassitiem aquæ maritimæ ipsæ sibi plurimam obscuritatem pariant, adeò ut humanus visus nequeat interiora eius pertingere ultra passus triginta: ulterius verò, sive quiescant sive innatent pisces, feræve aliæ marinæ aut jaceant demersæ naves, nulla vis spectandi superest, *lib.* 3. *c.* 35. At è contrà urinatores, & qui natandi peritiam callent, ex imo, quàtumvis profundo mari solem, lunamve, aut navigia luminave spectare possunt. Qua ex re illud efficitur admirabile, ut aquæ, tum maritimæ, tum fluviatiles, aut quæ lacubus continentur, cum tamen solidiore iactu sint, quàm nobis ipsæ aut nebulæ, orbem Solarem lunaremve nunquam iis impediant, qui in imo sunt, tametsi à superficie absunt multis passuum millibus: cum tamen parva nobis aut nebula, quæ nec unius quidem stadii altitudinem habet, objecta soli lunæve, aut cuivis lumini ne spectari ab homine possit, impediat. Res equidem mira! Quod minora impedimenta & longè rariora, lucem videri non permittant: solidiora verò permittant. Sed rationem eius ex Plinio perquàm doctè exponit Simon Majolus *part.* 1. *dier. cantic. colloq.* 10. *fol.* 372. *& seqq.* Ex quo de moribus eorum, qui rebus nauticis dediti sunt, lubet conjicere. Nautas certè improbum genus hominum vocari ab Vlpiano constat *in l.* 3. *§.* 1. *ff. Nautæ, Caupones, Stabularii*, fures marinos ab Imperatore *in Novell.* 134. *cap.* 13. *circa finem, & fures maritimos* ab Erasmo *in colloquio*: de quibus Theodoricus Rex apud Cassiodor. *cap.* 183. *in Vicario portus.* Arte placandi sunt, qui mores afferunt venti simillimos. Inde jocus, de tribus nequam juris Civilis *in d. Rub. naut. Caupon. stabul.* quibus si & *piscatores* adnumeraveris, non mulum forte erraveris. Quippe quos & ipsos fures marinos Plautus vocat *in Rudente act.* 2. *scen.* 2. Qui omnes, quia codice circa mare versantur, ideò duri & laborum periculorumq; patientissimi redduntur. Vnde homines duros & feroces, sive immanes & alienos ac omni humanitate, Neptuni filios dixerunt, monente id Gellio *libr.* 15. *Noct. Attic. cap.* 21. Plautus quoque mores aggrestes appellat *maritimos*, imo potius *inconstantes*, quod mare vicibus æstuariis accedat recedatq, verba Plauti habent.

Pecunia conducti.

Visus humanus quatenus mare penetrat.

Nautarum mores improbi.

Et piscatorum.

Ita me amor lassum animi ludificat, fugat, agit, appetit.

Raptat, retinet, lactat, largitur, quod dat, non dat, deludit,
Modo quod suasit, dissuadet, quod dissuasit, id ostentat,
Maritimis moribus mecum experitur, ita meum frangit amantem
Animum.

Et quæ præterea *Alcesimarchi* adolescentis de amore instituta est lamentatio *in Cistellaria act. 2. scen. 1.*

Aëris certè qualitate, quo in plerisque locis frigidiore & tristiore utuntur quidam, morum austeritatem sivè diversitatem conciliari, indubitanter asserit Polybius *lib. 4. cap. 11.* Cum ita sit natura comparatum, ut cœlo habitationis consimiles necessario omnes evadamus. Hæc namque, non alia causa ulla est, cur pro varietate nationum, & ut quæque longissimis distant intervallis, ita plurimum invicem moribus, formis, coloribus, maxima denique parte institutorum mortales differamus. Divinus quoq; *Plato*, adstipulante discipulo *Aristotele* tradit, à vita moribusque singulorum proficisci ut totæ nationes existimentur huius aut illius ingenii esse. Appellat enim Thraces & Scythas, deniq; omnes nationes, quæ ad superiorem locum vergunt, iracundas animique plenas. Asiatici, qui ad solis ortum expositi sunt, ingenio excellunt, artes eximie tractant, factiad hoc à natura. Hinc Flavius Vegetius *lib. 1. de re militari cap. 2.* Plaga cœli, *inquit*, ad robur non tantum corporis, sed etiam animorum plurimum valet. *Et mox* omnes nationes, quę vicinę sũt soli, nimio calore siccitas, amplius quidem sapere, sed minus habere sanguinis dicunt: ac propterea constantiam ac fiduciam cominus non habere pugnandi: quia metuunt vulnera, qui se exiguum sanguinem habere noverunt. Vnde & in sacra pagina testimonium perhibetur Salomonis, qui sapientia sua sapientem omnium *Orientalium* & Ægyptiorum superarit. *3. Reg. 4. v. 30.* Vbi nulla Septentrionalium; Occidentalium nulla mentio. Ratio porrò Physica est, ut quis est puriùs cœlum acutiore sint ingenio: quia actus mentis ex calore nascitur. Vnde & æstate ait doctissimus *Melchior Guilandinus* professor Botan. Patavinus) veriora, quam hyeme contemplamur, quia brumâ ex aeris intemperie hebetiores sumus, & frigore pinguiores evadimus. Neque tamen negandum, quod Satyricus cecinit:

Magnos posse viros, & magna exempla daturos
Vervecum in patria crassoq; sub aere nasci.

Inde *Apulei.* vetustissimus scriptor. Quando non in omnibus, inquit gentibus, varia ingenia pro venere? quanquam videntur quædam stultitia vel solertia superiores, apud socordissimos Scythas *Anacharsis* sapiens natus est: apud Athenienses *miles idem factus est in apolog.* Idque latius examinat Dr. Remus *in Notis ad Themistium pag. 217. & seqq.*

Morum diversitas ex aeris intẽperie

DE TYPOGRAPHIA TIT. XII.

Typographia inventio.

N*Otatu quoq; digna est Typographia inventio: quæ in Germania reperta fuit anno 1440. Et invaluit opinio, quendam per Mare Germanicum & Balthicum navigantem, in Regionem Chinensium, qui olim Seres dicebantur, fuisse delatum; eundemq;, cui Lusitani cum celocibus suis se ad unxerant, animadvertisse, imprimendi artem sibi exerceri. Visis itaq; & probè consideratis typis ac formis illis, in Germaniam reversum, similem Calco-*

eius utilitas.

graphiam concinnasse. quæ maximo nobis hodie & adiumento est & lucro: quandoquidem olim omnia necessum esset calamo adscriberentur. quem in usum multa constituta erant tabernæ, in quibus nihil agebatur aliud, quam ut scriberetur. Id quod multi laboris erat & sumptuum, ei præsertim, qui libros sibi comparabat. Ego paginas aliquot vidi Chinæ impressas: etsi memoriæ proditum non est, unquam ibi Typographiam exstitisse.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Typographia commẽtatio.

QVod de Papyro & Charta scripsit Plinius, ejus usu maximè humanitatem vitæ constare & memoriam, *libr.* 13. *cap.* 11. id non minùs verè de Typographia quoque dixeris. quam enim miram typis excudendorum librorum artem, nulli nec utilitate, nec dignitate, nec subtilitate secundum Cardanus dixit *libr.* 17. *de artibus & artificiosisque rebus*, & quam unam cum omnibus omnium Veterum inventis certare facilè posse, Iohan. Bodin. censuit *in Methodo histor. cap.* 7. quinimò si Stephano Forcatulo credimus, non dubium est, superatam Rerum naturæ ferè munificentiam, excogitata librorum excudendorum ratione: cuius inventum, si verum fatemur, nullo vitæ miraculo postponendum, nec novem quidem Musæ æquabant, licet cuilibet suæ artis disciplinæve institutionem Veteres assignaverint. Forcatul. *lib.* 4. *de Imper. & Philos. Gallor.* Ipsemet quoque Philippus Melanchthon hoc artificium ait esse donum divinitus generi humano communicatum, hoc senescentis mundi, vel potiùs ætate jam effœti ac fatiscentis sæculo, ut renascentis in Ecclesia sincerioris doctrinæ & aliarum necessariarum artium studia, prolatis in lucem è tenebris omnis generis codicibus vetustis, instruerentur copiosa supellectile optimorum Scriptorum, quorum fuit auctoritas ἀξιόπιστος, & sublevatur imbecillitas & ignavia hominum fatali languore torpescentium. *libr.* 5. *Chronic. sub. Friderico III. circa fin.* Effectum etiam hac industria est, ut, qui semel in lucem prodierunt libri, non possint deinceps oblivione posteritatis prorsus exstingui. Vt non desint, qui artem hanc omnium artium conservatricem dicant Sibyllino carmine jam olim prædictam, in quo vates illa Antichristum lino periturum cecinit: dignam meherculè, cui non minùs, imò verò magis etiam parcatur, quàm Protogenis tabulæ: quam ne cremaret Demetrius Rex, *Expugnator* cognominatus, ab ea muri parte locatam, qua excellens pictura nimis patebat obsidionis violentiæ, Rhodum incedere noluit Plinius *lib.* 7. *cap.* 38. *Sibyllarum* autem (quod probè notandum censeo) carmina, ut & libri *Mercurii Trismegisti*, à multis æstimantur plurimi, & vel eo inprimis nomine, quod de *mysterio sanctæ Triados ἐν σαρκώσεως τοῦ λόγου, de officio Christi, de redemptione hominum, de regeneratione, & de aliis Christianæ fidei oraculis* multa disertè tradunt, ut judicare licet ex singularum vaticiniis à Iosepho passim expressis in tractatu *de statu marital. fol.* 46. *cum seqq.* Sed nunc ea propter vaticinia & libri isti suspecti sunt. Quæso an Sibyllis aliisq; in gentilitate tam profunda mysteria Deus clarius exposuerit, quam Iudæis peculio suo? Nemo dixerit. At verò hi per umbratiles rerum futurarum typos ad Christum ducebantur: nec tam perspicuis verbis audiebantur de mysterio Triados, redemptionis nostræ, & similibus: qualia de iisdem fundũt Sibyllæ & Mercurius

Sybillarũ vaticinia falso illis adscripta

est, ante id temporis artem hanc potiùs tentatam, quàm in effectum deductam fuisse: sive idem cum Fustio Gutembergius, sive diversus ab eo fuerit. Certè in Purbachii tabulis Ars ea saltem tentata appellatur. Vtut sit: Germanis inventionem hanc unanimi omnium consensu semper attributam esse constat, paucos quosdam excipio, qui sola stimulati invidia, ut Genti nostræ laudem hanc irent ereptum, nihil fecerunt reliqui; nō dissimiles Gryphis Indicis, qui ut Ctesias scribit, aurum jugiter effodiunt, illo nunquam usuri, & tamē Bactros aliosq; homines Indis finitimos studiose ab auro arcent, ut est apud Ælianum *lib.4. de histor. animal. cap.27.* Sic cùm isti laudem hanc vindicare sibi non audeant, nobis invidendo detrahunt; instar meretriculæ illius, quæ nec sibi, nec collitiganti mulieri salvum volebat esse filium, *3. Reg.3.* Sed quid dicant videamus. Ait ergò Ioh. Petrus Maffejus *histor. Indicar. lib. 6. fol.256.* Chinenses literas imaginesque subjectis prælo typis excudere, (quibus commentis Europa recentibus adeò gloriatur) vetustissimo in usu apud Chinas esse compertum est. *Gratias ab Horto* autem typographiam ait tam vetustam, & semper apud Chinenses usurpatam esse, ut omnem hominum memoriam superet. *libr. 2. Aromat. apud Indos nascent. cap.38.* Ioh. Consalvus Mendoza, artem istam unà cum ipso regno Chinæ habuisse principium, & inventam à quodam, quem incolæ instar Numinis venerentur. Idem tamen *Mendoza* mendacii huius sui parum memor, paucis interjectis lineis, quingentis plùs minùs annis Impressoriam artem Chinensib. scribit in usu fuisse, antequam à Germanis usurpari cœperit. Quod si ita est, Regnum utriq; Chinensium, quos *Seres* nominavit antiquitas, ultra sexcentos annos non ita multum duraverit, contra omnium historicorum fidem, quibus Seres inter populos satis vetustos recensentur: refragrante etiam Pancirollo nostro qui regnante Iustiniano, Serici vermiculi ova Constantinopolim allata fuisse scribit, *Tit.24.* At constat, Iustinianum anno post Christum natum quingentesimo sexagesimo quinto in humanis esse desiisse. Longè ergò antiquius sexcētis annis Chinentium regnum sit oportet. Sed succenturiatus his adstipulatur Iovius, dum *libr. 14. historiar.* Quod maximè (ait) mirandum videtur, in India sunt Typographiæ artifices, qui libros (in quibus historiæ & sacrorum ceremoniæ continentur) more nostro imprimant, quorum longissima folia introrsus quadrata scire replicantur. Cuius generis volumen à Rege Lusitaniæ cum Elephanto dono missum, Leo Pontifex humaniter nobis ostendit. Id genus pagellas clarius etiam describit *Maffeius*, his verbis: Ad scribendum arctas & oblongas adhibent è levi admodum ac tenui papyro pagellas: neque versus ab læva ad dextram ut Græci: neque ab dextra ad lævam, ut Hebræi; sed ad imum ab summo producunt; cuius generis impressum volumen, atque inde transmissum Romæ in Vaticano, itemque in Laurentiana Philippi Regis bibliotheca videre me memini. Hæc ille. Quib. tamen quid aliud efficiunt, quàm etiam alibi, extra Europam, Typographiam fuisse in usu? Num ergò Germanos hanc in Europa invenisse negabunt? quod certè inde non consequitur; neque etiam hoc illis largior, qui sciam nihil incommodi esse, rem unam eademque, & Novam & Veterem censeri, relatione ad diversos populos. Sic namque lues Venerea in Europa, Asia, Africa, vix centenaria esse cognoscitur, quæ Americam jam à mille amplius annis exercet. Idem potuisse Typographiæ accidere, quid vetat? *Vetus* ergò hæc sit,

Gryphi Indici.

Chinenses Typographiam excoluerunt.

Typogr. & Vetus & Novus.

sit respectu ad Chinenses habito: at *Nova* dicatur, quatenus à Gutembergio Moguntiæ est excogitata. Sed dices, Eam à Chinensibus in Germaniam derivatam. Dicit herclè verè *Mendoza*, dicit & Iovius, per Scythas & Moschos, ad incomparabile literarum præsidium, ad nos pervenisse. At quibus argumentis? Mendoza ait, Chinenses hoc affirmare: Iovius, se facilè id credere. Quid si Chinenses hoc affirmare non credam? nam ut ipsemet hos percontet, loci vetat distantia: neque consilium est, ut faciam. quid si nec quod tu credis, Iovi, credam? nec etiam tibi ipsi? cùm sciam quàm dubia & suspecta tua fides sit. Audiamus Iohan Bodinum, gravissimum auctorem. Cùm rogaretur Iovius (inquit Bodinus *in Methodo histor. c. 4.*) cur simularet falsa, vera dissimularet? amicorum gratiâ id à se factum respondit. Ac tametsi superstites intelligeret suis scriptis fidem derogaturos: ea tamen intelligebat infinitæ posteritati credibilia fore, quę sibi suisque popularibus laudem essent allatura. Illud certè sempiternam memoriam testatum reliquit *Goræus* Parisiensis, qui, quas finxit *Amadisi* fabulas, non minùs veras ac probabiles, quam Iovii scripta fore confidit. Ferendum quidem esset, si pro salute Reipub. mentiretur: id quod Magistratibus Xenophon & Plato permiserunt: sed assentationis causa mentiri, cùm omnibus turpe, tùm verò historicis turpissimum, &c. De his igitur quid statuendum sit, æquus æstimabit Lector. Cæterùm quantopere typorum exprimendorum ratio Chinensibus familiaris, à nostra dissideat, ex *Antonio Pantogia*, *αὐτόπτῃ*, veluti teste; cernere liceat, cujus equidem verba ex Italica in Latinam linguam à Caspare Ens *part. 2. Thesauri politic. apotelesmate 40. pag. 169.* feliciter traducta, huic apponere visum. Chinenses, inquit, non conjungunt literas more nostro; sed in singula folia tabulam formant, quæ utrinque characteres habet: quod etsi perquam laboriosum videbitur; Sunt tamen in eo celeres & expediti, neque carò suo existimant. Solent quoq; candidas literas formare in nigro, qua in re nostras antecellunt: etsi in illo concedunt. Ad hoc utuntur literis lapidis, qui nō gerunt characteres universos, quo rectè exprimātur in chartas, sed cum in lapide tum in charta eundem situm habent. Id autem faciunt, humefacta in principio chartâ ac lapidi imposita. Quam ubi leviter re aliqua minimè dura tendidem impulerunt, sensim in typorum lacunas jungunt, dum eæ partes reliqua parte sunt depressiores; tum verò chartam atramento tingunt: quod quia ima literarum non alluit, candidæ illæ manent. Illud mirere magis, ipsum enim Hadrianum Iunium Germanis Typographiæ inventionem non tantùm voluisse ereptum ire, sed & Moguntiacum insuper Faustum illum, qui primus ejus auctor passim audit, plagii manifestò insimulasse, & recidivam hanc divinæ istius artis laudem Batavis suis, & ex his civi cuidam Harlemensi, summâ confidentiâ adserere non dubitasse, *in Bataviæ histor. cap. 17.* Cujus verba quid vetat hic adscribere? Habitavit (inquit) ante annos centum duodetriginta (scripsit autem hanc historiam Iunius anno 1575.) Harlemi, ædibus satis splendidis foro imminentibus è regione Palatii Regalis, LAURENTIUS Iohannes, cognomento *Ædituus Custosve*, (quod tunc optimum & honorificum munus familia eo nomine clara hæreditario jure possidebat.) Is forte in suburbano nemore spatiatus, cœpit faginos cortices principio literarum typos conformare: quibus inversa ratione sigillatim chartæ impressis, versiculum unum atque alterum animi gratia ducebat, nepotibus Generi sui

An à Chinensib. ad Germanos propagata.

Iovii fides non historica.

Impressoria artis apud Chinens. qua forma.

Literæ lapideæ.

Hadr. Iun.

Laurent. Ædituus.

sui liberis exemplum futurum. Quod ubi feliciter successerat, cœpit animo altiora agitare: primumque omnium atramenti scriptorii genus glutinosius tenaciusque, quod vulgare lituras trahere experiretur, eum Genero suo *Thōa Petro*, qui quaternos liberos reliquit, omnes fermè Consulari dignitate functos (quod eò se dicere ait; ut artem in familia honesta & ingenua, haud servili, natam intelligāt omnes) excogitavit, inde etiam pineces totas figuratas additis characterib. expressit, quo in genere vidisse se ait, ac ipso excusa Adversaria, operarum rudimentum, paginis solùm adversis, haud opisthographis. Is liber erat vernaculo sermonem ab auctore conscriptus anonymo, titulū præferēs *Speculum nostræ salutis*. In quibus id observatum erat inter prima artis incunabula, uti paginæ aversæ glutinæ cōmissæ cohærescerent, ne illæ ipsæ vacuæ deformitatem adferrent. Postea faginas formas plumbeis mutavit: has deinceps stanneas fecit, quo solidor minusque flexilis esset materia, durabiliorq;. Faventibus, ut fit, invēto novo studiis hominum, quum nova merx, nunquam antea visa, emptores undique exciret: cum uberrimo quæstu; cervit simul artis amor, cervit ministerium: additi familiæ operarū ministri, prima mali labes: quos inter *Iohannes* quidam, sive is (ut fert suspicio) *Faustus* fuerit ominoso cognomine, hero suo infidus & infaustus, sive alius eo nomine. Is ad operas excusorias sacramento dictus, postquam artem jungendorum characterum, fusilium typorum peritiam, quæque alia eam ad rem spectaut, percaluisse sibi visus est, captato opportuno tempore, quo non potuit magis idoneum inveniri, ipsa nocte, quæ Christi natalitiis solennis est, qua cuncti promiscuè lustralibus sacris operari solent, choragium omne typorum involat, instrumentorum herilium ei artificio comparatorum supellectilem convolat, deinde cum fure domo se proripit, Amsterlodamū principiò adit; inde Coloniam Agrippinam, donec Magontiacū perventum est, ceu ad asili aram. Ubi quasi extra telorum jactum positus tutò degeret, suorumq; furtorum apertâ officinâ fructum uberem meteret. Nimirum ex ea, intra vertentis anni spatium, ad annum à nato Christo 1442. ijs ipsis typis, quibus Harlemi Laurentius fuerat usus, prodiisse in lucem certum est Alexandri Galli doctrinale, quæ Grammatica celeberrimo tunc in usu erat; cum Petri Hispani tractatibus, prima fœtura. Ista sunt fermè, quæ à senibus annosis, fide dignis, & qui tradita de manu in manum quasi ardentem tædam in decursu acceperant, olim se intellexisse affirmat. Quicquid sit; Germania certè nunquam sibi hanc laudem patietur extorqueri; à grata posteritate meritissimò his Beroaldi celebranda versibus:

O Germania, muneris repertrix,
Quo nil utilius dedit vetustas.
Libros scribere quæ doces premendo!

Pro quo tamen verbo Simon Majol. *momento* legit *part. 1. dier. canicul. colloq. 23.* celeritatem scilicet artis impressoriæ expresserunt. quandoquidem

Imprimat illa die quantum non scribitur anno.

Sicuti de ea prædicavit Campanus vir doctissimus, cui annectendum omnino censui non inelegans illud epigramma à Paulo Langio commemoratum *in Chrō. Citzensi* anno Domini 1454.

Nuper ab ingenio Rhenanæ gentis, & arte
Librorum emersit copia larga nimis.
Et qui divitibus, vix regi obvenerat olim,
Nunc liber in tenui cernitur esse casa.
Gratia Diis primū, mox impressoribus æquè
Gratia, quorū opera hæc prima reperta via est.

Ioh. Faustus.

Pancirol. lib. 2.

Quæ doctos latuit Græcos, Italosq́ peritos
Ars nova Germano venit ab Ingenio.

Cæterùm Typographiam adeo diligenter descripsit Christophorus Milæus, ut artem ipsam quasi oculis videatur subjicere, *lib 2. hist. Universit. Rerum.* & de ejusdem querimonia Simon Majolus præclara quædam cõgessit *par. 2. dier. canic. colloq. 6 à pag. 509. usq́ ad pag. 514.* quemadmodum cõtrario eam ipsam egregiis laudibus evehunt Nicodemus Frischlinus *in Iulio Redivivo* & Joh. Heidfeld. *in Sphingo sua cap. 29.* quib. adde, quod de Atramento typico fictitio scripsit Forcatulus *lib. 4. de Imp. & Philos. Gallor.* Id enim antiquos pictores indicasse ait, è resina exusta, propter quod etiam officinas ædificarunt fumum non emittentes, ut fuligo expetita retineatur, referente Plinio *lib. 35. cap. 6.* Resinam autem de pinu & picea arbore stillatam peti suevisse, & ex ea quoq; confici scribentium atramentum, Dioscorides docuit *lib. 1. cap. 77.* Quare fit, ait Forcatulus, ut vulnera facta pinui, & ejus hilares lachrymas, salubriores & preciosiores mortalium generi existimem, quàm Myrrhæ Arabicæ succum, ad oculorum præcipuè caliginem discutiendam mulgeri solitum. Nam & ignorantiæ tenebras plusquàm Cimmerias, & longè tetriores nigra Resinæ fuligo propulsavit, & candorem lucemque admirabilem reposuit. Utinam verò, inquit Melanchthon, tanto Dei munere grati uteremur, non ad obscurandam, sed illustrandam Dei gloriam, non ad disjungendas, sed copulandas Ecclesias! Quo voto veluti colophonem capiti huic impono.

Atramentũ typographicum.

DE CHARTA TIT. XIII.

1. Scriptum in foliis.

Charta etiam inventum satis est utile. Anteà enim majori cum sum[illegible] scribebatur. Atq́ ut de hoc paulò agam pluribus, dico, † in palmarum foliis primò scriptitatum fuisse, ut Plinius *refert* lib. 13. cap. 11. & Virgil. lib. 3. *innuit; ita de Sibylla canens:*

In sanam vatem adspicies, quæ rupe seblima
Fata canit, foliisq́; notas, & carmina mandat.
Quæcunq́; in folijs descripsit nomina virgo,
Digerit in numerum, atq́; antro seclusa relinquit.
Illa manent immota locis, neq́; ab ordine cedunt.

In arbori philyris.

Indeq́ est, quòd etiamnum folium Chartæ *scriptum dicamus, etiamsi in palmæ folio non scribatur. Posteà scribi cœptum tenuioribus arborum philyris, quæ inter ipsam corticem & arboris lignum sunt, & à Latinis* Libri *dicuntur. Hinc usus obtinuit, ut in quacunque materia scriptum sit,* Libri *tamen nomen retineatur. Sed cùm materia hæc fragilis esset, publica monumenta in plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpta: tandem & in ceris scribendi modus inventus Sumebantur tabellæ subtiles, in quas cera protendebatur: posteà cum stylo ferreo literæ in ceram infigebantur. sic evenit, ut modus scribendi,* Stylus *nominaretur. Tabulæ istæ apud Latinos varia sortitæ fuerunt nomina. Nam &* Pugillares *dicebantur, à pungen-*

in plumbo. in linteis. in ceris.

Pugillares.

pungendo; & tabulæ & Codicilli cerati: *sicuti eas C. appellat* in l. librorum. 53. in princ. ff. de leg. 3. *Codicem autem nominabant lignum. Idq; etiam ante bellum Troianum fuit observatum Nam. ut* Homer lib. 6. *Iliad scriptum reliquit, Prœtus Bellerophonti codicillos dedit, alio deferendos. Non igitur video, qua fronte Iosephus edito contra Appionem grammaticum libro, ausus fuerit scribere, Homeri ætate nondum etiam repertas fuisse literas. Fundata posteà ab Alexandro M. nobili illa civitate Alexandria*, papyrus, *quæ veluti iuncus quidam est, in palustrib. Ægypti, & qui escentibus Nili undis, fuit inventa. Iuncum enim illum, filis quibusdam acu extractis, in subtiles phyliras dividebant: quas* Chartam *ab urbe Tyri, cui Charta nomen, & quam prope iuncus ille repertus fuit, nuncupârunt, Ideoq; cùm apud Latinos scriptores Charta nomen ligitur, de papyro intelligitur: Idquod Vlpianus clare demonstrat* in d. l. librorum 53. §. chartis. *dum ait: Chartis legatis papyrum ad chartas paratam non contineri Sed & cùm Ptolomeus Philadelphus insignem bibliothecam, in qua ingens librorum numerus ad millia fermè voluminum septingenta haberetur, institueret, ut ait* Paulus Orosius lib. 6. c. 15. *Eumenes verò æmulatione ductus, aliam, qua eum superare conabatur, instauraret: evenit, ut Ptolomæus id recisceus prohiberet, ne papyrum ex territorio suo exportartur, atque ut hoc modo facultas Eumeni præcisa esset, Charta inde confecta, libros conscribendi. Verum Eumenes id intelligens, Pergami alium conficiendæ chartæ modum invenit. Excoriatis enim animalibus, è membranis pelli proximis, chartam scriptioni aptam fecit, quæ* Membrana, *à tectu membrorum animalium, vel quod corium aut pellem Latini Membranam dicũt, fuit nuncupata uti &* Pergamena, *ab urbe Pergamo, in qua primum fuit reperta, teste* Plin. lib. 13. c. 11. Ioseph. *tamem* lib. 12. Antiq. Iudaci. *auther est, Eleazarum principem Sacerdotum Biblia in subtilissimis membranis conscripta, cum LXXII. Interpretib. ad Philadelphum Ptolomæum modò nominatim misisse. Quod si ita est: dicamus oportet, Membranam etiam ante Eumenem repertam fuisse illam quidem; sed Eumenem magnam illius copiam præparari curasse, & per Asiam ac Græciam divulgasse; ideoq; Auctorem ejus fuisse laudatum. Cùm in Italiam venissent Longobardi, e tabulis rasis subtilissimas fecerunt Schedas: quas egomet sæpius vidi & legi, quanquam Longobardicis literis consignatas. Deniq; excogitatum fuit, ex linteolis contritis & aquâ maceratis Chartam conficere, in qua magna cujus vis cum commoditate scriberetur. Et hic quidem pristinum papyri nomen remansit: licet papyrus propriè Charta dicatur: Atq; ita breviter & historicè materia scripturæ continendæ apta & idonea, est descripta.*

Papyrus.

Chartas.

Eumenis & Ptolomæi æmulatio.

Membrana.

Pergamena.

Papyr. ex linteolis.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Librorum hodie comparandorum commoditas.

TEstis est rerum magistra experientia, verissimum esse, quod Pancirollus prodidit, inter alia vel hoc quoque nomine Chartæ inventum esse cumprimis utile, quòd majori olim cum sumptu scribebatur, quàm hodie. Nam scriptoris unius libri pluris olim venire solebant, quàm hodiè tota propè Bibliotheca: quandoquidem à quatuor hominibus tantum librorum æreis typis excudatur, quantum vix decem alii, quantumvis expediti scriptores, integro anno exarare calamo potuerint. Sic evenit, ut imminuto laboriosæ & diuturnæ scripturæ precio, etiam privatus quilibet non minus abundanter sese jam vili pecunia libris possit instruere, quàm tum maximis sumptibus Respublicæ & Principes viri potuissent cōparare.

Non in palmarum, sed malvarum foliis scriptū.

Quod autem ait Pancirollus, *1. palmarum folijs primo scriptitium fuisse:* illectus ad id fuit vulgatâ Plinii lectione *lib. 13. c. 11.* ubi tamen pro *palmarum* foliis legendum esse *Malvarum folijs*, ex Guilandino docuimus *lib. 1. tit. de Habitu Imperator. fol. 194.* Cæteroquin in foliis stirpium scripsisse antiquos, testatur etiam Virgil.

1. in foliis scriptum.

—— folijs ne tantum carmina manda.
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.

Et Juvenalis *Satyra 8.*

Credite, me vobis folium recitare Sibyllæ.

Et hunc quidem scribendi morem ab ipsus etiamnum Indis servari affirmat Hieron. Osorius *lib. 2. de reb Emmanuelis Lusitaniæ regis*

Indorū scribendi ratio.

In scribendo, inquit, neq; charta utuntur, neque papyro, sed stylo, in foliis arborum sylvestrium, quas propter nonnullam similitudinem Palmas appellant (istas verò palmas in India non pullulare, ostendi *ad Tit. primum hujus libri*) literas exarant. Multorum verò seculorum memoriam, libris ad hunc modum factis diutissimè conservant. Multa ejusmodi folia ita præcidunt, ut omnia longitudine paria sunt: in quibus annales & res historia dignas literis mandant. Foliorum verò extremitates perforant: iis autem compingendis duo ligna complanata, & ad eum modum perforata conjūgunt. Tum foliis ordine compositis, & lignis intrinsecus adjectis, utrinq; per foramina funiculos immittunt, & omnia complicant, & arctè devinciunt: & quod post ita compactum volumen funiculorum utrinque superfluit, circa illud involvunt, & illud nodis adstringunt, quoties autem legere volunt, nodos laxant, folia rursus explicant, &c. Similiter in provincijs *Malabar & Mangi* arborem quandam, *Tal* Indis dictam, ex foliis papyri officium egregiè præbere testatur ex *Nicol. de Comite* Simon Majolus *part. 1. dier. canic. colloq. 21. pag. 652. & 670.* quo cum egregiè consentit Petrus Matyr Mediolanens. *decad. 3. lib. 10.* Ex ista verò in folijs scribendi ratione usus obtinuit, ut Chartæ sive pagellæ librorum, *folia* nominentur, ad hunc usq; diem. Posteà scribi cœptum, ait ex Plinio *lib. 13. c. 11.* auctor noster, in tenuioribus arborum philyris sive libris, qui pars corticis sunt, ligno adhærens: ut platani, fraxini, aceris, populi albæ, item fagi, & ulmi, & ut Alexand. ab Alexandro interpretatur *lib. 2. Genial. dier. cap. 30.* & obtentum est consuetudine, ut quacunque materia scriptum esset, Libri tamen nomen retineretur. Sic enim Dictys Cretensis libros ex philyra fuisse, Q. Septimius prodidit, *in epistol.: historiæ illi præposita.* Sic & Ulpianus, Librorum appellatione contineri ait volumina, sive in charta, sive in membrana sint, sive in quavis alia materia. Sed etsi in philyra, aut in tilia, aut in quo alio corio, idem erit dicendum. *l. librorū. 52. in princip. ff. de legat.* Quo loco animadvertendum primò est, duo esse, Philyram & Tiliam: tametsi

2. in philyris.

Philyræ & Tiliæ differentia.

etsi arbor, quam Latini Tiliam dicunt, à Græcis philyra appelletur. Philyra igitur & Tilia non solùm arborem ita dictam denotat, verùm etiam ejusdem arboris bracteas, hoc est, tenuiores membranas inter lignum & extimum corticem latitantes. *Philyra* quidem tenuissimi corticis nomen est: *Tilia* verò aliquantò crassioris, minusq; quàm philyra tenuis. Docet hoc Plinius de Tilia arbore ita scribens *lib.16. cap.14.* Inter corticem & lignum tenues tunicæ multiplici membranâ; è quibus vincula, Tiliæ vocantur, tenuissimæ earum philyræ, coronarum lemniscis celebres, antiquorumque honore, qua de re dictum à nobis est suprà *ad Tit.2.* Advertendum & illud est, per *libros in corio* Ulpianum non intelligere de tergore animalium factos, quidem sunt cum membraneis, ut mox dicetur: sed qui è cortice arborum à tilia differentium fiebant. Etenim *Corium* non unam animalium tantùm pellem significat; sed quodcunq; integumentum, siue id plantarum fuerit, sive etiam rerum inanimatarum, ut ex Plinio *lib.13. c.18. & l.13. c.12.* & Catone de re Rustica *c. 18.* docet Guilandinus: nulla Ulpianum reprehensione dignum asserens, quòd libros membraneos à libris in corio separaverit atq; inter tiliam & philyram differentiam constituerit, quemadmodum è diverso jure eum accusatum putavit à Laurentio Valla, acerrimo Jureconsultorum exagitatore *lib.6. Elegant.c. 43.* in vocabulorum Libri & Voluminis acceptione. *d. l. liberorũ. 52 §. si cui.* quantoperè etiam hunc Alciat. conetur defendere *lib 4 de V.S. num.24.*

Libri in corio qui Ulpiano.

Laur. Vall.

Porrò patitur Plinius in privatos & publicos, hos quidem plumbeis laminis in se convolutis confici solitos innuens; illos verò linteis, aut ceris, *lib.13. cap.11.* De libris plumbeis exstat apud Hiobum, *cap.19.* Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro, & stylo ferreo in plumbi lamina, vel certè scalpantur in petra? De linteis Livius disertè *Decad.1.li.4.* in tam discrepanti ait editione, & Tubero & Macer libros linteos auctores profitentur. Et mox: Licinio libros haud dubiè sequi linteos placet. Et paulò superius: Nihil enim constat, nisi in libros linteos utroque anno relatum inter Magistratus præfecti nomen. Vopiscus in Aureliano: Et si his cõtentus non fueris, lectites Græcos, libros etiam linteos requiras, quos Ulpia tibi bibliotheca, cùm volueris, ministrabit, & typum partim linteis descriptum legimus apud Higen. *lib. de limitib. cõst.* Inde *in l.1. C.Th. de alie. quæ in op.* Lex æreis tabell. vel cerussatis, vel linteis mappis scripta proponi dicitur; quib. addenda sunt, quæ de carbaso & carbasivis voluminibus: itemque de mappa, eodem tamen sensu adducit Savaro *ad Sidon. Apoll. epist. 16. lib.9.* Erant verò libri antiquorum lintei, ut Guilandinus explicat: non quales nostri, qui & ipsi sine hæsitatione lintei dicendi sunt, sed in telam lineam descripti, non aliter quam hodie à pictoribus variæ rerũ imagines in linteis seu telis de pingi solent, quas & ipsas Linteas vocare, nihil vetat. Quibus non ineptè fortassis adjunxeris Parthorum vestes, quibus literas illi intexere malebant, quàm chartas ex scapo papyri conserere atq; conficere, quod in tanta apud illos papyri copia meritò miratur Plinius *d. c. 11.* Cęteros verò quod attinet libros, iis intelliguntur Schedæ, quæ erant asseres, sive tabellæ sectiles, nõ ad similes scandulis, quibus tecta, tegularum vice, in quibusdam locis teguntur. Eas Isidorus *Scindulas* dicit, quod scindantur, id est, dividantur. *lib. 19. Etymol. cap.19.* quæ ut adscribendum usui essent futuræ, non tantùm dolabra & ascia parabantur; sed & accuratius expoliebantur; & indu-

3. in plumbo.

4. in linteis.

Literæ vestibus intextæ.

5. in Coro.

inductâ cerâ solicitius illinebantur obducebanturque suam præsertim ob duritiem minùs idoneæ, cum ad literas recipiendas, tum easdem abolendas. Mos enim erat ferro, non calamo in ceris scribere. quod Græcos & Thuscos primùm frequentasse testatur Isidorus *d.lib.19.c.9.* Posteà Romani jusserunt; ne graphium ferreum quis haberet. Unde & apud Scribas dicebatur, Ceram ferro ne cædito: institutumq; ceram ossibus scribere, sicut indicat Atta in satyra, his verbis.

Stylus ferreus.

imò osseus.

Vertamus vomerem in ceram, mucrone

neq; aremus

Osseo—

quod desumptum videri potest èx illo Tutinii, *velim ego osse arare campum cereum*, id est, ceratas codicillorum tabellas, Quanquam *Stylum vertere* Ciceroni & Horatio est, inducere, & quod styli parte aculeata scriptum erat, citò mox adversa illius parte, quæ latior fieri solebat, delere atq; expungere. Schedæ porrò illæ, quoniã ex codice arborũ cõstarent, *Codicili* dicebantur; & à plana illa forma *Tabulæ* sive tabellæ: *Ceræ* verò, quia cerâ obducerentur; & quòd pungendo scriberẽtur, *Pugillares*. De Codicillis, apud JC. passim, singulariter verò ceratis, apud Ulpianũ *in d.l.librorũ.25.in princ* de Ceris & Pugillarib. Plinius *l.1.Ep.* Erat in proximo, inquit, non venabulum, aut lancea, sed stylus & *pugillares*: meditabar aliqua enotabamque, ut si manus vacuas, plenas tamen *ceras* reportarem. Plautus *Curculione*:

Codicilli: Tabulæ: Ceræ: Pugillares.

Dum scribo, explevit totas ceras quatuor.

ut vel inde constat, codicillorum sive pugillarium usum tam antè, quàm post inventam chartam fuisse, quod doctè probat Manutius *ad Ciceron. Ep.ult.l.9.* Tabellarum autem idem quoque Plautus meminit *in Pseudolo*, ubi amatorem inducit tabellas cereas ab amica scriptas perlegentem, quibus illa argentum denoscebat. quæ quidem tabulæ, pro more puellis etiamnum usitato, ita lepidis conscriptæ erant literis, ut dubitabundus quæreret Pseudolus:

Codic usus etiam ante chartam.

An obsecro habent gallinæ manus? nam has quidem Gallina scripsit.

ac quia ferè semper testamentum mandabatur tabulis, ut cæteræ res oẽs, quæ seriæ essent & magni mom ẽti, quarum memoriam & fidem perpetuam esse oportebat. Hinc factum est, ut tabularum communi nomine abuterentur pro testamento: ut in Bonorum possess. secundum vel contra tabulas. Erant enim *tabulæ ligneæ cerâ illitæ* Unde Hæredes scripti in ima cer, apud Sueton. *in Iul.Cæs.c.38.* quod Ciceroni est *in extrema cera Verrin.3.* Cajo in *externa pagina l.2. Inst. c.23* Savarolæ in ima parte *l.codicillis 34.§.1 ff.de usufr.&usufr.* Marciano *in novissima par. l. ult ff.de fideic cõ. libert.* Justiniano in inferiorib. partib. *§.fin.antẽ.Inst.* Allusit ep. Horat. *Satyr.5.l.1.*

Tabulæ pro testamentis.

In ima cera scribi.

Sic tamen ut limis rapias, quid prima secundo

Cera velit versu, solus? multisve cohæres

Veloci percurre oculo.

Id est, raptim, celeriter, & obliquè, dissimulando, & veluti aliud agens, legas, qua parte tabulæ scribaris hæres secundus vel substitutus. Olim enim in primâ cerâ vel tabula & quidem primum versu scribebatur *testatoris nomẽ l.Lucius.88.ult §.ul.ff.de legat.2.* in secundo versu, *hæredis*. In secunda verò tabula *nomen hæredis secundi*. Erat quippe initium faciendum ab Hæredis institutione: aliquin etiam legata ante hanc hæredis institutionem relicta vel data non valebant. Quod posteà à Justiniano correctum est *in §.ante 39 l. stit. de leg.* Fran.Connan. *lib.10.comm.jur.civ. c.7.nn.1.* Cùm itaq; tabulæ illæ non ita faciles portatu essent, utebãtur eis ad testamenta, rationes domesticas, & cætera omni-

In testam scribendis quis ordo.

Tabular. usus.

mnium, quę domi asservabantur. Ad *papyro vel membraneis epistolis* scribebant ad amicos absentes, & reliquas res, quæ iis erant communicandæ, qui locorum intervallo se jungebantur. idem Connan. *lib 9. c.6.n.8.* Etsi autem tabulæ sive pugillares illi ex varia ligni fiebant materia: buxeas tamen frequentissimo in usu fuisse video, de his enim signatè loquitur Propertius:

Tabella plerũq; è buxo.

Ergo tam docta nobis periere tabella,
Scripta quibus pariter tot periere bona!
Non illas fixum charas effecerat aurum,
Vulgari buxo sordida cera fuit.

Sic & ex buxo literæ quandoq; fiebant, ad prima elementa pueris tradenda. Unde Hieron. *ad Latã*, de institutione Filii: Fiant, inquit, literæ vel buxeæ, vel eburneæ, & suis nominib. appellentur. Ludat in iis puer, ut & lusus ipse eruditio sit. Hujusmodi pugillaribus, & stylis (ferreis tamẽ) discipulorum suorum confectus, atq; minutissimis ictibus excarnificatus in foro Corneliano interiit Cassianus Martyr, si Prudentio credimus, ita de ipso περὶ στεφάνων canenti:

Cassianus stylus & pugillarib interfectus.

Innumeri circùm pueri, miserabile visu,
Confossa parvis membra figebant stylus
Vnde pugillares soliti percurrere ceras,
Scholare murmur annotãtes scripserãt.
Conjciunt alii fragiles inq; ora tabellas
Frangunt, relisa fronte lignum dissilit.
Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis,
Rubetque ab ictu curva tundens pagina,
Inde alij stimulos, & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cera sulcis scribitur.
Et qua secti apices abolentur, & aequoris hirti
Rursus nitescens innovatur area.

Porro librorum materiam fuisse comperi, non tantùm folia plantarum, corticem arborum, plumbum, lintea, ligna cerata, de quibus hactenus diximus: sed & ębur, lapides, æs, intestina animalium, Chartas, Membranas. Codicum sive librorum eboreorum Ulpianus meminit *d.l. librorum. 52. in princ.* quos Flavius Vopiscus appellat *elephantinos* iis verbis: Ac ne quis me Græcorum alicui; vel Latinorũ existimet temere credidisse, habet bibliothecam Ulpia. in armario 6. librum elephantinum, in quo hoc Senatus cõsultum perscriptum est, cui Tacitus ipse manu sua subscripsit, &c. Ut ridiculum sit illorum commentum, qui libros elephantinos dictos autumant ab operis amplitudine, quasi Elephantorum proceritas & vastitas nominis ansam illis dederit. Lapideos verò libros quod spectat. Enoch ille septimus ab Adam magno, natus ante inundationem terrarum anno tricesimo quarto supra millesimum, cùm vaticinatus esset de judicio futuro, tam aquarum diluvii, quàm conflagrationis, ut est apud Judam Apostolum *in Epistol. Catholica*, & siderum præterea cognitionem ac scientiam meliorum rerum posteris communicasset, vaticinium hoc suum, & disciplinæ præcepta, ne qua scilicet ætas labesve hominum notitiæ & memoriæ ea subtraheret, duabus inscripsit columnis, alteri lapideæ, alteri latericiæ; ut si latericiam unam: diluvio deleri contingeret, altera lapidea superesset, quarum hanc Joseph. *lib. 1. Antiq. Iudaic. c. 2.* suo adhuc tempore in Syria exstitisse testatur. Herodot. quo ? *in Vrania* tradidit, Themistoclem ẽt tempore Xerxis literas bene longas in lapidibus incidisse, quas posterò die Iones Artemisium venientes, legerint. Et Jamblichus dogmata occultæ doctrinæ se sumsisse fatetur è columnis Mercurii, easque columnas ait Assyriorum & Ægyptiorum disciplinis fuisse plenas, *in lib. de Mysterijs.* Ab his enim & Chaldæis Josephus monet, antiquarum rerum historiam

6. in ebore. Libri eborei. elephantini.

7. in lapi. lib.

Enochi columna.

Ab Ægyptiis antiquitas petenda.

storiam requirendam esse: quorum fuit institutum, ut eorum sacerdotes & Philosophi circa scribendam historiam versarentur. Mirari se igitur, inquit, eos, qui tantùm in historia Græcis tribuunt: cùm ipse docere paratus sit, Græcos nō modò adulto jam mundo, sed etiam propemodum senescente natos, eorumq; inventa omnia esse recentia. Quapropter flamen ille Ægyptius, Soloni dicebat, Græcos semper esse pueros, nec quenq̄ in Græcia senem reperiri. Adhæc ait Josephus, quòd si non vanis opinionibus accommodare assensum volumus, sed ab ipsis rebus veritatem sumere, universa quidem apud Græcos recentia invenimus; heri, ut dicitur, acta, aut nudius tertius: Urbes, inquā, conditas artium commendationes, & leges populis scriptas. Proinde qui vetustæ historiæ veritatem nosse cupiat, hunc oportere dicit ab Ægyptiis, Tyriis & Chaldæis exquirere. Ex quibus auctoribus Josephus mira diligentia sacræ historiæ auctoritatem confirmavit, in duobus illis libris qui inscripti sunt, *de Antiquitate Judaorum*, refutatorii contra Appionem illum Grammaticum, quem Tiberius Cæsar cymbalum mundi vocabat: cùm, ut ait Pli. *in præf. de Vespas.* publicæ famæ tympanum potiùs videri posset. Taceo infinita illa monumenta marmorea, argumētum lapideorum librorum satis evidens interim præbentibus fastis illis, Romæ in Capitolio etiamnum conspicuis. Nec ignotum est, *Danorū antiquiores Majorum suorū act.a*, patrii sermonis carminibus vulgata, linguæ suæ literis, saxis ac rupibus insculpenda curasse. Tanta quippe tradendæ rerum suarum memoriæ cupido eos incessit, ut voluminum loco vastas moles amplecterentur codicum usum à cautibus mutuantes, ut tradit Sax. Grammaticus *in præfat. Dan.*

Græci semper pueri.

Appion Grammaticus.

Dani in saxis & rupibus res gestas sculpserunt.

In ære.

In æs verò scripsisse quandoque Veteres, dubium non est: asserente præsertim Plinio, usum æris ad perpetuitatem monumentorum jam pridem translatum esse, tabulis æreis, in quibus publicæ Constitutiones inciduntur. Sic Tullius *in Catilinaria* ait Æra legum in Capitolio fuisse tacta de cœlo. Constat enim Leges XII. Tabb. fuisse in æs incisas, atq; in foro propositas: &ærearum tabularum tria millia, quibus publica monumenta incidebantur; quæ simul in Capitolio conflagravarant, Vespasianum Augustum, ut restituerentur curasse, cùm exemplaria, ex quibus illa transcripta fuerant, undiq; investigasset. Sic apud Livium *Decad. 1. l. 2.* legimus, fœdus ictum cum Latinis fuisse insculptum in ænea columna. Sed & *1. Machab. cap. 8. & 14* tum Romani, tum Spartiatæ dicuntur rescripsisse Judæis tabulis æreis, quas Hierosolymam miserunt de stabilienda cum eis amicitia & societate. Nec dissimulandum est, quod Plato *in Minoe* scribit, Talum apud Cretenses tempore Minois & Rhadamanti circumtulisse per totam insulam tabulas æreas, in quibus leges erant insculptæ. Unde etiam *æreus* sit nominatus. De hoc Talo ridicula narrantur, quæ animi causa hisce commentariis inserere placuit. Ajunt enim hunc à Vulcano ex ære fuisse fabrefactum, Minoiq; dono missum ad Cretensis insulæ tutelam. Ter n. in singulos annos insulā obibat, excubias agens. Unde Apollonius *4. Argonautic. in fin.* ter Cretam pedibus æneis lustrantem nominat. Scholiastes ibi annotat, toto corpore æreum fuisse, prçter tuberculum quoddam in imo calcaneo, tenui membrana tectū: qua dirupta, mors ei fataliter constituta fuerit. Zenodotus *in proverbiis* Simonidem allegat, novæ fabulæ auctorem, qui dicat, Talum æreum virum, prius quam in Cretam perveniret in Sardiniam accessisse, ubi non paucos mortales neci dederit. Eusta-

Talus æreus.

Euſtathius *in 20. Odyſſ.* narrat, Eum, quando necare aliquem voluerit, in ignem deſilire ſolitum fuiſſe: quandoquidem id ſine vitæ periculo præſtare poterat, quòd æreus eſſet. mox autem, ubi ita incaluiſſet, ut canderet, comprehenſum morti adjudicatum pectori ſuo admoviſſe exuſſiſſeque. Propius verò eſt, Æreum ſive *æripedem* fuiſſe dictum Talum, quòd legum in æneis tabulis inciſarum, & circumlatarum per univerſam Cretam fuerit obſervantiſſimus. quemadmodum & *Ragnachildam*, Theodorici Gothorum Regis uxorem, Najadum unam & anſerinis fuiſſe pedibus fabulata eſt vetuſtas: non quòd anſeris natatiles pedes habuerit, ſed quòd aquis & fluminib, mirum in modum oblectaretur, & pedibus prædita eſſet molliuſculis, & anſeris plumâ candidioribus. Adeò Veteres anxiè in ſingulis Heroidum particulis pulchritudinem ac colorem notarunt. Hinc illud Homeri *Iliad. 9.* Dea Thetis pedibus argenteis: θεὰ θέτις ἀργυρόπεζα: Sic enim Achilles matrem ſuam vocat, Pindarus Venerem. Atque Niceen pulchros talos habentem Heſiodus poſuit *in Theogon.* Sic quo tempore Alemani cum Gallis, Conrado Imperatore ducante, res repetitum in Syriam & Hieroſolymam iverunt, Manuele Comneno Conſtantinopolim tenente, Nicetas ait fuiſſe mulieres Germanicas, virorum inſtar equitantes, martio vultu atque habitu, Amazonica prorſus audacia: quarum illuſtriſſima, altera prorſus Pentheſilea, ob fimbrias & limbum veſtium auro intertextum *Auripes* vocabatur. Nicet. *in geſtis Manuelis, anno 1147.* Unde etiam liquet, extrema veſtimenti aurea vel argentea pedibus olim quandoq; attributa: ita ut exiſtimem (ait Forcatulus) Herculem non cum fœmina ancipitis naturæ, ſerpentem ad femora uſque referente, concubuiſſe, & Scytham, qui genti nomen dedit, pro-

Ragnachilda an anſerinis fuerit pedibus.

Argentipes.

Auripes.

Fœmina ancipitis Naturæ.

genuiſſe, ut putat Herodot. *lib. 4.* ſed cum puella clariſſima, quæ ſtolam ſquamis aureis ardentem & interiora corporis vel antem geſtarit, quæ vera eſt Stephani Forcatuli interpretatio *lib. 6. de Imper. & Philoſoph Gallor.* Ut verò & de libris ex inteſtinis animalium factis aliquid dicam: video horum mentionem fieri ab Malcho Byzantio Sophiſta, *in hiſtoria, quam ab Imperio Conſtantini uſq, ad Anaſtaſium deduxit* Georgio Cedreno *in compendio hiſtoriar.* à mundo condito, uſq; ad Iſaacum Comnenum Imperat. & Johanne Zonara *Annalium tom. 3.* qui regnante Baſiliſco ſcribunt Conſtantinopoli exorto incendio, ipſam Baſilicam cum Bibliotheca conflagraſſe, in qua centum viginti millia librorum fuerint repoſita: inter quos fuiſſe perhibetur Draconis inteſtinum longitudine pedum centum viginti habẽs inſcripta literis aureis Homeri poëmata, Iliadem & Odyſſeam, cum hiſtoria rerum ab Heroibus geſtarum: Reſtat, ut de libris & Charta & membrana confectis dicamus. Differt autem Charta à Papyro, ut effectu & materia. Ex papyro enim Charta efficitur, ut rectè ab Ulpiano reſponſum ſit, Chartis legatis, neq; papyrum ad chartas paratam, neque chartas nondum perfectas contineri. *d l librorum 52. §. chartis. 6 ff. de legat. 3.* Papyri autem quæ recenſenter ſpecies: altera Ægyptia; altera ei affinis & ſimillima. De hac poſteriore nihil hic attinet dicere. At illius Ægyptiæ deſcriptio apud Plinium exſtat *lib. 13. cap. 11.* his verbis: Papyrum ergo naſcitur in paluſtribus Ægypti, aut quieſcentibus Nili aquis, ubi evagatæ ſtagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum, brachiali radicis obliquæ craſſitudine, decem non amplius cubitorum longitudine, triangulis laterib. in gracilitatem faſtigiatum thyrſi modo cacumen includens. Hinc Charta præparabatur in hunc mo-

9. in inteſtinis animalium.

10 in Charta ſcriptitatum

Papyrus Ægyptia.

Charta præparatio.

modum. Scapus namque, hoc est, caulis papyri, amputatis utrinque extremitatibus, utpote minùs ad chartas conficiendas idoneis, dividebatur secundum longitudinem in duas partes æquales: à quib. posteà abripiebantur singulares phyliræ, sive bracteæ, quæ quò longius ab extimo scapi cortice distabant, eò erant præstantiores, & quo cortici appropinquabant magis, eò deteriores. Unde varia chartarum genera apparabãtur, de quib. posteà. Interim notandum, apud Plinium pro illis verbis, *diviso acu, &c.* legendũ ex Guilandini sententia, *diviso Scapo* in prætenues, sed quam latissimas philyras, quando & dicat Auctor Schedas, hoc est, bracteas tanta constare longitudine, quanta potest esse scapi ipsius papyri segminibus, i.e. extremitatibus utrinq; amputatis. Etenim extremitates caulium papyri amputabantur, quòd essent chartarum usum ineptæ: altera quidem, quam pomum vocari ait, propter nimiam meatuum laxitatem, qui nec in arefactis philyris coire solent; altera, quæ comam inutilem debilemq; sustinet, sive, ut Plinii verbis utar, quæ thyrsi modo cacumen includit, propter gracilitatem, bracteas nec se midigitum latas continens; & ob ariditatem alioquin dividentibus minùs obediens. Taceo, quòd opus fuit ferro acutissimo subtilissimoque, tres digitos lato, quo ramenta sive philyræ à scapo divellebantur, acu eam ad rem nĩhil emolumenti præstante, sed inutili prorsus abjiciendaque. Ex philyris autem illis sive schedis aut tabulis (*philyra enim, ramentũ, papyrũ, tabula, scheda, cutis, plagula, corium, statumen, subtegmen, pagina, tænia,* pro uno eodemq; in hac disputatione usurpantur à Plinio à caule papyri distractis, ex alteris quidem recto situ substratis, alteris transversa positione superinjectis, chartæ conficiebantur, vel, ut Plin. ait, texebantur, præbente glutinis vicem Nili aquâ; non illa clara & limbida, sed turbido liquore, ac pingui terrarum succo coinquinata. Cęterùm schedæ, quæ primò supina tabula, i.e. *recto philyræ situ* substernebantur ea longitudine, quam thyrsus papyri, præsectis hinc inde extremitatibus, ut dixi, præ se ferebat, citò mox alteris pagellis in transversum superinductis, perfectionem suam consequebantur, à qua demum accipiebant, ut Chartæ vocarentur, essentq;. Porrò glutinaræ ita chartæ etiam malleo tundebantur, & rugatæ extendebantur ictibus atq; complanabantur. Docet hoc idem Plinius, cùm de glutino, quo Charta deterior iterum texebatur, in hæc verba scribit: Posteà malleo tenuatur, & iterum glutino percurritur; iterumq; constricta erugatur atq; extenditur malleo. Quo circa Ulpian. inter *malleatos, & non malleatos libros* distinguens: Unde, inquit, non malè quæritur: si libri legati sint, an non contineantur nec dum perscripti? & non puto contineri: non magis quam vestis appellatione nondum detextam. Sed perscripti libri nondum malleati, vel ornati continebuntur. Proinde & nondum conglutinati vel emundati continebuntur. *dict. leg. librorum. 52. §. Unde. 5. ff. de legat. 3.* Octo autem chartarum species exponuntur à Plinio. 1. *Claudia.* quam Claudium Cæsarem primò confecisse ait ex Augusta, sive Hieratica, adjecta ad binas ejus philyras, quibus conserta erat, tertiâ bracteâ, & ad undecim digitorum latitudinem, aliorum duorum mensurâ. 2. *Hieratica,* sic dicta, quòd prisci mortales eâ ad religiosa volumnia utebantur: posteà verò adulatoriis nominibus *Augusta, Livianaq;* appellata: Sicuti & ob auctoritatem in epistolis ei relictam, *epistolaris*. & quoniam epistolæ adscriptam in limine salutem haberent, *Salutatrix* Martiali dicitur:

Philyra homonymia.

tundebatur malleo.

Libri malleati.

Chartarum species.

Mar-

Marcus amat nostras Antonius, Attice Musas.

Charta salutatrix si modò vera refert.

3. *Fanniana:* à Q. Rhemnio Fannio Palæmone, celebri Grammatico: quē Suetonius *in l. de Illustribus Grammaticis*, scribit officinas promercalium chartarum exercuisse. Hic enim poliendo Romæ chartam Amphitheatricam cùm ex proletaria, deterioreque augustiorem atque elegantiorem conformasset, visus est novam speciem constituisse, Fannianam de suo nomine appellans, relictâ in suo Amphitheatricâ non interpoli quæque mangonium sui artificij experta non erat. 4. *Amphitheatrica*, seu, ut mavult Guilandinus, *Athribitica* à confecturæ sive præfecturę loco. Inter alias enim Ægypti prefecturas, quarum Sesostrim triginta sex constituisse Diodorus refert *lib 2. Rerum Antiq. cap.* 1 erat etiam Athribitica: cujus Strabo; Ptolomæus, Stephanus, alii meminêre. Atq; hæc Amphitheatrica charta à Faniniana tantum discrepat, quantum adamus, smaragdus, carbunculus, gemmæ aliæ. à scalptis & perpolitis differunt; & quantum mulier, animalium fastuosissimum, surgēs è strato dissidet à seipsa postquam crines fluentes composuit, vultum lavit, & molli ac splendido amictu induta est. 5. *Saitica*, ab oppido Sai. 6. *Taniotica.* Guilandinus legendum docet Tanitica, à civitate Tani, quæ hodiè Damiata vocatur; eò ꝙ Tæniæ locus (cui ob angustam longitudinem hoc nomē est, & unde Tęnioticam chartam dictam putamus) extra Deltam situs sit: Papyrum aūt in Ægypto extra Deltam non gigni, Plinius dixerit. 7. *Emporitica*, ἀπὸ τῶν ἐμπόρων i.e. à mercatoribus cognominata: quæ, quod scripturæ inepta erat, mercib. involucra præbebat. 8. *Macrocollum:* à majoribus coriis seu bracteis cognominatum. Nam κόλλα, auctore Hesychio, significat dorsi bovis corium, ex quo glutinum excoquitur. μακρὸν autem idem interpretatur μεγάλα. Quanquam autem Macrocolla magnitudine reliquas chartarum species longè excellerent, quippe quæ mensuram sedecim digitorum, nec rarò quatuor supra viginti attingebant: tamen quòd volentes unam ex eis membranam rescindere, non sine aliarum injuria tæniarum, & plurium dilaceratione plagularum moliri id possent, inter illaudatas habebatur. De *Membranis* verò, quæ & ipsæ scribendi materiam Veteribus suppeditabant, quid dicam? Equidem usum harum antiquissimum video. Nam & *Diphtheram* sunt qui interpretentur pellem Capræ, quæ Jovem lactârit: in qua creditum est antiquitus illum omnia scribere, quæ fierent. Unde quæ nec in historicorum literis exstarent, nec in hominum memoria servarentur, ea velut ex *Iovis Diphthera* petita dicebātur. Discimus etiā ex Herodoto historiæ parente, Jonas olim byblos dixisse diphtheras, veterii ex consuetudine, quòd byblorū, hoc est, papyri sive chartæ inopiâ, pellibus uterentur tum caprinis, tum ovillis. Prisca consuetudine (inquit in Terpsichore) chartas Jones appellant pelles, quòd aliquando penuriâ chartarum, pellibus caprinis ovillisq; utebantur. Adhuc quoq; ad eam usq; memoriam multi barbarorum in talibus pellibus scribunt, &c. Nec desunt, qui sub pelle velleris aurei, quod Argonautæ ex Colchide advexerunt, intellegant Diphtheram, hoc est, librum ex membranis Veterum more confectum, & arcana artis ejus, quam Chimiam vocant, pādentem, quo scilicet auri conficiendi scientia contineretur: Meritoque membranam eam appellatam fuisse auream, propter emolumētum, quod ex ea acquirebatur. Nec enim obscurum est Veteres ea dixisse aurea, quæ magnum suppeditarent emolumentum & reditum

11 in Membranis scriptum.

Diphthera.

Vellus aureũ.

Aurea qua lucrosa.

tum, sive agri bonitate, sive pecore aut lanificio. Hinc Martialis de Betifluvio:

Betis olivifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

Quo circa factum est, ut pedes ipsæ aureas pelles habuisse ferantur, qualis fuit Argis Atrei, quam sibi Thyesten sub duxisse queritur: ut in Colchide Æeta Rex, ad cujus arietis pellem Joh. profectus est, & socii Argonautæ, regii sanguinis & animi, qui regionem gregibus & opibus nobilem invaserunt, si Varroni credimus *lib.2. de Re rustic. cap.1.* quem laudat & sequitur Stephanus Forcatulus *lib.1. de Imper. & Philos. Gallor.* A quibus etiam stare videtur Cœl. Rhodiginus, qui ex eodem Varrone vellus aureum in ovibus, charitatis nomine intelligendum asserit *lib.25. Antiquarum lection. capit.1.* Rectè charitatis nomine. Est enim Aurum hominibus charissimum, nec ullum ab his pluris fit metallum. Horatius *libro 1. Ode 5.* Pyrrha:

Aurum, quam charum.

Quæ te nunc fruitur credulus aureâ,

id est, charissimâ sibi, multumque amabili & optatâ. quo sensu etiam Mediocritatem videre est dictam auream *lib.2. Ode 10.* quòd charissima nobis, optima & preciosissima esse debeat. Oves sanè tanto in honore habuerunt Veteres, ut ex iis solùmodò opes fieri existimarint: & pecuniam atq; peculium omne à pecudibus & gregum numero olim censuerint: eaque de causâ Maronianus Corydon divitias ostentaturus suas, dixerit;

Divitiæ olim in pecore.

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.

Ideoq; fictum, Oves olim lanam auream habuisse. Hinc *Mallophoros* Cereris cognomentum est in Magaride; ab iis fortè impositum, qui Mortalium primi Oves connutrire cœperint. Siquidem lanam Græci dicunt μαλλὸν ex quo & Idam μαλλόεις vocatunt, velut πολυπρόβατον, id est, ovibus abundantem. Similiter cùm Hercules ex Aphricana victoria nihil præter Oves abegisset *aurea mala* secum asportasse fabulosè dictus ast. μῆλον enim veteri consuetudine *Ovis* capraque dicitur: & eadem locutione etiam *pomum* usurpatur, quod post Rhodigin. itidem & Joh. Pierius annotavit *lib.10. Hieroglyph.* Sed ut ad membranas redeam, constat utique ex Josepho, Diphtheras illas, quæ antiquitus ad scribendum adhibebantur, nihil à Pergamenis, ex urbe Pergamo (unde illis nomen) ab Attalo rege missis differre. Sic enim *lib.12. Antiquit. Iudaic. c.2.* scribit, ex Gelenii interpretatione: Ut verò senes illi venerunt, cùm muneribus à Pontifice missis, & cùm membranis, quæ legem aureis literis inscriptam continebant, primum de libris eos rogavit. ut verò ex involucris depromptos obtulerunt, multum diuq; miratus membranæ subtilitatem, & commissuras, quæ ita latebant, ut visu discerni non possent; gratias se illis habere dixit, qui venerint; & majores etiam ei, qui miserit: sed longè maximas Deo, cujus Leges attulerint. Loquitur autem Josephus de LXXII. Interpretibus, quod tam Græcæ, quàm Hebraicæ linguæ peritos Ptolomæus, non quidem *Lagus*, quòd Irenæus credidit, sed *Philadelphus*, tertius ab Alexandro Ægypti Rex, Tertulliano, Eusebio, Epiphani , Philone, Josepho testibus, inflammatus desiderio sacros Judæorum libros cognoscendi, curavit ingentibus ab Judæa expensis Alexandriam adduci: quorum studio ac diligentia vetus, quod vocant, Testamentum monetâ percuteretur Græcâ. Sed veritus, ne, si invicem consultarent, veritatem absconderent; eo omnes in insula Pharo in singula contubernia separavit, jussitq; ut quisque pro se librum eundem, transferret, atque eo in singulis libris ordine servato, opereque perfecto, omnibus mox convocatis, & per libros singulos interpretationem

Aurea mala

Diphthera eadem, quæ pergamena.

LXXII. Interpretes.

nem suam unoquoque proferente, ita omnium sententiam eandem esse constitit, ac si ab uno tantùm traductiones omnes emanassent. Idque Philo Judæus, de quo illud circumfertur, aut Plato Philonizat, aut Philo Platonizat, *lib. 2. de vita Moysis*; Justinus Matthyr, *in orat. ad gentes*, & Irenæus *l. 3. advers. Hereses, c. 25.* incunctanter affirmant. licet August. *in Epistola quadam ad D. Hieron.* rem aliter gestam narret. Cæterum is quoque Josephi locus à nobis adductus argumento est, non tantùm Diphtheras Veterum nihil differre à membranis sive pergamentis, postea sic dictis: verùm etiam multò antiquiorem esse membranarum inventionem, quàm Varro tradidit, & Plinius credidit. Nam Eleazarus princeps sacerdotum, per illos LXXII. Interpretes libro sacros ad Ptolomæum Philadelphum tunc primùm regnare incipientem misit: at Æmulatio, quæ inter hunc Ptolomæum & Eumenem Pergami regem (quem Ælianus & Hieronymus Attalum vocat, communi omnibus Pergami Regib. nomine sicuti Ægyptii reges omnes Ptolomæi fuerunt indigitati) ob studiorum similitudinem in conquirendis toto terrarum orbe omnis generis libris, suborta fuit, seriùs aliquantò gliscere, incrementaque sumere cœpit, quàm sacra volumina in Græcum traducta fuerunt. Quò fit, ut seriùs etiam chartas Ptolomæus supprimere potuerit, & multò adhuc seriùs Eumenes membranarum copiam fieri curârit, qua chartarum penuria pensaretur. quemadmodum nec illud verum est, quod ex Varrone & Plinio Pancirollus tradidit, fundata ab Alexand. Urbe Alexandria, papyrum & chartam fuisse primùm inventam: cùm multis retrò seculis hanc in usu fuisse, evidentissimis rationibus evincat Melchior Guilandinus, in doctissimo suo tractatu *de Papyro*. Eum te, Lector, diligenter evolvisse, nunquam profectò pœnitebit. Equidem me bonam eorum partem, quæ ad hunc locum illustrandum facere videbantur, desumsisse, ingenuè fateor. Illud planè novum est chartæ sive papyri genus, in quam elementa hæc depingo. quæ ex linteolis concerptis, nulliusq; amplius usus, & aqua maceratis, ac posteà in lanuginem contritis, cōficitur, ita ut plagulæ ejus glutini cohærescant. Quæ quidem confectio cum & satis dextrè è Joh. Ruellio Medico doctissimo descripta sit *l. 1. de natur. stirp. c. 109.* & prætereà passim nota sit, iis præsertim, qui ad chartæ id genus concinnandæ usum constitutas Molas vel semel tantùm oculis fuerint contemplati: ideò de hac re quicquam porro verborum facere supersedeo. at illud poteris ex Hieronym. Benzone Italo huic libro apponere, quod cum Hispani literas Indis ad aliquem perferendas darent, non potuerunt miselli illi barbari cogitando assequi: qua ratione charta illa nigro distincta eloqui posset: cujus rei talem ex Benzone *libro 2. historiar. nov. orbis capit. 17.* recenset historiam Gomara: mittebat, *ait*, Hispanus quidam ad amicum duodecim *Hutias*, (id est *Cuniculos* Indiæ occidentalis peculiares) assos, ne æstu corrumperentur. Indum, qui deferebat, cum vel obdormisset fessus de via, vel interquiesset, diutius morantem in itinere fames corripit: tres Hutias absumit: revertitur, literas ab amico illo ad Herum refert: Quibus ille de novem Hutiis ad se missis gratias amico agebat. Hispanus perlectis literis irascitur servo, ille duodecim reddidisse se affirmat: sed cum Indicio Epistolæ proderetur, rubore perfusus verum aperit: & suos ea de re populares commonefacit, ut sibi à *foliis & Chartis ejusmodi loquacibus* caverent. Nec dispar est, quod de Brasiliensibus scribit Johan. Lerius Burgundus *Navigat. Brasiliens. cap. 6*, quod char-

Membranarum usus etiam ante Eumenis amplexionem.

Charta usus etiam ante Alexandria fundationē.

Papyrus vel charta nostra.

Literarum usus Indis incognitus.

tas atris notis distinctas conspicientes, præstigias esse rati sint. de quibus plura apud Sim. Majolum *part. 1. dier. canic. colloq. 23. pag. 766.*

DE ZIFERIS, SEU FURTIVIS LITERARUM NOTIS TIT. XIV.

Notas, quæ hodiè usurpantur, ego pro novis habeo. Quæ de re plenius ut disseratur, altius repetendum censeo. Lacedæmonij scribendi rationem clandestiniorem tenebant, quam literarum Notas Idque epistolæ genus σκυτάλην appellabant: quod hoc modo fiebat. Surculi duo erant teretes, oblonguli, pari crassamento, ejusdemque longitudinis, derasi atque ornati consimiliter. Vnus Imperatori in bellum proficiscenti dabatur; alterum domi Magistratus cum jure atque cum signo habebant. Quando usus venerat literarum secretiorum, circum eum surculum lorum modicæ tenuitatis, longum autem quantum rei satis erat, complicabant, volumine rotundo & simplici; ita ut oræ adjunctæ undique & cohærentes lori, quod plicabatur, coirent. literas deinde in eo loco per transversas juncturarum oras, versibus à summo adimum proficiscentibus, inscribebant. Id lorum literis ita perscriptis, revoluntum ex surculo, Imperatori commenti illius conscio mittebant. Resolutio autem lori literas truncas atq; mutilas reddebat, membraque earum & apices in partes diversissimas spargebat. propterea si id lorum in manus hostium inciderat. nihil quicquam conjectari ex eo scripto quibat. Sed ubi ille, ad quem erat missum, acceperat; surculo compari, quem habebat, capite ad finem, perinde ut debere fieri sciebat, circumplicabat: atque ita literæ per ambitum eundem surculi coalescentes rursum coibant; integramquè & incorruptam epistolam & facilem legi præstabant. Hoc epistolæ genere eodem modo & Imperator utebatur. Tres enim & tornatum lignum Senatui dabat alterum illius planè simile ipsemet retinebat: postea Schedam oblongam papyri aut membranæ ligno involvebat, circumligans eam instar fasciæ ad trochleæ sive testudinis illius formam, quæ in Traiani columna conspicitur: tum per transversum, seu in longum scribebat. post schedam illam dissolutam Romam mittebat, quam Senatus ligno suo implicans, rectè legebat Sed hæc epistolæ forma Notas non continebat: verùm erat clandestinum quoddam scribendi conventum, de interrumpendo literarum situ, ne à quoquam alio legi possent. Tyro Ciceronis libertus ejusmodi commentus est Notas, ut per unam aliquam literam præpositio intelligeretur, aut adverbium. Post eum Persannius, Philargius, & Acilius Mecœnatis libertus, alias addentes Tyronis inventionem ampliarunt. Singulis enim literis singula verba significabantur: verbi caussa, R. P. Respublica; P. R. Populus Romanus & id genus

Scytala Laconica.

Ciceronis libertus Mecœnatis libertus.

nus alia, de quibus Isodorus libro 1. Origin. cap. 22. *Sed hæc quoque potius abbreviaturæ, erant, quàm Notæ.* Cæsar *ita literarum potestatem commutabat, ut primas literas quarta quæque succedens indicaret* : Augustus *subsequentem pro antecedente ponebat; ut B. pro A. C. pro. B. & deinceps eadem ratione cæteras, ut* Suetonius *&* Dio *referunt. Hæ veræ erant Notæ: ponebantur enim literæ, sed non intellectæ. Alij hunc excogitarunt modum, quo Numeros pro literis collocarunt, 1. pro a, 2. pro b. Alij suo pro arbitrio Alphabetum transmutarunt. Alij novos characteres efformarunt. Denique* Brixianus *quidam typis vulgavit modum quendam, quem intellectu credit impossibilem, nisi quis contra exemplar istius habeat. Quod tamen falsum est. quandoquidem scripturam istam ipsemet explicari audivi & quod dici solet, quasi cum manu tetigi, nullas esse notas adeò difficiles aut obscuras, quæ non intelligantur ab jis, qui in hoc scribendi genere exercitati sunt: quorum multi Venetiis reperiuntur. Atque ipsemet domi meæ habui Hieronymum* D Francisci Nani, *nobilis Veneti filium, juvenem doctissimum, & artis hujus inprimis gnarum: cui nullum Notarum genus, quam difficile etiam id esset offerebatur, quin ab ipso intelligerentur.*

1. Cæsar Augustus.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

EXpeditum est, & multorum confirmari potest auctoritatibus, Veteres Notis & signis plurimùm in scribendo fuisse usos. Nam ut de *Hieroglyphicis*, quas vocant, literis (cum de his doctè & copiosè scripserit Joh. Pierius) uti & de *Cabala*, de qua apud Johan. Langium in Epistolis Medicinalibus, & Picum Mirandulanum passim habetur, nihil hic dicam, juvat tamen de usitata apud Ægyptios pingendi scribendive consuetudine Ammianum Marcellinum audire disserentem. Non enim (inquit *lib. 16.*) ut nunc literarum numerus præstiturus & facilis exprimit quicquid humana mens concipere potest; ita prisci quoq; scriptitarunt Ægyptii, sed singulæ literæ singulis nominib. serviebant, & verbis nonnunquam significabant integros sensus. Quem etiam scribēdi morem à Græcis celebratum fuisse, ex Solino *cap. 6.* comprobari potest. Refert enim ex M. Tullio olim quendam fuisse, qui universum Homeri poema ita subtiliter in membranis descriptum haberet, ut illud totum levi nucis putamine concluderet nimirum quod signis atq; notis & iis quidē valde exilibus, depictum esset. In quibus effingendis Myrmecidem Milesium, & Callicratidem Lacedænomium potissimum excelluisse refert Ælianus *lib. 1. var. histor.* quos fama fuit in sesamo (quod minutissimū genus seminis est, milio panicoq; simillimum) distichum elegiacum literis aureis, ut *ad Tit. 10. in fin.* diximus inscripsisse; sed ut nonnulli hoc interpretantur, Notis quibusdam atq; signis. Raro enim Veteres integris inscribendo literis utebantur. Unde memoratur apud Galen. *l. 7. de cōposit. Medicā.* Menecratis quondam Medici liber ὁλογραμμάτων, quod integris literis exaratus esset. Receptus etiam aliquando est apud Rom. scribendi per literarum compendia mos, authore

Notæ veteribus usitatæ.

... tum Græcis.

quod Latinis.

thore potissimùm Mecœnate, quem scribit Dio *lib. 5.* invenisse primùm quasdam literarum notas, quibus celerrimè scribi posset, easque per Acilium libertum publicasse: quas in usu etiam suo tempore fuisse significat Quintilianus *lib. 11. cap. 2.*

Etiam in legibus.

Et ijs quidem Veteres etiam in Legibus, Senatus consultis, Edictis scribendis usos, unicus Valerii Probi libellus abunde docet. Suntque in hanc sententiam elegantes Manilii versus, *in l. Astronom.* quibus Notarum compendia qui tenuerit, eum Leges & jura populi Romani sciturum, & intra domesticos ac privatos parietes qualiter cuique jus reddendum sit, in promptu habiturum significat:

> *Hic & legum tabulas, & condita jura*
> *Noverit, atque notis levibus pendentia verba,*
> *Et licitum sciet, & vetitum quæ pœna sequatur,*
> *Perpetuas populi privato in limine Prætor.*

Notæ non erant literæ.

Notæ autem illæ, non erant literæ, ut ex Pedio Paulus refert *in l. sed cum patrono. 6. §. fin ff. de bonor possess & l. Lucius 40 ff de test. mil* Sed compendia quædam dictionum, ut Cujacius interpretatur *lib. 3 Observat. cap. 3. & lib. 12 cap. ult.* quæ Justiniani tempore *Sigla* dicebantur, ut apparet ex epistola ejus ad Antecessores *§. illud autem 8.* Græci, σημειοῦν dicunt: ut & διὰ σημείων scribere: quod est Notis, sive per notas scribere. quod dicendi genere & Ciceronem usum video 13. *Ep. ad. Atticum:* Et quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexti credo: quia διὰ σημείων scripseram.

Notæ etiam ancillis usitatæ.

Adeò autem familiaris fuit illis temporibus Notarum usus, ut harum peritia etiam ancillæ censerentur; mentionem præsertim faciente Marcellino ancillæ cujusdam, quæ Assyriæ nomine literas Notis ad Barbationem pedestris militiæ rectorem scripserit. Quo minus etiam mirandum est, Scribas & librarios in describendis olim veterum JC. libris Notarum compendio usos fuisse.

Iustinian. cur notas prohibuerit.

Quarum intelligentia cùm oppressis assidua bellorum rabie literarum & Jurisprudentiæ studiis paulatim obsolevisset: nec ea minus difficultatis & negotii legentib. exhiberent, quàm res ipsæ Notis descriptæ: & multi prætereà subtili ac varia harum interpretatione in fraudem inducerentur, magnæq; insuper judicantib. & discentibus tenebræ inde offunderentur: disertè prohibuit Justinianus, ejusmodi posthac Notis & signis in describendis Juris prudentiæ libris uti: ne qua malignis interpretibus, imperitisvê, verborum evertendorum ansa præberetur. Barrab. Brissonius *l. 4. Select. interpret. c. 21.* Quis enim, si ejusmodi velut stigmatum notis deformatos veteris Jurisprudentiæ libros Justinianus ad nos transmisisset, earum sese laqueis expedire potuisset, aut quis in illis reddendis exprimendisq; litium altercationumve finis fuisset, cum in earum interpretatione Tribonianus ipse frequenter hæsisse deprehendatur.

Triboniani error ex Notis.

Aliquando enim Notas malè reddidit, aliamque illis quàm præ se ferant, sententiam attribuit. Aliquando Notas, pro non Notis, nonnunquam etiam non-Notas pro Notis accepit. quod post Anton. Foquelinium *ad Tit. de vulgari subst.* multis exemplis demonstrat Joh. Thomas Freigius *in Epist. Pandect.*

Scytala Laconica.

Sed ut ad exempla à Pancirollo nostro proposita deveniamus: constat utiq; Scytalam illam Laconicam totidem, quot dixit, verbis descriptam esse à Gellio *lib. 17. Noct. Attic. cap. 9.*

Cæsaris scribendi ratio.

De eo autem scribendi modo, quo C. Cæsar in epistolis usus est ad C. Oppidum & Balbũ Cornelium, qui res ejus absentis curabant, exstat Probi Grammatici satis curiosus commentarius.

Augusti.

Et de literarum commutandarum ratione, Augusto frequentata, circumvagatur

tur ejusdem hæc ad filium conscripta epistola: Quia innumera incidunt assiduè, quæ scribere alterutrum, & secreta esse oporteat: habeamus inter nos Notas, si vis, tales, ut, quicquid scribendum sit, pro unaquaq; litera succedentem scribamus hoc modo, ut pro A ponamus B; & C pro B; & de reliquis in hunc modum & pro Z duplex AA, ut à novissima ad duplicatam redeamus, &c. Aliter Cicero, qui ex quorundam sententia, instar Dictionarij librum conscripsit, in quo singulis verbis singulas notas, quibus illa significarentur; præfixit; tantaque erat Notarum & verborum copia, ut quæcunque Latino sermone scribi possent, suis notis exprimerentur. Sed hæc qualia sint videamus. Scytalam certè ingeniosissimus Scaliger Laconica appellat nugalia. Nam tametsi, inquit, nulla mihi Scytala sit: tamen pusillo temporis momento unam dimetiar. Etenim primâ quaque notulâ depræhensâ, cæteræ ad jussa veniunt; *Exercitat. 327. ad Cardanum*. Notas verò & literarum transpositiones, quam artem idem Scaliger *imposturam* decebat *& delirium*, qui aliter æstimabo: quam vanissimas, & quæ vel à pueris facilè agnosci queant? Observata enim Characterum potestate, qui sæpius repetuntur, nemo est quin videat, parum admodum ad scripti obscuritatem facere Characterum potestatem immutare, aut etiam figuram: siquidem ne latens scriptum mentis inquisitione eruatur, nihil interest, characterem vel barbaricum esse, vel aliam quamvis formam pro Charactere depingi; modo compertum sit, quo sermone charta concinnetur, isque sermo interceptori minimè obscurus existat. Ciceronis denique inventum quod attinet: quis tantum laborem in ejusmodi notis perquirendis citra nauseam subibit, ut tot sibi Charactere effingat, quot rebus singulis, quæ usu venire possunt, ut singuli aptentur, sufficiant. quibus quamvis tutò scribi possit, quomodo tamen paucis diebus, ne dicam horis, idem conscius interpretabitur, qui hunc verborum indicem retineat; Abeant igitur cum sua vetustate tam copiosa: & frivola Veterum commenta. Longè alios astus, longè aliam vafriciem ætas hæc videtur exposcere: in qua vel infantes cum balbutiunt adhuc, & quædam sub dolæ mentis signa veluti primitiæ illis ingeruntur, quasi è nutricis uberibus simul cum lacte illam suxisse, imò à matris utero contraxisse videantur. Etsi autem in clandestina hac scribendi ratione docenda, diligentem operam præstitit Robertus Valturius *lib. 7. de re militari, c. 17* multò tamen diligentiùs ea omnia conquisita & pertractata sunt à Johan. Baptista Parta, *in lib. de Furtivis Literarum notis, & l. 16. Magiæ Nat.* quibus in locis rem omnem duo in membra partitur: quorum altero de ijs tractat characteribus, vel notis & Ziferis, quæ sub aspectum quidem cadãt, sed technis aliquibus implicitæ sunt, quò minus à quolibet possint intelligi: Altero modos explicat. quibus Notæ prorsus inconspicuæ fiant, & delitescant, nec unquam, nisi arte quadam adhibite, cerni queant. Utriusque exempla subjicit satis multa: quæ tamen fido pectore cõtegenda monet, ne passim per manus ignari & gregarij hominis pervagantia vilescant. Eum tu, lector, adire poteris. Nam singula huc transcribere mihi non fuit integrũ, cum res peculiarem etiam tractatum desideret, & extet de hisce literarum Notis gravissimum Lipsij judicium *in centur. 1. Epist. Belgic. ep. 27.*

Ciceronis. Seculi hujus astutia. Ostenditur quàm nihil sint modi illi. Notarum tractatio duorum generum.

Illud hic placet adjicere, Notas istas, præter occultanda animi nostri sensa, etiam ob scribendi celeritatem fuisse excogitatas. Sic enim *Notarios* dictos constat à notis, quibus ad scribendi compen-

Notæ cur excogitatæ. Notarij.

inductâ cerâ solicitius illinebantur obducebanturque suam præsertim ob duritiem minùs idoneæ, cum ad literas recipiendas, tum easdem abolendas. Mos enim erat ferro, non calamo in ceris scribere. quod Græcos & Thuscos primùm factitasse testatur Isidorus *d. lib. 19. c. 9.* Postea Romani jusserunt; ne graphium ferreum quis haberet. Unde & apud Scribas dicebatur, Ceram ferro ne cædito: institutumq; ceram ossibus scribere, sicut indicat Atta in satyra, his verbis.

Stylus ferreus.

imò osseus.

Vertamus vomerem in ceram, mucrone-
neq; aremus
Osseo——

quod desumptum videri potest ex illo Tutinii, *velim ego osse arare campum cereum*, id est, ceratas codicillorum tabellas, Quanquam *Stylum vertere* Ciceroni & Horatio est, inducere, & quod styli parte aculeata scriptum erat, citò mox adversa illius parte, quæ latior fieri solebat, delere atq; expungere. Schedæ porrò illæ, quoniã ex codice arborũ cõstarent, *Codicili* dicebantur; & à plana illa forma *Tabulæ* sive tabellæ: *Ceræ* verò, quia cerâ obducererentur; & quòd pungendo scriberẽtur, *Pugillares*. De Codicillis, apud JC. passim, singulariter verò ceratis, apud Ulpianũt *in d. l. librorũ. 25. in princ.* de Ceris & Pugillarib. Plinius *l. 1. Ep.* Erat in proximo, inquit, non venabulum, aut lancea, sed stylus & *pugillares*: meditabar aliqua enotabamque, ut si manus vacuas, plenas tamen *ceras* reportarem. Plautus *Curculione*:

Codicilli: Tabulæ: Ceræ: Pugillares.

Dum scribo, explevit totas ceras quatuor.

ut vel inde constat, codicillorum sive pugillarium usum tam antè, quàm post inventam chartam fuisse, quod doctè probat Manutius *ad Ciceron. Ep. ult. l. 9.* Tabellarum autem idem quoque Plautus meminit *in Pseudolo*, ubi amatorem inducit tabellas cereas ab amica scriptas perlegentem, quibus illa argentum denoscebat. quæ quidem tabulæ, pro more puellis etiamnum usitato, ita lepidis conscriptæ erant literis, ut dubitabundus quæreret Pseudolus:

Codic usus [illegible] ante chartam.

An obsecro habent gallinæ manus? nam
has quidem Gallina scripsit.

ac quia ferè semper testamentum mandabatur tabulis, ut cæteræ res oẽs, quæ seriæ essent & magni momẽti, quarum memoriam & fidem perpetuam esse oportebat. Hinc factum est, ut tabularum communi nomine abuterentur pro testamento: ut in Bonorum possess. secundum vel contra tabulas. Erant enim *tabulæ ligneæ cerâ illitæ*. Unde Hæredes scripti in ima cer, apud Sueton. *in Iul. Cæs. c. 38.* quod Ciceroni est *in extrema cera Verr. in. 3.* Cajo in *exterma pagina l. 2. Inst. c. 23* Savarolæ in ima parte *l. codicillis 34. §. 1 ff. de usufr. & usufr.* Marciano *in novissima par. l. ult ff. de fidei cõ. libert.* Justiniano in inferiorib. partib. §. *fin. antẽ. Inst.* Allusit ep. Horat. *Satyr. 5. l. 2.*

Tabulæ pro testamentis.

In ima cera
in exterma scribi.

Sic tamen ut limis rapias, quid prima secundo
Cera velit versu, solus? multisve cohæres
Veloci percurre oculo.

Id est, raptim, celeriter, & oblique, dissimulando, & veluti aliud agens, legas, qua parte tabulæ scribaris hæres secundus vel substitutus. Olim enim in primâ cerâ vel tabula & quidem primum versu scribebatur *testatoris nomẽ l. I. uci. 88. ult §. ul. ff. de legat. 2.* in secundo versu, *hæredis*. In secunda verò tabula *nomen hæredis secundi*. Erat quippe initium faciendum ab Hæredis institutione: aliquin etiam legata ante hanc hæredis institutionem relicta vel data non valebant. Quod posteà à Justiniano correctum est *in §. ante 39 l. Inst. de leg.* Fran. Connar. *lib. 10. comm. jur. civ. c. 7. nn. 1.* Cùm itaq; tabulæ illæ non ita faciles portatu essent, utebãtur eis ad testamenta, rationes domesticas, & cætera omni-

In testam scribendu quis ordo.

Tabular. usus.

mnium, quę domi asservabantur. Ad *papyro vel membraneis epistolis* scribebant ad amicos absentes, & reliquas res, quæ iis erant communicandæ, qui locorum intervallo se jungebantur. idem Connan. *lib 9. c.6.n.8.* Etsi autem tabulæ sive pugillares illi ex varia ligni fiebant materia: buxeas tamen frequentissimo in usu fuisse video, de his enim signatè loquitur Propertius:

Tabella plerūq; è buxo.

Ergo tam docta nobis periere tabella,
Scripta quibus pariter tot periêre bona!
Non illas fixum charas effecerat aurum,
Vulgari buxo sordida cera fuit.

Sic & ex buxo literæ quandoq; fiebant, ad prima elementa pueris tradenda. Unde Hieron. *ad Latā*, de institutione Filii: Fiant, inquit, literæ vel buxeæ, vel eburneæ, & suis nominib. appellentur. Ludat in iis puer, ut & lusus ipse eruditio fit. Hujusmodi pugillaribus, & stylis (ferreis tamē) discipulorum suorum confectus, atq; minutissimis ictibus excarnificatus in foro Corneliano interiit Cassianus Martyr, si Prudentio credimus, ita de ipso περὶ στεφάνων canenti:

Cassianus stylus & pugillarib interfectus.

Innumeri circùm pueri, miserabile visu,
Confossa parvis membra figebant stylis
Vnde pugillares soliti percurrere ceras,
Scholare murmur annotātes scripserāt.
Conjiciunt alii fragiles inq; ora tabellas
Frangunt, relisa fronte lignum dissilit.
Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis,
Rubetque ab ictu curva tundens pagina.
Inde alij stimulos, & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cera sulcis scribitur.
Et qua secti apices abolentur, & aquoris hirti
Rursus nitescens innovatur area.

Porro librorum materiam fuisse comperi, non tantùm folia plantarum, corticem arborum, plumbum, lintea, ligna cerata, de quibus hactenus diximus: sed & ębur, lapides, æs, intestina animalium, Chartas, Membranas. Codicum sive librorum eboreorum Ulpianus meminit *d.l. librorum. 52. in princ.* quos Flavius Vopiscus appellat *elephantinos* iis verbis: Ac ne quis me Græcorum alicui; vel Latinorū existimet temere credidisse, habet bibliothecam Ulpia. in armario 6. librum elephantinum, in quo hoc Senatus cōsultum perscriptum est, cui Tacitus ipse manu sua subscripsit, &c. Ut ridiculum sit illorum commentum, qui libros elephantinos dictos autumant ab operis amplitudine, quasi Elephantorum proceritas & vastitas nominis ansam illis dederit. Lapideos verò libros quod spectat. Enoch ille septimus ab Adam magno, natus ante inundationem terrarum anno tricesimo quarto supra millesimum, cùm vaticinatus esset de judicio futuro, tam aquarum diluvii, quàm conflagrationis, ut est apud Judam Apostolum *in Epistol. Catholica*, & siderum præterea cognitionem ac scientiam meliorum rerum posteris communicasset, vaticinium hoc suum, & disciplinæ præcepta, ne qua scilicet ætas labesve hominum notitiæ & memoriæ ea subtraheret, duabus inscripsit columnis, alteri lapideæ, alteri latericiæ; ut si latericiam unam: diluvio deleri contingeret, altera lapidea superesset, quarum hanc Joseph. *lib. 1. Antiq. Iudaic. c. 2.* suo adhc tempore in Syria exstitisse testatur. Herodot. quo? *in Vrania* tradidit, Themistoclem ēt tempore Xerxis literas bene longas in lapidibus incidisse, quas postero die Iones Artemisium venientes, legerint. Et Jamblichus dogmata occultæ doctrinæ se sumsisse fatetur è columnis Mercurii, easque columnas ait Assyriorum & Ægyptiorum disciplinis fuisse plenas, *in lib. de Mysterijs.* Ab his enim & Chaldæis Josephus monet, antiquarum rerum historiam

6. in ebore. Libri eborei. elephantini.

7. in lapi. lib.

Enoch columna.

Ab Ægyptiis antiquitas petenda.

storiam requirendam esse: quorum fuit institutum, ut eorum sacerdotes & Philosophi circa scribendam historiam versarentur. Mirari se igitur, inquit, eos, qui tantùm in historia Græcis tribuunt: cùm ipse docere paratus sit, Græcos nõ modò adulto jam mundo, sed etiam propemodum senescente natos, eorumq; inventa omnia esse recentia. Quapropter flamen ille Ægyptius, Soloni dicebat, Græcos semper esse pueros, nec quenq̃ in Græcia senem reperiri. Adhæc ait Josephus, quòd si non vanis opinionibus accommodare assensum volumus, sed ab ipsis rebus veritatem sumere, universa quidem apud Græcos recentia invenimus; heri, ut dicitur, acta, aut nudius tertius: Urbes, inquã, conditas artium commendationes, & leges populis scriptas. Proinde qui vetustæ historiæ veritatem nosse cupiat, hunc oportere dicit ab Ægyptiis, Tyriis & Chaldæis exquirere. Ex quibus auctoribus Josephus mira diligentia sacræ historiæ auctoritatem confirmavit, in duobus illis libris qui inscripti sunt, *de Antiquitate Iudæorum*, refutatorii contra Appionem illum Grammaticum, quem Tiberius Cæsar cymbalum mundi vocabat: cùm, ut ait Pli. *in præf. de Vespas.* publicæ famæ tympanum potiùs videri posset. Taceo infinita illa monumenta marmorea, argumẽtum lapideorum librorum satis evidens interim præbentibus fastis illis, Romæ in Capitolio etiamnum conspicuis. Nec ignotum est, *Danorũ antiquiores Majorum suorũ acta*, patrii sermonis carminibus vulgata, linguæ suæ literis, saxis ac rupibus insculpenda curasse. Tanta quippe tradendæ rerum suarum memoriæ cupido eos incessit, ut voluminum loco vastas moles amplecterentur codicum usum à cautibus mutuantes, ut tradit Sax. Grammaticus *in præfat. Dan.*

Græci semper pueri.

Appion Grammaticus.

Dani in saxis & rupibus res gestas sculpserunt.

in are.

In æs verò scripsisse quandoque Veteres, dubium non est: asserente præsertim Plinio, usum æris ad perpetuitatem monumentorum jam pridem translatum esse, tabulis æreis, in quibus publicæ Constitutiones inciduntur. Sic Tullius *in Catilinaria* ait Æra legum in Capitolio fuisse tacta de cœlo. Constat enim Leges XII. Tabb. fuisse in æs incisas, atq; in foro propositas: & ærearum tabularum tria millia, quibus publica monumenta incidebantur; quæ simul in Capitolio conflagravarant, Vespasianum Augustum, ut restituerentur curasse, cùm exemplaria, ex quibus illa transcripta fuerant, undiq; investigasset. Sic apud Livium *Decad. 1. l. 2.* legimus, fœdus ictum cum Latinis fuisse insculptum in ænea columna. Sed & *1. Machab. cap. 8. & 14* tum Romani, tum Spartiatæ dicuntur rescripsisse Judæis tabulis æreis, quas Hierosolymam miserunt de stabilienda cum eis amicitia & societate. Nec dissimulandum est, quod Plato *in Minoe* scribit, Talum apud Cretenses tempore Minois & Rhadamanti circumtulisse per totam insulam tabulas æreas, in quibus leges erant insculptæ. Unde etiam *æreus* sit nominatus. De hoc Talo ridicula narrantur, quæ animi causa hisce commentariis inserere placuit. Ajunt enim hunc à Vulcano ex ære fuisse fabrefactum, Minoiq; dono missum ad Cretensis insulæ tutelam. Ter n. in singulos annos insulã obibat, excubias agens. Unde Apollonius *4. Argonautic. in fin.* ter Cretam pedibus æneis lustrantem nominat. Scholiastes ibi annotat, toto corpore æreum fuisse, præter tuberculum quoddam in imo calcaneo, tenui membrana tectũ: qua dirupta, mors ei fataliter constituta fuerit. Zenodotus *in proverbiis* Simonidem allegat, novæ fabulæ auctorem, qui dicat, Talum æreum virum, prius quam in Cretam perveniret in Sardiniam accessisse, ubi non paucos mortales neci dederit.

Talus æreus.

Eustathius *in 20. Odyss.* narrat, Eum, quando necare aliquem voluerit, in ignem desilire solitum fuisse: quandoquidem id sine vitæ periculo præstare poterat, quòd æreus esset. mox autem, ubi ita incaluisset, ut canderet, comprehensum morti adjudicatum pectori suo admovisse exussisseque. Propius verò est, Æreum sive *æripedem* fuisse dictum Talum, quòd legum in æneis tabulis incisarum, & circumlatarum per universam Cretam fuerit observantissimus. quemadmodum & *Ragnachildam*, Theodorici Gothorum Regis uxorem, Najadum unam & anserinis fuisse pedibus fabulata est vetustas: non quòd anseris natatiles pedes habuerit, sed quòd aquis & fluminib, mirum in modum oblectaretur, & pedibus prædita esset molliusculis, & anseris plumâ candidioribus. Adeò Veteres anxiè in singulis Heroidum particulis pulchritudinem ac colorem notarunt. Hinc illud Homeri *Iliad. 9.* Dea Thetis pedibus argenteis: θεὰ θέτις ἀργυρόπεζα: Sic enim Achilles matrem suam vocat, Pindarus Venerem. Atque Niceen pulchros talos habentem Hesiodus posuit *in Theogon.* Sic quo tempore Alemanni cum Gallis, Conrado Imperatore ductante, res repetitum in Syriam & Hierosolymam iverunt, Manuele Comneno Constantinopolim tenente, Nicetas ait fuisse mulieres Germanicas, virorum instar equitantes, martio vultu atque habitu, Amazonica prorsus audacia: quarum illustrissima, altera prorsus Penthesilea, ob fimbrias & limbum vestium auro intertextum *Auripes* vocabatur. Nicet. *in gestis Manuelis, anno 1147.* Unde etiam liquet, extrema vestimenti aurea vel argentea pedibus olim quandoq; attributa: ita ut existimem (ait Forcatulus) Herculem non cum fœmina ancipitis naturæ, serpentem ad femora usque referente, concubuisse, & Scytham, qui genti nomen dedit, progenuisse, ut putat Herodot. *lib. 4.* sed cum puella clarissima, quæ stolam squamis aureis ardentem & interiora corporis vel antem gestarit, quæ vera est Stephani Forcatuli interpretatio *lib. 6. de Imper. & Philosoph Gallor.* Ut verò & de libris ex intestinis animalium factis aliquid dicam: video horum mentionem fieri ab Malcho Byzantio Sophista, *in historia, quam ab Imperio Constantini usq; ad Anastasium deduxit* Georgio Cedreno *in compendio historiar.* à mundo condito, usq; ad Isaaceum Comnenum Imperat. & Johanne Zonara *Annalium tom. 3.* qui regnante Basilisco scribunt Constantinopoli exorto incendio, ipsam Basilicam cum Bibliotheca conflagrasse, in qua centum viginti millia librorum fuerint reposita: inter quos fuisse perhibetur Draconis intestinum longitudine pedum centum viginti habês inscripta literis aureis Homeri poëmata, Iliadem & Odysseam, cum historia rerum ab Heroibus gestarum: Restat, ut de libris & Charta & membrana confectis dicamus. Differt autem Charta à Papyro, ut effectu & materia. Ex papyro enim Charta efficitur, ut rectè ab Ulpiano responsum sit, Chartis legatis, neq; papyrum ad chartas paratam, neque chartas nondum perfectas contineri. *d. l. librorum 52. §. chartis. 6 ff. de legat. 3.* Papyri autem quæ recensenter species: altera Ægyptia; altera ei affinis & simillima. De hac posteriore nihil hic attinet dicere. At illius Ægyptiæ descriptio apud Plinium exstat *lib. 13. cap. 11.* his verbis: Papyrum ergo nascitur in palustribus Ægypti, aut quiescentibus Nili aquis, ubi evagatæ stagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum, brachiali radicis obliquæ crassitudine, decem non amplius cubitorum longitudine, triangulis laterib. in gracilitatem fastigiatum thyrsi modo cacumen includens. Hinc Charta præparabatur in hunc mo-

Ragnachilda an anserinis fuerit pedibus.

Argentipes.

Auripes.

Fœmina ancipitis Naturæ.

9. in intestinis animalium.

10 in Charta scriptitatum

Papyrus Ægyptia.

Charta praparatio.

Marcus amat nostras Antonius, Atiice Musas.

Charta salutatrix si modò vera refert.

3. *Fanniana:* à Q. Rhemnio Fannio Palæmone, celebri Grammatico: quē Suetonius *in l. de Illustribus Grammaticis*, scribit officinas pro mercalium chartarum exercuisse. Hic enim poliendo Romæ chartam Amphitheatricam cùm ex proletaria, deterioreque augustiorem atque elegantiorem conformasset, visus est novam speciem constituisse, Fannianam de suo nomine appellans, relictâ in suo Amphitheatricâ non interpoli quæque mangonium sui artificij experta non erat. 4. *Amphitheatrica*, seu, ut mavult Guilandinus, *Athribitica* à confecturæ sive præfecturę loco. Inter alias enim Ægypti prefecturas, quarum Sesostrim triginta sex constituisse Diodorus refert *lib 2. Rerum Antiq, cap. 1* erat etiam Athribitica: cujus Strabo; Ptolomæus, Stephanus, alii meminêre. Atq; hæc Amphitheatrica charta à Faniniana tantum discrepat, quantum adamus, smaragdus, carbunculus, gemmæ aliæ, à scalptis & perpolitis differunt; & quantum mulier, animalium fastuosissimum, surgēs è strato dissidet à seipsa postquam crines fluentes composuit, vultum lavit, & molli ac splendido amictu induta est. 5. *Saitica*, ab oppido Sai. 6. *Taniotica.* Guilandinus legendum docet Tanitica, à civitate Tani, quæ hodiè Damiata vocatur: eò ꝙ Tæniæ locus (cui ob angustam longitudinem hoc nomē est, & unde Tęnioticam chartam dictam putamus) extra Deltam situs sit: Papyrum aūt in Ægypto extra Deltam non gigni, Plinius dixerit. 7. *Emporitica*, ἀπὸ τῶν ἐμπόρων i.e. à mercatoribus cognominata: quæ, quod scripturæ inepta erat, mercib. involucra præbebat. 8. *Macrocollum*: à majoribus coriis seu bracteis cognominatum. Nam κόλλα, auctore Hesychio, significat dorsi bovis corium, ex quo glutinum excoquitur. μακρόκολλον autem idem interpretatur μεγάλα. Quanquam autem Macrocolla magnitudine reliquas chartarum species longè excellerent, quippe quæ mensuram sedecim digitorum, nec rarò quatuor supra viginti attingebant: tamen quòd volentes unam ex eis membranam rescindere, non sine aliarum injuria tæniarum, & plurium dilaceratione plagularum moliri id possent, inter illaudatas habebatur. De *Membranis* verò, quæ & ipsæ scribendi materiam Veteribus suppeditabant, quid dicam? Equidem usum harum antiquissimum video. Nam & *Diphtheram* sunt qui interpretentur pellem Capræ, quæ Jovem lactârit: in qua creditum est antiquitus illum omnia scribere, quæ fierent. Unde quæ nec in historicorum literis exstarent, nec in hominum memoria servarentur, ea velut ex *Iovis Diphthera* petita dicebātur. Discimus etiā ex Herodoto historiæ parente, Jonas olim byblos dixisse diphtheras, veterii ex consuetudine, quòd byblorū, hoc est, papyri sive chartæ inopiâ, pellibus uterentur tum caprinis, tum ovillis. Prisca consuetudine (inquit in Terpsichore) chartas Jones appellant pelles, quòd aliquando penuriâ chartarum, pellibus caprinis ovillisq; utebantur. Adhuc quoq; ad eam usq; memoriam multi barbarorum in talibus pellibus scribunt, &c. Nec desunt, qui sub pelle velleris aurei, quod Argonautæ ex Colchide advexerunt, intellegant Diphtheram, hoc est, librum ex membranis Veterum more confectum, & arcana artis ejus, quam Chimiam vocant, pādentem, quo scilicet auri conficiendi scientia contineretur: Meritoque membranam eam appellatam fuisse auream, propter emolumētum, quod ex ea acquirebatur. Nec enim obscurum est Veteres ea dixisse aurea, quæ magnum suppeditarent emolumentum & reditum

11 In Membranis scriptum.

Diphthera.

Vellus aureū.

Aurea quæ lucrosa.

tum, sive agri bonitate, sive pecore aut lanificio. Hinc Martialis de Beti fluvio:

Betis olivifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

Quo circa factum est, ut pedes ipsæ aureas pelles habuisse ferantur, qualis fuit Argis Atrei, quam sibi Thyesten subduxisse queritur: ut in Colchide Æeta Rex, ad cujus arietis pellem Joh. profectus est, & socii Argonautæ, regii sanguinis & animi, qui regionem gregibus & opibus nobilem invaserunt, si Varroni credimus *lib. 2. de Re rustic. cap. 1.* quem laudat & sequitur Stephanus Forcatulus *lib. 1. de Imper. & Philos. Gallor.* A quibus etiam stare videtur Cœl. Rhodiginus, qui ex eodem Varrone vellus aureum in ovibus, charitatis nomine intelligendum asserit *lib. 25. Antiquarum lection. capit. 1.* Rectè charitatis nomine. Est enim Aurum hominibus charissimum, nec ullum ab his pluris fit metallum. Horatius *libro 1. Ode 5.* Pyrrha:

Aurum, quam charum.

Qui te nunc fruitur credulus aureâ,

id est, charissimâ sibi, multumque amabili & optatâ. quo sensu etiam Mediocritatem videre est dictam auream *lib. 2. Ode 10.* quòd charissima nobis, optima & pretiosissima esse debeat. Oves sanè tanto in honore habuerunt Veteres, ut ex iis solùmmodò opes fieri existimarint: & pecuniam atq; peculium omne à pecudibus & gregum numero olim censuerint: eaque de causa Maronianus Corydon divitias ostentaturus suas, dixerit;

Divitiæ olim in pecore.

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.

Ideoq; fictum, Oves olim lanam auream habuisse. Hinc *Mallophoros* Cereris cognomentum est in Magaride; ab iis fortè impositum, qui Mortalium primi Oves connutrire cœperint. Siquidem lanam Græci dicunt μαλλὸς ex quo & Idam μαλλεντὴν vocatunt, velut πολυπρόβατον, id est, ovibus abundantem. Similiter cùm Hercules ex Aphricana victoria nihil præter Oves abegisset *aurea mala* secum asportasse fabulosè dictus ast. μῆλα enim veteri consuetudine *Ovis* capraque dicitur: & eadem locutione etiam *pomum* usurpatur, quod post Rhodigin. itidem & Joh. Pierius annotavit *lib. 10. Hieroglyph.* Sed ut ad membranas redeam, constat utique ex Josepho, Diphtheras illas, quæ antiquitus ad scribendum adhibebantur, nihil à Pergamenis, ex urbe Pergamo (unde illis nomen) ab Attalo rege missis differre. Sic enim *lib. 12. Antiquit. Iudaic. c. 2.* scribit, ex Gelenii interpretatione: Ut verò senes illi venerunt, cùm muneribus à Pontifice missis, & cùm membranis, quæ legem aureis literis inscriptam continebant, primum de libris eos rogavit. ut verò ex involucris depromptos obtulerunt, multum diuq; miratus membranæ subtilitatem, & commissuras, quæ ita latebant, ut visu discerni non possent; gratias se illis habere dixit, qui venerint; & majores etiam ei, qui miserit: sed longè maximas Deo, cujus Leges attulerint. Loquitur autem Josephus de LXXII. Interpretibus, quod tam Græcæ, quàm Hebraicæ linguæ peritos Ptolomæus, non quidem *Lagus*, quòd Irenæus credidit, sed *Philadelphus*, tertius ab Alexandro Ægypti Rex, Tertulliano, Eusebio, Epiphani , Philone, Josepho testibus, inflammatus desiderio sacros Judæorum libros cognoscendi, curavit ingentibus ab Judæa expensis Alexandriam adduci: quorum studio ac diligentia vetus, quod vocant, Testamentum monetâ percuteretur Græcâ. Sed veritus, ne, si invicem consultarent, veritatem absconderent; eo omnes in insula Pharo in singula contubernia separavit, jussitq; ut quisque pro se librum eundem, transferret, atque eo in singulis libris ordine servato, opereque perfecto, omnibus mox convocatis, & per libros singulos interpretationem

Aurea mala

Diphthera eadem, quæ pergamena.

LXXI. Interpretes.

nem suam unoquoque proferente, ita omnium sententiam eandem esse constitit, ac si ab uno tantùm traductiones omnes emanassent. Idque Philo Judæus, de quo illud circumfertur, aut Plato Philonizat, aut Philo Platonizat, *lib. 2. de vita Moysis*; Justinus Matthyr, *in orat. ad gentes*, & Irenæus *l. 3. advers. Hæreses. c. 25.* incunctanter affirmant. licet August. *in Epistola quadam ad D. Hieron.* rem aliter gestam narret. Cæterum is quoque Josephi locus à nobis adductus argumento est, non tantùm Diphtheras Veterum nihil differre à membranis sive pergamentis, postea sic dictis: verùm etiam multò antiquiorem esse membranarum inventionem, quàm Varro tradidit, & Plinius credidit. Nam Eleazarus princeps sacerdotum, per illos LXXII. Interpretes libro sacros ad Ptolomæum Philadelphum tunc primùm regnare incipientem misit: at Æmulatio, quæ inter hunc Ptolomæum & Eumenem Pergami regem (quem Ælianus & Hieronymus Attalum vocat, communi omnibus Pergami Regib. nomine sicuti Ægyptii reges omnes Ptolomæi fuerunt indigitati) ob studiorum similitudiuem in conquirendis toto terrarum orbe omnis generis libris, suborta fuit, seriùs aliquantò gliscere, incrementaque sumere cœpit, quàm sacra volumina in Græcum traducta fuerunt. Quò fit, ut seriùs etiam chartas Ptolomæus supp imere potuerit, & multò adhuc seriùs Eumenes membranarum copiam fieri curârit, qua chartarum penuria pensaretur. quemadmodum nec illud verum est, quod ex Varrone & Plinio Pancirollus tradidit, fundata ab Aleximand. Urbe Alexandria, papyrum & chartam fuisse primùm inventam: cùm multis retrò seculis hanc in usu fuisse, evidentissimis rationibus evincat Melchior Guilandinus, in doctissimo suo tractatu *de Papyro*. Eum te, Lector, diligenter evolvisse, nunquam profectò pœnitebit. Equidem me bonam eorum partem, quæ ad hunc locum illustrandum facere videbantur, desumsisse, ingenuè fateor. Illud planè novum est chartæ sive papyri genus, in quam elementa hæc depingo. quæ ex linteolis conceptis, nulliusq; amplius usus, & aqua maceratis, ac posteà in lanuginem contritis, cōficitur, ita ut plagulæ ejus glutini cohærescant. Quæ quidem confectio cum & satis dextrè è Joh. Ruellio Medico doctissimo descripta sit *l. 1. de natur. stirp. c. 109.* & prætereà passim nota sit, iis præsertim, qui ad chartæ id genus concinnandæ usum constitutas Molas vel semel tantùm oculis fuerint contemplati: ideò de hac re quicquam porro verborum facere supersedeo. at illud poteris ex Hieronym. Benzone Italo huic libro apponere, quod cum Hispani literas Indis ad aliquem perferendas darent, non potuerùnt miselli illi barbari cogitando assequi: qua ratione charta illa nigro distincta eloqui posset: cujus rei talem ex Benzone *libro 2. historiar. nov. orbis capit. 17.* recenset historiam Gomara: mittebat, *ait*, Hispanus quidam ad amicum duodecim *Hutias*, (id est *Cuniculos* Indiæ occidentalis peculiares) assos, ne æstu corrumperentur. Indum, qui deferebat, cum vel obdormisset fessus de via, vel interquiesset, diutius morantem in itinere fames corripit: tres Hutias absumit: revertitur, literas ab amico illo ad Herum refert: Quibus ille de novem Hutiis ad se missis gratias amico agebat. Hispanus perlectis literis irascitur servo, ille duodecim reddidisse se affirmat: sed cum Indicio Epistolæ proderetur, rubore perfusus verum aperit: & suos ea de re populares commonefacit, ut sibi à *foliis & Chartis ejusmodi loquacibus* caverent. Nec dispar est, quod de Brasiliensibus scribit Johan. Lerius Burgundus *Navigat. Brasiliens. cap. 6*, quod char-

Membranarum usus etiam ante Eumenis amplationem.

Charta usus etiam ante Alexandriæ fundationē

Papyrus vel charta nostra

Literarum usus Indis incognitus.

tas atris notis distinctas conspicientes, præstigias esse rati sint. de quibus plura apud Sim. Majolum *part. 1. dier. canic. colloq. 23. pag. 766.*

DE ZIFERIS, SEU FURTIVIS LITERARUM NOTIS TIT. XIV.

Notas, quæ hodiè usurpantur, ego pro novis habeo. Quæ de re plenius ut disseratur, altius repetendum censeo. Lacedæmonij scribendi rationem clandestiniorem tenebant, quam literarum Notas Idque epistolæ genus σκυτάλην appellabant: quod hoc modo fiebat. Surculi duo erant teretes, oblonguli, pari crassamento, ejusdemque longitudinis, derasi atque ornati consimiliter. Unus Imperatori in bellum proficiscenti dabatur; alterum domi Magistratus cum jure atque cum signo habebant. Quando usus venerat literarum secretiorum, circum eum surculum lorum modicæ tenuitatis, longum autem quantum rei satis erat, complicabant, volumine rotundo & simplici; ita ut oræ adjunctæ undique & cohærentes lori, quod plicabatur, coirent. literas deinde in eo loco per transversas juncturarum oras, versibus à summo adimum proficiscentibus, inscribebant. Id lorum literis ita perscriptis, revolutum ex surculo, Imperatori commenti illius conscio mittebant. Resolutio autem lori literas truncas atq; mutilas reddebat, membraque earum & apices in partes diversissimas spargebat. propterea si id lorum in manus hostium inciderat. nihil quicquam conjectari ex eo scripto quibat. Sed ubi ille, ad quem erat missum, acceperat; surculo compari, quem habebat, capite ad finem, perinde ut debere fieri sciebat, circumplicabat: atque ita literæ per ambitum eundem surculi coalescentes rursum coibant; integramquè & incorruptam epistolam & facilem legi præstabant. Hoc epistolæ genere eodem modo & Imperator utebatur. Tres enim & tornatum lignum Senatui dabat alterum illius planè simile ipsemet retinebat: postea Schedam oblongam papyri aut membranæ ligno involvebat, circumligans eam instar fasciæ ad trochleæ sive testudinis illius formam, quæ in Traiani columna conspicitur: tum per transversum, seu in longum scribebat. post schedam illam dissolutam Romam mittebat, quam Senatus ligno suo implicans, rectè legebat. Sed hæc epistolæ forma Notas non continebat: verùm erat clandestinum quoddam scribendi conventum, de interrumpendo literarum situ, ne à quoquam alio legi possent. Tyro Ciceronis libertus ejusmodi commentus est Notas, ut per unam aliquam literam præpositio intelligeretur, aut adverbium. Post eum Persannius, Philargius, & Acilius Mecænatis libertus, alias addentes Tyronis inventionem ampliarunt. Singulis enim literis singula verba significabantur: verbi caussa, R. P. Respublica; P. R. Populus Romanus & idge- nus

Scytala Laconica.

Ciceronis libertus Mecœnatis libertus.

nus alia, de quibus Isidorus libro 1. Origin. cap. 22. *Sed hae quoque potius abbreviaturæ erant, quàm Notæ.* Cæsar *ita literarum potestatem commutabat, ut primas literas quarta quaque succedens indicaret*: Augustus *subsequentem pro antecedente ponebat; ut B. pro A. C. pro. B. & deinceps eadem ratione cæteras, ut* Suetonius *&* Dio *referunt. Hæ veræ erant Notæ: ponebantur enim literæ, sed non intellecta. Alij hunc excogitarunt modum, quo Numeros pro literis collocarunt, 1. pro a, 2. pro b. Alij suo pro arbitrio Alphabetum transmutarunt. Alij novos characteres efformarunt. Denique* Brixianus *quidam typis vulgavit modum quendam, quem intellectu credit impossibilem, nisi quis contrà exemplar istius habeat. Quod tamen falsum est. quandoquidem scripturam istam ipsemet explicari audivi & quod dici solet, quasi cum manu tetigi, nullas esse notas adeò difficiles aut obscuras, quæ non intelligantur ab jis, qui in hoc scribendi genere exercitati sunt: quorum multi Venetiis reperiuntur. Atque ipsemet domi meæ habui Hieronymum* D Francisci Nani, *nobilis Veneti filium, juvenem doctissimum, & artis hujus inprimis guarum: cui nullum Notarum genus, quam difficile etiam id esset offerebatur, quin ab ipso intelligerentur.*

1. *Cæsar Augustus.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

EXpeditum est, & multorum confirmari potest auctoritatibus, Veteres Notis & signis plurimùm in scribendo fuisse usos. Nam ut de *Hieroglyphicis*, quas vocant, literis (cum de his doctè & copiosè scripserit Joh. Pierius) uti & de *Cabala*, de qua apud Johan. Langium in Epistolis Medicinalibus, & Picum Mirandulanum passim habetur, nihil hic dicam, juvat tamen de usitata apud Ægyptios pingendi scribendive consuetudine Ammianum Marcellinum audire differentem. Non enim (inquit *lib. 16.*) ut nunc literarum numerus præstiturus & facilis exprimit quicquid humana mens concipere potest; ita prisci quoq; scriptitarunt Ægyptii, sed singulæ literæ singulis nominib. serviebant, & verbis nonnunquam significabant integros sensus. Quem etiam scribēdi morem à Græcis celebratum fuisse, ex Solino *cap. 6.* comprobari potest. Refert enim ex M. Tullio olim quendam fuisse, qui universum Homeri poema ita subtiliter in membranis descriptum haberet, ut illud totum levi nucis putamine concluderet nimirum quod signis atq; notis & iis quidē valde exilibus, depictum esset. In quibus effingendis Myrmecidem Milesium, & Callicratidem Lacedænomium potissimum excelluisse refert Ælianus *lib. 1. var. histor.* quos fama fuit in sesamo (quod minutissimū genus seminis est, milio panicoq; simillimum) distichum elegiacum literis aureis, ut *ad Tit. 10. in fin.* diximus inscripsisse; sed ut nonnulli hoc interpretantur, Notis quibusdam atq; signis. Raro enim Veteres integris inscribendo literis utebantur. Unde memoratur apud Galen. *l. 7. de cōposit. Medicā.* Menecratis quondam Medici liber: λογογραμμάτων, quod integris literis exaratus esset. Receptus etiam aliquando est apud Rom. scribendi per literarum compendia mos, authore

Notæ veteribus usitata.

tam Græcis.

quā Latinis.

thore potissimùm Mecœnate, quem scribit Dio *lib. 5.* invenisse primùm quasdam literarum notas, quibus celerrimè scribi posset, easque per Acilium libertum publicasse: quas in usu etiam suo tempore fuisse significat Quintilianus *lib. 11. cap. 2.*

Etiam in legibus.

Et ijs quidem Veteres etiam in Legibus, Senatus consultis, Edictis scribendis usos, unicus Valerii Probi libellus abunde docet. Suntque in hanc sententiam elegantes Manilii versus, *in l. Astronom.* quibus Notarum compendia qui tenuerit, eum Leges & jura populi Romani sciturum, & intra domesticos ac privatos parietes qualiter cuique jus reddendum sit, in promptu habiturum significat:

> *Hic et legum tabulas, & condita jura*
> *Noverit, atque notis levibus pendentia verba,*
> *Et licitum sciet, & vetitum quæ pœna sequatur,*
> *Perpetuas populi privato in limine Prætor.*

Notæ non erant literæ.

Notæ autem illæ, non erant literæ, ut ex Pedio Paulus refert *in l. sed cum patrono. 6. §. fin ff. de bonor possess & l. Lucius 40 ff de test. mil* Sed compendia quædam dictionum, ut Cujacius interpretatur *lib. 3 Observat. cap. 3. & lib. 12 cap. ult.* quæ Justiniani tempore *Sigla* dicebantur, ut apparet ex epistola ejus ad Antecessores *§. illud autem 8.* Græci, σημεῖα dicunt: ut & διὰ σημείων scribere: quod est Notis, sive per notas scribere. quod dicendi genere & Ciceronem usum video 13. *Ep. ad. Atticum:* Et quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexti credo: quia διὰ σημείων scripseram.

Notæ etiam ancillis usitata.

Adeò autem familiaris fuit illis temporibus Notarum usus, ut harum peritia etiam ancillæ censerentur; mentionem præsertim faciente Marcellino ancillæ cujusdam, quæ Assyriæ nomine literas Notis ad Barbationem pedestris militiæ rectorem scripserit. Quo minus etiam mirandum est, Scribas & librarios in describendis olim veterum JC. libris Notarum compendio usos fuisse.

Justinian. cur notas prohibuerit.

Quarum intelligentia cùm oppressis assidua bellorum rabie literarum & Jurisprudentiæ studiis paulatim obsolevisset: nec ex minus difficultatis & negotii legentib. exhiberent, quàm res ipsæ Notis descriptæ: & multi prætereà subtili ac varia harum interpretatione in fraudem inducerentur, magnæq; insuper judicantib. & discentibus tenebræ inde offunderentur: disertè prohibuit Justinianus, ejusmodi posthac Notis & signis in describendis Juris prudentiæ libris uti: ne qua malignis interpretibus, imperitisvê, verborum evertendorum ansa præberetur. Barrab. Brissonius *l. 4. Select. interpret. c. 21.* Quis enim, si ejusmodi velut stigmatum notis deformatos veteris Jurisprudentiæ libros Justinianus ad nos transmisisset, earum sese laqueis expedire potuisset, aut quis in illis reddendis exprimendisq; litium altercationumve finis fuisset, cum in earum interpretatione Tribonianus ipse frequenter hæsisse deprehendatur.

Triboniani error ex Notis.

Aliquando enim Notas malè reddidit, aliamque illis quàm præ se ferant, sententiam attribuit. Aliquando Notas, pro non Notis, nonnunquam etiam non-Notas pro Notis accepit. quod post Anton. Foquelinium *ad Tit. de vulgari subst.* multis exemplis demonstrat Joh. Thomas Freigius *in Epist. Pandect.*

Scytala Laconica.

Sed ut ad exempla à Pancirollo nostro proposita deveniamus: constat utiq; Scytalam illam Laconicam totidem, quot dixit, verbis descriptam esse à Gellio *lib. 17. Noct. Attic. cap. 9.*

Cæsaris scribendi ratio.

De eo autem scribendi modo, quo C. Cæsar in epistolis usus est ad C. Oppidum & Balbū Cornelium, qui res ejus absentis curabant, exstat Probi Grammatici satis curiosus commentarius.

Augusti,

Et de literarum commutandarum ratione, Augusto frequentata, circumvagatur

tur

tur ejusdem hæc ad filium conscripta epistola: Quia innumera incidunt assiduè, quæ scribere alterutrum, & secreta esse oporteat: habeamus inter nos Notas, si vis, tales, ut, quicquid scribendum sit, pro unaquaq; litera succedentem scribamus hoc modo, ut pro A ponamus B; & C pro B; & de reliquis in hunc modum & pro Z duplex AA, ut à novissima ad duplicatam redeamus, &c. Aliter Cicero, qui ex quorundam sententia, instar Dictionarij librum conscripsit, in quo singulis verbis singulas notas, quibus illa significarentur; præfixit; tantaque erat Notarum & verborum copia, ut quæcunque Latino sermone scribi possent, suis notis exprimerentur. Sed hæc qualia sint videamus. Scytalam certè ingeniosissimus Scaliger Laconica appellat nugalia. Nam tametsi, inquit, nulla mihi Scytala sit: tamen pusillo temporis momento unam dimetiar. Etenim primâ quaque notulâ deprærhensâ, cæteræ ad jussa veniunt; *Exercitat. 327. ad Cardanum*. Notas verò & literarum transpositiones, quam artem idem Scaliger *imposturam* decebat *& delirium*, qui aliter æstimabo: quam vanissimas, & quæ vel à pueris facilè agnosci queant? Observata enim Characterum potestate, qui sæpius repetuntur, nemo est quin videat, parum admodum ad scripti obscuritatem facere Characterum potestatem immutare, aut etiam figuram: siquidem ne latens scriptum mentis inquisitione eruatur, nihil interest, characterem vel barbaricum esse, vel aliam quamvis formam pro Charactere depingi; modo compertum sit, quo sermone charta concinnetur, isque sermo interceptori minimè obscurus existat. Ciceronis denique inventum quod attinet: quis tantum laborem in ejusmodi notis perquirendis citra nauseam subibit, ut tot sibi Characteres fingat, quot rebus singulis, quæ usu venire possunt, ut singuli aptentur, sufficiant. quibus quamvis tutò scribi possit, quomodo tamen paucis diebus, ne dicam horis, idem conscius interpretabitur, qui hunc verborum indicem retineat; Abeant igitur cum sua vetustate tam copiosa: & frivola Veterum commenta. Longè alios astus, longè aliam vafriciem ætas hæc videtur exposcere: in qua vel infantes cum balbutiunt adhuc, & quædam sub dolæ mentis signa veluti primitiæ illis ingeruntur, quasi è nutricis uberibus simul cum lacte illam suxisse, imò à matris utero contraxisse videantur. Etsi autem in clandestina hac scribendi ratione docenda, diligentem operam præstitit Robertus Valturius *lib. 7. de re militari, c. 17* multò tamen diligentiùs ea omnia conquisita & pertractata sunt à Johan. Baptista Parta, *in lib. de Furtivis Literarum notis, & l. 16. Magia Nat.* quibus in locis rem omnem duo in membra partitur: quorum altero de ijs tractat characteribus, vel notis & Ziferis, quæ sub aspectum quidem cadãt, sed technis aliquibus implicitæ sunt, quò minus à quolibet possim intelligi: Altero modos explicat. quibus Notæ prorsus inconspicuæ fiant, & delitescant, nec unquam, nisi arte quadam adhibite, cerni queant. Utriusque exempla subjicit satis multa: quæ tamen fido pectore cõtegenda monet, ne passim per manus ignari & gregarij hominis pervagantia vilescant. Eum tu, lector, adire poteris. Nam singula huc transcribere mihi non fuit integrũ, cum res peculiarem etiam tractatum desideret, & extet de hisce literarum Notis gravissimum Lipsij judicium *in centur. 1. Epist. Belgic. ep. 27.*

Ciceronis.

Ostenditur quàm nihil sint modi illi.

Seculi hujus astutia.

Notarum tractatio duorum generum.

Illud hîc placet adjicere, Notas istas, præter occultanda animi nostri sensa, etiam ob scribendi celeritatem fuisse excogitatas. Sic enim *Notarios* dictos constat à notis, quibus ad scribendi compendia

Notæ cur excogitatæ.

Notarij.

da utebantur. Marcus Manilius *libro 4.*

Hic & erit felix scriptor, cuj litera verbum est,
Quiq; Notis linguam superet, cursumq; loquentis
Excipiat, longas nova per cōpendia voces.

Tanta quippe horum in scribendo erat velocitas, ut sensa nostri pectoris vix dicta jam ceris tenerent: quemadmodum de Amanuense suo, quælibet velocissimè excipiente, scripsit Ausonius *Epigram. 138.* & Prudentius in Passione Cassiani, literarij Magistri eum sero literas Cornel. docentis

—agmen tenerum & puerile gubernat,
Fictis notata verba signis imbuens.

ubi signa ficta sunt dictionum in scribendo compendia, quæ & verborum furta dicuntur, & Breviaturæ. Unde & *Breviatores in Novel. de consulib.* Prudentius de eodem Cassiano:

Breviatores.

Verba notis brevibus comprendere cuncta peritus
Raptimq; punctis dicta præpetibus sequi.

Hinc Seneca *Ep. 90.* quid verborum Notis, quibus, quamvis citata excipitur oratio, & celeritatem linguę manus sequitur. An verò sequebatur tantum verba? imò etiam verba antevertebat, quandoque manus: Hieronymus *in consolatione ad Iuliam:* & tamen ille apposito Notario cogebat loqui, quo velociter edita velox cōsequeretur manus, & linguæ celeritatem præcederent signa verborum. Cui respondet illud Martialis.

Currāt verba licet, manus est velocior illis,
Nondum lingua; suū dextra peregit opus.

Qua in re singulariter quoque excelluisse Titum Vespasianum, memoriæ prodidit Tranquillus: E pluribus (inquit) comperi, Notis quoque excipere velocissimè solitum, & cum amanuensibus suis per ludum jocumque certantem, imitari chirographa, quæcunque vidisset, &c. Scribarum autem non tantùm scribendi celeritas commendat, sed & memoria (ait Cicero *pro Sylla*) scientia, & consuetudo. inprimis verò Fides. Eratque apud Veteres olim satis honorificum Scribæ munus. Nemo enim, ait Æmilius Probus ad id admittebatur, nisi honesto loco natus, & cujus cognita esset fides atq; industria: cùm necessum sit, omnium eum consiliorum esse participem. Ut eos interim taceam, quos Zasius refert maximo in honore apud Reges fuisse & Principes. de quib. mihic hic dicam ambitiosius, ne hominib. id genus pro animi mei adfectu nimium indulsisse videri possim. Videatur tamen, si placet, Hieron. Cagnol. *in pr. l. 2. ff. de orig. jur. nu. 107. cum seqq.*

Scriba requisita.

Munus honorificum.

Hæc quæ de scribendi celeritate dixi, in memoriam mihi revocant *Ladam*, nobilem illum Alexandri M. cursorem: cujus & Solinus meminit his verbis: *Primam palmam velocitatis Ladas quidā adeptus est, qui ita supracavum pulverem cursitavit, ut arenis pendentibus nulla indicia relinqueret vestigiorum.* quò haud dubiè respexit Juvenalis, cum ita canit:

Lada celeritas.

—locupletem optare podagram
Haud dubitet Ladas—

De hujus celeritate *lib. 4. Epigr Græcorum* exstant eulogia. At *lib. 2.* luditur Pericles quidam ita tardus cursor, ut dubium reliquerit, sederitne an verò cucurrerit. Sanè dum ipse adhuc funit, qui ad carceres solebat esse, sonitum exaudiret, quippe à carceribus nondum latum progressus digitū, interim jam alium confecto cursu coronatum fuisse. Unde Plutarchus: Ladam ferunt carcerum funiculo adhuc in auribus à laxatione sonante, decurso stadio coronam reportasse. *in præcept. gerendæ Rei.* Sed Ladę illi celeritate cursuq; pedum pręvertere ventos. Adsueta meritò certarit *Camilla* Volscorum regina: de qua apud Virgil. *in fin. Æneid.*

Camilla velocitas.

Illa vel intacta segetis per summa volaret.

Gra-

Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plã(*tas.*

Quibus versibus poeta haud dubiè ad *Iphiclum & Orionem* allusit, quorum alteri datum, ut per summas aristas ita leviter excurreret, ut ne summa quidem aristarum fastigia deturbaret. *Orion* verò quem ex Euryale Minois filia Neptunus sustulit, pater indulsit, ut suspensis vestigiis ita fluctus inambularet, ut neque summos pedes allueret. Cœlius Calcagninus *lib. 1. Epistolic. quæst. 8.*

Dixi suprà *ad Tit. 10. paulò ante fin.* Homerum à quodam depictum fuisse vomẽtem. quem locum de argumentorum & materiæ suppeditatione etiamnum potiùs, quàm de fundendorum carminum celeritate interpretor. qui sciam præcipitantiam illam Veteribus nunquam fuisse in laude. Sic enim M. Antonius librum de Ebrietate à se scriptum evomuisse, alicubi legitur, in probri loco. Et cum Agatharchus magnus sibi spiritus sumeret de pingendi celeritate; Zeuxis id intelligens, *Diu* (inquit) *ego pingo, quia pingo æternitati.* Similiter pictori parum perito de celeritate glorianti, demonstrataque pinace, illam modò se pictam dictitanti; respondit nobilissimus pictor Apelles: *Etiam tacente te res loquitur, ex tẽpore pictã.* Quanto commendabilius est Aristidæ sophistæ dictum, à Philostrate *lib. 2.* in scripta relatum? quo Marco Imperatori sciscitanti, quando ipsum auditurus forent, respondit: Hodiernum diem exime, at cras audies. Neque enim vomentium è numero sumus, sed elaborantium. Debet scilicet Philosophus non nisi ad dicendum paratus, meditatus excussis forulis, & omni supellectili oratoria ad dicendum prosilire: quod ipse etiam Georgius Remus monet *in Not. ad Themistij orat. 1. pag. 25.* Laudanturque à diligenti cura & l. ora scribendi *Virgilius, Euripides Isocrates*, qui denos vel ut alij volunt, quindenos annos uno panegyrico scribendo insumsit. Huc pertinent illud Catulli *de binna Smyrno*, parvo libello:

Festinatio vituperata.

At laudata cunctatio.

Smyrna mei Cinnæ nonã post deniq; messẽ
Quam cœpta est, nonamquè edita post hyemem.

Cui operi tot annos utpote elucubrato, immortalitatem ominatur eo versu

Hinc arcana diu secula pervolvent.

Etsi enim multis placet extẽporalis quædam scriptitandi ratio & in conficiendis libris celeritas, velut expromti, atq; in numerato positi ingenij argumentum: cujusmodi scriptores Cic. *lib. 2. ad Q. Fratrem ep. 9.* [Greek word] quasi subitò Musarum furore percitos appellat: qui fundunt quidem, ne de in uno stantes multas versuum centurias, eas tamen, quas animo sedatiore, qui sunt, ne semel quidem possint perlegere: Ipsi tamen sua poemata præsertim ilico postquam ediderunt immoderatè ac stultè amant: ut *Paul. Manut.* locum istum interpretatur. at mihi (inquit Had. Jun. *lib. 4. Animadvers. cap. 16.*) secus videtur, probaturq; impensius diligentia accurata, longiore tempore judicij confirmatore expressa. Illic verba veluti primorib. in labris nata, aut superficiario ingenij æquore natantia eduntur, hic lectionis multifariæ opus tanquam è sanctiore quandã ærario reconditæ promũtur, & habito delectu rerum verborumque pondera examinantur felicius, & exhibentur. Quid? quo celeriter nata, celeriter etiam intereunt? accidit nimirum scriptoribus illis (si tamen scriptores, quorum *scripta ante auctores* moriuntur) quod Gallinus post exclusum ovũ statim gloterantib. & veluti partum suum palam prædicantibus. Sed gestiens hic sua proferendi impetus, omni vi erit cohibendus, & il-

Præpropere scriptores gallinis comparati.

& illud animo etiam atque etiam versandum [Greek] , ut monet Raderus Jesuita *ad Mart. Ep. 4. lib. 1.* Qua in re tamen Pausonis Sicyonij (Plin. Pausiam appellat *lib. 35. cap. 11.*) celeritatem meritò exceperis. Is accepto precio Equuo conduxerat pingendum, qui se humi volutaret: cumque locatori currentem exhibuisset, & quidem pulvere oppletum; isque expostularet, secundum conventionis legem haud quaquam præstitam sibi operam, inquit Ministro ille: Age puer, tabulam inverte, sicque picturam ejus oculis exhibe, quo facto, videt locator emendatum esse quod sibi displicebat, nullamque esse amplius querimoniæ locum. Cernere enim erat equum in tergo jacentem, seque in pulvere volutantem. quod Lucianus Demonsthenis encomio scripsit, ut *Pausonis equus* proverbialiter de ijs usurpari possit rebus, quæ minimo negotio secundum cujusq; sententiam accommodantur. Alciat. *lib. 4. parerg. c. 7.*

Pausonis equus.

DE CONSPICILIIS TIT. XV.

Conspicilia.

M*Ulti dubitant, utrum Veteres conspicilia habuerint, nec ne: quoniam* Plinius, *rerum omnium scriptor diligentissimus, nullum de his verbum faciat: Contrà verò mentio horum apud* Plautum *fiet, cum ait,*

Vitrum cedò, nec esse est conspicilio uti.

Id quod nulla alia de re, quàm de specillis, quæ vulgò ocularia dicuntur, potest intelligi.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Becmannus.

NEgat *Christianus Becmannus* vir utriusq; literaturæ dòctissimus, conspicilium rectè dici; sed *conspicillum*, idq; vigore originis & analogiæ; ut enim Baculus bacillus, Furcula furcilla, ita etiam formatur, speculum specillum, apud Varronem *l. 5. Lat. ling.* & postea conspicillum quód initio hujus tituli monendum censui. Etsi autem, retenta communi enunciatione conspicilium quandoque locum denotat, ex quo aliquid possis conspicere, quemadmodum Nonius illud plauti in Medico, ait interpretatur:

Conspicillum

Conspicilij significatio.

In conspicilio adservabam pallium:

Tamen hic loci instrumentum id significat, quo adhibito res majores videantur. Quo etiam sensu illud Plauti incunctanter accipiendum est:

Vitrum cedo: necesse est conspicilio uti.

ut probabile hinc fiat, usum ejus satis vetustum esse quandoquidem & Ptolomæi specillum, quo ille per sexcenta millia adventantes naves conspiciebat, memoretur à Johanne Baptista à Porta *l. 17. Magia Natural. c. 11.* confectionem inibi ejus specilli docente, quo & per aliquot millia passuum amicos queamus agnoscere, & visu debiles è 1000 dissito & remoto minutissimos etiam characteres possint legere. Rem mehercule humano usui cumprimis necessariam, &, ut ait, optices ratione constantem. Ideò autem Pancirollus caput hoc in posteriore hanc partem rejicit, quòd cùm nullibi ferè apud classicos scriptores Conspiciliorum fiat mentio, inter Noviter reperta non incommodè haberi posse videtur. Cæterùm hebescenti visui Conspicilia probè opitulari; inter omnes convenit. Iis enim omnia majora apparent, ac spiritus visorij instau-

Ptolomæi conspicilium

Conspicilia visui opitulantur.

instaurantur atque in unum collecti minus evanescunt aut dissiliunt. Non tamen consultum putat Lemnius. *lib. 4. de occult. natura mirac. ca. 6.* ut viri plus satis maturè illis adsuescant: siquidem illis destituti, prorsus cæcutiant. Quòd enim hic caligant ac cæcutiunt, ex spirituum inopia ac defectu evenit. Quocirca & Specul avisum reficiunt, qoniam reflecti ac retorqueri radios contingit, ac spiritibus robur concipere, novis subinde à cerebro eò sese conferentibus. Hinc tanti semper habita fuit speculi inspectio, ut ne Philosophi quidem ab hac sibi abstinẽdum putârunt. *Socrates* certè ultrò etiam suasisse fertur discipulis suis, crebrò ut semet in speculo contemplatentur. ubi qui eorum foret pulchritudine sibi complacitus, impendio procuraret, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret: qui verò minùs se commendabilem formâ putaret, sedulò operam daret, ut virtutis laude turpitudinem tegeret. Adeò vir omnium sapientissimus, speculo etiam ad disciplinam morum utebatur: *Demosthenem* verò primarium dicendi artificem, quis est, qui nonsciat semper ante speculum, quasi ante magistrum, causas meditatum? Ita ille summus Orator, cùm à Platone Philosopho facundiam hausisset, ab Eubulide dialectico argumentationes edidicisset: novissimam pronunciandi congruentiam ab speculo petivit. Et si enim in omnibus manu faciundis imaginibus opera diutinò sumitur, nunquam tamen similitudo æquè ac in speculis comparet. Deest enim & luto vigor, & saxo color, & picturæ rigor, & motus omnibus, qui præcipua fide similitudinem repræsentat. Cùm in eo visitur imago mirè relata, ut similis ita mobilis, & ad omnem nutum hominis sui morigera: eadem semper contemplantibus æquæva est, ab ineunte pueritia ad obeuntem senectam, tot ætatis vices induit, tam varias habitudines corporis participat: tot vultus ejusdem lætantis vel dolentis imitatur: ut graviter hac de re disserit L. Apulejus *in Apologia pro se prima.* quemadmodum & de speculi usu egregia quædam habet Pomponatius *in libro de inventationibus peculiari cap. 4.* ut Simon Majol. *part. 1. dier can. colloq. 18. & pag 595 & colloq 23. pag 758* nec non Joh. Heidenfeld *in Sphynge cap. 15.* Jam cùm Philosophorum sit placitum, ex oculis & toto è corpore evaporare insensibilia corpuscula: quod specula demonstant, quæ à mulieribus menstruo laborantibus inspecta conspureantur, & veluti squalore quodam ex situ redduntur obsita: nil certè mirum est, homines visu quandoq; effascinari; non quidem omnium, sed eorum potissimum, quorum spiritus ex impuro sanguine procreati emittuntur, ut *Langius* dicebat, vel, ut *Fracastor.* quorũ humores & spiritus adeò remoti sunt à natura aliorum, ut penè venena sint. Ii igitur cõcepto in infantẽ odio intentissimè intuentes, spiritus quosdã ex oculis, & tota è facie ejaculantur. qui teneros infantis spiritus applicitus, eos uti venena sensim absumunt. Quam sententiam & Philip. Beroaldus *ad l. 10. Apuley* asserit his verbis: Oculus radiorum aculeos in contuentis è regione oculos jaculatur. hinc virulentus aculeus transverberat oculos, & hominis percussi præcordia corque convulnerat. Quid quod & ophthalmici & lippi oculos fixè intuentium inquinant? Causa est quia illi sanguinem in oculorum membranis multum & putridum habent, quem per halitum dissolvi oportet, cum præter naturam eum in locũ collectus fuerit. Hinc ergo putres hi spiritus ex oculo exspirantes, oculum tenuiorem possunt offendere condagione; quemadmodum & lipporum oculi, ut qui pleni visantur muco & humoribus putridis. Atque inde forsan

Speculi inspectio.

Fascinum ex oculis.

est, quod Plinius *lib 7. c. 2.* & Gellius *lib. 9. cap. 4.* tradiderunt, esse in Triballis & Illyriis quasdam familias, quæ visu effascinent interimantq; , quos diutius intueantur, iratis præcipuè oculis, easq; gemina in oculis pupilla esse cognobiles, atque ejus mali contagione impuberes faciliùs affici. Sunt & hujus generis in Scythia & Ponto mulieres, quæ Bithyræ & Thibiæ dicuntur, & altero oculo geminam pupillam, altero equi habent effigiem. Adeò solers natura, quæ noxia & cavenda sunt, suis insignivit characteribus! Atque utinam in his terminis ea constitisset, & nec ad ipsam quoq; linguam fuisset progressa. Constat enim, virulenta quorundam lingua ipsam quoque animam cum corpore quandoque inquinari: ut rectè dixerit Gregorius Nazianzenus, Lingua Nihil perniciosius, imò hanc ut equum effrenem esse, & telum promptissimum. Sic enim & Apostolus Jacobus, linguam appellaverat effrenem; incoercibile malum, plenam veneno mortifero: per quam benedicamus Deo pâtri, & maledicamus hominibus ad Dei effigiem conditis: ex eodem ut ore procedat benedictio, & maledictio. *Iacob. 3.* Proinde idem Plinius & Gellius prodidêre, esse quasdam in terra Africa hominum familias, voce atque lingua effascinantium: qui si impensiùs fortè laudaverint pulchras arbores, segetes lætiores, infantes amœniores, egregios equos, pecudes partu atque cultu optimas; emoriantur repentè hæc omnia, nulli alii causæ obnoxia. Cujus rei rationem adferens Fracastorius *de Sympath. & Antipath. c. 24.* Existente, ait, natura quorundam perinde ac venenosa, & ejaculatis ex oculis eorum spiritibus perniciosis, nihil prohibet, non infantes solùm, sed & grandiores fascino affici: laudãdo autẽ maximè: quoniam laus propria lætitiam parit, lætitia autem dilatationem tum cordis, tum spirituum facit, tum & totius faciei, & præcipuè oculorum: unde aditus quodammodò aperitur veneno, quod à fascinatore ejaculatur. Qua ex re natum forsitan est, ut quidpiam laudaturi, benè prius ominemur, ne verba nostra obsint, ita præfati, *Deus id conservet*, ut Langius *l. 2. Ep. 36.* vel ut Fracastorius scripsit, *Verba mea tibi non noceant.* ex cujus etiam sententia, sunt qui, dum laudantur, faciem avertunt: non tantùm ut indicent molestam sibi esse laudationem, sed & ut à fascino sibi caveant. Jam enim in opinione est, per laudationes fascinum & fieri. Veteres ad arcendum fascinum & invidiam, *Præfiscinè* præfari solebant, vel se, vel alios laudaturi. Sic servus ille Plautinus *in Asinaria, Act. 2, Sc. ultim.*

Præfiscinè, hoc nunc dixerim, nemo etiam me accusavit
Merito meo, neq; me Athenis est alter hodie quisquam,
Cui credi rectè æquè putent.

Sic apud Titinnium laudante Charisio, cum muliercula sponsam nimiâ laude adfecisset, ab altera monetur, ut *Præfiscini* præfari velit:

——Paulla mea, amabo potius
Ad laudem addito Præfiscini.

ne scilicet, addit Charisius, puella fascinetur. Sed de hoc videatur Muret. *l. 9. Variar. lection. c. 3* & Johan. Gulielmus *lib. 2. Verisimilium, cap. 15.* & Josephus Scaliger *in castigation in Catullũ* ita scribit, superstitio veterum finitum numerum, obnoxium fascino credebat. Itaque laudantes aut numerantes dicebant *præfiscine.* Hoc verbo omnem invidiam amoliri putabãt. Sic Barnabas Brisson. *l. 8. de Formul. fol. 738.* fascinationib. occũbunt peculiari voce ista præfiscine seu præfiscini: quæ ut Carisius Sosipater interpretatur, significabat sine fascino, quod Græci ἀβασκάντως dicunt. Quibus omninò addendus erit

Fran

Pupilla gemina.

Fascinum linguæ.

Fascinationis causa.

Præfiscine.

Francisc. Vallesius, qui sententiam illam irridens, fascinationem nihil aliud esse concludit, quam superstitiosum quendam timorem, ex stulta credulitate & vulgari opinione profectum. *lib. singul. de sacra Philosoph. c. 69.* Quod si quis plura de *fascino* velit cognoscere, legatis Thomam Erastum *part. 1. disputat. de medicina nova Philippi Paracelsi à folio 91. usque ad fol. 108.* ubi satis disertè quid & quantum fascinationibus tribuendum sit, exponit, & aliorum opiniones de istis falsò conceptas doctè refellit. Cui planissimè consentiunt *Petrus Pomponatius* Mantuanus, seculi sui Philosophus doctissimus, peculiari sua de Incantionibus libello *cap. 3.* ut & Thomas Raderus à Vaga Medicus Lusitanus omni exceptione major. *in coment. ad 1. Galeni lib. de differentiis febrium pag. 510. vol. 2.* Notandum verò inprimis est, etiam Ægyptiorum disciplinâ Oculis vim maximam fuisse attributã. Eorum enim tum intentione, tum remissione, tum conjectu, tum hilaritate motus animorum explicari; atque eos nimis argutos, quemadmodum animo affecti sunt, loqui. Hinc celebre est Polemonis dictum, Oculos esse tanquam fores animi. Per illos enim animum emicare, indidemq; animum introspici. quo nonnulli Oculum *verum cordis nuntium* dictitarunt. Sic apud Ecclesiast. *c. ult.* hominis facies vocatur platea animæ; & Oculi, aspicientes perforamina: quia in facie sunt omnes sensus. quapropter illic videtur anima, ut in foro versari, ac negotiari cum rebus externis. Sensuum verò perfectissimus atq; exactissimus est visus. Quò pertinet illud *Matth. 6.* lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Quod enim physici & physyognomici de *Corporali oculi* affirmant, *Qualis scil. is est, tale esse & totum corpus:* hoc Dominus transfert ad *oculũ animi*, h. e. intellectum. quasi diceret: Ut oculus est lucerna corporis; ita mens seu intellectus, animæ, quæ est præcipua hominis pars, & per q̃ homo bonus aut malus dicitur. Quemadmodum igitur, ut valet oculus, ita valere agnoscitur totũ corpus: (quæ Hippoc. assertio est, *6. Ep. sect. 4.*) Ita ut valet intellectus, valet anima, ac per eam totus homo, qui nunc significatur nomine corporis. Si igitur, inquit, oculus tuus simplex, h. e. bonus est, totũ corpus (per quod totus homo intelligitur) erit lucidum. Sin oculus est, nequã, homo totus erit tenebrosus. Sic n. locum istum interpretatur Fr. Vallesius *lib. singu. de sacra philos. cap. 84.* Usq; adeò verò tota corporis vis in oculis incũbit, ut Zamolxis & Abaris philosophi totius corporis curatione opus esse dixerint, si quis oculis mederi vellet. quòd sic corpus curare q̃s affectaret, animum inprimis depurgandum, quod relatum est à Jo. Pierio *in præf. lib. 33. Hieroglyph.* Porrò quemadmodum antiqua gẽtilium superstitio, singulas humani corporis particulas, singulos Deus obtinere existimavit: ita Amoris sedem in oculis potissimum collocavit. Id certè Tiberianus *in Prometheo* ita extulit, ut dicat Deos singulares sui partes homini contribuisse, quas sibi vendicent, suæque tutelæ proprias agnoscant. Caput itaq; Jovi deferunt, Neptuno pectus, cinctum Marti frontem genio: unde Deum venerantes, ait Servius, frontem tangimus. Supercilia in Junonis tutela fuisse ait Sex. Pompejus; quod ijs protegantur oculi, per quos luce fruimur, quam à Junone tribui putabant, Lucina inde dicta. Aurem Memoriæ consecratam refert Servius. Dextra Fidei sacra est: nam in fide porrigitur. Dorsum & posticæ partes Plutoni propriè adscribuntur ab Artemidoro. Pedes Mercurio,

Fascinationibus quantum tribuendum.

Oculorum vis.

Oculi fores animi.

Singulæ corporis partes à Diis

rio, à Democrito. Genua Misericordiæ quod ea supplices attingant, ad hæc manus tendant, hæc ut Aras adorent ut inquit Plinius *lib 11. c. 45.* Misericordiam autem ii Dearum numero fuisse olim, testatur ejus apud Athenienses Ara, teste Pausania & Philostrato. Tali plantæve pedum in Thetidis potestate fuerunt. Digiti Minervæ consecrati, Servio teste: Ubera, renes & inguina Veneri, quò referri potest illud Epigrammatarij Rufini ita ab Had. Junio latinè redditum *l. 4 Animadversor. c. 13.*

Lumina Iunonis tibi sunt, digitiq; Minervæ,
Cum Thetidis talis, ubera Cyprigenæ.

ubi tamen per lumina intelligi debent Supercilia, ut modo innuimus. Nam oculos Cupidini, Veneris filio, in quibus excubet, ceu specula quadam, tribuit Philostratus. Optimè: Sunt enim oculi Veneris illices, & potentissimum amoris incitamentum: quorum fulgor & amabilis intuitus quodam quasi morsu vitalia populatur, & morsicatim medullas depascitur. quo spectant versus illi Musæi de Herone & Leandro: ita à *Casparo Barthio* amœnissimi hominis ingenii latinè redditi

Oculi amoris ...

Fit via trans oculos, oculi figuntur, ab ictu
Vulnus in alta virum sensim præcordia manat.

Ubi in Notis suis Barthius in prædictum Musæi locum, præter alia illud ex Achille Tatio recensit: pulchritudo celerius cutem telo perfodit & per oculos in animam delabitur: oculos namq; via est amatorio vulneri. Unde Apulejus Fotidis suæ oculos *morsicantes* scitè appellat, *libro 2.* quemadmodum Horatius oculos *in Damalim putres* dixit, hoc est, in Damalis amorem solutos. ut verbo illo eorum exprimeret habitum, qui validis Veneris compagibus hærentes sollicitant spacium deficere amoris, hoc est, cum res ad effectum spectat: sic enim ille 2. *de arte:*

Adspicies oculos tremulo fulgore micantes
Ut sol in liquida sæpè refulget aqua.

Et Juvenalis: *oculosq; in fine trementes;* quo sensu & Persio *Satyr. 5.* In Venerem putris est, qui in hanc solutus & profusus: ductâ Metaphorâ à solo, quod *2. Georgic.* putre vocat Virgilius:

Et cui putre solum. namq; hoc imitatur arando, &c.

significans optimum solum esse solutum. Nam cùm aramus, hoc agimus, ut terram solutam reddamus. Turnebus *lib. 18. Adversar.* cap. 27. de oculorum porrò vi ad excitandum amorem fidem facit illud ejusdem Apulei *lib. 10.* Isti enim tui oculi per meos ad intima delapsi præcordia meis medullis acerrimum commovent incendium, quod nec ignotum fuit scriptoribus sanctis. Sic namq;. Ambrosius *homil. 17.* ipse enim vel adspectus mulieris telum est veneno litum, & *homil. 20. ait.* Cyrum abstinuisse ab spectu elegantis fœminæ, ne caderet. Et Cyprianus *de Zelo & livore,* de dæmonis illecebris disserens: offert, ait, oculis formas illices, & faciles (quid si *faces* legas?) voluptatis, ut visu destruat castitatem. ut non omninò errare putentur, qui docti hac sententia Græcum istud dictum credant ... visione

Crescit enim assiduo spectandæ cura puellæ

dicebat Propertius, præter illud

Cynthia prima suis miserum me cœpit ocellis.

Et illud:

Si nescis oculi sunt in amore duces.

Idque pluribus exornat Joh. Ludov. de la Corda Jesuita in Comment. *ad Virg. eclog. 8 v. 4. n. 4* à quibus non secludendum est, quod oculis venari amores, dixerunt veteres, sicuti Rittershusius *adversû Phædri*

Oculis venari amorem.

——tres reliquit filias

Unam

Vnam formosam sed oculis venantem viros. Velut & Ovidius dixit, *Amores venari.* Nam formasa fœmina, tanquam viscus volucres, sic ipsa adolescens capit & attrahit: ut non absq; ratione juvenalis prodigij loco referre videatur de cœco amante

Qui nunquam visa flagrabat amore puellæ.

Oculorum gratia.

Accedit ad oculorum gratiam, quòd vel solus illorum in homine quidem benevolo intuitus, non mediocrem generare videatur suavitatem. Sic enim Euripides:

Suave est viri benevoli oculos intueri. quos cùm osculamur, ait Plinius *libr. 11. cap. 37.* animum ipsum videmur attingere. Hinc *Oculissimum*, pro eo, quod est charissimum, apud Plautum & alios frequenter invenias, eo quod oculorum sensu nihil nobis esse queat charius, nihil jucundius. Idq; post Turneb. *lib. 11. cap. 7.* etiam Muretus notat ad illud Catull.

Ambobus mihi quid carius est oculis?

Lusci rogatio.

Hinc illa Lusci hominis ad populum lata rogatio, ut qui sciens prudens oculum lusco eripuisset, utroque oculo ipse orbaretur. Huic rogationi ferendæ occasionem adversarius dederat, quod minas sæpius intentaret, oculum se illi erepturum, etiamsi pœnam legis laturus & oculo altero cariturus esset, populus æquitate, vel potiùs necessitate rationis persuasus legem jussit: qua tamen nihil legi talionis, quæ populorum omnium quodammodò communis erat, derogabatur, qui enim malitiosè alterum excæcavisset, æquum erat, ut ipse excæcaretur, quod graviter disputat Joh. Bodinus *lib. 4. de Republica, cap. 3.*

DE SELLIS, STAPHIIS ET EQUORUM SOLEIS TIT. XVI.

Sellæ equorũ.

SEllas equorum omnes credunt noviter inventas, aut saltem post Imperium Romanum introductas esse: quandoquidem in statuis antiquis non cernatur, quòd unquam Sellas equi habuerint; uti nec in ære, aut toreumatibus. Etsi igitur non usque adeò antiqua sunt: usum tamen harum fuisse invenio, imperante Constantino Magni illius Constantini filio, hoc est, anno Christi CCCXL. Scribit enim Zonaras, *quòd Constans cum fratre suo Constantino de Imperij divisione dimicaturus, in medium Constantini exercitum irruerit, & percussum eum equo & sellâ deturbarit. De sella etiam Theodosius Magnus loquitur, qui imperare cœpit anno CCCXXXII. In quadam enim lege præcipit, ne sella cum frenis & averta, sexaginta libras auri transeat: ea comminatione, ut si quis præscripta moderaminis Imperatorij libramenta transscenderit, ejus sella in frusta cædatur, averta verò fisci juribus deputetur.* l. quoniam. C. de curs. publ. lib. 12. *Ejusdem sellæ mentio quoque fit in Constitutione Leonis Imperatoris, qui solus imperare cœpit anno CCCCLXXII. Ea quippe lege prohibetur, ut nulli prorsus liceat in frenis & equestribus sellis, vel in baltheis suis margaritas, smaragdos, & hyacinthos adaptare.* l. unic. C. Nulli licere in frenis. lib. 11. Nicetas *quoque in vita Andronici Comneni de Theodoro quodam loquitur, qui ex*

equi sella descenderit, quam ἕδραν *nominarant, h.e. sellam in qua sedebatur Sed & Zonaras idem nomen pro sella equestri usurpat, in vita Constantini Monomachi, ut ita extra omnem dubietatem sit, questri sella non admodum vetus inventum esse.*

Staphia. Stapedes.

Staphiæ *quoque sive* Stapedes *quando introducti fuerint, non usq; adeò expeditum est. Sed quoniam horum nec vestigium in marmoribus aut aneis tabulis, & nec etiam nomen exstat: dicto non absurdum videtur, Eos post ruinam Imperij Romani fuisse inventos. Ideoque rei novæ necessum fuisse novum quoque excogitare vocabulum quod est Staphia, vel Stapes, Sepedis, hoc est locus in quo pes queat consistere.*

Solea equorum.

Sunt etiam, qui velint, ne calceatos quidem olim fuisse equos: eò quòd in equestribus statuis ferrea ista calceamenta non conspiciantur. Cujus rei caussam sanè haud scio. Legi tamen, Poppæam Sabinam, Neronis uxorem charissimam, delicatiorib. suis jumentis soleas ex auro induisse: cæteris verè ex argent, Id quod illi in mentem haud venisset, opinor, multò vero minus facilitatem ab ipsa fuisset, nisi jam tum calceari consuevissent equi. Nicetas *circa finem historiæ suæ scriptum reliquit, Latinos pulcherrimam statuam equestrem, quæ Iesu filio Nave, vel, ut alij interpretantur, Bellerophonti sacra credebatur, destruxisse; & sub ferro calcibus abrupto, hominis effigiem invenisse. Credo igitur Equis ferreas soleas indutas fuisse.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Ephippia an veteribus in usu.

TRadidit Polydorus Vergilius *lib. 2. de Inventoribus rerum, c. 12.* & Joh. Corasius *lib. 5. Miscellan. cap 2.* Peletronios, qui Thessaliæ populi sunt, frenos & ephippia primos invenisse. quod ut assererent, adducti haud dubiè fuerunt illo Plinij loco, quo frenos & strata equorum Peletronium invenisse, scriptum exstat *lib. 7. c. 56.* Crediderunt enim *Equorum stratis* Ephippia incunctanter significari. Minùs tamen consideratè, opinor: cùm eo verbo non tam equestris sella, quam quod equis injicitur, denotetur. Quicquid enim, ait Varro, insternebant, à sternendo stragulum appellabant: quale est illud, quod lectis operiendis insterni solet. Sic stratum & instratum etiam est operimentum equorum: cujusmodi Stragulæ

Strata equorum.

Babylonicæ feruntur. Joh. Brechæus *in l. instratum 45 ff. de verb signif.* Quo fit, ut cùm Ephippiorum & sellarum equestrium neq; Plinius, neque etiam ullus alius idoneus auctor meminerit; usum earum priscis Romanor. temporibus nullum fuisse existimem. Nec mutat, quòd Ephippiorum fiat mentio apud Horatium *lib. 1. Epist. 14.*

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Nam si genuinam verbi significationem intueri volumus, deflectitur ἐφίππιον ἀπὸ τοῦ ἐφίππου, ab eo, qui equo insidet & eo vehitur, & propriè de milite equite dicitur; cui opponitur πεζός, pedes miles: Unde δρόμος ἱππικός, equestris cursus. & quandoq; etiam pro certamine currentium equorum ἱππικὸν accipitur: nihilq; absurdi est, ut pro strato sive instrato equi intel-

intelligatur, equorum autem ornatum quod attinet, constat cum veterib. valde fuisse in delitiis, præcipue verò principibus. Sic n. equi phaleri comti; imò equorum radiantibus Gemmis onustorum fit mentio apud C. Sollium Apollinarem *l. 4. ep 20* ubi Joh. Savaro: olim inquit, æreæ & aureæ equorum gemmis tanquam stellulis illuminabantur; nec solum hæc sed ēt balthei & equestres sellæ Sic Antiochus Rex Hannibali equitatum frenis, ephippijs, monilib. phaleris præfulgentem ostēdisse memoratur à Gell. *lib. 5. Noct. Attic. c. 5* de quo ornatu egregiè L. Apul. de Deo Socratis: Nec enim in emundis equis phalaras consideramus, & balthei molimina inspicimus, & ornatissimę cervicis divitias cōtemplamur, si ex argento & auro gemmis monilia variæ gazæ dependent, si pluru artis ornnmenta capiti & collo circumjacent, si frena celata, si ephippia fucata, cingula aureata sint, & quæ sequuntur. Insigniter verò Frid. Barbarussl. equus à Gunthero *lib 4.* sequentib. describitur versib.

Equorum ornatus.

Equi Barbarossæ descriptio.

Aurea flexilibus fastidit frena cathenis
Gemmatosq; lupos & fulvum masticat aurum.
Lucidus è media dependet fronte pyropus.
Lucida multisonis phalerantur pectora bullis.
Ipse ferox incerta vago vestigia gressu
Multiplicat, tenuesq; interdū calcib. auras
Verberat, & tanto sonipes sessore superbit.

Quæ genuina & vera est ὑπερήφανος equi generosi: quem ex omnibus animantibus constat maximæ esse φιλότιμον, honoris sensum habere acerrimum. Ideoque poëta ei superbiam tribuit, & quasi intelligentiam sui victoris: exemplo scilicet ejus quod de Bucephalo Alexandri M. equo Curtius *lib. 6. de rebus ejus gestis* memoriæ prodidit: & à nobis relatum fuit ad hunc auhorem nostrum *lib. 1. Rerum deperdit. tit. de equis*

Equus honoris appetens.

At vero adminicula, quibus & equi conscendentur facilius, & quibus pedes utrinq; inseruntur, ut quiescant, & commodior fiat sessio; noviter inventa esse, dubitandum non est. Nam ut in marmoribus & æneis statuis, itemque in arcubus triumphalibus Romæ conspicitur, antiqui adminiculo eo non utebantur: nec quo nomine appelletur, apud ullum Græcor. aut Latinorum auctorem legitur. Vulgus *Staffas Staphias*, vel *Stapedes* vocat, quod in eis pes stet commodè. Cœl. Rhodigin. *subsellares*, quòd sub sella propendeant; Rob. Valturius, *ferrum scansile*. Saltu autem Veteres se conjecisse in equos, absq; illo, quo dixi, adminiculo, ostendit Virgilius *lib. 12.*

Staphia veteribus incognita.

Saltio in equos.

Infrenant alij currus, ac corpora saltu
Subijciunt in equos, & strictis ensibus adsunt.

Idem de Turno *eod. lib.*

Poscit equos, atq; arma simul, saltuque superbus
Emicat. ——

Clariùs verò etiam id docet Vegetius *lib. 1.* Non tantùm, inquit, à tyronibus, sed etiam à stipendiarijs militibus Salitio in equos districtò est semper exacta. quem usum ad hanc usq; ætatam, licet cum dissimulatione, pervenisse manifestum est. Equi lignei sub tecto hyeme; æstate ponebantur in campo. Super hos tyrones primò inermes, dum consuetudine proficerent; deinde armati cogebantur ascendere. tantaque cura erat, ut non tantùm à dextris, sed etiam à sinistris partibus & insilire & desilire condiscerent; evaginotas etiam gladios vel contos tenentes. hoc enim assidua meditatione faciebant scilicet, ut in tumultu prælij sine mora ascenderent, qui tam studiosè exercebantur in pace. Livius *secundi belli Punici lib. 3.* Nec omnes Numidæ in dextro locati cornu: sed quibus Desultorum in mo-

dum binos trahentibus equos, inter acerrimam sæpè pugnam, in recentem equum ex fesso armatis trãsultare mos erat. Tanta velocitas ipsis, tamque docile equorum genus! Xenophon Socraticus in eo libro, *qui Equitum præfectus inscribitur:* Postquam verò, equites esse oporteat, dictum est; quanam parte Equites optimi comparentur, hoc in medium conabor exponere. Ex his igitur Juniores impellere atque abhortari debemus, ut in equos insilere discant: hujus autem rei magistrum præceptoremq; qui adhibuerit, jure laudabitur: Natu autem grandiores adsuefacere, ut in scandendis equis, Persico more, se invicem adjuvent, elegantem autem & festivam hujus rei historiam illum scandẽdi in equum morem veterum non nihil veterum adumbrantem apud Guilielmum Stukium *in Carolo Magno redivivo pag. 40* quam amænitatis gratia lubet apponere: Cum Carolus Magnus Imperator, ait, in quendam presbyterum munus dignitatemque episcopi conferret, atque eum ad Pontificatum sibi donatum lætitia gestientem, & adhunc absque scamno sive suppedaneo, uno impetu alacriter in equum insilientem conspiceret: statim hominem novum revocavit: vales inquiens, ut video, viribus & eques haud malus es, opera itaque tua in bellis, ubi virtus tua enitescat indigeo. Proinde ignobili & imbecillo in ovium gregem dominiũ relinque. Quia verò illa Equos ascendendi ratio nõ facilè, & nec sine labore atque molestia expediri poterat, ab iis præsertim, qui viribus non valebant, nec habeant qui in equos ipsos tollerent: igitur ad minuẽdum illum laborem Viccuri, seu qui vias militares sternebant in lateribus viarum collocabant altiores quosdã lapides, & tanquã quædam pusilla suggesta excitabant, ex quibus parvo negotio quilibet, tenui etiam corporis firmitate, poterat se conjicere in dorsum equi. Idem etiam in vita C. Gracchi narrat Plutarchus: qui Cajus cum omni ratione consuleret commodis multitudinis: studeretque cunctorum Italiæ populorum animum sibi conciliare; in aliis etiam plures vias stravit, & cum ipsas commodas valdè fecisset atq; ornasset, curavit etiam ut lapidibus certa mensura positis, & columellis quibusdam notarentur millia passuum, & alijs itidem propinquioribus lapidibus effecit, ut qui equo veherentur, possent in eum facilè ascendere, sine instrumento illo, quo huic rei facto utebantur, cùm in equum imponi vellent. Præterea (inquit) dimenso viarum spatio, singulis Milliarijs (est autem Milliarium paulò minus quã octo stadia) columnas lapideas spacij signa preferentes constituit: alios insuper lapides parum inter se distantes ex utraque viarum parte disposuit, ut ex illis faciliter, & sine saltu in equos esset adscensus. Quibus ex locis evidenter evincitur Staphias Romonis antiquitus in usu non fuisse; ideoq; inventionem harum novam esse, quod eleganter docuit Robertus Valturius *de re militari lib. 10. cap. 2.* & Petrus Victorius *Varia. lection. lib. 37. cap. 15.* Cæterùm ex illo Plutarchi loco etiam discimus, Romanos itinerum spacia miliaribus & lapidibus fuisse dimensos. Unde Quintus ab urbe lapis dicebatur, distans ab urbe quinque miliaribus: ut rectè supputat Didac. Covarr. *lib. 2. variar. resolut. cap. 20. nũ. 5.* Varia olim itinera & discertè etiam probat text. *in l. propter litem. 21. §. fin. ff. de excus. tutor. & §. qui excusar. Inst. eod. tit.* in tantum ut Lapis & Miliarium pro uno eodemque dicatur *in l. 1. §. inst. ff. de officio præf. urb.* eò quòd singul. miliarijs, auctore Graccho, lapideæ columnæ spaciorum signa inscripta habentes fuerunt positæ. Unde lapidibus quoq; itinerum dimensionem fieri in usum venit. Hoc & Quintilia-

Veteri ã admi- [illegible] equos ascendendi.

Miliaria lapidibus discreta.

tilianus indicat *lib. 4. cap. ult.* Reficit quoque (de partitione loquitur) audientem certo singularum partium fine, non aliter quàm facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata inscriptis lapidib. spacia. Eoq; Rutilius alludit jis versibus.

Intervalla viæ fessus præstare videtur
Qui notat inscriptus millia multa lapis.

Boetius etiam *lib. 3. Geomet.* lapides quosdam, quos appellat *Cursorios* antiquitas, inscriptos fuisse ait, quibus itinera discriminaretur. Idque pluribus exsequitur Barrab. Brisonius *lib. 4. Selectar. antiquit. cap. 8.* quibus adijciendum est, quod de Milliario aureo est proditum. Id enim columna quædam erat, in capite Romani fori prope ædem Saturni: in quam columnam omnes Italiæ viæ terminabantur. Plinius *lib. 3.* Roma dividitur in regiones 14. compita earum 265. pass. ejusdem spacij mensura currente à Milliario in capite Romani fori statuto, ad singulas portas, quæ sunt hodie numero 37. Cornelius Tacitus *lib. 17.* Otho innixus liberto per Tiberianam domum in velabrum, inde ad Milliarium aureum, sub ædem Saturni pergit. Idem & Tranquillus ait totidem penè verbis *in Othonis vita.* Plutarchus verò *in Galba*, his verbis Milliarium describit: In forum ibat ad eam partem, in qua steterat aurea columella, ad quam omnes Italiæ viæ terminabantur, hoc est, initium & finem capiebant, ab ea quippe columna milleni passus in vijs omnibus, lapidibus notati, dirigebantur. Fr. Hotomannus *§. qui autem vult. Inst. de excus. tutor.* & Matthæus Raderus *ad Martial. l. 1. Epigr. 13.*

Milliarium aureum.

Signat vicina quartus ab urbe lapis.

Quam post ultimam hanc recognitionem primum vidi. Quid aũt in causa sit, quòd apud Æmilium Macrum, mille passus non à milliario Urbis (alij, *Muro urbis* legunt) sed à continentibus ædificijs numerandi sint *l. mille passus. 54. de verb. signif.* id à Juris nostri interpretibus ad eum locum, & ad *l. 2. d. t.* diligenter est explicatum, quib. adde quod Ant. Augustin. scribit. *lib. 4. Emendat. cap. 7.* & quomodo metienda sint milliaria, tam legalia, quam vulgaria, perspicuè tractatum habes apud Joh. Koppen. *in decisionib.* doctissimis pariter atq; utilissimis auro contra non æstimandis *q. 16.* post Schneidw. *in §. Rursus nu. 40. cũ seqq. Instit. de Act.* De Equorum autem soleis dicta aliqua sunt *lib. 1. t. de Equis.* ubi *Poppiam Sabirã* Neronis initio pellicem, inde uxorem, jumentis suis delicatioribus soleas ex auro induere solitam, docui. De qua etiam scribunt historici, capillos eam habuisse succinos, ipsius quoq; Neronis, qui eam ad insaniam usque deperibat, sermonibus laudatos, versib. item nonnunquam ad Citharam decantatos. Exinde factum, ut puellæ omnes, Romanæ atque Italicæ eo tempore colorem illum magno studio affectarent, non in coma modo & capillis, sed in reticulis, annulis & omni genere ornamentorum. Quo ipso admonens stultitiæ* cujusdam humanæ quam Græci κακοζηλίαν dicunt: qua obsessi homines magnorum virorum adfectant & concupiscunt, cum similitudinem eorum sperare non possunt, nec ap ἔργα eorum pertingere, confugiunt ad illorum ineptam & ridiculam imitationem, sectanturque πάρεργα, & pro virtutum ornamentis, Naturæ nævos aut consuetudinis vitia sibi affingunt & accommodant, non aliter *inquit* Picartus *decad. 3. observ. Politicar. cap. 7.* quam teste Plutarcho facere pueri solent, qui induunt Musarum suarum grandiores cothurnos, galeas sive thoraces, & illo ornatu se majoribus suis jam pares aut similes esse persuadere postulant, idq; exemplis aliquot demonstrat Picartus; illud etiam de *Clisopho* Philippi

Milliarium metiendorum ratio.

Poppia Sabira capilli succini.

κακοζηλία.

Clisophus Philippo adulatur.

da utebantur. Marcus Manilius *libro 4.*

Hic & erit felix scriptor, cuj litera verbum est,
Quiq; Notis linguam superet, cursumq; loquentis
Excipiat, longas nova per cōpendia voces.

Tanta quippe horum in scribendo erat velocitas, ut sensa nostri pectoris vix dicta jam ceris tenerent: quemadmodum de Amanuense suo, quælibet velocissimè excipiente, scripsit Ausonius *Epigram. 138.* & Prudentius in Passione Cassiani, literarij Magistri eum sero literas Cornel. docentis

—agmen tenerum & puerile gubernat,
Fictis notata verba signis imbuens.

ubi signa ficta sunt dictionum in scribendo compendia, quæ & verborum furta dicuntur, & Breviaturæ. Unde & *Breviatores in Novel. de consulib.* Prudentius de eodem Cassiano:

Breviatores.

Verba notis brevibus comprendere cuncta peritus
Raptimq; punctis dicta præpetibus sequi.

Hinc Seneca *Ep. 90.* quid verborum Notis, quibus, quamvis citata excipitur oratio, & celeritatem linguę manus sequitur. An verò sequebatur tantum verba? imò etiam verba antevertebat, quandoque manus: Hieronymus *in consolatione ad Iuliam*: & tamen ille apposito Notario cogebat loqui, quo velociter edita velox cōsequeretur manus, & linguæ celeritatem præcederent signa verborum. Cui respondet illud Martialis.

Currāt verba licet, manus est velocior illis,
Nondum lingua; suū dextra peregit opus.

Qua in re singulariter quoque excelluisse Titum Vespasianum, memoriæ prodidit Tranquillus: E pluribus (inquit) comperi, Notis quoque excipere velocissimè solitum, & cum amanuensibus suis per ludum jocumque certantem, imitari chirographa, quæcunque vidisset, &c. Scribam autem non tantùm scribendi celeritas commendat, sed & memoria (ait Cicero *pro Sylla*) scientia, & consuetudo. inprimis verò Fides. Eratque apud Veteres olim satis honorificum Scribæ munus. Nemo enim, ait Æmilius Probus ad id admittebatur, nisi honesto loco natus, & cujus cognita esset fides atq; industria: cùm necessum sit, omnium eum consiliorum esse participem. Ut eos interim taceam, quos Zasius refert maximo in honore apud Reges fuisse & Principes. de quib. nihic hic dicam ambitiosius, ne hominib. id genus pro animi mei adfectu nimium indulsisse videri possim. Videatur tamen, si placet, Hieron. Cagnol. *in pr. l. 2. ff. de orig. jur. nu. 107. cum seqq.*

Scriba requisita.

Munus honorificum.

Hæc quæ de scribendi celeritate dixi, in memoriam mihi revocant *Ladam*, nobilem illum Alexandri M. cursorem: cujus & Solinus meminit his verbis: *Primam palmam velocitatis Ladas quidā adeptus est, qui ita supracavum pulverem cursitavit, ut arenis pendentibus nulla indicia relinqueret vestigiorum.* quò haud dubiè respexit Juvenalis, cum ita canit:

Ladæ celeritas.

—locupletem optare podagram
Haud dubitet Ladas—

De hujus celeritate *lib. 4. Epigr. Græcorum* exstant eulogia. At *lib. 2.* luditur Pericles quidam ita tardus cursor, ut dubium reliquerit, sederitne an verò cucurrerit. Sanè dum ipse adhuc funit, qui ad carceres solebat esse, sonitum exaudiret, quippe à carceribus nondum latum progressus digitū, interim jam alium confecto cursu coronatum fuisse. Unde Plutarchus: Ladam ferunt carcerum funiculo adhuc in auribus à laxatione sonante, decurso stadio coronam reportasse. *in præcept. gerendæ Rei.* Sed Ladę illi celeritate cursuq; pedum pręvertere ventos. Adsueta meritò certarit *Camilla* Volscorum regina: de qua apud Virgil. *in fin. Æneid.*

Camillæ velocitas.

Illa vel intacta segetis per summa volaret.

Gra-

Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plātas.

Quibus versibus poeta haud dubiè ad *Iphiclam & Orionem* allusit, quorum alteri datum, ut per summas aristas ita leviter excurreret, ut ne summa quidem aristarum fastigia deturbaret. *Orion* verò quem ex Euryale Minois filia Neptunus sustulit, pater indulsit, ut suspensis vestigiis ita fluctus inambularet, ut neque summos pedes allueret. Cœlius Calcagninus *lib. 1. Epistolic. quæst. 8.*

Dixi suprà *ad Tit. 10. paulò ante fin.* Homerum à quodam depictum fuisse vomētem. quem locum de argumentorum & materiæ suppeditatione etiamnum potiùs, quàm de fundendorum carminum celeritate interpretor. qui sciam præcipitantiam illam Veteribus nunquam fuisse in laude. Sic enim M. Antonius librum de Ebrietate à se scriptum evomuisse, alicubi legitur, in probri loco. Et cum Agatharchus magnus sibi spiritus sumeret de pingendi celeritate; Zeuxis id intelligens, *Diu* (inquit) *ego pingo, quia pingo æternitati.* Similiter pictori parum perito de celeritate glorianti, demonstrataque pinace, illam modò se pictam dictitanti; respondit nobilissimus pictor Apelles: *Etjam tacente te res loquitur, ex tēpore pictā.* Quanto commendabilius est Aristidæ sophistæ dictum, à Philostrato *lib. 2.* in scripta relatum? quo Marco Imperatori sciscitanti, quando ipsum auditurus forent, respondit: Hodiernum diem exime, at cras audies. Neque enim vomentium è numero sumus, sed elaborantium. Debet scilicet Philosophus non nisi ad dicendum paratus, meditatus excussis forulis, & omni supellectili oratoria ad dicendum prosilire: quod ipse etiam Georgius Remus monet *in Not. ad Themistij orat. 1. pag. 25.* Laudanturque à diligenti cura & t. ora scribendi *Virgilius, Euripides Isocrates,* qui denos vel ut alij volunt, quindenos annos uno panegyrico scribendo insumsit. Huc pertinent illud Catulli *de binna Smyrno*, parvo libello:

Festinatio vituperata.

At laudata cunctatio.

Smyrna mei Cinna nonā post deniq; messē
Quam cœpta est, nonamque edita post hyemem.

Cui operi tot annos utpote elucubrato, immortalitatem ominatur eo versu

Hinc arcana diu secula pervoluent.

Etsi enim multis placet extēporalis quædam scriptitandi ratio & in conficiendis libris celeritas, velut expromti, atq; in numerato positi ingenij argumentum: cujusmodi scriptores Cic. *lib. 2. ad Q. Fratrem ep. 9.* [illegible] quasi subitò Musarum furore percitos appellat: qui fundunt quidem, ne de in uno stantes multas versuum centurias, eas tamen, quas animo sedatiore, qui sunt, ne semel quidem possint perlegere: Ipsi tamen sua poemata præsertim ilico postquam ediderunt immoderatè ac stultè amant: ut *Paul. Manut.* locum istum interpretatur. at mihi (inquit Had. Jun. *lib. 4. Animadvers. cap. 16.*) secus videtur, probaturq; impensius diligentia accurata, longiore tempore judicij confirmatore expressa. Illic verba veluti primorib. in labris nata, aut superficiario ingenij æquore natantia eduntur, hic lectionis multifariæ opus tanquam è sanctiore quandā ærario reconditæ promūtur, & habito delectu rerum verborumque pondera examinantur felicius, & exhibentur. Quid? quo celeriter nata, celeriter etiam intereunt? accidit nimirum scriptoribus illis (si tamen scriptores, quorum *scripta ante auctores* moriuntur) quod Gallinus post exclusum ovū statim gloterantib. & veluti partum suum palam prædicantibus. Sed gestiens hic sua profe-sendi impetus, omnibus erit cohibendus,

Præpropere scriptores gallinis comparati.

& illud animo etiam atque etiam versandum νόων σπεύδειν πολλα, ut monet Raderus Jesuita *ad Mart. Ep. 4. lib. 1.* Qua in re tamen Pausonis Sicyonij (Plin. Pausiam appellat *libr. 35. cap. 11.*) celeritatem meritò exceperis. Is accepto precio Equuo conduxerat pingendum, qui se humi volutaret: cumque locatori currentem exhibuisset, & quidem pulvere oppletum; isque expostularet, secundum conventionis legem haud quaquam præstitam sibi operam, inquit Ministro ille: Age puer, tabulam inverte, sicque picturam ejus oculis exhibe, quo facto, videt locator emendatum esse quod sibi displicebat, nullumque esse amplius querimoniæ locum. Cernere enim erat equum in tergo jacentem, seque in pulvere volutantem. quod Lucianus Demosthenis encomio scripsit, ut *Pausonis equus* proverbialiter de ijs usurpari possit rebus, quæ minimo negotio secundum cujusq̃ sententiam accommodantur. Alciat. *lib. 4. parerg. c. 7.*

Pausonis equus.

DE CONSPICILIIS TIT. XV.

Conspicilia.

M*Vlti dubitant, utrum Veteres conspicilia habuerint, nec ne: quoniam* Plinius, *rerum omnium scriptor diligentissimus, nullum de his verbum faciat: Contrà verò mentio horum apud* Plautum *fiet, cum ait,*

Vitrum cedò, necesse est conspicilio uti.

Id quod nulla alia de re, quàm de specillis, quæ vulgò ocularia dicuntur, potest intelligi.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Becmannus.

NEgat *Christianus Becmannus* vir utriusq; literaturæ doctissimus, conspicilium rectè dici; sed *conspicillum*, idq; vigore originis & analogiæ; ut enim Baculus bacillus, Furcula furcilla, ita etiam formatur, speculum specillum, apud Varronem *l. 5. Lat. ling.* & postea conspicillum quòd initio hujus tituli monendum censui. Etsi autem, retenta communi enunciatione conspicilium quandoque locum denotat, ex quo aliquid possis conspicere, quemadmodum Nonius illud plauti in Medico, ait interpretatur:

Conspicillum.

Conspicilij significatio.

In conspicilio adservabam pallium:

Tamen hic loci instrumentum id significat, quo adhibito res majores videantur. Quo etiam sensu illud Plauti incunctanter accipiendum est:

Vitrum cedò: necesse est conspicilio uti.

ut probabile hinc fiat, usum ejus satis vetustum esse quandoquidem & Ptolomæi specillum, quo illo per sexcenta millia adventantes naves conspiciebat, memoretur à Johanne Baptista à Porta *l. 17. Magiæ Natural. c. 11.* confectionem inibi ejus specilli docente, quo & per aliquot millia passuum amicos queamus agnoscere, & visu debiles è loco dissito & remoto minutissimos etiam characteres possint legere. Rem mehercule humano usui cumprimis necessariam, &, ut ait, optices ratione constantem. Ideò autem Pancirollus caput hoc in posteriorē hanc partem rejicit, quòd cùm nullibi ferè apud classicos scriptores Conspiciliorum fiat mentio, inter Noviter reperta non incommodè haberi posse videtur. Cæterùm hebescenti visui Conspicilia probè opitulari; inter omnes convenit. Iis enim omnia majora apparent, ac spiritus visorij instau-

Ptolomæi conspicilium.

Conspicilia visui opitulantur.

instaurantur atque in unum collecti minus evanescunt aut dissiliunt. Non tamen consultum putat Lemnius. *lib.4. de occult. natura mirac. ca.6.* ut viri plus satis maturè illis adsuescant: siquidem illis destituti, prorsus cæcutiant. Quòd enim hic caligant ac cæcutiunt, ex spirituum inopia ac defectu evenit. Quocirca & Specula visum reficiunt, qoniam reflecti ac retorqueri radios contingit, ac spiritibus robur concipere, novis subinde à cerebro cò sese conferentibus. Hinc tanti semper habita fuit speculi inspectio, ut ne Philosophi quidem ab hac sibi abstinẽdum putârunt. *Socrates* certè ultrò etiam suasisse fertur discipulis suis, crebrò ut semet in speculo contemplarentur. ubi qui eorum foret pulchritudine sibi complacitus, impendio procuraret, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret: qui verò minùs se commendabilem formâ putaret, sedulò operam daret, ut virtutis laude turpitudinem tegeret. Adeò vir omnium sapientissimus, speculo etiam ad disciplinam morum utebatur: *Demosthenem* verò primarium dicendi artificem, quis est, qui nonsciat semper ante speculum, quasi ante magistrum, causas meditatum? Ita ille summus Orator, cùm à Platone Philosopho facundiam hausisset, ab Eubulide dialectico argumentationes edidicisset: novissimam pronunciandi congruentiam ab speculo petivit. Et si enim in omnibus manu faciundis imaginibus opera diutinò sumitur, nunquam tamen similitudo æquè ac in speculis comparet. Deest enim & luto vigor, & saxo color, & picturæ rigor, & motus omnibus, qui præcipua fide similitudinem repræsentat. Cùm in eo visitur imago mirè relata, ut similis ita mobilis, & ad omnem nutum hominis sui morigera: eadem semper contemplantibus æquæva est, ab ineunte pueritia ad obeuntem senectam, tot ætatis vices induit, tam varias habitudines corporis participat: tot vultus ejusdem lætantis vel dolentis imitatur: ut graviter hæc de re disserit L. Apulejus *in Apologia pro se prima.* quemadmodum & de speculi usu egregia quædam habet Pomponatius *in libro de inventationibus peculiari cap.4.* ut Simon Majol. *part. 1. dier can. colloq. 18. & pag 595 & colloq 23. pag 758* nec non Joh. Heidenfeld *in Sphynge cap.15.* Jam cùm Philosophorum sit placitum, ex oculis & toto è corpore evaporare insensibilia corpuscula: quod specula demonstant, quæ à mulieribus menstruo laborantibus inspecta conspurcantur, & veluti squalore quodam ex situ redduntur obscura: nil certè mirum est, homines visu quandoq; effascinari; non quidem omnium, sed eorum potissimum, quorum spiritus ex impuro sanguine procreati emittuntur, ut *Langius* dicebat, vel, ut *Fracastor.* quorũ humores & spiritus adeò remoti sunt à natura aliorum, ut penè venena sint. Ii igitur cõcepto in infantẽ odio intentissimè intuentes, spiritus quosdã ex oculis, & tota è facie ejaculantur. qui teneros infantis spiritus applicitu, eos uti venena sensim absumunt. Quam sententiam & Philip. Beroaldus *ad l.10. Apuleij* asserit his verbis: Oculus radiorum aculeos in contuentis è regione oculos jaculatur. hinc virulentus aculeus transverberat oculos, & hominis percussi præcordia corque convulnerat. Quid quod & ophthalmici & lippi oculos fixè intuentium inquinant? Causa est quia illi sanguinem in oculorum membranis multum & putridum habent, quem per halitum dissolvi oportet, cum præter naturam eum in locũ collectus fuerit. Hinc ergo putres hi spiritus ex oculo exspirantes, oculum tenuiorem possunt offendere contagione; quemadmodum & lipporum oculi, ut qui pleni visantur muco & humoribus putridis. Atque inde forsan est,

Speculi inspectio.

Fascinum ex oculis.

Francisc. Vallesius, qui sententiam illam irridens, fascinationem nihil aliud esse concludit, quam superstitiosum quendam timorem, ex stulta credulitate & vulgari opinione profectum. *lib. singul. de sacra Philosoph. c. 69.* Quod si quis plura de *fascino* velit cognoscere, legatis Thomam Erastum *part. 1. disputat. de medicina nova Philipps Paracelsi à folio 91. usque ad fol. 108.* ubi satis disertè quid & quantum fascinationibus tribuendum sit, exponit, & aliorum opiniones de istis falsò conceptas doctè refellit. Cui planissimè consentiunt *Petrus Pomponatius* Mantuanus, seculi sui Philosophus doctissimus, peculiari sua de Incautionibus libello *cap. 3.* ut & Thomas Raderus à Vaga Medicus Lusitanus omni exceptione major. *in coment. ad 1. Galeni lib. de differentiis febrium pag. 510. vol. 2.* Notandum verò inprimis est, etiam Ægyptiorum disciplinâ Oculis vim maximam fuisse attributã. Eorum enim tum intentione, tum remissione, tum conjectu, tum hilaritate motus animorum explicari; atque eos nimis argutos, quemadmodum animo affecti sunt, loqui. Hinc celebre est Polemonis dictum, Oculos esse tanquam fores animi. Per illos enim animum emicare, indidemq; animum introspici. quo nonnulli Oculum *verum cordis nuntium* dictitarunt. Sic apud Ecclesiast. *c. ult.* hominis facies vocatur platea animæ; & Oculi, aspicientes perforamina: quia in facie sunt omnes sensus. quapropter illic videtur anima, ut in foro versari, ac negotiari cum rebus externis. Sensuum verò perfectissimus atq; exactissimus est visus. Quò pertinet illud *Matth. 6.* lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Quod enim physici & physyognomici de *Corporali oculi* affirmant, *Qualis scil. is est, tale esse & totum corpus:* hoc Dominus transfert ad *oculũ animi*, h.e. intellectum. quasi diceret: Ut oculus est lucerna corporis; ita mens seu intellectus, animæ, quæ est præcipua hominis pars, & per q̃ homo bonus aut malus dicitur. Quemadmodum igitur, ut valet oculus, ita valere agnoscitur totũ corpus: (quæ Hippoc. assertio est, *6. Ep. sect. 4.*) Ita ut valet intellectus, valet anima, ac per eam totus homo, qui nunc significatur nomine corporis. Si igitur, inquit, oculus tuus simplex, h.e. bonus est, totũ corpus (per quod totus homo intelligitur) erit lucidum. Sin oculus est, nequã, homo totus erit tenebrosus. Sic n. locum istum interpretatur Fr. Vallesius *lib. singu. de sacra philos. cap. 84.* Usq; adeò verò tota corporis vis in oculis incũbit, ut Zamolxis & Abaris philosophi totius corporis curatione opus esse dixerint, si quis oculis mederi vellet. quòd sic corpus curare q̃s affectaret, animum inprimis depurgandum, quod relatum est à Jo. Pierio *in praef. lib. 33. Hierogiyph* Porrò quemadmodum antiqua gẽtilium superstitio, singulas humani corporis particulas, singulos Deus obtinere existimavit: ita Amoris sedem in oculis potissimùm collocavit. Id certè Tiberianus *in Prometheo* ita extulit, ut dicat Deos singulares sui partes homini contribuisse, quas sibi vendicarent, suæque tutelæ proprias agnoscant. Caput itaq; Jovi deferunt, Neptuno pectus, cinctum Marti frontem genio: unde Deum venerantes, ait Servius, frontem tangimus. Supercilia in Junonis tutela fuisse ait Sex. Pompejus; quod ijs protegantur oculi, per quos luce fruimur, quam à Junone tribui putabant, Lucina inde dicta. Aurem Memoriæ consecratam refert Servius. Dextra Fidei sacra est: nam in fide porrigitur. Dorsum & posticæ partes Plutoni propriè adscribuntur ab Artemidoro. Pedes Mercurio,

Fascinationibus quantum tribuendum.

Oculorum vis.

Oculi fores animi.

Singulæ corporis partes à Diis

rio, à Democrito. Genua Misericordiæ quod ea supplices attingant, ad hæc manus tendant, hæc ut Aras adorent ut inquit Plinius *lib 11. c. 45.* Misericordiam autem ii Dearum numero fuisse olim, testatur ejus apud Athenienses Ara, teste Pausania & Philostrato. Tali plantæve pedum in Thetidis potestate fuerunt. Digiti Minervæ consecrati, Servio teste: Ubera, renes & inguina Veneri, quò referri potest illud Epigrammatarij Rufini ita ab Had. Junio latinè redditum *l. 4 Animadversor. c. 13.*

Lumina Iunonis tibi sunt, digitiq́; Minervæ,
Cum Thetidis talis, ubera Cyprigenæ.

ubi tamen per lumina intelligi debent Supercilia, ut modo innuimus. Nam oculos Cupidini, Veneris filio, in quibus excubet, ceu specula quadam, tribuit Philostratus. Optimè: Sunt enim oculi Veneris illices, & potentissimum amoris incitamentum: quorum fulgor & amabilis intuitus quodam quasi morsu vitalia populatur, & morsicatim medullas depascitur. quo spectant versus illi Musæi de Herone & Leandro: ita à *Caspare Barthio* amœnissimi hominis ingenii latinè redditi

Oculi amoris [illegible]

Fit via trans oculos, oculi figuntur, ab ictu
Vulnus in alta virum sensim præcordia manat.

Ubi in Notis suis Barthius in prædictum Musæi locum, præter alia illud ex Achille Tatio recensset: pulchritudo celerius cutem telo perfodit & per oculos in animam delabitur: oculos namq; via est amatorio vulneri. Unde Apulejus Fotidis suæ oculos *morsicantes* scitè appellat, *libro 2.* quemadmodum Horatius oculos *in Damalim putres* dixit, hoc est, in Damalis amorem solutos. ut verbo illo eorum exprimitur habitus, qui validis Veneris complexibus hærentes sollicitant spacium decurrere amoris, hoc est, cum res ad effectum spectat: sic enim ille 2. *de arte:*

Adspicies oculos tremulo fulgore micantes
Ut sol in liquida sæpè refulges aqua.

Et Juvenalis: *oculosq́; in fine trementes;* quo sensu & Persio *Satyr. 5.* In Venerem putris est, qui in hanc solutus & profusus: ductâ Metaphorâ à solo, quod *2. Georgic.* putre vocat Virgilius:

Et cui putre solum. namq́; hoc imitatur arando. &c.

significans optimum solum esse solutum. Nam cùm aramus, hoc agimus, ut terram solutam reddamus. Turnebus *lib. 18. Adversar.* cap. 27. de oculorum porrò vi ad excitandum amorem fidem facit illud ejusdem Apulei *lib. 10.* Isti enim tui oculi per meos ad intima delapsi præcordia meis medullis acerrimum commovent incendium, quod nec ignotum fuit scriptoribus sanctis. Sic namq;. Ambrosius *homil. 17.* ipse enim vel adspectus mulieris telum est veneno litum, & *homil 20. ait.* Cyrum abstinuisse ab spectu elegantis fœminæ, ne caderet. Et Cyprianus *de Zelo & livore*, de dæmonis illecebris differens: offert, ait, oculis formas illices, & faciles (quid si *faces* legas?) voluptatis, ut visu destruat castitatem. ut non omninò errare putentur, qui ducti hac sententia Græcum ἔρως dictum credant ἀπὸ τῆς ὁράσεως visione

Crescit enim assiduo spectandi cura puellæ

dicebat Propertius, præter illud

Cynthia prima suis miserum me cœpit ocellis.

Et illud:

Si nescis oculi sunt in amore duces.

Idque pluribus exornat Joh. Ludov. de la Corda Jesuita in Comment. *ad Virg. eclog. 8 v. 4. n. 4* à quibus non secludendum est, quod oculis venari amores, dixerunt veteres, sicuti Ritterhusius *adversû Phadri*

Oculis venari amorem.

—tres reliquit filias

Unam

Unam formosam sed oculis venantem viros. Velut & Ovidius dixit, *Amores venari.* Nam formasa fœmina, tanquam viscus volucres, sic ipsa adolescens capit & attrahit: ut non absq; ratione juvenalis prodigij loco referre videatur de cœco amante

Qui nunquam visa flagrabat amore puellæ.

Oculorum gratia. Accedit ad oculorum gratiam, quòd vel solus illorum in homine quidem benevolo intuitus, non mediocrem generare videatur suavitatem. Sic enim Euripides:

Suave est viri benevoli oculos intueri. quos cùm osculamur, ait Plinius *libr. 11. cap. 33.* animum ipsum videmur attingere. Hinc *Oculissimum*, pro eo, quod est charissimum, apud Plautum & alios frequenter invenias, eo quod oculorum sensu nihil nobis esse queat charius, nihil jucundius. Idq; post Turneb. *lib. 11. cap. 7.* etiam Muretus notat ad illud Catull.

Ambobus mihi quid carius est oculis?

Lusci rogatio. Hinc illa Lusci hominis ad populum lata rogatio, ut qui sciens prudens oculum lusco eripuisset, utroque oculo ipse orbaretur. Huic rogationi ferendæ occasionem adversarius dederat, quod minas sæpius intentaret, oculum se illi erepturum, etiamsi pœnam legis laturus & oculo altero cariturus esset, populus æquitate, vel potiùs necessitate rationis persuasus legem jussit: qua tamen nihil legi talionis, quæ populorum omnium quodammodò communis erat, derogabatur, qui enim malitiosè alterum excæcavisset, æquum erat, ut ipse excæcaretur, quod graviter disputat Joh. Bodinus *lib. 4. de Republica, cap. 3.*

DE SELLIS, STAPHIIS ET EQUORUM SOLEIS TIT. XVI.

Sellæ equorū. *Sellas equorum omnes credunt noviter inventas, aut saltem post Imperium Romanum introductas esse: quandoquidem in statuis antiquis non cernatur, quòd unquam Sellas equi habuerint; uti nec in ære, aut toreumatibus. Etsi igitur non usque adeò antiqua sunt: usum tamen harum fuisse invenio, imperante Constantino Magni illius Constantini filio, hoc est, anno Christi CCCXL. Scribit enim* Zonaras, *quòd Constans cum fratre suo Constantino de Imperij divisione dimicaturus, in medium Constantini exercitum irruerit, & percussum eum equo & sellâ deturbarit. De sella etiam Theodosius Magnus loquitur, qui imperare cæpit anno CCCXXXII. In quadam enim lege præcipit, ne sellis cum frenis & averta, sexaginta libras auri transeat: ea comminatione, ut si quis præscripta moderaminis Imperatorij libramenta transscenderit, ejus sella in frusta cædatur, averta verò fisci juribus deputetur.* l. quoniam. C. de curs. publ. lib. 12. *Ejusdem sellæ mentio quoque fit in Constitutione Leonis Imperatoris, qui solus imperare cæpit anno CCCCLXXII. Ea quippe lege prohibetur, ut nulli prorsus liceat in frenis & equestribus sellis, vel in baltheis suis margaritas, smaragdos, & hyacinthos adaptare.* l. unic. C. Nulli licere in frenis. lib. 11. Nicetas *quoque in vita Andronici Comneni de Theodoro quodam loquitur, qui ex*

equi sella descenderit, quam ἕδραν nominarant, h.e. sellam in qua sedebatur Sed & Zonaras idem nomen pro sella equestri usurpat, in vita Constantini Monomachi, ut ita extra omnem dubietatem sit, questri sella non admodum vetus inventum esse.

Staphia. Stapedes.

Staphiæ *quoque sive* Stapedes *quando introducti fuerint, non usq; adeò expeditum est. Sed quoniam horum nec vestigium in marmoribus aut aneis tabulis, & nec etiam nomen exstat: dicto non absurdum videtur, Eos post ruinam Imperij Romani fuisse inventos. Ideoque rei nova necessum fuisse novum quoque excogitare vocabulum quod est Staphia, vel Stapes, Sepedis, hoc est locus in quo pes queat consistere.*

Solea equorum.

Sunt etiam, qui velint, ne calceatos quidem olim fuisse equos: eò quòd in equestribus statuis ferrea ista calceamenta non conspiciantur. Cujus rei caussam sanè haud scio. Legi tamen, Poppaeam Sabinam, Neronis uxorem charissimam, delicatiorib. suis jumentis soleas ex auro induisse: cæteris verè ex argent, Id quod illi in mentem haud venisset, opinor, multò vero minus factitatem ab ipsa fuisset, nisi jam tum calceari consuevissent equi. Nicetas *circa finem historia sua scriptum reliquit, Latinos pulcherrimam statuam equestrem, qua Iesu filio Nave, vel, ut alij interpretantur, Bellerophonti sacra credebatur, destruxisse; & sub ferro calcibus abrupto, hominis effigiem in venisse. Credo igitur Equis ferreas soleas indutas fuisse.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Ephippia an veteribus in usu.

TRadidit Polydorus Vergilius *lib. 2. de Inventoribus rerum, c. 12.* & Joh. Corasius *lib. 5. Miscellan. cap 2.* Peletronios, qui Thessaliæ populi sunt, frenos & ephippia primos invenisse. quod ut assererent, adducti haud dubiè fuerunt illo Plinij loco, quo frenos & strata equorum Peletronium invenisse, scriptum exstat *lib. 7. c. 56.* Crediderunt enim *Equorum stratis* Ephippia incunctanter significari. Minùs tamen consideratè, opinor: cùm

Strata equorum.

eo verbo non tam equestris sella, quam quod equis injicitur, denotetur. Quicquid enim, ait Varro, insternebant, à sternendo stragulum appellabant: quale est illud, quod lectis operiendis insterni solet. Sic stratum & instratum etiam est operimentum equorum: cujusmodi Stragulæ Babylonicæ feruntur. Joh. Brechæus *in l. instratum 45 ff. de verb signif.* Quo fit, ut cùm Ephippiorum & sellarum equestrium neq; Plinius, neque etiam ullus alius idoneus auctor meminerit; usum earum priscis Romanor. temporibus nullum fuisse existimem. Nec mutat, quòd Ephippiorum fiat mentio apud Horatium *lib. 1. Epist. 14.*

> *Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.*

Nam si genuinam verbi significationem intueri volumus, deflectitur ἐφίππιον ἀπὸ τοῦ ἐφίππου, ab eo, qui equo insidet & eo vehitur, & propriè de milite equite dicitur; cui opponitur πεζὸς, pedes miles: Unde δρόμος ἵππιος, equestris cursus. & quandoq; etiam pro certamine currentium equorum ἐφίππιον accipitur: nihilq; absurdi est, ut pro strato sive instrato equi intel-

intelligatur, equorum autem ornatum quod attinet, constat eum veterib. valde fuisse in delitiis, præcipue verò principibus. Sic n. equi phaleri comti; imò equorum radiantibus Gemmis onustorum fit mentio apud C. Sollium Apollinarem *l. 4. ep 20.* ubi Joh. Savaro: olim inquit, æreæ & aureæ equorum gemmis tanquam stellulis illuminabantur; nec solum hæc sed et balthei & equestres sellæ Sic Antiochus Rex Hannibali equitatum frenis, ephippijs, monilib. phaleris præfulgentem ostēdisse memoratur à Gell. *lib. 5. Noct. Attic. c. 5* de quo ornatu egregiè L. Apul. de Deo Socratis: Nec enim in emundis equis phalaras consideramus, & balthei molimina inspicimus. & ornatissimę cervicis divitias cōtemplamur, si ex argento & auro gemmis monilia variæ gazæ dependent, si pluru artis ornnmenta capiti & collo circumjacent, si frena celata, si ephippia fucata, cingula aureata sint, & quæ sequuntur. Insigniter verò Frid. Barbarusl. equus à Gunthero *lib. 4.* sequentib. describitur versib.

Equorum ornatus.

Equi Barbarossa descriptio.

Aurea flexilibus fastidit frena cathenis
Gemmatosq; lupos & fulvum masticat aurum.
Lucidus è media dependet fronte pyropus.
Lucida multisonis phalerantur pectora bullis.
Ipse ferox incerta vago vestigia gressu
Multiplicat, tenuesq; interdū calcib. auras
Verberat, & tanto sonipes sessore superbit.

Quæ genuina & vera est ὑποτύπωσις equi generosi: quem ex omnibus animantibus constat maximæ esse φιλότιμον, honoris sensum habere acerrimum. Ideoque poëta ei superbiam tribuit, & quasi intelligentiam sui victoris: exemplo scilicet ejus quod de Bucephalo Alexandri M. equo Curtius *lib. 6. de rebus ejus gestis* memoriæ prodidit: & à nobis relatum fuit ad hunc auctorem nostrum *lib. 1. Rerum deperdit. tit. de equis*

Equus honoris appetens.

At vero adminicula, quibus & equi conscendentur facilius, & quibus pedes utrinq; inseruntur, ut quiescant, & commodior fiat sessio; noviter inventa esse, dubitandum non est. Nam ut in marmoribus & æneis statuis, itemque in arcubus triumphalibus Romæ conspicitur, antiqui adminiculo eo non utebantur: nec quo nomine appelletur, apud ullum Græcor. aut Latinorum auctorem legitur. Vulgus *Staffas Staphias*, vel *Stapedes* vocat, quod in eis pes stet commodè. Cœl. Rhodigin. *subsellares*, quòd sub sella propendeant; Rob. Valturius, *ferrum scansile*. Saltu autem Veteres se conjecisse in equos, absq; illo, quo dixi, adminiculo, ostendit Virgilius *lib. 12.*

Staphia veteribus incognita.

Saltio in equos.

Infrenant alij currus, ac corpora saltu
Subjiciunt in equos, & strictis ensibus adsunt.

Idem de Turno *eod. lib.*

Poscit equos, atq; arma simul, saltuque superbus
Emicat. ——

Clariùs verò etiam id docet Vegetius *lib. 1.* Non tantùm, inquit, à tyronibus, sed etiam à stipendiarijs militibus Salitio in equos districtò est semper exacta, quem usum ad hanc usq; ætatam, licet cum dissimulatione, pervenisse manifestum est. Equi lignei sub tecto hyeme; æstate ponebantur in campo. Super hos tyrones primò inermes, dum consuetudine proficerent; deinde armati cogebantur ascendere. tantaque cura erat, ut non tantùm à dextris, sed etiam à sinistris partibus & insilire & desilire condiscerent; evaginatos etiam gladios vel contos tenentes. hoc enim assidua meditatione faciebant scilicet, ut in tumultu prælij sine mora ascenderent, qui tam studiosè exercebantur in pace. Livius *secundi belli Punici lib. 3.* Nec omnes Numidæ in dextro locati cornu: sed quibus Desultorum in mo-

dum binos trahentibus equos, inter acerrimam sæpè pugnam, in recentem equum ex fesso armatis trãsultare mos erat. Tanta velocitas ipsis, tamque docile equorum genus! Xenophon Socraticus in eo libro, *qui Equitum præfectus inscribitur:* Postquam verò, equites esse oporteat, dictum est; quanam parte Equites optimi comparentur, hoc in medium conabor exponere. Ex his igitur Juniores impellere atque abhortari debemus, ut in equos insilere discant: hujus autem rei magistrum præceptoremq; qui adhibuerit, jure laudabitur: Natu autem grandiores adsuefacere, ut in scandendis equis, Persico more, se invicem adjuvent, elegantem autem & festivam hujus rei historiam illum scandẽdi in equum morem veterum non nihil veterum adumbrantem apud Guilielmum Stukium *in Carolo Magno redivivo pag. 40* quam amænitatis gratia lubet apponere: Cum Carolus Magnus Imperator, ait, in quendam presbyterum munus dignitatemque episcopi conferret, atque eum ad Pontificatum sibi donatum lætitia gestientem, & adhunc absque scamno sive suppedaneo, uno impetu alacriter in equum insilientem conspiceret: statim hominem novum revocavit: vales inquiens, ut video, viribus & eques haud malus es, opera itaque tua in bellis, ubi virtus tua enitescat indigeo. Proinde ignobili & imbecillo in ovium gregem dominiũ relinque. Quia verò illa Equos ascendendi ratio nõ facilè, & nec sine labore atque molestia expediri poterat, ab iis præsertim, qui viribus non valebant, nec habeant qui in equos ipsos tollerent: igitur ad minuẽdum illum laborem Vic curi, seu qui vias militares sternebant in lateribus viarum collocabant altiores quosdã lapides, & tanquã quædam pusilla suggesta excitabant, ex quibus parvo negotio quilibet, tenui etiam corporis firmitate, poterat se conjicere in dorsum equi. Idem etiam in vita C. Gracchi narrat Plutarchus: qui Cajus cum omni ratione consuleret commodis multitudinis: studeretque cunctorum Italiæ populorum animum sibi conciliare; in aliis etiam plures vias stravit, & cum ipsas commodas valdè fecisset atq; ornasset, curavit etiam ut lapidibus certa mensura positis, & columellis quibusdam notarentur millia passuum, & alijs itidem propinquioribus lapidibus effecit, ut qui equo veherentur, possent in eum facilè ascendere, sine instrumento illo, quo huic rei facto utebantur, cùm in equum imponi vellent. Præterea (inquit) dimenso viarum spatio, singulis Milliarijs (est autem Milliarium paulò minus quã octo stadia) columnas lapideas spacij signa proferentes constituit: alios insuper lapides parum inter se distantes ex utraque viarum parte disposuit, ut ex illis faciliter, & sine saltu in equos esset adscensus. Quibus ex locis evidenter evincitur Staphias Romonis antiquitus in usu non fuisse; ideoq; inventionem harum novam esse, quod eleganter docuit Robertus Valturius *de re militari lib. 10. cap. 2.* & Petrus Victorius *Varia. lection. lib. 37. cap. 15.* Cæterùm ex illo Plutarchi loco etiam discimus, Romanos itinerum spacia miliaribus & lapidibus fuisse dimensos. Unde Quintus ab urbe lapis dicebatur, distans ab urbe quinque miliaribus: ut rectè supputat Didac. Covarr. *lib. 2. variar. resolut. cap. 20. nũ. 5.* Varia olim itinera & discertè etiam probat text. *in l. propter litem. 21. §. fin. ff. de excus. tutor. & §. qui excusar. Inst. eod. tit.* in tantum ut Lapis & Miliarium pro uno eodemque dicatur *in l. 1. §. init. ff. de officio præf. urb.* eò quòd singul. miliarijs, auctore Graccho, lapideæ columnæ spaciorum signa inscripta habentes fuerunt positæ. Unde lapidibus quoq; itinerum dimensionem fieri in usum venit. Hoc & Quintilia-

Miliaria lapidibus discreta.

... admi... ... ... endi.

tilianus indicat *lib.4. cap.ult.* Reficit quoque (de partitione loquitur) audientem certo singularum partium fine, non aliter quàm facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata inscriptis lapidib. spacia. Eoq; Rutilius alludit jis versibus.

Intervalla viæ fessus prostare videtur
Qui notat inscriptus millia multa lapis.

Boetius etiam *lib.3. Geomet.* lapides quosdam, quos appellat *Cursorios* antiquitas, inscriptos fuisse ait, quibus itinera discriminaretur. Idque pluribus exsequitur Barrab. Brisonius *lib. 4. Selectar. antiquit. cap. 8.* quibus adijciendum est, quod de Milliario aureo est proditum. Id enim columna quædam erat, in capite Romani fori prope ædem Saturni: in quam columnam omnes Italiæ viæ terminabantur. Plinius *lib.3.* Roma dividitur in regiones 14. compita earum 265. pass. ejusdem spacij mensura currente à Milliario in capite Romani fori statuto, ad singulas portas, quæ sunt hodie numero 37. Cornelius Tacitus *lib.17.* Otho innixus liberto per Tiberianam domum in velabrum, inde ad Milliarium aureum, sub ædem Saturni pergit. Idem & Tranquillus ait totidem penè verbis *in Othonis vita*. Plutarchus verò *in Galba*, his verbis Milliarium describit: In forum ibat ad eam partem, in qua steterat aurea columella, ad quam omnes Italiæ viæ terminabantur, hoc est, initium & finem capiebant, ab ea quippe columna milleni passus in vijs omnibus, lapidibus notati, dirigebantur. Fr. Hotomannus *§. qui autem vult. Inst. de excus. tutor.* & Matthæus Raderus *ad Martial. l.1. Epigr. 13.*

Milliarium aureum.

Signat vicina quartus ab urbe lapis.

Quam post ultimam hanc recognitionem primum vidi. Quod aût in causa sit, quòd apud Æmilium Macrum, mille passus non à milliario Urbis (alij, *Muro urbis* legunt) sed à continentibus ædificijs numerandi sint *l. mille passus. 54 de verb. signif.* id à Juris nostri interpretibus ad eum locum, & ad *l.2.d.t.* diligenter est explicatum, quib. adde quod Ant. Augustin. scribit. *lib.4 Emendat. cap 7* & quomodo metienda sint milliaria, tam legalia, quam vulgaria, perspicuè tractatum habes apud Joh. Koppen. *in decisionib.* doctissimis pariter atq; utilissimis auro contra non æstimandis *q. 16.* post Schneidw. *in §. Rursus nu. 40 cũ seqq. Instit. de Act.* De Equorum autem soleis dicta aliqua sunt *lib.1. t. de Equis.* ubi *Poppiam Sabirã* Neronis initio pellicem, inde uxorem, jumentis suis delicatioribus soleas ex auro induere solitam, docui. De qua etiam scribunt historici, capillos eam habuisse succinos, ipsius quoq; Neronis, qui eam ad insaniam usque deperibat, sermonibus laudatos, versib. item nonnunquam ad Citharam decantatos. Exinde factum, ut puellæ omnes, Romanæ atque Italicæ eo tempore colorem illum magno studio affectarent, non in coma modo & capillis, sed in reticulis, annulis & omni genere ornamentorum. Quo ipso admonens stultitiæ* cujusdam humanæ quam Græci κακοζηλίαν dicunt: qua obsessi homines magnorum virorum adfectant & concupiscunt, cum similitudinem eorum sperare non possunt, nec ap ἔργα eorum pertingere, confugiunt ad illorum ineptam & ridiculam imitationem, sectanturque πάρεργα, & pro virtutum ornamentis, Naturæ nævos aut consuetudinis vitia sibi affingunt & accommodant, non aliter *inquit* Picartus *decad.3. observ. Politicar. cap.7.* quam teste Plutarcho facere pueri solent, qui induunt Musarum suarum grandiores cothurnos, galeas sive thoraces, & illo ornatu se majoribus suis jam pares aut similes esse persuadere postulant, idq; exemplis aliquot demonstrat Picartus; illud etiam de *Cleisopho* Philippi

Milliarium metiendorũ ratio.

Poppia Sabira capilli succini.

κακοζηλία.

Cleisophus Philippo adulatur.

Macedonum Regis adulatore adjiciens. Nam cum Philippo oculus unus effossus esset, Cleisophum ait mox eodem oculo fasciis obligato in *publicum prodiisse*; ac rursum cum crus obtusum Regi ac luxatum fuisset, Cleisophum eodẽ crure claudicantem cum Rege conspectum. Deniq; si vel cibum acrem ori Philippus admoveret, vultum mox Cleisophum contraxisse, quasi eo quoque vesceretur. Debuit scil. Cleisophus ille non Atheniensis esse, sed *Arabs* aliquis; in quorum regione scribit Athenæus non assentandi causa factũ, ut si Regi pars quædam corporis male affecta esset, subditi eodẽ modo se laborare fingerent, quod *Aethiopibus* itendidem tribuit Diodor. Sicul. *lib. 3. Biblioth.* quam stultitiam reprehendens *Picartus*; desinant, *inquit*, domines jam demum stultescere cum esse desinant! Sed ut ad equorum soleas revertamur, & simul caput hoc concludamus, scitum est quod Jos. Scalig. memoriæ prodidit; Eas olim equis *indutas* fuisse, nõ ut nũc, *clavis suppactas*. Locum illũ videre poteris lector apud Scalig. ad ultimum versum *Catulli in Epigr. 16*.

Arabes Regũ suorũ vitia affectant.

& Æthi-

Equis solea olim induta.

DE QUADRATURA CIRCULI, SEU MODO REDUCENDI QUADRATI AD CIRCULUM TIT. XVII.

Auctor est Aristoteles, Multa quidem esse scibilia vel sciri posse, quæ tamen scita nondum sint, eo quod via ac modus eorum ignoretur. Exemplum ponit de Quadrato in Circulum reducendo. Id quod nec ipse, nec quisquam alius ad nostram usque ætatem hinc facere poterat: nisi quod annis ab hinc plus minus triginta, Ars ista fuit inventa: quæ mirabile quoddam secretum in se continet. Græci τετραγωνισμὸν vocant, quæ est alterius cujusdam figuræ ad circulum reductio. Fit autem hoc modo Ducendus est Circulus AB. cujus area ita metienda, ut Diameter constituatur AC. longitudine 14. pedum, qui numerus triplicatus producit 42. Huic si addideris septimam Diametri partem, quæ sunt 2. provenient 44. Circumferentia enim Circuli triplo & sesquiseptima parte major est Diametro. Intellecta Circumferentia & Diametro, facile est Aream circuli invenire. Nam si per dimidietatem, id est, per 2. diviserimus diametrum, provenient 7. & Circumferentiam similiter per 2. provenient 22. qui numerus ultimus per 7. multiplicatus, producit 154. quæ, pro ratione Mathematica Aream circuli constituunt.

Scibilia, sed non scita.

τετραγωνισμός.

Calculus hic est:

Diameter tota est	14	7. *Quotiens.*
Dimidietas est	2	
Circumferentia integra	44	22. *Quotiens.*
Dimidietas est	22	

Hi duo Quotiens 22. & 7. inter se multiplicati constituunt Aream circuli 154.

22

7

154 *Area circuli.*

Restat ut Quadratum inveniamus, huic æquale. quod ad hunc reperitur modum. Divisa, quemadmodum factum est, Diametro in 14. partes, ducenda est linea ac undecima parte ad circumferentiam, à puncto D. ad F: unde angulus fit rectus cum Diametro, Posteà ab ultima parte Diametri ducenda est linea ad idem punctum F. & fit linea C F. atque ita Quadratum illud Circulo erit æquale. Quod ut verum esse deprehendatur, necessum est, ut ipsius Quadrati longitudinem metiamur, Metienda itaque erit linea C D. quam 11. pedum esse diximus. Numerus iste multiplicatus per 11 conficiet 121. posteà mensuranda est linea D F. & longitudinem eius hoc modo deprehendes. Ducenda erit linea à puncto E, quod circuli centrum est, ad F, & nascetur triangulus DEF. Linea ista EF, æqualis est dimidiato Diametro, quæ est 7. pedum, quandoquidem integer Diameter 14. pedibus constat. Numerus ille per 7. multiplicandus erit, & provenient. 49. de quibus detrahendi 16. qui numerus est multiplicatus Lineæ ED. quæ est pedum 4. qui multiplicati faciunt 16. Detractis igitur 16. à 49. restabunt 33. & ideò potentia Lineæ DF, erit 33. cum quo numero conjunctis supradictis 121. prosilient 154. Vnde apparet, potentiam Lineæ F, Quadratum constituere ex 154 quantam ipsam Aream Circuli diximus.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Quadrat Circuli an possibilis.

QUæstionis hujus de Quadratura Circuli, an scil. ea possibilis sit, nec ne, jucunda quidem est inquisitio; at explicatio difficilis; cognitio autem cùm ad alia, tum ad multorum locorum Aristotelicorum intelligentiam perquàm utilis, ut testatur Benedictus Pererius, *de Communibus omn. rer. natural. princip. & affect. lib. 10. c. 19.* Circulum autem quadrare conati sunt, apud Veteres, Antiphon, Bryso, Hippocrates Chius, Euclydes, Archimedes, Apollonius, Porus. E recentioribus Boëtius, Campanus, Cusanus, Rgio mõtanus, Oroncius Finæus qui si quàm multa docere atque demonstrare pollicitus & aggressus est, tam multa præstare & perficere potuissent, immortalem sanè gloriam fuisset consequutus. Et ex Veterib. quidẽ Antiphon & Bryso satis nobiles perhibentur Mathematici, vel Aristot. reprehensione *1. physic. text. 11. 1. Posterior. text. 23. & 1. Elench. c. 10.* Nec enim adversus ignaros & inertes athletas Aristoteles luctatus est, ut discipulus ejus Alexander Reges athletas deposcebat, cum ad olympicam coronam invitaretur. Hippocrates verò Chius præterquam quòd & ipse ab Aristotele itidem satis nobilitatus sit, admirabilis prorsus fuit Naturæ, dicam, an fortunæ miraculo? hic enim, ut ait Philoponus *in primum Aristotelis Physicum*, Mercator, cum in piratarum navem incidisset, Athenas venerat prædones accusandi gratia: & cum diu Athenis persequendi criminis causa moraretur, accessit ad Philosophos, quorum consuetudine tantum in Geometria profecit, ut duas res in Geometria maximas ten-

Antiphon. Bryso.

Hippocrates Chius.

tentarit, valdeque promoverit, τετραγωνισμὸν, Quandraturam circuli, & deplicationem cubi. Circuli quidem quadraturam non invenit; sed cum quadraret lunulam, falsò arbitratus est ex hac Circulum quadrari. Nam ex lunula quadrata circulum quadratum esse arbitrabatur. Hæc Philoponus: Sed Hippocratis, ut & reliquorum omnium de Quadratura circuli demonstrationes, Johannes Buteon uno libello diligenter collegit, earumque demonstrationum vitia & errata subtiliter & accuratè patefecit quemadmodum & docta exstat eadem de re Petri Rami disputatio, *lib. 1. Scholar. Mathemat. & lib. 19. Geometr.* Adeò non absque ratione dixisse videtur Aristoteles: *multa sciri posse, quæ nondum scita sunt*, ut τετραγωνισμὸν circuli. Ejus enim scientiam nondum esse quidem, at ipsum tamen esse quiddam scibile, *in Categ. c. 2.* quo sensu Marin. *in pro theoria Datorum* affirmat, Circuli scientiam, quamvis nondum percepta sit, percipi tamen posse. Idq; alijs quoq; in rebus usu venire credo pluribus: rectè ut possimus dicere, *Maximam partem eorum, quæ scimus, esse minimam partem eorum, quæ ignoramus, aut scire possumus.* quam in sententiam Cardinalis Cusanus librum conscripsit, *de Docta ignorantia.*

Ignorantia docta.

Cæterùm quæstionis istius nondum in diametri & peripheriæ sive circumferentiæ ratione esse P. Ramus putat *in d. lib. 19.* Eam Pancirolius hoc capite nostro diligenter explicat. Cujus demonstratio sic habet. Demonstrandum est, Quadratum Lineæ FC æquare aream circuli propositi. Linea DC, est 11. partim talium, qualium tota Diameter est 14. Linea EF. est radius circuli, seu dimidia Diameter, id est 7. partium. In triangulo igitur rectangulo, DEF nota sunt duo latera, DE, 4. partium, & EF, 7. partium. Ex his duobus notis lateribus, *per penultimam proposit. primi* Euclidis, notum sit etiam tertium latus DF. Subtrahe quadratum lateris DE à quadrato lateris EF: residuum est quadratum lineæ DF.

Schematis demonstratio

Latus DE est 4. partium, ejus Quadratum est 16.

Latus EF est 7. partium, ejus Quadratum est 49.

EF Quadrat. 49.
DE Quadrat. 16. Subtrahe,

DF. Quadrat. 33. Residuum,

Cognitis omnibus lateribus in triangulo rectangulo DEF. cognoscendum etiam idipsum in altero triangulo rectangulo DFC. in quo dantur duo latera nota. Lateris DF. quadratum est 33. Lateris DC. quadratum est 121. Si enim undecim in seipsa multiplices, tot provenient. Ex horum duorum laterum Quadratis cognitis, investigatur etiam quadratum tertij lateris FC. quod ultimum est, & scopus propositum in hac demonstratione. Illud enim Quadratum est æquale areæ circuli propositi. Invenitur autem tertij illius lateris quadratum itidem *per penult. proposit. primi* Euclidis. Adde quadratum DF. 33. ad quadratum DC. 121. Summa erit quadrati FC, 154. quæ etiam area Circuli fuit antè inventa, ut in ipso textu Pancirolli ostendimus.

Quadratum lineæ DC. est 121.
Quadratum lineæ DF. est. 33. Addend.

Quadrator. duorum summa est area Circuli 154.
Lineæ EF Quadrat. 49.
Lineæ DE Quadrat. 16. Subtrahe,

Lineæ DF Quadrat. 33. Residuum.

11
11

11
11

121.

121. Quadr. lineæ DC.
33. Quadr. lineæ DF.

154. Quadr. lineæ FC.

Hæc duo quadrata addenda sunt, & proveniet quadratum lineæ FC. quod quadratum æquale est Areæ Circuli.

Hæc eadem suma provenit etiam, si per dimidiam diametrum, id est, per 7. multiplices dimidiam circumferentiam Circuli, quæ est 22.

22
7
———
154

Atque hæc quidem propositi à Pancirollo Schematis demonstratio, ut puto, vera est, de qua plura videre poteris, Lector, apud *Iacob. Christmannum*, professorem Heidelbergensem, virum doctissimum, in eruditissimo scripto, cui titulum fecit, *de Quadratura Circuli*, quo in tractatu nihil fere aliud agit, quàm ut Schema istud explicet. Quod si quis certiora mihi demonstraverit, nunquam adeò perfrictæ frontis fuero & duræ cervicis, quin meliora docenti sim obsecundaturus. Neque enim ex eorum sum numero, qui suas opiniones adeò pertinaciter defendunt, ut refelli, turpe; vinci, nefas esse putent: aut qui de vita, quam de proposita susceptaq; opinione malint decedere, cùm præsertim hi neque sibi sint, neque suis civibus utiles, & perniciem Reipubl. afferre soleant: ut graviter censuit Johan. Bodinus in Methodo histor. *cap. 5. fol. 123.* de Christmanni autem studiis & moribus novem illum linguarum, præter vernaculam, cognitione & peritia, & de controversia inter ipsum & Joseph. Scaligerum agitata cognoscere poterit Lector ex Melchiore Adamo *in vita ejus descriptione.*

Iac. Christmannus.

Pertinacia quorundam.

DE TORMENTIS MURALIBUS ET BOMBARDIS TIT. XVIII.

Tormenta illa bellica, quæ Bombardæ dicuntur, inventa fuerunt à Germano quodam, circa annum Christi 1378. Eaque primùm usurpata fuerunt à Venetis, cum Genuensibus ad Fossas Clodias *confligentibus, quas hi suo conabantur subjicere dominio, quibus vis pacis conditionibus spretis. Sed machinis tandem & instrumentis hisce fracti Genuenses, ad unum ferè omnes dati fuerunt internecioni.*

Bombardarũ inventio.

Dictæ sunt Bombardæ à sono, quem edunt. Hinc excogitata fuerunt manualia illa tormenta, quæ vel funiculo incenso, vel rotà agitata globulos projiciunt, ut cotidiè videre est. Ideoq; copiosius de his disserere superfluum duco: sicuti & de pyrio pulvere, ad hunc usum præparato.

Denominatio.

Sclopus, *Latina dictio est, à sono, qui ex inflationibus earum erumpit, de quo Persius:*

Sclopeti.

Nec sclopo tumidas intendis rumpere buccas.

qui versus de eo, quem jam dixi, sono erit accipiendus: non verò de illo, qui ex scloptis nostratibus, qui tum temporis nondum exstiterunt, emittitur.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Bombarda.

INter alia Germanorum inventa, non postremum locum merentur bellica illa tormenta, sive machinæ metallicæ, quæ ignis incendio, & sulphureo pulvere, glandes æneas, flammeasque pilas, & globosa graviaque saxa convolventes, horrisono fragore ac tonitru longè lateque jactant, muros urbium quatientes, & obstantia quæque demolientes. dictæ Bombardæ, à bombo & sono quem edunt, quasi bombizatio quædam ardens, ut Robert. Valturius putavit; *de Re militari libro 10.* quibus cum si Catapulta Veterum, & antiqua belli tormenta conferantur, sanè hæc puerilia quædam ludicra, ex Bodini sententia videri possint, *in Methodo historic. c.7.* Quo fit, ut mirari satis nequeam, Valturium ipsi etiam *Archimedi* Bombardarum inventionem attribuisse eo tempore, quo Marcellus Syracusas obsidebat, ut Civium suorum libertatem tueretur, patriæque excidium vel averteret, vel differret. Miror etiam, cur non *Demetrium* Macedoniæ regem illarum Inventorem laudaverit: quem constat in excogitandis & fabricandis machinis bellicis ita extulisse ingenium, ut πολιορκητὴς inde fuerit appellatus; obstupescente Lysimacho, perspectâ machinæ industriâ, qua Cilicios oppugnabat, & divinum vocante Demetrium, teste Plutarcho *in ejus Vita.* Sed de Archimede ea id fide dictum à Vulturio opinor, qua Gonsalvus Mendoza, Maffejus, alij Rerum Indicarum Scriptores, a Chinensibus ut Typographiam (qua de re suo loco, & quidem *T.1.12.* diximus) ita & bellica illa tormenta excogitata, & multis jam retro actis seculis in usu fuisse, non dubitarunt asserere. Quibus meritò annumeres, qui Machinas istas jam pridem *a Mauris*, antequam earum ulla apud Germanos esset notitia, usurpatas fuisse dicunt. Cui cum persuadendo verisimile fieri poterit, Tormentorum istorum usum, quo Urbibus obsessis ad depellendos obsidentes nihil est salutarius, tanto temporis intervallo potuisse delitescere? cùm, quam primum Venetis Bombardarum, Romanis typographiæ usus esset ostensus, subitò ille ad alios atque item alios fuerit divulgatus, ut ijs hodie ubivis gentium & locorum nihil frequentius videas. Magis verò etiam ridiculi sunt, qui Machinarum istarum authorem constituunt.

Unde dicta.

Horum author an Archimedes.

an Demetrius.

an Chinenses

an Mauri.

an Salmoneus.

—crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iovis, & sonitus imitatur Olympi
Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen
Ære, & cornipedum cursu simulabat equorum.

ut est apud Virgilium 6. Æneid. Nam ut ex versibus istis rectè colligitur, Salmonei machinamentum illud sine noxa erat, ad terrorem duntaxat incutiendum; ideoq; præter inanem sonum & strepitum fulmini nequaquam adæquandum. quo loco etiam habere possis sagittas igniferas apud Jul. Pollucem *lib.1. Onom. c.10.*

—& arsuras cœli per inania glandes,

ut ait Statius Papinius *lib.10. Thebaid.* Eæ siquidem glandes plumbæ percalefactæ vi funditoris, liquatæq; ardescebant, si experimento creditur, & Lucret. *lib.6.*

—plumbea verò
Glans etiam longo cursu volvēda liquescit.

Bombardarum & fulminis collatio.

At Bombardarum ictus à fulmine, quoad sonitum, ignem, ictum, itemque effectus (exceptis efficiente & materia) non tantum nihil differt, sed etiam illud superat. Si enim ad aliorum imitationem conferre illa libeat, Plinius monet *lib.2. cap.54.* unum hominem non semper exstingui à fulmine; cætera verò animalia, quæ quidem fulmini obnoxia sint illicò perimi;

Natu-

Naturâ homini hunc quasi honorem tribuente, cùm alia animalia viribus longè præstent. Machinæ contra hæ homini minimè parcunt. Quinimò cum fulmen casu incidere soleat, ideoque inanimata plerunque petat, rarissimè hominem: hæ unius tantùm ferè læsionem intendunt. Præterea multa adferuntur ab Auctoribus contra fulminis ictum remedia: qualia à Plinio *lib. 2. cap. 55.* recensentur, Specus altiores quinque pedibus, in quibus se occultasse nonnullos memoriæ est proditum; Lauri frutices, unde lauream coronam gestatam ab aliquibus legimus, pelles vituli marini; ex quibus tabernacula si quidam obduxisse dicuntur; pennæ aquilæ, itemq; hyacinthi gestati. Armachinarum istarum ictui & violentiæ non murus decempedalis, nedum ineptiæ illæ quicquam obsisterent. Adhæc Nubes, quarum concussu & collisione tonitru & fulmen excitatur, Nolarum seu æramentorum sono, itemq; tormentorum murmure & fragore disperguntur, & vel evanescunt, vel aliò depelluntur. At verò Machinarum bellicarum furor & vis, ab hostibus illata, nullo modò sisti aut leniri potest. Fulmen rursus unicum ferè tantum infert ictum, & unicum ferè, & quidem raro, hominem interimit: Illarum autem ictus sunt per plures, & unico quoque multi sæpenumerò Mortales pereunt. Fulgur etiam lumine suo, quandoque etiam fragor ictum futurum prænuntiat: Illæ contrà simul ferè & coruscant, & iciunt, & obmurmurando feriant, & feriendo obmurmurent; sicq; uno ferè momento globum intra corpus, & sonum intra aures mittant. Tandem multæ dantur regiones & tempora anni, frigidiora scilicet, ut Septentrionales & hyems; Item calidiora, ut Ægyptus & æstus intensior: quibus vel ob frigus nimium calor vaporis extinguitur; vel ob caloris nimietatem vapor prorsus absumitur. Consequenter igitur nullæ tunc nubes, neque earum colisiones, neq; etiam fulmina. Contrà verò machinæ hæ per omnes regiones sparsæ sunt, & omni tempore effectum suum possunt producere. quemadmodùm latiùs hæc Francis. Rota & Paræus inter se conferunt. Cùm itaque Machinæ hæ non tantû imitentur fulmen, sed etiam superent; fieri non potest, ut Salmoneus auctor illarum perhiberi possis, cùm poeta hunc dicat non imitabile fulmen simulasse: ut rectè colligit Franciscus Rota *cap. 1.* Laudat Plinius Apellem pictorem nobilem, quòd tonitrua, fulgetra & fulgura pinxerit, quæ picturâ exprimi vix possunt: At quanto ars hæc præstantior, tonitrua sono damnoque prorsus æmulans! ut possint incusare poetæ antiquum Prometheum, ad quem Fulgentius providentiam refert, quam Græci προμηθείαν dicunt, quare non præsenserit hoc machinæ bellicæ genus, & quare posteros milites ex marmore Pyreneo non potiùs informaverit, quam ex molli luto. Verius est, Machinæ istius Inventorem fuisse Germanum, consentientibus in hoc historicis, itemque Polydoro Vergilio *lib. 2. de Inventor. rerum cap. 11.* Petro Ramo *lib. 2. Scholar. Mathemat.* & Stephan. Forcatulo *lib. 4. de Imper. & Philos. Gallor.* sive Authoris ipsius nomen ignoretur, sive Monachus fuerit Friburgo oriundus, *Constantinus Anckltzen*, sive *Bertholdus Svvartus*, ut à Forcatulo nominatur; & quidem vitæ monasticæ, ac certè ociosæ. Quia n. nihil agendo, ut dicebat M. Cato, malè agere discimus, ille metallis transformandis incumbens, præter opinionem æs subsilire cum fragore sensit, ignea vi & tenui pulvere tantùm modò pulsatum. Chymistam n. hunc fuisse dicunt, & servâsse aliquando domi in mortario pulverem sulphureum, cujusdam medicinæ faciendæ

Apelles tonitrua pinxit.

causa; illudque texisse lapide, ac inde contigisse, ut dum ignem ex silice propè excuteret, scintilla intro ceciderit, subitoque flamma eruperit, atque lapidem in altum tulerit. Indè ille ejus rei casu doctus, postea factâ ferreâ fistulâ, & pulvere confecto, mahinam reperisse dicitur. Ei igitur fortuna nihil tale meditanti opus illud objecit, non secus atque Diocli Atheniensi harmoniam; dum vasa testacea ligno pulsaret: Suidas *verb. ξυλυφίων.* Adeò verum est, quod Aratus prodidit, Non omnia simul edoctos homines à Jove, sed adhuc pleraque occulta manere, quorum aliqua dabit & in posterum. Habet scil. Natura scientiarum thesauros innumerabiles, qui nullis ætatibus exhauriri possunt: ut Bodinus dicebat.

Inventoris & operis ipsius exsecratio

Jam cùm inventionem hanc Germanis non possint eripere Invidi: ut tamen quod carpant habeant, cum Inventorem, tum opus ipsum exsecrantur. Authorem enim istum ad exitium humanum natum dicit Vergilius: ideoque nomen ejus exsecrabile putat Cardanus, quod tormenta illa ad damna humani generis potiùs, quàm ad utilitatem inventa videantur. *lib. 17. de artib. artificiosisq; rebus*, quæ & ipsa exsecratione digna censet idem Virgilius, quod ab humano ingenio nihil ijs excogitari potuerit horribilius. Imò haud adduci se posse ait *lib. 3. cap. 18.* ut humanum ingenium invenisse hæc credat, sed potiùs malum quendam Dæmonem mortalibus monstrasse putat, ut inter se non modò armis, verum etiam fulminibus pugnarét. Ipsum etiam video Philippum Melanchthonem, in generis humani perniciem illud ferale bellicorum tormentorum genus dicere inventum, Monacho ministro & fabro, diabolo architecto: ut cum labasceret paulatim auctoritas insanæ superstitionis, quæ his auctoribus fascinatas hominum mentes præcipitaret in exitium æternum; succederet ijsdem auctoribus aliud mali genus, quod in corpora sæviret, sed in mutuam perniciem horribili furore hominum instructum atq; displosum. *libr. 5. Chronic. sub VVeneslao Caroli IV. Filio.* In quam sententiam exstant elegantissimi versus *ad Quercetani Sclopetarium*, quos venustatis eorum gratiâ placuit apponere:

In pravas, spretâ, quum labes, Numinis ira
Se mortale genus, laxis immersit habenis,
Armipotens, scelerum vindex, justissimus unus,
Ignivomas rutilo nubis fabricatus Olympo,
Torsit in indomitas ardentia fulmina terras.
At magis exarsit sceleris vesana libido,
Invisum cælo & terris, è faucibus Orci
Verticis obrasi monstrum dum exoritur, opacis,
Orbis dira lues, nostriq; infamia secli.
Hoc nova namque novo cuduntur fulmina fabro,
Et Stygia erumpunt Stygio documenta Magistro,
Qualia Avernalis pandens mysteria templi
Terva Hecate dederat: monstrosa inclusa cucullo:
Lurida quum pariter permixto sulpphura nitro
Tisiphone adiunxit, flammasque operasque ministras.
Flammigera hinc retrò torquentur fulmine glandes,
Glandifer æque fremunt horrendo murmure flamma,
Vireboent campi, montesq; & magnus Olympus.
Mox rapidum latas infert se virus in oras,
Quod quasi (heu furiale malum!) tot fortia bello
Corpora, tot tetro raptim ulcere pascitur (artus
Crescente ut pœnâ, crescat quoque Numinis ira, &c.

Hinc

Hinc accusatur non immerito elegans quoque illud de Bombarda trium fistularum distichon, quod ex Venetorum monumentis eorum itinerario suo inseruit Nathan Chytræus *fol. 99.*

Cerberus evomuit triplici de gutture flammas
Sulphura, sal, nitrum, fulmina bella globos.

Perilli taurus. Nec desunt, qui Machinarum ænearum authorem dignum censeant, qui ut Perillus taurum æneum, ita ipsemet tormentum hoc primus experiretur. Perillus enim Atheniensis, in fundendo ære celeberrimus, Taurum naturali staturâ majorem fabricârat, officiosumque animal & homini socium in ejusdem supplicium acerbissimum converterat, mugitus promittens igne subdito: & quia à simulachris Deorum atq; hominum avocaverat pulcherrimam artem, cruciatum primus experiri jussus est justiore sævitia, punito tormenti authore, talione decantata. Eandem prope exercuit Ludovius XI. Francorum Rex, Caveas ferreas quovis carcere duriores facere monitus, in pœnam potiùs, quàm in custodiam miserorum, qui reatum qualem qualem sustinerent. Nam Episcopus Verodunensis, qui ex cogitatis primum his caveis sibi placebat, primâ earum inclusus totis quatuordecim annis ridiculus & mœrens obduravit. Philip. Comin. *in Ludovic. XI. cap. 136.* & Forcatul. *lib. 2. de Imperio & Philosoph. Gallor.*

Cavea ferrea.

Verùm enim verò etsi machinâ illâ æneâ nihil pestilentius est Urbibus obsessis: negari tamen non potest, nihil quoq; hac esse salutarius, dum obsidentes arceantur, & missilis ignis regeritur. Et quid Natura boni dedit hominibus, sine aliquo malo? Duo præcipua elementa, Aqua & Ignis, hoc patefaciunt, quibus vita maximè fovetur, & maximè perditur, absorptis urbibus: nedum hominibus. Valdeque verisimile est; sivisse Deum singulari quodam judicio tam perniciosum tormentum recenter reperiri, ut mutuo terrore affecti mortales, nec viribus ita confidentes; facilius alterent concordiam, & bella detestarentur, incerti & mortiferi ictus timentes aleam. tantum ab est, ut virorum virtus hac ætate perierit: sicuti olim quæstus fertur Agesilao Rege satus Archidamus, teli novum genus è Sicilia allatum demiratus: cùm potiùs hodiè non nisi audacibus & ferè desperatis sit præliandum inter grandines flammarum, ut ait Forcatulus *d. l. 4.* Hinc illa Herculis Ferrariæ principis querela. Cui cum *Spingardæ* pila (Spingardas autem vocabant minora tormenta tricubitalis longitudinis, glandem pruni majoris magnitudine violenter evomentes) calcaneum detersisset, malignè & barbaro more *Coleonem* Venetorum copiis præfectum fecisse dixit, qui viros fortes, gladio atq; hasta pro virtute & gloria dimicantes, inusitata atque horribili pilarem procella sternendos curaret. Ea enim humanitate milites ducesque extra cruorem, per id tempus in Italia depugnabant, ut eo prælio, funalibus accensis, cùm nox ingrueret, ampliùs quotuor millia cataphractorum equitum, admirabili ridendaq; hodie spectaculi contentione, concurrerint. Ut bella illa, si cum nostris hoc tempore conferantur, propemodum ludicra videri posse, Jovius scripserit. Atque ita esse, res ipsa loquitur: cùm non solùm armatam defensiva, quam offensiva mutata, & ad accelerandam mortem, atq; interficiendos homines, perniciosa arte inventa sint: verum etiam tormenta illa bellica tam majora, quam minora, frequentiore in usu, quàm antea, esse cœperint. quorum vim primi perpessi fuerunt Genuenses, in bello illo à Venetis contra ipsos ad Fossam-Clodiam suscepto, circa annum Christi millesimum trecentesimum

Bombarda tumultuas.

Spingardæ.

Acrius hodie pugnatur, quàm olim.

mum octogesimum. Genuenses enim se quidem interfici sentiebant; quo tamen teli genere, non animadvertebant. Jam enim tum primùm novum hunc partum Mundus hic pepererat. Et quidem Bombarda primum usos fuisse Venetos etiam SimonMajolus testatur *part. 1. dier. canic. colloq. 23. pag. 760.* Et consuli de hoc poterit M. Antonius Sabellicus rem omnem accuratissimè perstringens, *de rerum & artium Inventio. pag. 119.* & Levinus Lemnius *lib. 3. de occultis miraculorum. cap. 4.* Planè cùm bellum, ut Thucydides dicebat, non geratur certis pactis aut legibus, licebit sanè cuivis quemadmodum Antigonus apud Plutarchum ajebat, aut dolo, aut vi, aut apertè, aut per insidias hostem aggredi. Sic enim & Archimedes, quem non tantùm nemo vituperat, sed omnes admirantur & tantoperè extollunt, hostium naves instrumentis suis submersisse legitur. Quòd si bellicæ machinæ propterea execrandæ sunt, quòd noxiæ & lethales sint: ecquis unquam erit armorum usus? quamvis alia alijs magis vel minùs sint lethalia. Magis enim & minus non mutare speciem, ex Logicis discimus, ut idcircò ab usus potius tormentorum istorum, quam usus legitimus videatur damnandus. Docet tamen Lipsius, non minorem olim & fortè majorem *Fundarum* vim atq; impetum fuisse, quam bombardarum & sclopetorum nostratum *lib. 5. de militia Romana pag. 259.* in cujus rei fidem adduci possunt illi Guntheri versus *lib. 10.*

Veneti Bombardis primū usi adversus Genuenses.

> *Turbine fulmineo magnos tormenta molares*
> *Mœnibus infligunt, murosq; & tecta flagellant,* (*plumbo*
> *Fundaq; contorto transverberat aera*
> *Et medijs liquida glandes in nubibus ardent.*

Fundatorum olim major impetus quā [illegible] bombardarum.

Quod cum ita scriberet Gunth. haud dubie ob oculos habuit istū Lucr. locum *li. 6.*

> *Mobilitate sua fervescit, ut omnia motu*
> *Percalefacta vides ardescere: plūbea verò*
> *Glans etiā longè cursu volvenda liquescit.*

Liquescit, sc. excussa glans funda, & attritu aeris velut igni distillat, ait Sen. *l. 2. Nat. quæst.* Si aera aut motus extenuat, aut extenuatio incendit, Lucanus.

> *Inde faces & saxa volant, spatioq; soluta*
> *Aeris & calida liquefacta pondere glādes*

Cum alijs quæ ad illum Guntheri locum exornandum collegit *Conradus Rittershus.* in elucubratissimis Notis *cap. 2. nu. 3.* Etsi autem tormenta majora & sclopetarij in prælijs valde nocere soleant hostibus: ipsa tamen rerum magistra testatur experientia, in jis spem victoriæ non semper esse collocandam. *Julianus* certè, Caroli Cæsaris atq; etiam Philippi filij præfectus peditum, Duci Sabaudiæ confessus est, se sæpe ad speciem solere uti sclopetarijs, non ad necessitatem; sed post primum impetum etiam hostium fuisse celeriter & abjectis fulminalibus, gladijs comparasse victoriam: neque unquam hac ratione frustra pugnasse. *Henricus sane IV. Galliar. Rex* hoc ipsum sæpius in conflictibus acerrimis feliciter expertus est, & gladiis celeberrimas contra hostes victorias consequutus est. Id [illegible] voluit olim innuere *Lacon* illa sagitta percussus, cum enim animam ageret: *non me movet*, inquit, *quod morior, sed quod ab imbelli sagittario ac muliercula simus percussus.* Sic quippe victis solatio esse, si virtute præstantis viri cadant. Quo spectat illud Virgilij

Non tā bombardis pugnandum quàm gladiis.

Lacon.

> *Æneæ magni dextra cadis* ——

Et quia Lacedæmonijs solitum & consuetum erat ensibus cominus pugnare; nihil virtutis in eo ponebant, qui procul missa sagitta, quempiam interemisset, quando idem possent & fœminæ: Philip. Cameratius *cent. 2. histor. subcis. capit. 29.* Horum plures sunt species; & omnibus cognitæ, ideò minus hic referendæ. Minora tamen,

qui-

Sclopeti. quibus pedites utuntur, *Sclopeti* vocantur, à sclopo: qui & ipse sonus est, ex buccarum inflatione erumpens. Alijs *arcus busius* appellatur, ab arcu, cujus vicem gerit in bello (quemadmodùm enim olim Sagittarij in primo pugnæ loco constituebantur, ita nostris temporibus Sclopetarij) & à *busio*, quod Itali foramen significat: quod scilicet per foramen ignis in tubulum seu canalem ingrediatur, & *Pulvis pyrius.* globum incenso pyrio illo pulvere propellat. De pulveris autem istius confectione videri poterit Langius *lib 2. Epist 32* & unde sonus ille oriatur, ex Philosophorũ placitis contra Cardanum disputavit Jul. Cæs. Scalig. *Exercit. 180. cap. 3.* & alibi. De Bombardarum verò origine, violentia & impetu, multa ex varijs historicorum monumentis decerpta & cognitione tum jucunda, tum utilia retulit clarissimus JC. Philip. Camerer. *Oper. succisiv. cēt. 2. c. 28.* quibus ingentis nostra laudem, ob Bombardarum, Horologiorum, & Typographiæ inventionem, illud Scaligeri, *Exercit. 99.* hic lubet opponere: Bombarda Jovis iram imitari; Horologiis temporum comites genuimus rotarum circumactiones: tempus ipsum Librorum perpetuitate superavimus. quibus accedat lusus ille poeticus duorum amicorum, variis inter se distichis concertantium à Phil. Camer. *d. c. 28* recitatis.

1. Cede age Salmonei flammas mentite polares
Et tonitru, monachus dira magis reperit. (*gara cæli*
2. Inventum Monachi tonitruq; & ful-
Æmulor: innumeras adstyga mitto animas. (*bus ignem*
3. Sum Monachi lusus, dirum mortali-
Evomo: bõbo imitor tela trisulca Iovis.
4. Horrisonum sonitum mentitu Nata cucullos, (*cit.*
Quando globum longe pulverulenta ja-
5. Fistula fratis comes est mihi; vitaque morsq; (*no.*
Mors hosti Domini; vita meo Domi-
6. Cum Calcographia Bombardam ætate senecta.
Orbis habet, quorum hæc quam mala tam illa bona est.

Sed de *Typographia* cujus in postremo hoc disticho fit mentio, supra edimus *titulo peculiari.*

DE IGNI GRÆCO TIT. XIX.

Igni Græcus. I*Mper ante Constantino Pogonato sive Barbato, excogitata fuit ars, qua ignis sub aqua conservaretur. Atq; hunc ignem Græcum dixerunt, quod auctorem habuit* Callinicum *Græcum, anno Christi DCLXX. Hoc Constantinopolim delato, Constantinus in navali pugna contra Saracenos se defendit, ut* Zonaras *in vita Constantini prodidit.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Pila sub aqua ardentes ETsi Veteribus quoque usitatum fuit pilas fingere, quæ & spontaneis accenderentur imbribus, & projectæ in amnes arderent, pontesque & naves accenderent; quem quidem Ignem & Græcum appellatum, & inventionem ejus M. Graccho accepto latam fuisse Johannes Langius asserit *lib. 2. Epist. 52.* de quo fortassis etiam exaudiendi erunt illi Lucani versus:

Quàm pelago diversa lues! nam pinguibus ignis
Affixus tadis, & tecto sulphure vivax
Spargitur: ac faciles prabent alimenta carina.

Nunc

Nunc pice, nunc liquida rapuêre incendia cera,
Nec flammas super aut unda, sparsisque per æquor
Iam ratibus fragmenta ferus sibi vindicat ignis.

longè tamen alia fuit illius ignis ratio, quem propriè Græcum dicimus, & qui authorem habet *Callinicum*, qui Heliopoli fugiens Romanos Imperatores id genus docuit. Eo usus fuit Constantinus Pogonatus sive Barbatus, cùm Saracenica classis ad Byzantium usque accesserat quidem, sed inde repulsa Cyzicum occuparat. Cumque toto septennio in eo loco commoraretur, sæpe dimicatum est ad Byzantium, donec tandem architecti Callinici arte ignes sub aqua facti naves Saracenicas incenderunt: qua re magna multitudine deleta, reliqui fugere coacti sunt. quemadmodum Philippus Melanchthon memorat *libr. tertio. Chronic sub Constantino Pogonato.* Eaque machinatione Saraceni haud dubiè plus damni senserunt, quam Syracusij, quorum vires Achimedes comburentibus speculis frustrasse legitur Speculis enim illis versus solem suspensis, radiosque in navigia dirigens, aëre ob densitatem & levitatem speculorum ex ijs radijs incenso: effecit, ut ingens flamma, recte in naves delata concremarit. *Teste Zonara tom 2.* Illo igitur igni Græco non mirum est alios quoque & quidem felici cum successu fuisse usos. Inter quos Leo Imperator præcipuè commemoratur. Nam cum Orientales populi adversus Constantinopolim urbem hostiliter navigassent Dromonibus milli octingentis, Leo Imperator igniferis navibus contra eos directis, hoc ignis genere omnes absumsit. Idem paulò pòst CCCC. hostium naves, itemque CCCL. eodem igni confecit. si verum est, quod Robertus Valturius prodidit *lib. 11. de re militari, c. 9.* Græci hujus ignis confectionem inibi docens: Fit bullitio, inquit, saligni carbonis, salis, ardentis aquæ vitæ, sulphuris, picis, thurisque cum molis Æthiopum lanæ filo, & camphora, quæ dictu mirabile, sola ardet in aqua, materiam omnem adurens. quam eandem Ignis hujus conficiendi rationem, ex Valturio, ejus tamen nomine, ut solet, dissimulato, Joh. Baptista à Porta totidem verbis retulit *lib. 12. Magia natural.* ex Promethei instituto ignem per annum in ferula asservari posse, ex eodem Valturio adjiciens. ad quod allusisse videtur Martiales eo disticho.

Invita nimium pueris, grataque Magistris,
Clara Prometheo munere ligna sumus.

Sed de id genus Ignibus arte admirandis videndus omnino erit Jul. Cæsar Scaliger *Exercit ca. 3. ad Cardan. distinct. 3.* & Cardanus ipse de subtilitate *lib 2. de elementis & aerum motibus & actionibus mihi fol. 47.* & Simon Majolus *part. 1. dier. canic. coll. 22. pag. 721. & seqq.* Sed commemoratus quoque Zonaras *in Anastasio Dicoro* Imperatore, de igne illo ex speculis differens: Anastasius, *inquit*, Vitaliano Thraci, qui Mysis & Scythis sibi conciliatis, seditionem commovebat, & in agro Byzantico prædas agebat, & classe urbem obsidebat, per Marianum præfectum restitit: navalique pugna commissâ, ex Machina quadam à Proclo viro excellentissimo confecta, classis hostium debellata est. Nam *specula ustoria* fabricasse fertur Proclus, in quæ cum radij solares impegissent, ignem inde fulminis instar erumpentem classiarios, ipsasque naves hostium combussisse. Quod olim *Archimeden* excogitasse, Romanis Syracusos obsidentibus, Dion refert; & ex Zonara prodidit Simon Majolus *part 1. dier. canic. coll. 18. fol. 593. & seq.*

Ignis Græcus. *Archimedes.* *Leo Imp.* *Specula ustoria.* *ab Archimede excogitata.*

DE

DE TORNEAMENTIS, QUÆ VULGO GIOSTRE DICUNTUR. TIT. XX.

Giostre sive Torneamenta.

Giostre, sive ludicra ista belli simulacra, inventa sunt à Manuele Comneno Imperatore Constantinopolitano, ut ait Nicetas, *qui ad annum usque* 1214. *scripsit. Ante eum non legitur sub Imperio Romano exercitium istud in usu fuisse. quod, ut strenuitatis & virtutis argumentum est; ita non caret ingenti periculo: quandoquidem multi per hoc internecioni fuerint dati. Nec enim ignotus est Regis Henrici casus & ego multos vidi commissos se mutuo conficere. Itaque Gemes Selimi Turcarum regis frater, Romæ Pontifice Alexandro interrogatus post multos ictus, Ecquid ipsi placerent ludicra hæc belli simulachra: Sancte Pater, respondit, Si serio hoc sit, parum mihi esse videtur: Sin ioco, possit etiam id nimium esse* Nicetas *lib 3. festuosum ejusmodi ludicrum recenset, quod Manuel Comnenus Antiochiæ Latinis exhibuit. Cùm enim hi terram sanctam occupaturi, strenuos sese in equis & lancea praberent; Manuel ostensurus Græcos Latinis inferiores non esse, neque his cessuros, ordinavit, ut stato die cum hastis velitaribus, ferro tamen non acuminatis: mutuò sibi occurrerent. Itaque in veste Imperatoria comparuit, Græcis probè munitis comitatus, & Latinorum duos è sella in terram deturbavit.*

quàm periculosa.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Torneamenta.

TOrneamenta, sive hastiludia, & ludicra illa belli simulachra, de quibus hoc disseritur capite, Pontifex quasi quasdam nundinas appellat & ferias, in quibus Milites ex condicto (quidam ex *conducto*, alij *edicto* legunt) ad ostentationem virium suarum & audaciæ convenire solent, & tenerè congredi. *can. 1. Extr. de Torneamen.* Etsi autem exercitium istud, virtutis & strenuitatis argumentum est: quia tamen, ut Pancirollus rectè monuit, ingenti periculo non caret, quandoquidem, ut ab eodem rescriptum est pontifice, mortes hominum & animarum pericula sæpè inde proveniant: non immeritò id videtur canonum sanctionibus prohibitum: licet alioquin jure civili si in colluctatione, vel pancratio alius alium in publico occiderit, extra omnem pœnam sit, etiam Legis Aquiliæ actione cessante: quia gloriæ causa & virtutis, non injuriæ gratia videatur damnum datum, ut Ulpianus respondit *L. qua actione. 7. ff. ad L. Aquil.* Pancratium autem, quod & *Pentathlum & Quinquertium* dicitur, quinque ludorum generibus constitisse, nimirum Cursu, Luctu, Saltu, Jactu, & Pugilatu cum cestu, ostendimus *lib. 1. Tit. de Palestris.*

Cur prohibita.

Pancirol. lib. 2.

Torneamenta verò illa Duelli sive singularis certaminis imaginem esse res ipsa loquitur. Atqui duellum Stygij tyranni, bella mundo, invehere meditantis rudimentum fuisse, & exinde digladiationis hujus usum vetustissimum esse, ambigendum non est. Tale fuit bellum illud, quod

à Dæmone inventa.

—incidit inter

Hecto-

Hectora Priamidem, animosum atq; inter Achillem. (*mors.*
Ira fuit capitalis: ut ultima divideret
Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroque
Summa fuit, &c.

ut est apud Horatium *lib. 1. Sermon. Satyra 7.* Nam si fortes dicimus, non qui patiuntur, sed qui propulsant injuriam: cur, quæso, non laudabimus Marcellos, Torquatos Corvinos, qui provocantes hostes magna sua, suorumque gloria prostraverunt? Publicum Scipionem, qui posteà cognominatus est Africanus, laudant multi, quòd in Hispania Barbarum provocantem singulari certamine occiderit. Eutropius *lib. 4. de gest. Roman.* Et quis unquam vituperavit Alexandrum Macedonem, quòd ad Granicam pugnam Spithrobatem quendā Joniæ præfectum, genere Persam, singulari certamine, lanceâ unâ per medium pectus transfixâ, atque aliâ subinde in faciem deductâ occidit? Diod. Siculus *de gestis Alex.* Alios, quorum infinita adduci possent exempla, sciens prudensque prætereo. Etsi enim decretis Pontificum, inprimis verò Nicolai Papæ, omnis Monomachia Christianis est prohibita: eò quòd eam sectantes, Deum solummodò tentare videantur. *can. Monomachiam. 2. q. 5.* siquidem facilè fieri possit, ut vincatur is, cujus lis est justissima, & tamen cædes fiat. *c. 1. & ext. de purgat. vulg.* & possit in duello adversarium superare, qui reipsa & coram Deo reus est, ut graviter censuit Lambert. Danæus *lib. 2. Ethic. Christian. c. 13.* Ideòque Duellum Hotomannus furiosum vocet remedium *in disputat. feudal. cap. 45.* quod omnib. divinis naturæq; legib. repugnat, & beluina potius sit furia, quàm humana insania, ut Damhaud. loquitur *in pract. c. 42.* contra tamen Frotho Danor. Rex legē tulisse memoratur, in omnis controversia aut lis ferro decerneretur. Existimabant n. speciosius esse viribus, quibus nos Deus & Natura dotārunt, quàm verbis confligere. Saxo *lib. 5. hist. Dan.* Solent quippe pugnantes Deum Opt. Max. veluti veritatis & æqui judicem in duello sibi constituere. Ecquis enim melius novit, sitne hujus an illius causa potior? Visnè in ea causa, de qua per testes, per ꝓbationes nihil liquet, sinceriorem certioremque judicem? At eum ipsum, qui duello vincit, Deo authore vicisse, nemo prorsus est, qui non fateatur. Atque quemadmodum Diocletianus & Maximianus Augusti sanciverunt, judicem, si inopia probationum laborat, causa cognita, jurejurando res decidere: contemptæ autem religionis jurisjurandi fide violatâ solus Deus ultor constituitur. *leg. 2. & 3. C. de rebus credit.* Ita & Deum ultorem & judicem duello statuere, si res non potest per homines, deficientibus probationibus judicari, sanctum sanè & religiosum videtur. Indeque est, quod etiamnum multis in locis duella consuetudine tolerentur, & certis etiam casibus admitti queant, ut videre est apud Cagnol. *in l. favorabiliores de reg. jur.* Atq; ejus rei exempla satis multa cum ex sacris tum ex prophanis historijs recenset Fernand. Vasquius *lib. 1. illust. controvers. c. 43.* Thomas Grammat. *decis. 1. nu. 24.* & Joh. Borchold. *de Feudis c. 7. n. 50.* & nostro hoc litigioso & malitioso seculo aliquatenus reviviscere videas *manuariam illam justitiam* sive *ἰσχυρὰν δίκην* conqueritur Ventura de Valentus *in Parthenio litigioso lib. 2. cap. 2. n. 5.* quasi extremis morbis extrema quoq; remedia sint optima, ut ex Hippocrate Joh. Brechæus retulit *ad l. habere, 188. §. centū. nu. 8. ff. de V. S.* Cum tralatitium sit similem morbum similem quoq; exigere medicinam, ut notat *gloss. in Auth. Quib. mod. nat. effic. cap. 2.* verb. ex qualitatibus, *arg. l. si quenquam. 30. in fi. C. de Episc. & cler.*

Scipio Africanus. — *Alexand.* — *Duellum.* — *Furiosum remedium.* — *Frotho.* — *Duella quando tolerantur.*

Cæte-

Cæterùm ne in infinitum protraheretur ista pugnandi licentia, certis quibusdã casibus, ultra quos Duellum non permittitur, ea est coarctata, qua de re consuli poterit Claud. Coteræus *lib.3.de jure milit.c.23* & Andreas Alciatus cujus *de Singulari certamine* verè singularis & doctrina multijuga refertus exstat lib. etiam ab Ant. Usyllo commendatus in *§.item si quis n.20. Instit.de act.* quib. adjungi omninò debet, quod in eandem rem literis consignavit Phil. Camer. *Oper.succis.cent.2.c.19.20.21.* quib. rem omnem ita graphicè descripsit, ut tuis oculis, Lector, concertantium par quasi committendo subjecisse videatur.

Lusci provocatio.

Interim illud hîc disquirere lubeat, cum in duello vel singulari illo certamine paritas quàm maximè attendi, & imparitas contrà justissimam rejectionis causam præstare soleat: si provocatus vel claudus vel oculo captus sit, vel alio mancus membro: an provocatus & ipse claudicare, vel cocles fieri debeat, instarq; perduellis sui debiliari? Et quamvis sint, qui rei militaris peritos se asserentes arbitrentur, Cyclopis, vel Coclitis provocatori non satis esse, si lanam ob alterum oculum gerat, sed eruendum ipsi omninò oculum: nec enim æquæ conditionis fore, cum altero amisso, alter illi super esset, provocato aût nullus: Alciato tamen ea sententia meritò ridicula videtur, & illi non absimilis, qua crassus quidam & ventriosus, vadimonio cum pumiceo & macro contendebat, seq; illum cursu prævorsurum asseverabat, dum æquali meta parique lance omnia peragerentur. Deposito pignore petebat ventriosus, ut sicco tantum ponderis annecteretur, quando ipse propter abdomen illo gravior esset. Contra siccus vêtriosum inedia & fame ita macerandum ajebat, ut subductoric aqualiculo levior factus, æqualis lãce secum contendere posset. Sund enim hæc, ait Alciatus, nimiæ subtilitatis, & in lege XII. tabb. qua talio permittebatur, consensu doctriorum, tacito usu abolita, ut apud Gellium eleganter disputat Sex. Cæcil. *lib.20.Noct. Attic.c.1.* Expeditius itaq; putaverit idem Alciat. ut si provocator ipse captus oculo sit, sibi imputer, qui integrum hominem compellaverit: prævidereq; debuit, posse provocatum cassidem eligere, utro maluerit oculo obtusam. Nec enim provocantis vitium provocato obesse debet, quim arbitratu suo eligat. Quod si provocatus tali vitio laboret, habebit unde se propter imbecillitatem excuset, cùm id juris ipsi competat, alioquin & ipse sibi imputet, qui certamen detrectare noluerit.

Victoriæ dedu condi forma à Diogene improbata.

Nec verò silentio prætereundum est, quòd etsi is, qui hostem superaverat, domum cum tibicinibus & varia cum solennitate pomposè solebat deduci: Diogenes tamen Cynicus Cicermum è victoria Pancratij redeuntem, corona caput ornatum, palmam manu gerentem, sequente gratulantium maxima multitudine, conspicatus; Quænam te causa, inquit, supra cæteros effert? Cùm respondisset, se omnes in colluctatione superasse: Agè, inquit Diogenes, fortioresne, an pares, an imbeciliiores vicisti? Non enim te fortiores sunt, quos superasti: nec pares, cùm tu major illis iuventus sis. Sequitur ergo, ut qui succubuerunt, inferiores sint. Atqui & ipse eos, qui me debiliores sunt, facilimè vincam, nullum enim hoc operæ præcium est. Mitte igitur inhonoratum hoc certaminis genus, quo vires tuas experitis, quæ vel modica ægritudine, vel levi casu, vel saltem senectute quàm primùm comminuentur. quin potius, adversus animi vitia pro virtute contende, atque libidini, gulæ, luxuriæ, ambitioni, superbiæ, castitatem, parsimoniam, exilium, tolerantiam, humanarum rerum contemptum oppone; inque

his fortitudinem animi & industriam tuam exerceto. Sic enim beatus eris, miseram hanc vitam nihili facies. Quibus auditis, Cicernius palmam & coronam abjecit, fautoresque & comites missos fecit. Quod dictum & factum ego Pancratiastis etiam atque etiam cogitandum & imitandum suadeo. Dolet tamen Jo. à Schollenberg in Epistola quadam, gravem illam majorum nostrorum morum censuram, quæ nobiles in officio retinebat, una cũ celeberrimis hastiludiis simul interijsse. Malitiosi enim ignominia notabantur, worden zu Schelmen gemacht / quam vocem Cyperius *in tracta. de jur. comm. cap. 13. nu. 4.* à Schildt / à scuto deducit, ut dicantur Schelmen quasi Schildtnemen qui scutum deseruerunt, secundum illud Taciti *de moribus German*, scutum reliquisse gravissimum flagitium. quod relatum ita est à Ventura de Valentijs *in Parthenio litigioso lib. 2. cap. 6. nu. 29.* Hastiludiorum denique sive Torneamentorum per Germaniam editorum descriptionem elegantissime in annalib. suis metricis repræsentævit Janus Dousa pater *lib. 2. fol. 33. cum seqq.* Ex ipsius Georgij Ruxneri commentarijs Theutonico idiomate præclarè conscriptis, ac à Francisco demum Modæo Latia civitate donatis. Cujus equidem Ruxneri libertati ipsiusmet magni Douzæ judicio potissimum veterem hanc ludorum equestrium memoriam, in hoc usque seculum nunquam interrupta serie continuatam nos debere æquum est. Cæterum de hastiludiorum usu & incommoditate videatur & Douza Filius *Hollandiæ Annalium lib. 9. fol. 457.*

Zu Schelmen machen — *Scutum relinquere.* — *Torneamentorũ descriptio.* — *Georgius Ruxnerus*

DE QUINTANA TIT. XXI.

Quintana.

Quintana usus satis quidem antiquus est, non ioci, sed exercitij gratiã institutus. Romani enim in Castris quatuor faciebant Vias, ad instar magnæ cujusdam Crucis: & ex una parte aliam insuper addebant, & hanc, quoniam quinta erat, Quintanam *nominabant, ut ait* Vegetius. *In hac via grandem palum terra infigebant, & ad eum exercebant se Milites, non secus ac si homo quispiam ibi fuisset constitutus. Atque istud exercitium,* ad palum *nuncupabant, Nostri* Quintanam *ab exercitio ad lusum & voluptatem transtulerunt, palum similiter fingentes, & ut hominem vestientes. Remansitque Quintana nomen, à modo dicta via Quintana, in qua milites exercitabantur.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Exercitatio in re militari

Exercitium M. Varro inde dictum autumat, quòd melior fiat exercitando, *lib. 4. de ling. Lat.* Nam cum omnes artes, omniaque opera quotidiano usu & jugi exercitatione proficiant: idque in parvis verum sit; quanto magis, ait Vegetius, decet hoc in maximis custodiri. *libro 2. de re militari.* quibus militarem istam scientiã annumerare quid dubites? cùm, ut idem dicebat *in præfat. lib. 3.* sine hac aliæ artes esse non possint. Hinc Cassius, Miserum esse dicebat, cum exerceantur athletæ, venatores & gladiatores; non exerceri milites, quibus minor esset futurus labor, si consuetus esset. Nec enim dubium est Luxuria & otio tolli disciplinam militarem,

Luxuria & otium militibus fugiendũ

rem, auctore Livio, quæ sine usu & labore, non paratur, ut *Annibal* ait apud Stobæum. Sic & *Vegetius* exercitum labore proficere ait, otio consenescere. Et *C. Cæsar* Militum consilijs maximè otium contrarium esse duxit, utpote rem militiæ inimicissimam, teste *Vellejo*. Et *Cyrus* apud Xenophontem: exercitum, si officio fungi velit, nunquam vaccare debere dicit, aut hostibus nocendo aut sibi commodando. Difficile est enim hominem alere otiosum: multò etiam difficilius domum: longè autem difficilimum, universum exercitum. Huc spectat illud Pauli *Rudente*.

Nihil est, qui piger est, nimisq; id genus odi ego male: vigilare
Decet hominem, qui vult sua tempori conficere officia:
Non expectare illum oportet, dum herus se ad suum suscitet officium.
Nam qui dormiunt libenter sine lucro & cum malo quiescunt.

Quæ diligenter congessit Nicol. Reusnerus *Class. 1. Symbol. Imperat. 83.* Apud Romanos igitur publicè adhibebantur *Campidoctores*, qui & vitandi & inferendi ictus subtiliorem, ut inquit Valerius, rationem milites docerent; & quidem punctim feriendi hostes: quod longè melius, quam cæsim esse existimavit Vegetius. Exercebantur itidem tyrones militari gradu, cursu ac saltu; & nec jaculis tantum atque arcu uti docebantur, sed & equos agitare, eruptionem facere, sese recipere, muris scalas admovere, in summum aggerem ascendere, tranare flumina, pugnare in orbem, cuneos facere, quadratis agminebus incedere, ordines usque servare, & alia ejuscemodi, etiam in ludicris certaminibus.

Campidoctores.

Ante Urbem pueri, & primævo flore Juventus
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus,
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuq; ictuq; lacessunt.

ut est apud Virgilium *lib. 7. Æneid.* Hinc illa in Equum *Salitio*, de qua paulò antè diximus *ad Tit. 16.* hinc etiam ista *ad Palum exercitatio*, quam Pancirollus *Quintanam* à via istius nominis appellatam rectè putavit. Cui ludo & *Palaria* nomen. Figebantur enim pali in terram, ut nutare non possent, & eminerent tamen tres cubitos aut pedes sex, justam viri staturam & imaginem. Hunc palum tyrones scuto & clava sive hasta & ense cominus, veluti cum hoste congressuri petebant: eminus missilib. procul ferire meditabantur, ut in vera pugna postea solutiores aptioresque essent. In quo id cavebatur inprimis, ne, dum ad palum ictus intendunt, ipsi hostium telis pateant: proinde oportebat eos animo & corpore intentos esse, non magis ad inferendos quàm ad cavendos declinandosque ictus. ut est apud Alexandrum ab Alexand. *lib. 1. Genial. dier. cap. 20.* A singulis nempe tyronibus, (ut explicatius hoc dicam) singuli pali defigebantur: Contra quem tanquam adversarium tyro cum crate illa & clava lignea, veluti cum gladio se exercebat; & scuto, ut nunc quasi caput aut faciem peteret, nunc à laterib. minaretur: & quæ sequuntur apud Vegetium *lib. 1. de re milit. cap. 11. & lib. 2. c. 23.* à Martiale.

Palaria sive Quintana, ludus ejusq; descriptio.

—nudi stipitis usus hebes

appellatur *lib 7. epigr. 31.* Allusit ad hanc ludi istius exercitationem Juvenalis *Satyra 6.*

—Aut quis non vidit vulnera pali
Quem cavat assiduis sudibus, scutoquè lacessit.
Atque omnes implet numeros.

Formam verò pali istiusmodi spectabis

apud Dn. Marcum Vulturium in Augustanis monumentis. pag. 237. ubi pavimentum est expressum cum schematis gladiatorum & aurigarum, &c. inf. metas, teste Matth. Radero Jesuita *in comm. ad Mart. Ep. 31.* Discebant præterea Milites & arma simul & sarcinas, iter miliari gradu facientes comportare. quò allusit Virgil. *Georg. 3.*

Non secus ac patris acer Romanus in armis
Injusto sub fasce viam cum carpit, & hostem
Ante expectatum positis stat in agmine castris.

Unde Cicero *2. Tusculana. quæst.* Nostri (inquit) exercitus primùm, unde nomen habeant, vides: deinde qui labor, quantus agminis, ferre plus dimidiari mensis cibaria, ferre si quid ad usum velint, ferre vallum. Nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus. Arma enim membra militis esse dicunt: quæ quidem ita geruntur aptè, ut si usus foret, abjectis oneribus, expeditis armis, veluti membris pugnare possint. Sed & Romæ gladiatorios ludos ideò institutos ferunt; ut assuefierent pueri sanguinem ac vulnera cernere, ut postea in acie rem ut novam atq; horribilem non expavescerēt. Rectè enim Seneca: Quem in ipsa re trepidare nolueris, ante rem exerceas. *Ep. 23.* Quò referri potest illud Virgilij 3. *Georgic.*

Et tentat sese, atq; irasci in cornua discit,
Arboris obnixus trunco; ventosq; lacessit
Ictibus, & sparsâ pugnam preludit arenâ,

ubi *Preludere*, est futuram pugnam meditari, & exercendarum virium causâ, confirmandiq; animi, simulachrum certaminis inire. ut Budæus explicat *in l. si prolusorio. 14. ff. de appell.* & Alciatus *lib. 8. parerg. cap. 24.* Deniq; quiquid agere milites maluerunt, quam desidia & otio marcescere, memores scilicet, quòd, ut ait Horatius.

Otium & Reges prius, & beatas perdidit urbes.

Id enim atque etiam expendens Maximinus. Marcet, inquit, sine adversario *virtus:* sicuti enim ex Euripidis sententia, virtus per labores incedit; ita per otia *vitium.* Semper enim, ait Lucanus.

——variam dant otia mentem.

Hinc Appius Claudius dicere est solitus, pop. Rom. multò meliùs committit *negotium, quàm otium:* sentiens nimirum multitudinem bellis excitari ad virtutem; at pace defluere ad voluptatem & luxum. Ex quo nascitur otium & Rerumpubl. exitium. Scipio igitur Nasica quibusdam adseverantibus Res Romanas jam in tuto esse, extinctis Carthaginensibus, & Græcis in servitutem redactis: imò verò, inquit, nunc demum summo in periculo sumus quando nulli alij supersunt, quos vel metuamus, vel revereamur. Unde meritis laudibus ab Æmilio Probo extollitur *Iphicrates*, cum dicat, Neminem unquam in Græcia copias neque exercitationes, neque magis dicto audientes habuisse. Et *Philippus* ignobile ante regnum Macedoniæ adeò auxit & illustravit, ut inter nobilissima regna pòst numeraretur. Id quod aliunde consequutus non fuerat, quàm quod tantam diligentiam in militibus exercendis adhibuisset. Cujus rei exempla plura peti poterunt à Vincentio Castellano *lib. 2 de off. Regis, c. 16.* & J. Lipsio *lib. 5. Politicor. cap. 13.*

DE MOLETRINIS TIT. XXII.

PRocopius *author est, Belisarium Iustiniani Ducem, in Vrbe Roma à Gothis obsessum, invenisse viam & rationem, ut Molæ aquâ agitatæ frumentum frangerent. quod &* Blondus *sequitur,* Plinius *tamen* lib. 18. c. 10. *mentionem*

tionem facit rotarum quas aqua obiter versabat. Sed usum istum aliquandiu intermissum credo; posteà verò à Belisario renovatum.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Moletrina. MOletrinæ eodem inclinatu, quo furatrina, faratrina, & fœtur ina, Latinè rectè dicuntur: ut sint Molæ à molendo sic dictæ, vel ut ap. Varro. *lib. 4. de ling. Lat.* legit Scaliger, à mol liendo, quòd harum motu eò conjecta molliantur. Per has hodiè intelliguntur, quæ aquarum rotatu circumaguntur: quas propterea Imp. Zeno Aquæ-molas appellat *in l. decernimus. 10. C. de aquaeduct. lib. 11.* *Aqua mola.* quarum usus an Veteribus quoque Romanis fuerit cognitus, non improbabiliter dubites. Servius certè Grammaticus incunctanter asserit, apud priscos nullum Mollarum usum fuisse. *Veteribus an in usus fuerunt.* Fruges enim inquit, torrebant, & deinde in pilis pinsebant. usq; hoc molendi genus etiam suo tempore adhuc usurpatum ait. Eodemq; pertinere illud Virgil. *Æneid. 1.*

Tunc Cererem correptam undis, Cerealiaque arma
Expediunt fessi rerum, frugesq; receptas
Et torrere parāt flammis & frangere saxo.

Madefactas enim fruges siccabant priùs, & injectas postea *pilis*, quæ vasa erant concava, quibus siccata frumenta immittebantur, pinsebant. *Pila.* quam pinsendi rationem & Plinius tradit *lib. 18. cap. 10.* dum ex Magonis sententia triticum aut hordeum ante perfundi aqua multa jubet, posteà evelli deinde sole siccatum pilo repeti; sive rudo illo, quo major pars Italiæ utebatur, sive præferrato, quo in Hetruria spica farris tosti pinsebatur. Hinc & *pinsores* dicti fuere, qui nunc *pistores* vocantur. *Pinsores iidem qui pistores.* Sic enim à pinsendo JOVEM appellatum fuisse Pistorem, etiam Lactantius docet: Quo tempore, ait, Galli Capitolium obsidebant, Jovi pistori Ara posita fuit; quod Romanos Deos in quiete monuisset, ut ex omni frumento, quod haberent, panem facerent, & in hostium castra jactarent: eoq; facto soluta est obsidio, desperantib. Gallis, inopiâ subigi posse Romanos. cujus & Livius, Frontinus, Plutarchus meminerunt. Similiter Fornacalia Festo dicebantur feriæ, institutæ farris torrendi gratiâ, quòd ad fornacem, quæ in pistrinis erat, Sacrificium fieri solebat. de quo apud Alexand. de Alexan. *lib. 3. cap. 12. & lib. 6. c. 8.* *Fornacalia.* Et mox: Fornacalia, inquit, sacra erant, cùm far in fornaculis torrebant. de quib. etiam apud Stuckium *in descript. sacrorum gentil.* Eodemq; sensu *Fornacarius* servus Ulpiano idem est, qui *Pistrinarius*, sive pistor: ut rectè notat Guiliel. Budæus *in l. si servus. 27. §. si fornacarius. 9. ff. ad L. Aquil.* cum anteà fornicarius absque sensu ibi legeretur. ut & *in l. continetur. 14. ff. de fundo instr.* ubi fornacator, & non *fornicator* legendum monet M. Mantua *in Paralip. 23.* *Fornacat. Fornacarius.* ut Fornacator sive Fornacarius ita dictus putetur, quod fornacem succendat, quo sensu & *Furnarium* appellatum videmus *in l. fluminũ 24. §. praeterea. ff. de dam. inf.* eum sc. qui furnariam exercet, cujus fit mētio ap. Sueton. *in Vitellio* & Jos. Scal. *ad Manil. v. 219. in fin.* Idemq; alio nomine & *Focarius* indigitatur, quod focũ colat *in l. 1. ? Caupones. ff. naut. caup. stab.* *& Focarius.* Sicuti & *Focaria*, quę circa focũ occupata panem coquit *l. quaesi. 12. §. 1. & 6. ff. de inst. & instr. leg.* *Pistoris munus olim vile.* quo ex loco ēt illud colligitur, fuisse olim pistorum munus servile, & sordidum ac vile eorum artificium *l. maximorũ. C. de exc. mun. l. 10.* Eamq; ob causā pistores arcebātur à perfectissimat[9] dignitate *l. 1. C. de perfectiss. dignitat. l. 11.* Ludol. Schrad. *cōs. 44. n. 5.* ut nō īmerito Focarij nomē degeneraverit in vitiũ. Nā & *Focaria* intelligũtur militũ amicę *Focarii nomen* [illegible]

quibus à militib. donari non potest: quippe quos Imperatur à focarijs suis hac ratione fictisq; adulationibus spoliari non vult *in l. 1. C. de donat. int. vir. & uxor:* idq; in favorem militis à jure introductum esse, Claudius Coteræus censet *lib. 2. de jure milit. cap. 2.* refragante non nihil Zonnetta *in tract. de Rom. Imper. nu. 12. & seqq.* ubi id ipsum favore magis Reipub. & disciplinæ militaris, quam militum gratia ita constitutum scripit. Cæteroquin affectionis gratia, neque honestæ neque inhonestæ donationes paganis videntur esse prohibitæ. *l. affectionis 5. ff. de donat.* adeò ut eas in concubinam & scorrum collatas revocari non posse responsum sit *in l. donat. 31. ff. d. t. VVes. cons. 163. n. 34.* & probant tex. *in l. qui concubinã 29. & litem legato 94. §. parvi autẽ refert, uxori an concubinæ quis leget.* sanè enim, nihil interest *ff. de legat. 3.*

Pagani non item.

Molæ versatiles trusatiles.

Posteà excogitatæ fuerunt Molæ, sive machinæ versatiles & trusatiles: quæ vel jumentorum vel hominum opera circumagebantur, non absque ingenti labore & defatigatione virium. Propter quod factum est, ut *pistrinum* pro loco fatigationis pleno, & pro negatio operoso ac molesto, viresque conficiente ponatur. Nam servi, qui flagitium aliquod commiserant, pœnæ loco in pistrina trudebantur, & in servitutem eorum perpetuam circum agendi scilicet molas adjudicabantur. Et per asinum *machinarium* JConsultus intelligere videtur Molendarium, qui molit, id est, qui molam machinâ quadam inclusam volvit & torquet: cùm ita scribit: prædijs legatis, & quæ eorum prædiorum colendorum causa empta parataq; essent; Alfenus putavit, etiam asinum machinarium legatum videri. *l. cũm quæreretur. 60. §. fin. de legat. 3.* Similiter pistrina ia pondera Ausonius vocat machinalia, eo versu:

Pistrinum.

Qui machinali saxa volvunt pondere.

Quemadmodum & amica de Machinis empta à Q. Cicerone *lib. de petit. consulat.* ea fortassis dicitur, quæ de pristino vel Mola est. Præterea ad Fornacaliorum similitudinem etiam *Vestalia* sacra instituta accepi. quæ cum celebrarentur, convivia passim ante focos agitabantur, & cibi etiam virginibus Vestalibus à Civibus mittebantur Deæ Vestæ libandi. De Vestalibus autem illis sacris, & Vestalium virginum institutione ac ritib. videatur Simon Majol. *par. 2. dier. canicul. colloq. 1. pag. 72.* Nec non Joh. Rosinus *antiquit. Rom. libro 4. cap. 7. lit. G.* Sed & asini coronari, atque è pane quasi monilia quædam gerentes circum ducebantur per Urbem, Molæ item sertis & floribus ornabantur & quiescebant. Quarum ceremoniarum & rituum caussas Ovidius diligenter inquirit & explicat; videlicet, quòd olim nullus Mularum usus fuerit, sed farra solummodò in furnis, Vestæ, hoc est, ignis beneficio torreri consueverint: indeq; mos servatus fuerit, ut hoc die & foci, & Domina focorum, quæ Vesta est, à pistoribus colerentur, & asini, qui primis temporib. Vestæ beneficio à circumagendis molis immunes essent, itidem vacarent & feriarentur. Cur autem iidem Asini floribus coronati, panes ex collo dependentes gestare solerent, hanc rationem affert; quia scil. asini Sileni clamore, Vesta è somnis excitata, insidias & libidinem Priapi effugissent, qua de re Ovid. *in Fastis:*

Vestalia sacra.

Venit in hos annos aliquid de more vetusto,
Fert missos Vestæ pura patella cibos,

& quæ sequuntur. Verum quamvis ea ita se habeant: auctor tamen est Procopius, Molas olim Romæ in Tyberio paratas fuisse, ad molendi usum. quis, inquit, in augustum ibi primo aquarum ingens vis cogitur, ac per canalem inos in præceps acta, violentius defertur ac ruit. Quo nomine videntur Romani veteres collem Jani-

Molarũ usus interpolatus.

Janiculi muro circummunisse, hostibus ad Molas assultus ne pateret, ut Cœlius Rhodigin. explicat *lib.9.antiq lect.cap.19.* ut vel hinc probabile fiat, etiam Aquariarum molarum usum Veteribus non prorsum fuisse incognitum; ipso præsertim Plin. rotarum mentionem faciente, quas ad molendi usum aqua obiter versaret *libro 18. cap.10.* Sed, ut vera est Pancirolli nostri sententia, potuit iste Molarum usus aliquandiu intermissus fuisse, & postea rursum introductus, quod in aliis quoque obtigisse, alibi à me fuit ostensum. Molæ autem sive pistrini inveniendi, quęnam fuerit occasio, Seneca docet *libr. 14. Epist. 91.* his verbis: Narrat enim (*Sapiens scilicet*) quemadmodum natura panem cœpit facere, receptas, inquit, in os fruges, concursant inter se, duritia dentium frangit, & quicquid excidit, ad ejusdem dentes lingua refertur. Tunc verò salivæ miscetur, ut facilius per fauces lubricas transeat. Cùm pervenerit in ventrem, aqualiculi fervore concoquitur, tunc demum corpori accedit. Hoc aliquis secutus exemplar, lapidem asperum aspero imposuit; ad similitudinem dentiũ, quorum pars immobilis motum alterius exspectat. Deinde utriusque attritu grana franguntur & sæpius regeruntur, donec ad minutiam frequenter tota redigantur. Tunc farinam aqua aspersit & assidua tractatione perdomuit, finxitque panem, quem primò calidus cinis & fervens testa percoxit: deinde furni paulatim reperti, & alia genera, quorum fervor serviret arbitrio. Nec ignorandum est duas molendi rationes apud Plautum indicari *in Asinaria act.1.scen.1.* Unam cum suspensa mola, fruges frangimus, ut in fabâ fresâ, & in polentâ crassiuncula: alteram cum molæ non suspenduntur, sed lapis lapidem terit, id est, mola molam, cum tenuior farina & minutior elicitur: quod ex Turnebo & aliis Taubmannus observavit.

Molæ inveniendæ occasio.

Pancirol. lib. 2.

Tanto autem olim in honore fuerunt Molæ, ut in comprecationibus Deûm immortalium, quæ referente Gellio *lib. 13. c. 21.* ritu Romano fiebant, nominarentur & Molæ Martis. Fuerunt enim Martis filiæ creditæ, & Deæ indigitatæ Molæ: de nomine credo Molarum; quòd ut Molis fruges terantur, ita & bellis homines Mars frangat & comminuat, ex Adriani Turnebi interpretatione *lib. 19. Advers. cap. 21.* Quo fit, ut, etsi pistrinorum Curatores personale munus ineant, *l. munerum. 18.ff.de vocat & excus.mun.* à tutela tamen, quæ & ipsa personale munus est, excusentur, qui in pistorum collegio sunt constituti. *l. ult. ff. de excusat.* Hinc circa conficiendi pollinis curam, panis excoctionẽ, & pistrini obsequium, multa tam solicitè constituta legimus *in l. maximarum. 12. C. de excusat. mun. l. b. 10.* in tantum, ut in pistoriis causis, & his, quæ ad annonam publicam, qua carere nullo die possumus, pertinent, etiam feriarum nulla habeatur ratio *l. publicas 5. § pistoriis. C. de feriis.* ipso etiam Pontifice facilè hoc casu indulgente, & contra divinam sanctionem dispensante *in c. 3. ext. eod.* ita quidem, ut non tantum opus rurestre cuiquam facere liceret diebus dominicis & natalitiis martyrum (quo tempore memoria celebratur non tantum nativitatis: sed gloriosæ mortis martyrum pro fide intemerata, ex Cujacij interpretatione ad modo *d.c.3. ex. de feriis* pluribus explicat Didac. Covarruv. *lib. 4. variarum resolut. cap. 19. n. 9.*) sed & si halecum copiam mare egesserit in litus: quod non semper sed per vices facit, & certis temporibus, maxime post *æquinoctium Autumni* (Junius *hoc præcipitante quando iam vere* fieri scribit) tum non habita ratione festorum dierum, cuilibet integrum sit, ad halecum capturam concurrere. Quorum piscatio quantum operæ pretium

Molarũ honor.

Molæ Deæ.

Pistorum privilegia.

ob annonã nulla habetur feriarum ratio.

Festorum dierum nõ habẽda ratio

Halecum captura.

tium, quantam reipubl. Hollandiæ utilitatem præstet se ignorare, quo ore efferat, idem Hadr. Junius ingenue fatetur, *in sua Batavia cap.15. fol.203.* Quando non unius sed plurium civitatum salus & fortuna inde pendere propemodum videatur. Inde & plebs urbana pariter & rustica victum quærunt, æs alienum dissolvunt, familias sustentant, opes qualescunq; conquirunt, aut partas tuentur. quinimò maximum momenti ad omnia positum in hujus piscationis fausta & adversa captura scribit. Cum secunda namq; piscatione decrescere omnium ferme eduliium pretium, adversa augescere atq; intendi. Neque sola, inquit, hujusce calamitatis vim regio nostra experitur, quin imò & ad alios celeriter transit doloris sensus, eo quod in magnam Europæ partem diffundatur ea merx, utcunque res ceciderint, vendibilis & expetita. Magna enim est ratio non interdicendæ illius piscationis, ne scil. occasione momenti pereat commoditas cælesti provisione concessa, ut Constantinus rescripsit *in l. omnes. 3. C. eo* quã tamen constitutionem Leo Imperat. gravib9 de causis correxit *Novel.* 54. prætensam illam fructuum conservationem nullius momẽti, req; vera futilem esse docens: cùm non agriculturæ diligentia, sed Solis virtus, quando frugum largitori visum sit, fructuum abundantiã suppeditet. Et cùm ex septem diebus unus in Domini honorem consecratus sit, : religionis prorsus dissolutæ fuerit, nos aliorum dierum ad opera usu contentos non esse, neq; illum Domino eximium & inviolatum conservare; sed ipsum etiam vulgarem facere nostrisq; operibus applicandum put are, qua in re vel ipsis etiam Iudæis deteriores fuerimus, qui tantoperè Sabbathi diem venerabantur, ut ab omni prorsus opere abstinerent. Vel ideo quod Saturni diem putarunt actionibus civilibus bellicisq; ineptum contemplationibus aptum: eoque die divinum contra discrimina patrocinium observandum. Quod quidem impetrari posse adversum Martis & Saturni minas, Abraham & Samuel & Hebræorum Astrologi plures, elevatione mentis in Deum, votisque ac sacrificiis confitentur, illud Chaldæorum confitentes præceptum: *si mentem ad pietatis opus erexeris, corpus quoque caducum servabis.* de quo apud Ludovicum Cœl. Rhodigin. *lib.13. lection. antiquarum c. 21.* Hinc Juvenalis diem illum *Ignavum* vocat, *Satyra* 14.

Imò habenda.

Sabbathum Ignavum.

> *Sed pater in causa, cui septima quaque fuit lux.*
> *Ignava* ——

in tantum, ut ne pedibus quidem iter eo die pro libitu facere liceret. quod expressisse videtur idem Poeta, *Satyr. 6.*

> *Observant ubi festa mero pede Sabbatha reges*

verba enim illa, *Mero pede*, iter Sabbathi innuunt, quod circiter 2000. passuum erat minorum scil. sive mediocrium, quos J. Drusus bis mille cubitos interpretatur *lib.2. observ. c. 9.*

Iter Sabbathi.

Facit tamen enormis Latronum improbitas, ut ad meritum rapi supplicium quovis die festo possint, ne eo quidem excepto, qui de Diabolo ac morte gloriosissimè triumphãti Christo sacer est, & omnibus meritò solemnis esse debet. Sic enim Honorius & Theodos. rescripserunt: Provinciarum præsides moneantur, ut in quæstionibus latronum, & maximè Isaurorum, nullum Quadragesimæ tempus, & nec venerabilem Paschæ diem existiment excipiendum: ne differatur sceleratorum proditio consiliorum, quæ per latronum tormenta quærenda est: cum facilimè & in hoc summi Numinis speretur venia, per quod multorum salus & incolumitas procuratur, *l. pen. C. de feriis.* quo in loco

Latronũ captura etiam die feriato permissa.

Isauri, famosissimi latrones.

obi-

obiter sciendum est, per *Isauros* intelligi gentem illam Isauricam, Ciliciæ & Pamphiliæ proximam, quæ latrociniæ adeò infamis fuit, ut Probus Imper. facilius esse dixerit ex Isauria latrones arceri, quàm tolli: volueritq; Isaurorum filios ab anno XVIII. in militiam mitti, ne ante latrocinari discerent, quàm militare: quemadmodum est apud Flav. Vopiscum. Isaurorum quoq; Strabo meminit *libr.*12. quos cùm Servilius superasset & ad internecionem redegisset, *Isauricus* dici meruit. Eosdem Ammian. Marcellinus *lib.*14. scribit sub Gal. Cæsare ad pristinas artes relapsos, piraticam quoq; exercuisse, & coacto valido exercitu, etiam à Legionib. Romanis se aliquandiu tutatos, cùm finitimos populos diripuissent, ut non immeritò horum audaciam ulturi prænominati Imper. ad constitutionem illam promulgandam fuerint permoti: & nemini mirum videri debeat quòd Leo Imp. lege Julia de vi publica eos teneri sanxit, qui vel Isauros vel *Buccellarios* (alii *Buccellatos* legũt) domi alerent. *l fi. C. ad l. Jul. de vi publ.* ubi qui Buccellarii dicantur. Alciatus explicat *lib.*4. *Dispunct. c.*20. quem Stephanus Forcatulus laudat in Necyomantia, *dial.* 96. *num.*12.

Buccellar.

Molarũ hieroglyphicum.

Sed ut ad Molas sermonem conferamus; notant Hieroglyphici, per Molam humanæ vitæ commercium significari: propterea quòd molæ semper duæ, atque alterius ope altera ita indigeat, ut singulæ nullum opus faciant. Unde amicitiæ nostræ, Necessitudines appellantur, quòd unicuique necessum sit habere amicũ, cum quo sua consilia conferat; qui se mutuò adjuvent, & alter alterius officiis sublevetur. Joh. Pieriꝰ *lib.*49. *Hieroglyph.* Jam cùm nulla major possit esse necessitas, nulla cõjunctio arctior, quàm quæ Viri & Uxoris est: si laxato socialis lecti vinculo, alteri copiam sui fecerit Mulier, rectè eam dicemus alii molere. Sic enim illam Jobi imprecationem, *Molat alteri uxor* J. Drusus de obscœno intellectu interpretatur *lib.* 5. *observ c.*5. Eaque interpretatio vera est; & non parum juvatur sequenti membro: *Incurvent se super eam alieni.* Nam incurvare eo in loco idem plane valet, quod *inclinare* apud Plautum *in Persa. act.* 4. *sc.*8.

Vxor molẽs alteri.

Pol istuc quidem omne jam ego usurpabo domi.

Nam jam inclinabo me cum libertatua.

Nec ignotum est, Horatium *alienas permolere uxores* eodem dixisse sensu, quo etiam accipiendi sunt illi Plauti versus *in milite glorioso act.* 2 *scen.* 2. ita à Palernio correcti.

Nam mulier nunquam molitori supplicat, si quæ est mala:

Domi habet hortum, & condimenta ad omnes moles maleficas.

Molitor.

Nam *molitor* quis sit, in vulgus notum est de illo, quod ex Horat. modo adduximus: quo in significatu *Molendi verbo* & Luciliꝰ utitur. In illo a. moles allusum ad molas, in maleficas ac mellificas, analogia & agnatio soni quæsita. Hortũ autẽ quem dicat, non est Delphis petendũ. *Horti*, sunt horti Hesperidarum, qui profectò non alii in fabulis quam id quod in puellis honeste nominari nequit: & in iisdem hortis *poma illa decantatissima*, nil nisi *Coli Lanuvini.* De quib. supra à nobis dictũ est de Horolog. Nec desunt qui illa *in lib. Jud. c.*6. *v.*21. verba: *Samsonem clausum in carcerem molere fecerunt.* Voluerunt n. Philisthæi, ut ex eo prolem robustam susciperẽt. Nam *molere*, inquit Pet. Comest. vulgo magister dictꝰ *in histor. Sudeb. add. v.*21. ẽt est subagitare vel coire: quod qui id agit, q. molere & terere videatur. Quem locũ ita adducit Georg. Juhar. *in symb. ad Petro. p.* 69. *verb. frustra moluit.* Molarũ hac occasione nõ possum non meminisse *Hydromylarum*, quæ in Holandia tam crebro ob necessarium illa-

Horti.

Poma.

Hydromylæ in Holãdia.

illarum usum, ad aquarum scilicet multitudinem, quæ demissioribus gravis est,& stagnantibus innatat, exonerandum frequentantur. Ita autem vocantur *molæ aquariæ*, quatenus instructæ alis, quæ vento operam dante circumaguntur, & pinnato tympano aquas in altum evehant, atq; in Euripos atq; inciles fessas ejectant, invento valde utili ac prope necessario: quæ altioribus aggeribus utrinque coercitæ & in majores latioresq; Aquæductus corrivatæ per emissaria opportunis locis fabricata, quotiescunque maris reciprocantis æstus refluit, in maris sinum aut amnem aquas effundunt, quam rem ne per somnium quidem cogitasse veteres colonos, Hadrianus Junius *in Batav. histor. c. 15.* Huic molarum tractatui Colophonis sive Mantissæ loco accedat proverbialis ille versiculus.

Devitat quincunque molam vitat ille farinam.

Quo innuitur, eum qui industriam refugit, non fruiturum emolumentis. Nam qui fugit laborem, is fugit stipendiũ, quo se laboris fuga quodammodo facit indignum. Quod Paulus Apostolus quoque monet, *qui non laborat*, inquiens, *non manducet.* Sunt nempè qui molarum stridoribus offenduntur: cum tamen sine molis non liceat vivere. Sic quidam uxorum mores ferre non possunt, cum tamen liberos optent. Sed his tritum illud reponi poterit: *qui quærit ova Gallinarum, cacalismum sive glocitationem ferat oportet*, ex Erasm. *Chil. 3. cent. 3. adag. 59.*

DE AVCVPIO, QVOD CVM ACCIPITRE, NISO, FALCONE ET ALIIS AVIBUS PERAGITUR

TIT. XXIIII.

AVcupium antiquitus solùm fiebat cum retibus. Nam quod cum animalibus rapacibus, Accipitre puta, Niso & Falcone hodie peragitur, Veteribus planè fuit incognitum: ut Blondinus *scribit,* Iovius *lib. 2. suæ historiæ ubi de rebus tractat Muscoviticis.* Fridericus Barbarossa *cum Romam obsideret, hoc aucupii genus excogitasse creditur: quod ut utilissimum, ita frequentissimo hodie in usu est.*

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

Venatio Dei munus.

VEnationem Xenophon Deorum munus appellavit, Chironi propter justitiam dono cõcessam, ab eo inde Heroibus traditam: quorum virtute, ex isto potissimum tyrocinio, patria defensa, miseri ubiq; terrarum calamitatibus levati, servati sint. Atque hoc pulcherrimum est Venationis elogium. Cui consentiens Eusebius: Atroces, inquit, bestias exercitationis bellicæ gratia divinitus productas ducimus. Nihil enim magis corpus ad laborem, animum ad resistendum hosti corroborat, quam venatio. Ob id Alexander Macedo, Cyrus aliiq; Persarum reges, sedulam venationi operam navarunt: non ad saginam corporis, non ut penum locupletarent; sed ut vires corporis, caloremque naturalem sanitatis ergo foverent, & laboribus adversus hostem durarent, præterea & ferarum historiam atque naturam explorarent, exploratam posteris revelarent. Joh. Langius *lib. 2. Ep. 59.* Quinimò inter omnia exercitia, quæ præstantiæ laudem merentur, Venationem

ejus utilitas.

nem primum occupare locum, Josephus Quercetanus probat *in suo Diatet. polyhistor. Sect. 2. cap. 11.* multis hanc in rem præstantissimorum Heroum & Ducum prolatis exemplis. Quamvis autem Salustius Venationis studium servile dixerit, minimè tamen damnavit illud *Jugurtha*: quem scribit in bello Jugurth. milenem se luxui & inertiæ corrumpendum dedisse, sed pleraque tempora venando transegisse. Sed & Virgilius decori observantissimus, venandi studium *in Ascanio* laudat; ut & Sidonius Apollinaris *in Avito Augusto*, & Herodotus *lib. 1. in Crœsi filio.* Plinius quidem secundus *lib. 1. Epist. 6. & lib. 9. Ep.* 10. ait Sylvas, solitudinem & silentium, quod venationi datur, magnæ cogitationis eruditæ esse incitamenta; nec Dionem magis montibus, quam Minervam inarare. Marcus Tullius *lib. 2. de nat. Deor.* Venationem ferarum laudat, quod illa exerceamur ad similitudinem bellicæ disciplinæ. Unde Capitolinus scribit, Maximinum solis venationibus frequenter legimus exercuisse. Plato verò *lib. 7. de legib. in fin.* Sacros vult esse venatores, qui cursu, jaculatione, viribus quadrupedes consectantur. Cæteros venatores rejicit, quæ ex Jureti notis *ad Symmachi ep. 66. libro* 5. loco huic placuit inserere. Est tamen invenire nonnullos qui in venationibus ad congressus cum feris sunt animosi: cùm adversus arma atque hostes iidem sint ignavi: quidam ad belli usus, quoties virium inter privatos res geritur, expediti sunt & solertes: in communi bello, & cum aliis in acie stantes sunt inutiles: adeò naturæ hominum non corporibus tantum: sed & multo quidem magis animis verè inter se diffident: ut idem homo partim aptus, partim ineptus inveniatur, non dicam ad diversas actiones, verum etiam ad nonnullas quæ generis sunt ejusdem: estque idem sæpè ingeniosissimus & tardissimus. Idque usu quemque experiri, qui voluerit attendere, Polybius prodidit. *lib. 4. cap.* 8. Et quidem venationis exercitium (quo scilicet ut cum Virgilio dicam *lib. 3. Æneid.*

Venatores Platoni sacri.

quidam adversus feras animosi: adversus hostem ignavi.

> *Venatu invigilant pueri sylvasque fatigant.*)

Venationis exercitium apud solos planè Germanos mansit.

quod attinet, existimat Jul. Cæsar Scalig. veteres hujus disciplinæ apud Germanos penè solos mansisse in occidente. Mysos quoque & Scythas eodem modo degere. *Nostratibus* (inquit porrò, id est, *Italis*) nihil præter luxum & jactantiam & Dei contemptum reliqui factum est *lib. 3. poetic. cap. 17.* Venationis autem tria sunt genera. Nam aut terrâ, aut mari, aut in ipso etiam aere peragitur. De prioribus nihil hîc attinet dicere: cum & omnibus nota sint, & omnibus etiam seculis credantur usurpata. Illud tamen ad compestrem illam venationem, quæ per saltus & agros fit, lubet adjicere, quod I. *Scoppa* è quodam fragmento incerti authoris annotat, venatorum genera esse quatuor: *Investigatorum*, qui animalium vestigia investigant. *Indagatorum*, qui latibula noverunt: *Insidiatorum*, qui insidias & casses parant: *Alatorum*, qui equo succussante sensimque insultante, clamoreque animalia terrent, ne aliorsum, quam per medias tendiculas fugam arripiant: quos alio etiam nomine *Pressores* dixeris ex illo Virgil. *lib. 1. Æneid.*

Genera tria.

> *Aut spumantis apri cursum clamore prementem.*

& *lib. 3. Georg.*

> *Ingentem clamore premens ad retia cervum.*

Dum scilicet ut cum eodem loquar Virgilio,

> -- *inclusum in flumine nactus*
> *Cervum, aut puniceæ septum formidine pennæ*
> *Venator cursu canis & latratibus instat.*

Premere certè, ut & agitare, itemq; excitare, verba esse venatoria Turneb. notavit *lib.12.advers.c.12.* & per *Formidinem* Virgilius funiculos illos extensos intelligit, quos etiam lineas appellabant, quib. intexebantur variarum avium pennæ, sandice quoq; & rubro tinctæ (unde eas *puniceas* vocat) ad feras terrendas & coercendas, ut in retia agerentur, quod Taubmannus ibi erudite explicat. At aereum hoc, de quo præsenti agitur capite, nec usurpatum Veteribus, nec cognitum, nec omninò cogitatum. Adeò non omnia sibi vendicat antiquitas! quod hactenus diligenter, ut puto, ostendimus. Miraculi isthæc planissima species, nisi frequentior usus, quod amat fieri, admirationem minueret. Illud interim omnium consensione convenit, hanc præstare Venationes reliquas tanto intervallo, ut inter viros principes nulla habeatur prior; tenuioribus ad eam nec aditus pateat. De quo videri poterit, quod Jos. Scaliger scripsit in Comment. *in Ciren.fol.*344. Quod verò hanc Avium capturam Veteribus incognitam fuisse diximus, verum est, si vetustissimā antiquitatem interpreteris: cæteroquin ante annos MCC. hanc notam fuisse, ex Julio Firmico scimus, qui *lib.5.c.8.* nutritores accipitrum, falconum, cæterarumque avium, quæ ad aucupia pertinent, nominat. Atque ea fortassis antiquissima est hujus rei memoria, saltem quæ fidem mereatur. Nam quod quidam Ulyssem ejus auctorem faciunt, aut Macchabæum, nugæ meræ sunt, uti illa de Virgilio & Marcello planissima fabula. Verum autem illud aucupium, hoc est, Artem venandi cum avibus, duobus libris exactissimè conscripsit Fridericus II. Henrici F. Friderici Barbarossæ N. Princeps & Imperator luminis illis omnium temporum heroibus annumerandus: qui cum virtute & gloria bellica, excellentem in omni doctrinarum genere eruditionem conjunxerat. Ingenio quippe fuit tanto, ut præter patrias linguas Germanicam & Italicam, didicerit exactissimè plurimas alias, Latinam, Græcam, Saracenam, Francicam; & in singulis Philosophiæ partibus non tantum rudimenta prima degustaverit, sed fontes ipsos introspexerit atque exhauserit: magnanimus, liberalis, magnificus, in utraque fortuna constans & moderatus, acer in præliis & providus, manu pariter & consilio promptus, itemque à crudelitate alienissimus, cum quo majestatis antiquæ reliquias simul concidisse ac sepultas esse, existimat *Philippus* Melanchthon *lib.5.Chronicor.mihi fol.*789. Ejus igitur Friderici II. libri duo, quos dixi, de arte venandi cum avibus, inter alia præclarum monumentum eruditionis singularis & rari ingenii, editi nuper sunt Augustæ Vindelicorum, ex autographo manuscripto membraneo, quod in Bibliotheca sua habuit, & pro utilitate publica liberaliter deprompsit *Ioachimus Camerarius Ioachimi* F. inclutæ Reipubl. Noricorum Medicus quondam solertissimus, adjecto etiam Alberti Magni de Falconibus, Asturibus & Accipitribus tractatu. Eos, Lector, artis hujus peritiam indipisci satagens, adire poteris; illud tamen etiam atque etiam monitus, ita scil. Venationi, cujuscunq; etiam illa sit generis, indulgeas, ne, quod multis usu venisse scio, aureo te piscatum hamo doleas, aut cum canibus opes tibi cucurrisse conqueraris, avolasse cum accipitre.

Aucupii præstantia.

Id veterib. incognitum.

Artem venandi cū avib. scripsit Frideric. II.

hujus virtutes.

Attēdite Venatores.

Venationis & aucupii tam crebra mentio, facit ut animo mecum cogitem, ecquid sit quod apud Ulpian. legitur, Pantheram ab Aucupe emere? *l.emptorem, alias ex empto.11.§.fin.de act.empt.* Venator, seu auceps omnes mihi feras, aut volucres quos hoc mense capiet, ducentis nummis vendidit; quæritur an locatio hæc sit, tanquam

Pantherā ab Aucupe emere.

quam operas locaverit, an emptio potius? Et constat emptionem esse. Idq; Ulpianus respondit. quia idem sit, sive futurum jactum retis à piscatore emamus, aut indaginem plagis impositis à venatore, vel *Pătheram ab Aucupe*. Etsi n. sunt, qui Rete ea voce intelligant, quo universæ aviculæ capi possunt, & neutro genere πάνθηρον accipiant, exemplo τῦ παναγρυ piscatorij: verius tamen est, πάνθηρα fœmineo genere universam significare venationem, qualis in suprascripto exemplo venundata proponitur. quod Alciatus tradidit *lib. 1. parerg. c. 42.* Ex cujus etiam *lib. 9. parerg. cap. 11.* discimus, Allectatrices aves Aristoteli dici turtures, vel columbas, quæ aluntur, ut aliàs alliciant, & Aucupes ad congeneres capiendas adjuvent. quod in Coturnicibus fieri consuevit, itemque anatibus. de quibus ille hoc lusit Epigrammate:

Aves allectatrices.

Altilis allectator anas, & cærula pennas
Assueta ad dominos ire redire suos:
Congeneres cernens volitare per aera turmas,
Garrit, in illarum se recipitq; gregem;
Incautas donec pratensia in retia ducat:
Obstrepitant aliæ, conscia ad ipsa silet.
Perfida fraudatrix cognati sāguinis ales,
Officiosa aliis, insidiosa aliis.

Contrariæ prorsus naturæ fuerit Ciconia; quam Pietatis cultricem nō immeritò dixit Petron. Arbiter. Cujus pietatis insigne exemplum recenset Hadr. Jun. *in Batavia histor c. 17.* ubi Ciconiam scribit à pabulatione reducem, cùm flammas nido imminentes videret, conatam modis omnibus pullos grandiusculos, involucres tamen, eripere mediis ex ignibus tandem desperatâ omni ope & quasi conclamatâ, passis alis in nidum se præcipitem dedisse, pullisque toto corpore obtectis incumbere visam fuisse, veluti depositâ vitæ spe ultrò cum carissimis pignoribus mortem oppeti turam. Miraculo rei, & pietatis honori rem versibus his consignare placuit:

Candida & obstreperis invisa Ciconia ranis,
Pignora ab ardēti viderat igne premi.
Eripiat ne suos, & aperta pericula tētet?
Hinc suadet pietas, Vitæ amor inde vetat.
Hanc luctam Pietas generosa diremit, & urna
Esse eadem & sobolis vult Libitina suæ.
Jam minor Assyrium Phœnicem fama loquatur,
Vivere quæ busto quærit: at ista mori.

Nec verò silentio prætereundum est, Venationes omnes sylvaticas cum avibus, accipitribus & falconibus, Ecclesiasticis personis Pontificum sanctionibus esse interdictas, in concilio Aurelianensi *can. 4.* Agathensi *can. 55.* Epaunensi *can. 3.* Idque posteà etiam ad eam Venationis speciem, quæ cum canibus & clamore peragitur, fuit extensum *tot. t. ext. de clerico venator.* Venatoria enim exercitia athletica sunt & militaria: quæ procul abesse à cœlesti militia debent: cum nec militare Clericis permittatur. quandoquidem & Romulus sacerdotes per omnem vitam militaribus officiis solutos esse voluerit: & Cæsar id ipsum Druidibus quoque apud Gallos fuerit impertitus. Dion. Halicarn. *libr. 2.* Cæsar *lib. 6. de bello Gallico.* Quod tamen & nostris Monachis concessum non audet asserere Claud. Coteræus *lib. 1. de jure milit. cap. 14.* tum quòd egregiè adipati illi ventres, si quando è cavea prodeant, aptissimi ad arma ferenda censebuntur: tum quòd inclusos carcer & immaniores & asperiores efficiat. Atque eam ob causam Valens Imperator legem tulit; Monachi militarent, ac repugnantes interfici jussit, Paulus Diaconus *lib. 11. de gest. Rom.* Sed id in contemptum religionis factum per facilè existimaveris: cum fieri non possit, ut

Venatio Clericis prohibita

ut militia non affligat assuetum græcari. Quinimò neq; inter Seculares valdè probata fuit in sacris Literis Venatio, utpote quæ reddat homines crudeles, temerarios, & ad latrocinia pronos, quare & in illis male audierunt Cain, Lamed, Nemrod, Ismael, Esau, qui inter venatores ordinarios & robustos referuntur. Ibi insidiæ in beluas, crudelis audacia, facit facile præludium & habitum, ut eadem audeant dolosè assueti in homines. Accedit jactura temporis, contemptus negotiorum, & suorum etiam domesticorum, ut liquet ex illo Horatij:

--- Manet sub sub Jove frigido
Venator teneræ conjugis immemor.

Sequitur & inde artium vitæ utilium neglectus, quæsitorum vel à Majoribus relictorum consumptio, pauperum contemptus, translatis granis in alimoniam canum & avium: ut non ineleganter finxerint poetæ Actæonem magnum illum venatorem in cervũ conversum, nempè quod Canes ejus substantiam devoraverint, & venatores; atq; ita bonis assumptis fame interierit, qua de re apud Ovid. *lib. 3. metam.* & in commentariis Apollonij *lib.* 4. Planè piscationem, quam tertiam Venationis speciem diximus, ne Clericis quidem interdictam, probat Rainal. Corsus *lib.3. Indagat. juris c.14.*

Illud de Venatione in universum sciendum est, In Icaro insula Dianæ templum fuisse: cumque nimio plus scaterent ibi agrestes & præpingues capræ, cum Dorcadibus & leporibus, venari cupientem à Dea rei Pontificium esse comprecatum: pergentem indè præda onustum reversum, captis quę concupisset. Quòd si petere supersedisset, inanem prorium factam venationem, insuper & in eum expeditam audacioris conatus pœnam, ut est apud Cœl. Rhodigin. *lib. 23. Antiq. lect. c. 30.* qui itidem scito admodum & docto proverbio *Æteneum venatorem* usurpatum docet pro eo, cujus sit cassa inutilisque venatio, quique, sicut inanis progreditur, ita etiamnum regreditur. *lib. 26. c. 20.* Sed & moris fuisse Veteribus, ut tenellos lepores studiosi venatores dimitterent, Deæ captantes gratiam. Quod superstitionis fuisse, nemo dubitârit: sicut & illud, si feram se in flumen præcipitare conspexissent, ne Legis prævaricatores fierent, universam solvere venationem consuevisse. *lib. 26. c. 31.* Quo haud scio, annon æquè referri debeat, quod venatores & de præda diis immolabant & partes quasdam de tholo suspensas consecrabant, ut notat Turnebus *lib. 2. advers. cap. 22.* Quibus accedat elegans illa venationis descriptio apud Budæum *lib. 2. de philolog.* Ferâ, inquit, confecta & strata, tum Sinonum chorus ille Sitonumq; inclamatur, & venatores coeunt quoquo versus palantes. Quæ tanquã oratio est ob rem bene feliciterq; gestam. Quam deinde excipit visceratio extemporalis, & tanquam extispicina victimæ Dianæ immolatæ, quæ sic debetur ipsa canibus venaticis, ut libamentum capturæ accipitribus in aucupio volucri. Tergore detracto, caput abscindendum est molossoq; porrigendum & permittendũ. Has ei primitias peculiares placita majorum largiuntur, ob indicium feræ: ut in eo abrodendo inposterum irritetur is, cujus auspiciis & ductu rem alij exsecuti sunt, & quæ sequuntur. Non absimile huic Xenophontis præceptum est: capto lepore, dandum esse catulis lacerandum. Cui bono, inquis? ut magis irritentur, gustato sanguine leporis, indagare, vi odora bestiam, quod in Protrepticen Themistij ad Valentem Imperatorem notavit *Dn. Remus.* Sed fessi à Venatu isto ad quietam Serici considerationem nos convertamus.

Venator Æteneus

Venatores aliquid de præda immolabant.

Oratio venatoria.

DE TEXTIS SERICIS TIT. XXIV.

ADvehebatur olim Sericum à populis, qui Seres dicebantur, quorum regio hodie China nuncupatur. Procopius *scribit, regnante Iustiniano, circiter annum 150. Monachos quosdam ova Seris sive vermiculi illius, qui sericum solet deducere, Constantinopolin attulisse. Indeq; texta illa in Europa paulatim elaborari cœpta. Annis abhinc 50. in tantum excrevit textura ista, ut Veneta duntaxat regio, singulis annis 500. millia, & vel sola mea patria, quæ Rhegium est,* 100000. *aureorum, plus verò etiam multò Sicilia inde lucretur: ac ut uno verbo dicam, artificium hoc tanquam unicus jam Mercatoribus nervus sit lucri, & certissimum laborantium fulcimentum. Fiunt hodie panni vel texta serica, Veteribus olim planè incognita: verbi causa,* Ungulata, *quæ quoniam Damasci inventa fuerunt,* Damascena *dicuntur: item* holoserica *villosa, à pilis, quos Latini villos dicunt, sic appellata. Item* rasa, *semirasa;* Ormesina, *ab insula Sinus Persici, quæ Ormes dicitur; & varij præterea generis. quorum omnium commemoratio nimis longa esset futura. Sanè plurimas horum species Veteribus ignotas, & ob Bombycum inopiam non elaboratas fuisse autumo. Scribit enim* Lampridius, Alexandrum Severum *nunquam holosericam gestasse vestem; cuiusmodi multas hodie, à plurimis etiam mediocris status hominibus atteri & lacerari videmus. Sed &* Vopiscus *prodidit,* Aurelianum *nunquam vestem ex integro serico contextam usurpasse; nec alijs, ut usurparent, aut investiario haberent, concessisse. Eundemq; Vxori roganti, ut palam ex purpureo serico textam gestare sibi permitteret; respondisse, Nunquam se commissurum, ut fila auro pensarentur. Ista enim tempestate sericum auro rependebatur.*

Seres unde allati.

Horum proventus.

Textorum sericorum genera.

Alexand. Severus.

Aurelianus.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

QUæ hodiè Serica appellatur vestis, eam olim Medicam fuisse dictam, Procop. scribit *lib. 2. de bello Vandalico*, his verbis: Vandali omnium sunt, quos sciam, mollissimi atq; delicatissimi. Mensâ quotidie copiosâ utuntur, tum omnium rerum, quas Africa fert, refertâ. Gestant vestem Medicam ac sumptuosam, quam sericam vocant, &c. Nominis ratio inde fortassis desumpta est, quòd à Medis & Persis sericum adveheretur: donec Iustinianus Imper. Julianum legatum, Æthiopum & Homeritarum reges ambos rogatum misit, ob communem in Christum fidem, ut sibi contra Persas essent auxilio: ut Æthiopes quidē ex Indiis sericum mercantes, ac Romanis mittentes, ipsi quidem pecuniæ maximæ sint domini; Romæis verò causa existant, ut non amplius nummos in hostes; Serici emendi gratia, transferre cogantur: ex quo vestem conficere consueverunt, quam olim Medicam, nunc verò Sericam vocant. ut idem ait Procop. *lib. 1. de bello Persico.* dictâ appellatione à Seribus: de quibus Plinius: primi sunt hominum, inquit, qui noscantur, Seres lanifico sylvarum nobiles, perfusam aquâ depectentes frondeam canitiem *lib. 6. ca. 17.* quod

Serica olim Medica.

Seres Lanificio hinc dicti.

quod ipsum & Virgil. *lib.2.Georg.* expresserat, his versibus:

Quis nemora Æthiopũ molli canētia lana
Velleraq; in foliis depectant tenuia Seris:

ex opere scil. bombycum, ut supplendum monet Scaliger *exercit.158.c.9.* Seras inibi Tartarorum nunc *Hirdam* esse affirmans, in extremis Persiæ civitatem: in eaque tantum illius operis fieri, ut dena millia pondo serici in quotidianas operas dispensentur. In *Taprobane* quoque Sericum sine cultu ex arboribus detrahi à Bombycibus confectum, legere est *in Comment. Navigat.* cujus & *in China* tanta fertur copia, ut serica vestis incolis tam vulgaris sit, quàm nobis ex vili linteamine. Joh. Linschot. *c.23.* quanquam hodiè in Europa quoque satis magnus esse cœpit Serici proventus, posteaquam Justiniani tempestate duo Monachi, ex India seminarium Serici Byzantium ferentes, originem ejus declararunt, & ut ex perquam exiguis ovis per fotum vermes illi educerentur, educti folijs Mori nutrirentur; deinde ipsis naturâ magistrâ filum reddentibus, Sericum texeretur; non sine muneribus, quo Justinianus eos persequutus est, edocuerunt, ut Zonaras prodidit. Ipse tamen Julius Pollux ejusmodi quoque vermiculos ex ovis illis scaturientes suboluisse videtur, *lib.7.c.17. Dictionar.* Sunt etiam nonnulli, inquit, qui Seres ab alijs quibusdam animalibus tela suas colligere tradunt. Accedit Ovidianum illud, *15. Metamorph.*

Quaque solent canis frondes intexere filis
Agrestes tineæ, res observata colonis,
Ferali mutant cum papilione figuram.

Nec verò abs re est, quod Pancirollus hic tam varia pannorum sive textorum sericorum genera Veteribus ait fuisse incognita, ob Bombycum scilicet inopiam: quandoquidem de raritate hac ipsamet etiam Galenus testatur, *13. Methodi* scribens, suo etiam tempore sericum in Urbibus Romanorum magnis tantùm, atque ibi penes mulieres opulentas duntaxat exstitisse. Inopiam hanc Mori inopiæ tribuit Hieronym. Mercurialis. Quia enim serici illi vermiculi Mori folijs potissimum nutriuntur, eisque pinguefacti fœcundiores evadunt: consequens nimirum est, ut, quo tempore ejusmodi arbores copiosæ non fuerint, eodem quodq; nullus, aut saltem paucissimus illorum animalculorum, & proinde etiam Serici fuerit proventus. *lib.1.Variar.lect.cap.24.* Indeque est, opinor, quòd Aurelianus Imper. nulli permiserit Serico indui, ne uxori quidem, ut *blateo serico* (quod ex Forcatuli interpretatione, coloris fuit in purpuram cœlestem desinentis) uteretur. Absit, inquiebat optimus princeps, ut auro fila pensentur: cùm libra Serici librâ auri rependeretur. Flavius Vopiscus *in vita Aureliani.* Serici igitur, ut nec purpuræ concessus erat privatis usus: aut ne hujus tingendæ quidem aut vendendi facultas data. Ita enim habebat constitutio. Fucandæ atque distrahendæ purpuræ, vel in Serico vel in lana, quæ blatea vel oxoblapta, atque hyacinthina dicitur, facultatem nullus possit habere privatus. Sin autem aliquis supradicti muricis vellus vendiderit, fortunarum se suarum & capitis sciat se subiturum esse discrimen *l.1.C. quæ res vendi non poss.* Ubi vellus muricis appellat lanam infectam murice. *Blateum* autem dicitur purpureum. Nam quod Eutropius dicit in Nerone: retibus aureis piscabatur, quæ blateis funibus extrahebat; Suetonius ita prodidit: piscatus est rete aureo purpura coccoque funibus textis. *Oxoblapta* verò dicuntur rubro tincta. Ὀξὺ enim, inquit Suidas, ἐμφατικὸν ἐπὶ τῶν φοινικῶν. Nam φοῖνιξ modo palmæ arborem, modo colorē rubrū significat. *Hyacinthina* a. dicitur, secundum quosdā, quæ ferro ardenti similis est, & colore ferrugineo. Unde Virgilius

—*fer-*

Taprobanæ incolæ. *Chinenses.* *Europici hodie, Justiniani auspicio.* *Iul. Pollux.* *Morici olim inopia undet.* *Aurelian.* *Blateum purpureum.* *Oxoblaptum.* *Hyacinthina.*

—*ferrugineos hyacinthos.*

Qua de re copiose *Lazar Bayfeus de colorib.* Constitutionis autem illius, sicuti & *lig.2.* rationem fuisse arbitratur Connan. tum rerum caritatem & immensum pretium, quas id circò noluerint esse omnibu communes: tum ut his notari tanquam insignibus possent principes, & summi magistratus. Connan. *lib.7. commentar. jur civil.cap.7.num.1.*

Sericum hodie nimis vulgatum. Quæ cùm ita sint; acceptum Justiniano referre debemus Sericum, & vestes, in quibus Matronæ transluceant, aut viri usqe ad plebejos jam ornentur, toties vetitæ lege sumptuariâ, tam sæpè quàm frustrà prumulgatâ. Solinus certò hoc illud esse Sericum dicebat, *capit.63.* in usum publicum damno severitatis ad missum; & quo ostentare potius corpora, quàm vestire, primò fœminis, nunc etiam viris persuasit Luxuriæ libido. Ejusmodi vestium tenuitatem, Sericarum præsertim, notavimus *lib.1. Tit. de habitu Imper.* qualem Arbiter Petronius appellat ventum textilem:

Ventus textilis.

Æquum est judicere nuptam ventum textilem.

vestem enim ventosam & tenuissimam, æquantemq; subtilitate propemodum ventos significavit. Quo sensu item Petronius *nebulam lineam* posuit, pro tenui amiculo linteo quod nec panni crebritatem, nec telæ densitatem, sed nebulæ tenuitatem æmulatur pellucidam:

Nebula linea.

Palàm prostare nudam in nebula linea.

Sic enim Turnebum in interpretatum video *lib.1. Adversar. cap.15.* ab hac tenuitate non procul fortassis abfuerunt Milesiarum texta, quæ omnium credita fuerunt mollissima, à *Mileto* urbe: quam totius quondam Joniæ belli pacisq; artibus principem fuisse scribit Pompon. Mela, Thaletis Astrologi, Themochi Musici, & Anaximandui Physici patriam *lib.1. cap.17.* & [illegible]arum præstantia commendat Columella, eximij generis Milesias appellans lanas *lib.7. cap.2.* & Milesiam lanam pro pretiosissima positam à Virgilio notant interpretes *lib.3. Georg.*

Milesiorum texta.

Milesia lana summi pretii.

—*quamvis Milesia magno.*

Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.

Id est, quamvis lanæ Lilesiæ magnum sit pretium purpurea Tyria infectæ: parturâ tamen caprarum & mulctra est copiosior, ut Petr. Gualterius explicat ad illud Horat. *lib.1. Epist.1.*

Alter Mileti textã, cane pejus & angue:

Vitabit chlamydem.

ubi vestem molliculam & parum severam indicat: qualis erat Milesiorum, quorum nimia notata fuit investitu mollicies. Nam ut Lacedæmoniorum severitas multorum literis fuit celebrata: ita Milesiorum luxus in hominum sermones abijt: adeò ut quicquid molle parumq; virile vellent intelligi, *Milesium* appellarent. Unde Aristides quidam libro suo fabulis obscænis scatenti, titulum indidit Μιλησιακῶν & Lucianus *in Amoribus*, sermones amatorios lascivos *Milesios* vocat, ut & Martianus Capella Μῦθοι poeticæ diversitatis nominat *delicias Milesiacas.* Quin & Apulejus carmine Jambico, quo Asinum suum aureum auspicari voluit, de mulcentes & prurientes narrationes suas *sermonẽ Milesium* vocat. Idq; pluribus docet Erasm. *Chil.1. cent.4. adag.8.*

Nec dissimulanda hoc loco est Batavorum felicitas: quos etsi lini copiosa affluentia deficit, ob agrorum opinor paucitatẽ: nulla tamen regna linificio, sive linearum telarum textura cõparari, multò minùs æquiparari cum illis valeant. Certè operum subtilitate Arachnæos laboras, ne dicam Palladias manus provocant Batav. lintea; toto orbe notissima, Regum ac Reginarũ præcipuæ delitiæ: quorum cum nive certat candor, cum sindone tenuitas, cum bysso precium. Hadr. Jun. *in Batav. histor. cap.15.*

Batavor. lintea.

DE LIQUORIBUS, QUI VULGO BOTARGE ET CAVIARO DICUNTUR.

TIT. XXV. ET ULTIMUS.

Restat, ut de quibusdam ad gulam & palatum spectantibus dicamus, & veterum Garo ac Muriæ liquaminis, vulgò Botarge & Caviaro dicta, opponamus. quæ etsi gravissimis auribus Serenissimæ Celsitudinis tuæ indigna sunt; necessum tamen est, ut, quemadmodum de superioribus illis diximus, ita & de his, pro cognitione eorum indaisenda, verborum aliquid faciamus. Proinde non dedignabitur Illa, qualia hæc sint, breviter cognoscere. Botarge *igitur sunt ex ovis cephali (Latini Mugilem dicunt) expolitis scilicet in duabus vesicis, cruore ejusdem piscis ac sale adhibito. Recentioribus corrupto verbo* Botarcha *vocantur, quasi dicas ὠοτάριχα, hoc est, ova salita. Tanti autem hæc æstimantur, ut par ipsorum Venetiis duobus aut etiam quatuor aureis veneat. Post hæc principatum inter salsamenta tenet* Caviaro *vulgò nuncupatum. Id verò ex* Sturionis *ovis ad litus Ponti Euxini præparatur: quæ stipata simul & condensata probè, sale conduntur, & in cados reponuntur. Ejusdem Sturionis pulpa condiuntur & ipsæ: indeque caro conficitur, quam spinam sive dorsum paludis Mæotidos vocant. Hodie* Zabach *nominatur. Solet etiam sale condiri piscis quidam quem Moronam dicunt, cujus nulla nobis est notitia. Ejus tamen caro ex mari Danico adhibitur. Appertantur alij pisces saliti (quos Haleces dicunt) Sole indurati & exsiccati in Suetia & Norvegia: Item Marluci vulgò dicti, quos duritie sua vel ligno adsimilare possis. Nullum verò horum piscium Veteribus in usu fuisse credo.*

Atque hæc quidem, Serenissime Domine, sunt res illæ, item artes, mores & consuetudines, de quibus dicendum putavi, ostendendo nimirum, Earum aliquas antiquitus quidem fuisse, sed intercidisse posteà: & contrà aliquas noviter fuisse adinventas: ut hinc de Mundi hujus majestate, & multis præstantibus atque egregijs arcanis constare possit. Cætera quæ non ita magni momenti videbantur, tanquam indigna auribus Serenissimæ Celsitudinis tuæ omisi. Quæ, si forsan satisfactum minus à me fuerit, non dedignetur tamen sincerum & bonum illum animum intueri, quem ad inserviendum Ipsi fero promptissimum, Eidemque cum humilima subjectione & reverentia manus exosculando me commendo.

Botarge.

Caviaro.

Zabach.

Conclusio operis.

NOTÆ, SIVE COMMENTARII.

AD capitis hujus explicationem opus nobis esset Apitio illo, artis culinariæ ad omnem luxum archimagyro famosissimo, & tantum non *gurgite Nepotano:* qui inter alias lautitias, etiam Mullos pisces in garo enectos, sapidiores fieri docuit, quo-

Apitius archimagyrus.

quemadmodum & hœdi carnem à lupo morsam teneriorem fieri & delicatiorem esse: atque ideò alijs jucunditate præcellere fuit creditum; ut non injuria forsan à Martiali tantoperè laudetur

Hœdus inhumani raptus ab ore lupi.

Equidem neque artis hujus scientiam mihi laudi admodum, neque etiam inscitiam fraudi fore confido. Quod si quis tamen ita delicatus sit, ut & obsoniorum istorum cognitionem cum Pancirollo habere gestiat: poterit tam de Muria, quàm Garo (quibus *Botarge & Cavario* successisse videntur) tum etiam de utriusq; speciebus, itemq; e confectione sive præparatione consulere Johan. Langium, diligentissimè illa explicantem *lib.2. Epist 59.* post Hermolaum Barbarum *lib.2. corollar. in Dioscorid. cap.234.* videatur & Dioscorides ipsemet *de materia Medica lib.2. ca.31.* ac qui in eum satis eleganter commentatus est Marcellus Virgilius *Secretarius Florentinus*. Et de ejusdem usu Paulus Aeginera *li.7. de his quæ inchoant à lit. G.* Cæterum de garo novam opinionem prodidit Julius Cæsar Scaliger *exercit.303. dist.3.* ubi garum ex ovis non ex intestinis cujusdam piscis, quem *Pracopita Tartari Losar* appellant, esse dictitat. Legatur locus ipse. Descriptionem autem præparationemque gari quære apud Hieron. Cardanum *de subtilitate lib.13. de sensibus sensibilibus folio mihi 498. editione Lugdunensi.* quemadmodum & apud Alexand. ab Alexand. *lib.4. dier. genial. cap.27. in prin.* ubi garum ex piscibus, quisquamam non habent, incendia libidinum reprimere scribit. Illud tantùm monuero, laudatum inprimis fuisse, & nobilitatum maximè id Gari genus quod ex intestinis piscium, Scombrorum præsertim, cruenta illorum sanie eliquata in hunc modum præparabatur. Scombrorum enim intestina cum embrochijs, eorum cruore & sale conspersa in vase fictili menses ut plurimum duos sinebant tabescere, deinde fundo vasis pertuso id agebant, ut liquor iste in aliud vas illi substratum destillaret. qui tanti erat precij, ut nullus eo liquor, præter unguenta, pluris constiterit; singulis millibus aureorum permutantibus congios pari penè binos. Hinc liquamen istud fastuoso & superbo satis titulo appellatum fuit *Garum sociorum*. Sic enim Plin. *lib.9. cap.17.* M. Apicius, ait, ad omne luxus ingenium mirus, mullos in *sociorum garo* (nam ea quoq; res cognomen invenis) necari præcelles putavit. Et Auson. *ad Paulinum:* Scis, inquit, me id nomen Muriæ, quod in usu vulgi est, nec solere, nec posse dicere: cùm scientissimi Veterum & Græca vobula fastidientes, Latinum in Gari appellatione non habeant. Sed quocunque nomine loquar, liquor iste *Sociorum* vocatur. Id Martialis significat, cum ait:

Exspirantis adhuc Scombri de sanguine primo
Accipe fastosum, munera rara garum.

Fastuosum enim pro *fæcoso* (ut vulgò, habetur) rectè legi, ex manuscripto probat Hadrianus Junius *lib.6. Animadvers. c.17.* Seneca Garum preciosam malorum piscium saniem vocat *Ep.96.* Cujus rei rationem docet Plin. *lib.31. c.3.* Sed & Manilio ita vocatur *lib.5.*

Hinc sanies pretiosa fluit, floremq; cruoris
(oris.
Evomit & misto gustum sale temperat

Petronius *in convivio Trimalcionis*, garū piperatum, ait, currebat super pisces. Garo enim condiebantur pisces: & garo condiri solitum aromatis, alijs pro ratione cibi videtur, ex Johannis à Uumor. sententia, ubi ad istum Petronij locum adducit illos Horatij versus *Satyr. 8. lib. 2.*

His mistum jus est oleo, quod prima Venafri

Muria & Garum

Scaligeri nova de garo opinio.

Garum laudatissimum.

Garum sociorum.

Garo condiebantur pisces

& ipsum condiebantur aromatis

Pressit cella garo de succis piscis Iberi.
Atque illo liquore sive liquamine, etiam scombrorum ova temperabantur. Martial.

—scombri temperat ova liquor.

Qui quidem liquoor ex scombrorum tabe confectus garum dicebatur; *uti Muria ex tynnorum.* Hoc pauperum tantum erat. Illud divitum, propterea *fastosum* sive præciosum appellatum, ut modo innuimus. A Muria porro arida [illegible] piscium vocarunt Romani, quæ omnino uno nomine Septentrionalium lingua hodie di. untur Stockfisch. Nam nisi diu aqua macerata, & rude ac bacillo verberata non coquuntur, ut Jul.Scaliger ne tavil *lib.2. Ausonian.lectionum cap.28.* Jacobus Cujacius id genus piscium *asellos* vocat, quod nisi ferula verberetur, igne percoqui non possunt *in Recitation ad cap.3. ex. de feriis.* Porrò luxuriei quoniam cum hoc titulo alibi crebra facta fuit mentio, in memoriam mihi venit ejus, quod Epicurum Philosophum ab omnib. ferè voluptatis extremæ incusatum video, quasi ille summum in se bonum constituerit. Ideoque in exprimendo Philosophorum habitu, quo statuæ eorum fuerunt exornatæ, sunt qui Epicurum ita effingunt, ut inter delitias curata cute niteat & voluptuc.ur. teste Cœlio Calcagnino *lib 3. Epistolic. quæstion Epist.8. in fine.* Sed minuenda est hæc opinio. Nec enim corporis voluptatem amplexus est Epicurus, qua nullam capitaliorem pestem hominibus à natura datam dicebat *Archytas Tarentinus.* Impedit enim consilium voluptas, animi inimica, ac mentis, ut ita dicam, præstringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium. In voluptatis quippe regno virtutem consistere posse negat *Tullius*, divino illi muneri, menti nimirum a Deo sive Naturæ nobis datæ nihil tam esse inimicum asserens, quam voluptatem. At Epicurus *voluptatem animi* intellexit, ut Diogenes Laertius interpretatur *in ipsius vita, qui est liber decimus.* Eidemque adstipulatur Lactantius *lib. 3. divin. instiut. cap. 7.* ipso scilicet Epicuro parcè & continentissimè vitam exigente. Unde etiam illud frequenter usurpasse memoratur, *cui pauca non sufficiunt, ei nihil satis esse* Ac proinde *se cum Iove paratum esse de felicitate certare dicebat, si aquam haberet & offam:* prout attestetur Ælianus *lib 4. histor. cap.13.* Atque hanc ejus sententiam à varijs variè detortam sapienter explicat acerrimus ille Theatri Romani censor Seneca *capit. 12. de vita beata, & Epist 18. ad Lucilium,* cum jis quæ annotavit Lipsius. Ea propter nemo frontem corruget, Epicurum cur tantopere veneratus sit Juvenalis, jis versibus.

—Non Epicurum
Suspicit, exigui latũ plantaribus horti.

Admiratur enim Epicurum in voluptate summum collocantem bonum, & tamen paucis contentum olusculis: de quibus idem *Satyr.15.*

—eidem
In quantum sitis atque fames & frigora possunt?
Quantum Epicure, tibi parvis suffecit in hortis.

Audiamus de hoc Alex. ab Alexand. testimonium. Epicurus *ait*, summus voluptatis assertor, victu frugali ac modesto contentus, aqua & polenta, aut pane hordeaceo vitam quæsivit, contraque paupertatem invictum animum gessit: non quod voluptates aversaretur; sed quod in tenui victu se plus voluptatis experiri ajebat, cujus rei argumentum est, quod oleribus & pomis, ac vilibus cibis, quibus vivendum censuit, libros refersit *li. 3. genial. dier. c. 11.* cum quo plane consentit Ludovicus Cœlius Rhodiginus *lib 13. lection. antiquar.*

Aselli.

Epicurus in voluptate summum bonum statuit.

... non corporis.

Sed animi voluptate.

tiquar. c.25. & libr. 19. c. 27. Elegans sane extat Platonis dictum, volentis se dici Divitem virum: non opulenter, inquit adjiciendum; sed cupiditati inexpletæ detrahendum. ad quæ omninò spectat illud Epicuri: *si ad naturam vives nunquam eris pauper: si ad opinionem, nunquam dives: exiguum natura desiderat: opinio immensum.* Quod ex Seneca & alijs pulchrè explicat idem Rhodig. *lib. 20. cap. 24.* Quibus Mantissæ loco accedit, quod veluti ex oraculo depromptum videri possit illud Manilij

> *Victuros agimus semper nec vivimus nunquam*
> *Pauperiorq; bonis quisque est, qui plura requirit.*
> *Nec quod habet, numerat: tantũ quod non habet, optat.*

Epicurus cur discipulis suis aliisq; adeo carus. Ab ejusmodi voto cum alienissimus fuerit Epicurus vel minimo etiam contentus: quid mirer tam charum eum fuisse discipulis, ut & quibusdam alijs, ut imaginem ejus non modo annulis, sed & poculis ferrent insculptam, hos fausti ominis generi & nomini suo esse arbitrati: ut idem Alexander prodidit *lib. 2. cap. 19. & lib. 3. cap. 18.* Reliqua à *Gula proceribus*, quos Plinius ita nominat *lib. 6. cap. 17.* erunt petenda: & ad hanc rem bene facientia scripsit Joh. Bruerinus *de Re cibaria lib. 10. cap. 17.* *Gula proceres.* Ego hic finem facio: & quæ à cãdido hoc profecta sunt pectore, ea candori tuo, Lector benevole, commendo; nil dubitans, si quandoq; exspaciatus fuerim longiùs, id ob floridam illam rerum varietatem cum utilitate, ut spero, conjunctam, tibi non ingratum fore: multo vero etiam gratius, quòd etsi ab aliorum sententia nonnunquam discessi, citra tamen illorum id fecerim injuriam; ab iis semper alienissimus, qui nisi obtrectatione & calumniis ad nomen nunquam se perventuros esse sperant. Quod si igitur hac moderatione mea tam oportuni silentij laudem, quàm tempestivę vocis testimonium apud te fuero consequutus, quidem voti mei summam me contigisse arbitrabor.

APPENDIX AD TITULUM XII. DE TYPOGRAPHIA.

De Typographiæ sive Artis Impressoriæ invéntione, verissima historia.

ANno Dn. 1440. & pòst, fuit Moguntiæ ad Rhenum, quæ tunc adhuc civitas Imperialis erat, civis quidam ex honesta familia prognatus, Johan. Faustus nomine: cujus familiæ etiamnum hodie quidam ex Patriciis Francofurti ad Mœnum sunt superstites. Hic Johannes Faustus, pro eo, quo artes liberales & viros doctos prosequebatur, studio, cùm considerasset, penuriâ librorum, & magnis, qui ad eos describendos requirebantur, sumptibus, multa ingenia à studijs abstrahi atque avocari, de modo ac ratione cogitare cœpit, quâ minori labore ac sumptu libri & boni auctores divulgari ac comparari posset. Postquàm in eam rem sedulò intentus fuisset, initio hanc viam ope divinâ reperit, ut Tabulam Abecedariam characteribus eminentibus ligno incideret, & ad impressionem formaret, quos etiam atramento impressit. Sed quia atramentum fluebat, & characteres confundebat, re diu animo voluntatâ, crassam & nigram materiam

adinvenit, & tabulas illas minoribus prælis subjicere, librosq; hoc pacto excudere cœpit. Quod opus, quia antehac incognitum erat, & Tabulæ illæ vili pretio comparari poterant, ab omnibus prædicabatur. Unde Faustus occasionem arripuit, non solùm Donatum eadem ratione integro ligno incidendi & excudendi, sed etiam in eam curam & cogitationem graviter incumbendi, quomodo artem, quã invenerat, magis ac magis excellere & elimare posset: præsertim quia integras columnas seu formas, ut hodie loquuntur, ligno incidere nimis molestum ac laboriosum erat. Quapropter hoc compendium excogitavit, ut priores asseres dissecaret, probos characteres retineret, & detritorum loco alios peculiares formaret: atque ita compositionem seu coagmentationem charecterum exorsus est: tametsi multum temporis & laboris in singulis charecteribus seorsum formandis impendendum videret.

Cæterùm in exercenda hac nova arte operis quibusdam usus est Faustus, in quibus fuit Petrus Schæffer Gernsheimensis, qui cùm heri sui institutum percepisset, magno illius artis studio incensus est: & quia ingenio valebat, animum ad illam amplificandam adjecit, ac singulari Dei instinctu rationem invenit, qua characteres matrici, ut vocant, inciderentur, & ex ea funderentur. Alphabeto hoc modo inciso characteres inde fusos Fausto hero suo, ostendit: quibus ille usuque adeò exhilaratus est, ut ei protinus filiam unicam desponderet, ac paulo pòst in uxorem daret. Quamvis autem etiam in hoc genere characterum aliqua difficultas suborta esset, propterea quòd materia mollior esset, quàm ut pressuræ resistere posset: tamen mox ejusmodi mixtura inventa fuit, quæ vim præli aliquandiu sustinere potuit.

Rebus eò provectis, socer & gener domesticos suos jure jurando adegerunt, ut novum istud inventum summo silentio celarét, & asseres ac primordia artis, ipsosque characteres ligneos funiculo involverunt atq; asservarunt, quæ amicis, quando libuit, ostenderunt.

Eodem tempore Moguntiæ commorabatur Joh. Guttenbergius, honestis parentibus natus, qui proximè Fausti ædes habitabat. Hic cum animadvertisset, insignem hanc artem typographicam non solùm omnium ore passim celebrari, sed etiam admodum lucrosam esse, familiaritatem cum Fausto contraxit, & quia opulentus erat, pecuniam ei ad sumptus necessarios obtulit. Quod Fausto minimè ingratum fuit, quandoquidem comperiebat, sumptus, quos in eam artem faciebat, quotidie crescere, & tunc opus chartæ pergamenæ imprimendum præ manibus habebat. Quapropter cum Guttenbergio convenit & pactus est, ut quicquid in illud opus impenderetur, communi utriusque lucro vel damno cederet. Quoniam verò Faustus plus insumseret, quàm Guttenbergius necessitatem postulasse arbitrabatur, hic dimidam suam partem exsolvere detractavit: qua ex re cùm lis orta esset, alter alterum Moguntiæ in jus vocavit: ubi, partibus auditis, pronunciatum fuit: si Johannes Faustus interposito juramento affirmare posset, omnem pecuniam, quam mutuam sumpsisset, in commune opus erogatam, non autem in proprios ipsius usus conversam fuisse, Guttenbergium ad solvendum obligatum esse. Cui sententiæ Faustus paruit, sicut ex archetypo Instrumenti, quod etiamnum superest, & anno 1455. 6. Novembr. à Joh. Ulrico Helmaspergero Notario ea de re confectum fuit, liquidò demonstrari potest. Unde evidenter apparet, Guttenbergium nequaquam artis typographicæ in-

ventorem & primum auctorem esse, sed aliquot annis postquàm ea inventa fuisset, à Johanne Fausto in consortium adscitum, pecuniam ei suppeditasse.

Cum igitur Guttenbergius ad sumptus refundendos damnatus fuisset, & ex eo simultates inter ipsum & Faustũ magis exarsissent, ille a. interea artẽ vidisset & didicisset, siquidem inter tot operas, quæ ad eam exercendam requiruntur: fieri non poterat, ut ea diutius occultaretur, quod etiam Deus procul dubio noluit, Moguntiâ Argentinam se contulit, quò aliquot ex operis secum attraxit. Post illud discidium alii quoque, qui apud Faustum artem illam didicerant, eum deseruerunt, & Francofurtum atque in alia loca se receperunt, cùm præsertim anno 1462. Moguntia captâ, & pristinâ suâ libertate privata fuisset: quo factum est, ut hæc præclara ars omnibus innotesceret, & publici usus fieret.

Hæc est vera historia de primis initiis & natalibus Typographiæ, ex vetustis documentis, quæ adhuc extant, petita: quæ ex multis præterea antiquis libris, illo tẽpore excusis, quorum non pauci passim reperiuntur, confirmari potest. Nam ipse Johannes Faustus & minister ejus Petrus Schæffer Gernsheimensis ad calcem librorum à se tunc excusorum palàm & nemine contradicente professi sunt, se Johannem Faustum artis Typographicæ inventorem, & se Petrum Schæfferum ejus adjutorem fuisse: sicut liquet ex pauculis, quæ sequuntur: qualia permulta adhuc proferri possunt.

In Bibliotheca Electorali Palatina extiterunt Biblia, è quibus sequentia in fine apposita descripta sunt:

Præsens rationalis divinorum Codex officiorum, venustate capitalium decoratus, rubricationibusq; distinctus, artificiosâ adinventione imprimendi ac characterizandi absque calami exaratione sic effigiatus, & ad Eusebiam Dei industriè est consummatus per Johan. Fust, civem Moguntinum, & Petrum Gernsheim clericum diœcesis ejusdem, Anno Domini 1459. sexto die Octobris.

In fine Officiorum Ciceronis ibidem extant sequentia.

Præsens Marci Tullij clarissimum opus Johannes Fust Moguntinus civis, non atramento plumali canna neq; cerea, sed arte quadam perpulchra Petri manu pueri mei feliciter effeci. Finitum Anno 1465.

In fine Decisionum Dominorum Rotæ in Bibliotheca Francofurtana

Anno M. CCCC. LXXVII. pridie Nonis Januarij, gravi labore maximisque impensis Romanam post impressionem, opus iterum emendatum, antiquarum novarumque Decisionum suis cum additionibus Dominorum de Rota, in civitate Moguntia, artis impressoriæ inventrice & elimatrice prima Petr. Schæffer de Gernsheim suis consignando scutis arte magistrat, feliciter finivit.

In fine Institutionum Iuris Iustiniani cum notis Accursii. in Bibliotheca Francofurtana.

Anno Domini M.CCCC.LXXVI.X. Calend. Jun. Sanctissimo in Christo Patre ac Domino, Dom. Sixto Papa IIII. Invictissimo Domino, Domino Friderico III. Romanorum Imperatore semper Augusto, Generoso Domino Diethero de Isenburg, electo & confirmato Moguntino, in nobili urbe Maguncia Rheni, Impressoriæ artis inventrice elimatriceque prima, præsens Institutionum opus præclarũ Petrus Schæffer de Gernsheim suis consignando scutis, omnipotente favente Deo, feliciter consummavit.

Pancirol. lib. 2.

LEGUM QUARUNDAM SENSUS HOC TRACTATU OBITER IN-DICATUS.

INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM.

A

pro-

Cor-

Euno-

G

Ma-

INDEX.

Nice-

Saf-

FINIS.

FINIS.

Tituli